UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Visual Library

Th. 2585.

IX
26

IVDICIORVM DIVINORVM QVÆ DEVS IN HOC MVNDO EXERCET

TOMVS TERTIVS.

Collegij Soc. IESV Paderborne

Auctore

GEORGIO STENGELIO
SOCIETATIS IESV
THEOLOGO.



Omnia iudicia eius in conspectu meo. Psal. 17. 23.

Cum Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis, & Permissu Superiorum.

Ingolstadij, Apud GEORGIVM HÆNLIN.

ANNO M. DC. LI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IVDICIORVM
DIVINORVM
QVÆ
DEVS IN HOC MVNDO
EXERCET
TOMVS TERTIVS.
CVI
GEORGIO STENCELIO
SOCIETATIS IESV
THEOLOGO.

QVA IVDICIORVM SVORVM VEL CLEMENTIA, VEL IVSTITIA, DEVS PAVPERTATEM, FAMEM, INFAMIAM, MVTILATIONES, ET BELLVM, OMNIVM HORVM MALORVM COMPENDIVM, DENIQVE MORBOS, MORTESQVE ET TENTATIONES VARIAS HOMINIBVS, IN HAC VITA, IMMITTAT?

CAPVT I.

Paupertas, ob quas cauſſas, hominibus odioſa atque execrabilis eſſe videatur?

DVæ res, maximè inter ſe diuerſæ, humanam vitam exercent, Copia & Inopia. Habent enim alij multum, alij parum, aliqui etiam omnino nihil, in hoc Mundo. Quæ varietas illi aſcribenda eſt, qui regit Vniuerſum. Vt enim paterfamilias, ea quæ in domo ſunt, ita, quæcumque in Mundo ſunt, Deus diſtribuit. Ille, quia *Dominus vniuerſorum* eſt, cui vult ea, dat ea: *Dominus pauperem facit, & ditat. Omnes in verbo Dei concordate; & diuitem, & pauperem Deus fecit*, ait S. Auguſtinus, *ſcriptura loquitur: Dives & pauper occurrerunt ſibi, fecit autem ambos Dominus. Dives & pauper occurrerunt ſibi. In qua via, niſi in iſta vita? Natus eſt dives, natus eſt pauper.* Pares natura, diſpares fortuna. Copiam vni, inopiam alteri deſtinauit. Itaque *paupertas, & honeſtas à Deo ſunt.* Sed non perinde ab hominibus æſtimantur. Qui diuitijs affluunt, facilè agnoſcunt, ſe beneficio affectos eſſe; difficiliùs credunt ſe à Superis amari, qui premuntur egeſtate. Hinc citò titubant; hinc queruntur; hinc nonnumquam etiam judicant, malè judicare, in terris, ſupremum rerum Moderatorem, vt qui iniuſtis det opes, iuſtis auferat; probos egere, mendicare, circumueniri, ſpoliari, omnibus fortunis exui; improbos gaudere, pingueſcere, cumulare aurum atque argentum, & in omnium rerum optabilium abundantia viuere patiatur. Denique *diuites*, non ſecus atque *dinos* aſpiciunt, & appellant; pauperes infelices arbitrantur. Vnde Germani, eodem vocabulo, *pauperes*, & *miſeros* afficiunt. Quamuis enim non ignorent, pluri-

I.

1. Reg. 2. 7. S. Aug. ſerm. 205. de temp.

Eccli. 11. 14.

mos esse *miseros*, qui *pauperes* non sint, nullum tamen vulgò *pauperem* esse posse existimant, qui non sit idem & *miser*.

II. Plaut. in Sticho.

Vtrumque hoc affirmatè pronunciauit Comicus, cuius hæc est sententia: *Vt cuique homini res parata est, firmi amici sunt: sirę lassę labant, itidem amici collabascunt. Res amicos inuenit.* Quanta igitur felicitas est in amicis sita; tanta miseria, amicis carere, qui tempore necessitatis succurrant.

Argentum, & anima, & sanguis est mortalibus:
Quo qui caret, nec hoc sibi cantus parat,
Viuos is inter mortuus homo obambulat.

Eamdem cantilenam cantat Menander in his versibus.

Ego vtiles verò Deos esse arbitror
Nostros, & Argentum, & Aurum maximè.
Istos quidem si dedices tua in domo,
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt,
Ager, domus, seruiq́, & argyromata,
Testes, amici, judices: tantùm dato.

Adeò potentes faciunt nummi, &, vt Aristoteles ait, *omnia vanalia nummus.* Nimirum, sicut vbique ferè *in pretio pretium est*; ita viciſſim miserrima res est, nihil posse, cùm velis posse. Enimuerò quemadmodum homines, quæ volunt splendere, inaurant, ita

Horat. lib. 2. serm. 5.

Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.

Quanti sanguinis vidimus viros despectos, postquam aurum perdiderunt? Crœsos, non Codros populus adorat. Quàm præclaras experimur virtutes, sub sciſſili palliastro, delituisse? Quot viuaciſſima ingenia neglecta sepeliuntur, quæ excitata fuissent, splenduissentque, si habuissent Mecœnates? Quàm irroborata est opinio, vt ferè vnuſquiſque tanti fiat, quantum habet. Clarè illud expressit Iuuenalis, cùm diceret:

Quantum quiſque sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet, & fidei.

Vſque adeò calamitoſus est inops, vt, cùm careat, vnde se alat, ne fidem quoque habeat, vnde acquirat.

III. Psal. 30. 11.

Sed relinquamus Poëtas, conſulamus Prophetas, quorum vnus ait: *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Nam super alias afflictiones accessit, vt propter inopiam vires priſtinas amiserit

Idem

Idem enim est, *virtus mea*, quod *ossa mea conturbata sunt*; per *ossa* siquidem, robur intelligimus, quod Dauidem defecit, quando sine vllo commeatu fugit, & ad loca deserta se recepit, non solùm pedibus, sed etiam nudis pedibus iter faciens. Quid si etiam ait, *infirmata est, in paupertate virtus mea*, quia animi quoque robur quatitur sæpe impatientiâ paupertatis? Atrox est enim, etiam teste Iobo, pœna, si reges *vinciantur funibus paupertatis*, propter scelera videlicet sua, *quia violenti fuerunt*. Quantò maior ærumna censebitur, si in paupertatem incidant innocentes? Qua de caussa ipsum Iobum, cùm *possessio eius creuisset in terra*, eumque Tartareus hostis vellet facere impatientem, dixit ad Deum: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Neque sanè parum fuit, vna vice, & boum armenta, & asinarum cateruas, & ouium greges, & camelorum turmas, cum pueris & seruis ei auferri. Menippus Phœnix, sectâ Cynicus, cùm habendi cupidissimus esset, amissis bonis, laqueo vitam finiuit, vt de eo testatur Laërtius. Et longè celebrior Philosophus Zeno, cùm sæpe nescio quem contemtum diuitiarum præ se ferret, Antigonus rex ei falsò fecit nunciari, *Prædia illius ab hostibus esse directa*; eo nuncio ita perculsus est, vt in magnam tristitiam ostenderet se incidisse. Quod non mirum est accidisse Ethnicis, cùm in Iudæa, vbi notus erat Deus, paupertas maledictionis loco fuerit judicata. *Tunc temporum*, ait Gabriel, *paupertas pro maledictione, & diuitiarum abundantia pro benedictione erat. Hoc innuit Propheta dicens: Beatum dixerunt, cui hæc sunt.* Et Abulensis: *Iudæi*, inquit, *putabant, quòd Messias redimeret eos, à temporali seruitute, & deduxisset regno Israël, ad prosperitatem maiorem temporalem, quàm fuerat sub Dauid, & Salomone, & ceteris regibus. Propter quod plurimi Iudæorum non receperunt Iesum in Messiam; quia non liberauit aliquid de temporali regno; & ista erat quasi communis intentio omnium Iudæorum, tempore Christi.* Eadem mens est alijs plerisque, ex cortice de nucleo, ex veste de animo judicant. Hinc illud Calphurnius lamentum edidit:

2. Reg. 35. 16 & 17.

Iob. 36, 8.

Iob. 1, 10.

Brisson. lib. 2. cap. 26.

Gabr. in supplem. ad dist. 30. q. 2. Concluſ. 4. Psal. 143. Abulens. tom. 1. in Matth. q. 438 in cap. 1.

Calphurn. Eclog. 7.

O vtinam nobis non rustica vestis inesset,
Vidissem propiùs mea numina: sed mihi sordes,
Nudaq; paupertas, & adunco fibula morsu
Obfuerant.

IV. Plures sunt causſæ, cur paupertas mala censeatur, non enim tantùm amicis caret, qui nummis caret,; non tantùm destituitur necessarijs rebus ad vitam sustentandam; nec tantùm despicitur; aut odiosos facit; sed etiam alijs malis obruitur, ob quæ meritò despici videtur. Nam paupertas causſa est malæ educationis liberorum. Paupertas est multorum grauium criminum occasio. Paupertas ipsas virtutes facit steriles. Paupertas reddit homines hominibus ob furta, & latrocinia abominandos. Paupertas homines ad blasphemandum impellit, & adigit ad laqueum atque extremam desperationem. 1. Quòd amicis careat pauper, Salomon docuit illis verbis: *Diuitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi, quos habuit, separantur.* Quod Poëta ita expressit,

Prou. 19. 4. 5.

Cùm fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Prou. 14. 20. Quin vt idem Salomon dixit: *Fratres hominis pauperis, oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi.* 2. Quòd rebus necessarijs careat, idem testatur. *Redemtio animæ viri, diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet*, nihil potest militi importunè petenti, obsipare; nullo munusculo lenire ferocientem exactorem; non se à seruitute, non à vinculis captus, non à tyrannide liberare oppressus. 3. Hoc ipso, quia pauper amicis caret, despicitur, & ita inops est, vt ope careat etiam aliena: Hinc illud:

Prou, 13. 8.

Martial. *Pauper eris semper, si pauper es, Æmiliane:*
Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

Et alterius Poëtæ.

Ouid. lib. 1. Fast. *In pretio pretium nunc est: dat census honores,*
Census amicitias, pauper vbiq; iacet.

Iuuenal. Satyr. 3 Denique *Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat*
Res angusta domi.

V. 4. Paupertas idcirco est malæ educationis causſa, quia deest didactrum, quod detur magistris dicentibus:

Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo:

Plutarch. in Aristidis & Catonis comp. deest peculium, quod detur pædagogis, frustra non seruientibus; deest argentum, quod detur opificia docentibus. Hinc, teste Plutarcho, Aristidis Athenienſis indigna paupertas, liberos eius partim ad

tim ad stipem publicè accipiendam adegit, ob inopiam, manus porrigere: partim redegit ad tabulas præstigiatrices; nulli verò facultatem rei vllius præclaræ, aut ipsius dignitati conuenientis gerendæ permisit. 5. Certè sæpenumerò dira egestas, ad quædam indecora, immò nefanda homines agenda, vel patienda impulit. Egestas multos eò adduxit, vt furta committerent, vt rapinas exercerent, vt latrocinia patrarent. 6. Egestas constantiam labefactauit, fortitudinem fregit; prudentiam seduxit, iustitiam vendidit; seditiones mouit; proditiones promouit; innocentiæ scopulus, sanctitatis naufragium fuit, & ruina virtutum. Atq; hoc etiam sensu Propheta dixit: *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Psal. 30. 11. S. Hieronymus legit: *Infirmata est in iniquitate virtus mea,* ac si idem sit dira egestas, & iniquitas. *Aliquid quotidie,* inquit ad Lucilium Seneca, *aduersus paupertatem auxilij compara, nec minus aduersus ceteras pestes.* Senecæ igitur inter pestes est paupertas, & quia virtutum robur tollit, eneruatque vires pectoris generosi, cuius vigor, vt in Iob legimus, fit *inopiâ & fame sterilis*; & quia pessimas inducit in hominum mentem dispositiones, quæ quasi tempestas sunt vitiorum. Ita enim Ieremias loquitur: *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* Varias enim fames excitat tempestates, vnde boni mores, & bonæ artes, & bonæ virtutes naufragium patiuntur. Itaque sapientes diram egestatem, quasi *iniquitatem, pestem, tempestatem* censuerunt fugiendam: *vt dum mater criminum necessitas tollitur, peccandi ambitio auferatur;* ait Cassiodorus. Quin, teste S. Chrysologo, ipse *esurijt Christus, vt tentandi materiam diabolus inueniret.* Quare non sine caussa orauit regius Psaltes: *De necessitatibus meis erue me.* Et Manasses coniux Iudithæ illi sufficientem censum reliquit, ne egestate oppressa ad illicita traheretur, inopiaque illi esset occasio ruinæ. Quia, vt Cicero sensit, *omnes qui in paupertate sunt, malunt maleficio, quàm officio parare diuitias.* Et Philosophus existimat *fieri non posse, vt indigens operetur bona.* Certè alibi ait: *Impossibile est, indigentem bene principari, & studio vacare.* Saltem hoc incommodi habet pauper, *quòd non possit egentibus subuenire,* neque exercere liberalitatem, quæ apud inopes nimis parvo centro & spatio est circumscripta.

Iob. 30. 3. Thren. 5. 10. Senec. ep. 2. Psal 24. Iudith. 8. 7. Cassiodor. lib. 9. ep. 13. S. Pet. Chrysol. serm 11. Cic. ad Herenn. Aristot. lib. 3. Ethic. Idem lib. 2. Politicor.

Atque vt vnum alterumúe exemplum afferam, in quo apparet, VI.

paret, quid in vitijs possit paupertas, de iuris violatione, ita pronunciat D. Ambrosius: *Sicut diuitiæ negligentiam pariunt salutis; ita egestas dum saturari quærit, à iustitia declinat.* Si enim exossis, vt in prouerbio est, suum ipse rodit pedem, quantò auidiùs inuadet alienum? Quare, vt inopiam mutaret in abundantiam, teste Xiphilino, Bulas cœpit, infestissimis armis, per Italiam grassari, factusque est, sub Seuero Imperatore, famosissimus latro. Siquidem comparatâ sexcentorum sicariorum manu, per totum biennium, maximas prædas fecit. Hic cùm Centurionem vitæ suæ insidiatorem cepisset, raso eum capite ad Seuerum Imperatorem remisit, cumque interrogaretur, quid Imperatori vellet nunciari? *Iube,* inquiebat, *dominos tuos ipsos seruos suos alere, ne latrocinentur.* Habebat enim Bulas multos apud se Cæsareanos, partim exigua mercede, partim nullo certo stipendio conductos, qui se numquam ad latrocinandum contulissent, si Cæsar debito stipendio persoluto, eos ipse aluisset. Itaque quos stipendij spes fecerat milites, illos salario subducto inopia fecit latrones. Quales hodieque multi non solùm proscripti, verùm etiam ob alimenti penuriam profugi inueniuntur; qui malunt sub latronum duce stipendijs expleri, quàm ibi milites ærarij esse, vbi neque æs, neque argentum; neque commeatus vllus habetur. Quamobrem idem Bulas, cuiusdam mulieris, cum qua scortabatur, ope deprehensus, & à Papiniano præfecto prætorio interrogatus, cur latrocinium feciſſet? respondit: *Et tu dic, cur Præfectus sis? Erat nimirum Papinianus homo prædives, & magnæ apud Cæsarem existimationis, ac propter opum suarum splendorem in aulam admissus, Bulas verò penuria rerumq; egestate vexatus, latrocinio victum quærere cogebatur.* Quare sicut canes fame ad rabiem adiguntur; ita homines inopia sic facit efferatos, vt obuios quosque, spolij causſa, quantumuis innocentes inuadant.

S. Ambros. in ep. S. Pauli.

Xiphilin. in vita Seueri.

VII. Ærumnas ex inopia natas quis non deplorauit? Ieremias, cùm lamentari vellet, dicebat: *Ego vir videns paupertatem meam:* iteréque: *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis.* Et regum sapientissimus: *Omnes dies pauperis mali.* Innocentij verba sunt: *O miserabilis conditio mendicantis! si petit, pudore confunditur: si non petit, egestate consumitur: & vt mendicet, necessitate compellitur. Deum causſatur iniquus, quòd non rectè diuidit; proxi-*

Thren. 3. 1. lb. v. 19.

Innocent. de vilitate condit. humanæ.

mus criminatur malignus, quòd non plenè subueniat, indignatur, murmurat, imprecatur: Vnde Salomon: Melius est mori, quàm indigere.

Et, si profanas audire voces libet, ait ille:

Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri viuunt. Plaut. in Rud.
Præsertim quibus nec quæstus est, nec didicêre artem vllam.

Et alius: Heu me miserum, perij malè perditus, pessimè ornatus eo. Apud eundē Euclio in Aulularia.
Tantum gemiti, & mala molestiæ hic dies mihi obtulit, famem & pauperiem.
Perditissimus ego sum omnium in terra.
Nam quid mihi opus vita est, qui tantum auri
Perdidi, quod custodiui sedulò? egomet me fraudaui,
Animumq; meum, geniumq; meum, nunc eo alij
Lætificantur, meo malo & damno: pati nequeo.

Quàm multos audiuimus, amisso marsupio, ad laqueum cucurrisse? Adeò restim quàm inopiam pati maluerunt.

Atque vt diuinum oraculum audias: *Nequissima paupertas in ore impij.* Quod multa exempla confirmant, vno hîc, sed valde luculento rem demonstrabimus, quod Bartholomæus Bononiensis in hunc ferè modum recenset. *Antonius Vrceus Codrus, Grammaticus celebris, Forolinij cubiculum habebat, in penitiore palatij parte, variis quidem ornatum picturis, sed adeò in prima diei parte obscurum, vt nisi lucerna beneficio, ne parietes quidem ipsos discernere posset. Vtebatur itaque lucerna fictili, raræ pulchritudinis; in cuius summitate calatum erat:* STVDIA LVCERNAM OLENTIA OPTIME OLENT. *Hanc cùm domi inextinctam reliquisset, incendij causam fuisse creditum est. Nam matutino tempore, cùm negotij causa in forum se contulisset, ignis chartarum fomento coalitus, per omnes cubiculi angulos diuagatus est. Periit liber ab eo compositus, qui inscribebatur Pastor: perière & reliqua eius bona. Fama est, ad primum incendij nuncium tantam animo imbibisse iram, vt exclamans veluti furore quodam concitus, ad regiam vsq; præcipiti gradu ire pergeret, pro foribusq; cubiculi astans (neq; enim ob incendium ingredi licebat) Quodnam ego, inquit, tantum scelus concepi, Christe; quem ego tuorum vmquam lasi, vt ita inexpiabili in me odio debaccheris? Conuersus post modum ad simulachrum Virginis: Audi Virgo, ait, ea, qua tibi mentis compos, & ex animo dicam: Si fortè cùm ad vltimum vitæ finem peruenero supplex accedam ad te opem oratum,*

VIII. Eccli. 13. 30. Barthol. Bonon. in vita Antonij Vrcei Codri.

tum, ne me audias, neue inter tuos accipias, oro, cum infernis dijs in aternum agere decreui. Qui aderant, verbis quidem, quod poterant, ipsius iram lenire conabantur: sed clausa erant aures, obstrepente ira: quæ adeò oppressit hominem, vt obiurgatis priùs amicis omnibus, si se sequerentur, extra portam egrederetur, nec ante imposuerit frenos amenti graduì, quàm in vastum se se proripuerit nemus, ingentiq; cum molestia ibi diem totum egerit. Noctu vrbem petens, cùm portas offendisset clausas, in fimi aceruo prostratus, lucem expectauit. Manè verò vrbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo abstrusit se se, ibiq; iugiter per sex menses solus, ac sine libris, vitam protraxit, plenam tristitia, Diris, execrationibus, desperatione, & similem vitæ damnatorum. Huc redigit inopia. Nonne ergo grande malum est paupertas? Et tamen, vt initio diximus, à Deo est. Quo modo à bono potest esse malum? Hæc spina est, quæ pungit ineruditos, aut, vt verius dicam, impatientes, diuinorumque iudiciorum ignaros.

CAPVT. II.

Quid sit, & quotuplex paupertas; tresq; pauperum classes.

I. MAgnus est numerus hoc morbo laborantium; multi hac plaga icti superos querelis suis percussérunt, quorum vulnus numquam veniet ad cicatricem, nisi didicerint consilia Dei rectiùs æstimare. Ad quæ non curiosè, sed piè scrutanda Propheta quoque hanc quæstionem induxit: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum.* Ad quam quæstionem abundè respondet Dominus, cùm ait: *Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis, &c. Veruntamen væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.* Numquid enim hæc sufficiens est causa, cur mali copiâ gaudeant, boni inopiâ premantur? quis iam non mauult esse Lazarus, quàm epulo purpuratus? Scitum est illud Bedæ dictum: *Mali nihil habent in cælo, boni*

Ierem. 12. 1.

Luc. 6. 21.

lo, *boni nihil habent in mundo.* Quod solum verbum pellere potest omne fastidium ex egestate. Sed altiùs rimandum est, quid sit paupertas, & quàm varia, itemq; an, aut quæ mala? immò potiùs, qui sint pauperes, & quàm diuersi; & si qui sunt mali, an non ipsi potiùs mali, quàm paupertas? cùm plurimi sint, quos optimos fecit paupertas; plurimi, quos diuitiæ pessum dederunt; quamuis nec ipsæ malæ, sed (quemadmodum inopia, atque egestas) vel virtutum, vel vitiorum instrumenta, prout in bonas malasue mentes inciderunt. Quoniam igitur *paupertas & honestas à Deo sunt*, & vtroqueversus trahi possunt, homini, non Deo attribuendum est, si quid mali coniungitur cum paupertate. Vnde rectè in Prouerbio dicitur. *Qui despicit pauperem, Deo exprobrat*, cuius tamen sapientissimam in rebus dispositionem, vel ipsi pauperes laudant, si sunt sapientes. Eccli. 11. 14. Prouerb. 17. 5.

II.

Quid igitur est paupertas? Vulgus malè eam putat esse aliquid quod possidetur; vocat enim exiguas opes paupertatem. *Meam*, inquit, *paupertatem magno labore corrasam, seruo in arca: meam paupertatem pro agrò, pro villula expendi, meam mihi paupertatem furatus est seruus furcifer.* Ita enim vulgus loquitur, vt id, quod modicum est, non autem quod deest, appellet paupertatem; &, si fur abstulit, quod parum aderat, *abstulit*, inquit, *mihi meam paupertatem.* Si rectè loqueretur, non diceret, *abstulit*, sed auxit mihi meam paupertatem, quando id abstulit, quod recondidi. Eo dues erat, quod possederat: itaque priuatione pauper factus est, non possessione. De hoc nominis errore etiam in scholis fuisse disputatũ docet Seneca his verbis. *Vnus tibi nodus sed Herculaneus, restat. Ex malis bonum non fit: ex multis paupertatibus diuitiæ fiunt: ergo diuitiæ bonum non sunt. Hanc interrogationem nostri non agnoscunt, Peripatetici & fingunt illã & soluunt. Ait autem & Posidonius, hoc sophisma per omnes dialecticorum scholas iactatum, sic ab Antipatro refelli. Paupertas enim non per positionẽ, sed per detractionem dicitur, vel (vt antiqui dixerunt) per orbationem: Græci dicunt κατὰ στέρησιν: non quod habeat, dicitur, sed quod non habeat. Itaque ex multis inanibus nihil impleri potest: diuitias multæ res faciunt, non multæ inopiæ. Aliter, quàm debes, paupertatem intelligis. Paupertas est, non, quæ pauca possidet* (alioqui qui nihil penitus possideret, pauper non esset, cùm sit omnium Senec. epist. 87.

paupertimus) *sed quæ multa non possidet. Ita non ab eo dicitur, quod habet, sed ab eo, quod ei deest. Faciliùs quod volo exprimerẽ, si Latinum verbum esset, quo ἀπορία significatur. Hanc paupertati Antipater assignat. Ego non video, quid aliud sit paupertas, quàm parui* (vel etiam nullius) *possessio.* Quod contra Senecam, ex ipsius Senecæ principijs addo. Si enim *paupertas non per positionem, sed orbationem* dicitur, cur non etiam illius *parui possessione*, quæ illi paupertas est, aliquis vel inuitus, vel sponte orbari possit? Præterquam quòd *parui possessio*, non per detractionem, sed positionem dicatur. Rectè tamen paupertas *parui, vel nullius possessio* potest indigitari; quia in possessione parui, orbatio magni intelligitur. Quod si vidisset Martialis, nequaquã pauperem, aut paupertatem ita descripsisset:

Martial. lib. II. Epigram.

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges.
Nec puer, aut senior, nullà est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clauis, nec canis atque calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri
Pauper, & in populo quaris habere locum.
Mentiris, vanoq; tibi blandiris honore:
Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

Immò maxima est paupertas, *habere nihil.* Cur enim ad paupertatem exigatur alicuius, licet parui possessio? aut cur possessio ad orbationem possessionis? Parui possessio indicat, non facit paupertatem; quæ longè maior est, vbi nullius, ne teruncij quidem possessio reperitur, vti certè apud multos Sanctos fuit, qui ne acum quidem, aut filum suum esse dixerunt, omni omnino rerum proprietate à se abdicatâ, vt non solùm Connæ tibicini comparari possent, qui nihil habuit, præter oleastrum; verùm etiam, vt ne puluisculum quidem possiderent. Etsi enim cibo, potuque & victu alijsque rebus indigerent, tamen numquam se earum dominos vocârunt. Potest enim vsus rerum à dominio discriminari. Maneat ergo, paupertatem in eo consistere, quòd quis careat ijs rebus, quas aptus est habere; & quò pluribus caret, eò esse pauperiorem.

III. Quòd autem vnus multum, alius parum, tertius omnino nihil possideat, aliquando quidem à solo rerum omnium Domino ac Deo;

Deo, aliquando etiam ab homine, aliquando à dæmone quoque, aut aliunde est. Si à solo Deo est, vel beneficij, vel supplicij loco debet haberi. Si ab homine quoque est; vel ex virtute, vel ex scelere, aut certè socordiâ, vel imprudentiâ parum, aut nihil possidetur. Si denique dæmon, aut siccitas, aut inundantia aquarum, aut incendium, aut hostis est caussa nostræ egestatis, aut alia quæpiam res naturalis, ne id quidem accidit sine nutu Dei, aut sine iustâ caussâ, sed ad virtutem nostram vel excitandam, vel probandam, vel exercendam, vti Iobo euenit, cuius sanctissimi viri armenta boum & asinarum latrones Arabes abegeruut; greges cælestis ignis, cum ipsis pastoribus suis deuorauit; camelos Chaldæi ceperunt, Orco omnia procurante, sed non priùs, quàm illi à Numine frænum esset laxatum. Rectè porrò paupertatem, ratione illorum, qui eam seruant, in duplicem classem distribuit Horatius:

Horat. lib. 2. epist. 2.

Sunt, qui non habeant, est qui non curat habere:

sed rectiùs eam classem triplicem esse docuit Hugo, cùm dixit: Hugo de claust. animæ lib. 1. c. 9. *Paupertatis tres sunt species. Sunt enim quidam, qui rebus temporalibus egent, sed inuiti: & hæc vocari egestas solet; egent enim rebus, & egent bona voluntate, qua ditius nihil esse potest. Sunt alij qui rebus abundant, sunt tamen pauperes spiritu; & hæc est aurea paupertas, quia licet affluant diuitiæ, corda tamen nolunt apponere. Tertia est mediocritas, quam Philosophi vocant frugalitatem, qua est voluntaria.* Itaque tres sunt classes pauperum. Quidam carent opibus, sed contra suam voluntatem: hinc dolent, fallunt, peierant, furantur, latrocinantur, & mille technas inueniunt, vt paupertatem excutiant, diuitias adipiscantur. Alij rebus affluunt, sed mente illis non affiguntur: hi Deo se permittunt, & diuinæ prouidentiæ regimen semper putant esse bonum, quidquid agat. In quocumque casu dicunt: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.* Quare perinde illis est, siue apponatur illis aliquid, siue auferatur. Tertij ita philosophantur, vt videant etiam in paupertate maiorem virtutum, in diuitijs frequentiorem scelerum occasionem esse: quare, relictis opibus, & calcato auro, paupertatem sponte amplectuntur.

Psal. 61. 3.

IV. In prima classe sunt omnes, quibus inuitis aliquid deest, etiam

Senec. ep. 2. alioquî ditissimi. *Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis iaceat, quantum pascat, aut fœneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat?* ait Philosophus. Qui in hac classe versantur, ijs sua paupertas est molesta, & fit occasio omnis generis vitiorum. Appetiuit arma Achillis Aiax, appetiuit Vlysses; data sunt Vlyssi, negata Aiaci,

Ouid. lib. 13. Metam.

Hectora qui solus, qui ferrum, ignemq;, Iouemq;
Sustinuit toties, vnam non sustinet iram:
Inuictumq; virum vincit dolor: arripit ensem:
Et meus hic certè est: An & hunc sibi poscit Vlysses?
Hoc, ait, vtendum est in me mihi: quiq; cruore
Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit,
Ne quisquam Aiacem possit superare, nisi Aiax.
Dixit, & in pectus tum demum vulnera passum,
Quà patuit ferro, lethalem condidit ensem.

Mortis tam funestæ quæ caussa fuit? paupertas? armorum negatio? at multis & arma, & alia longè plura defuerunt, neque tamen ferro incubuêre: non ergo orbitas, non paupertas caussa fuit tantæ miseriæ, sed occasio, qua malè vsa est cupiditas & impatientia Aiacis. Apud Suetonium: *Domitianus Imp. pubertatis ac primæ adolescentiæ tempus, tanta inopia, tantaq; infamia gessisse fertur, vt nullum vas argenteum in vsu haberet. Satisq; constat, Clodium Pollionem prætorium virum, in quem est poëma Neronis, quod inscribitur Luscio, chirographum eius conseruasse, & nonnumquam protulisse, noctem sibi pollicentis.* Maluit scilicet sceleratus adolescens, inhonesta admittere, quàm paucis contentus esse. Quo in crimine sunt omnes, qui, aut quæ, vt egestatem à se propulsent, meretricandi, adulandi, depeculandi, & deniq; nullâ non malâ arte, pecuniam faciunt, quorum dux & antesignanus est Iudas, qui vt argentum acquireret, non dubitauit eum vendere & prodere, in quo sunt omnes thesauri diuitiarum. *Quid vultis mihi dare,* inquit, *& ego vobis eum tradam?* Maluit carere Deo, quàm triginta argenteis. Quanta hæc est egestas non bonæ monetæ, sed bonæ voluntatis? Hi tales omnes sanè calamitosi sunt, & deplorandi; sed non facit eos tales paupertas, voluntas facit, quæ si recta esset paupertate rectè vte-

Sueton. in Domitiano.

Matth. 26. 15.

rentur,

sentur, vt bonas artes, quibus ad diuitias peruenitur, & discerent, & factitarent.

V.

Altera classis vehit eos, quibus cùm nihil desit, perinde est, abundare, & penuriam pati. Altè enim animo impresserunt illud: *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Pſal. 61. 11. Hæc paupertas non in rebus, sed in animi virtute sita, meritò *aurea* vocatur; quia *beati pauperes spiritu.* Matth. 5. Cur beati? spe, *quia ipsorum est regnum cælorum:* immò & re, quia talibus nihil accidit, quod eos contristet. Si dat diuitias Deus, accipiunt, & gratias agunt; si aufert rursus, bene contenti sunt; immò læti sunt; & hoc ipso adhuc diuites sunt. Vel Epicuro fatente, *Honesta res est, læta paupertas. Illa verò non est paupertas, si læta est. Cui enim cum paupertate benè conuenit, diues est,* inquit Seneca. Ita constitutos esse omnes oportet, qui animo volunt esse tranquillo. Quisquis enim non potest æquè paupertatem ferre, atque opes possidere, semper in metu hæret, ne per vim aut fraudem amittat illud, in quo pacem mentis collocauit. Cui autem perinde est, vel habere, vel carere, tamquam rupes quædam immota stat, procellis vndique allisis & fractis, & circumlatrantibus duntaxat. Eiuscemodi rupes fuit ille, qui vndique & vndique dispoliatus dixit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc:: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis; neque stultum quid contra Deum locutus est.* Potest ergo aliquis fieri pauper, & non peccare; potest aliquid amittere, & nihil stultum contra Deum loqui. Quare non paupertas, sed improbitas, aut cupiditas, in causſa est, si quis ad inopiam redactus, aut re aliqua priuatus insanit, quemadmodum, superiùs vidimus, Antonium Vrceum Codrum, Grammaticum, amisso per incendium libro, insaniuisse. Senec. ep. 2. Iob. 1. 21.

VI.

Ac ne Iobum tantùm, grande illud patientiæ miraculum, adduci in exemplum posse existimemus, sunt alij complures, quibus perinde fuit, siue aliquid daretur, siue auferretur. Historia est insignis, quam, quia etiam pauperes, ac Religiosos præsertim, non lædendos esse docet, è Venerabili Beda, prolixiùs transcribam. *Fuit homo quidam diues*, inquit, *& honorabilis, in regionibus Orientalium,* Beda lib. 2. de vita S. Patritij.

talium, cui nomen erat Daire: quem rogans S. Patritius petijt ab eo, vt aliquem locum daret ei, vbi monasterium construeret, & sancta Conuersationis religiosè viuentibus mansione præpararet Respondit dives ille dicens ad S. Patritium, Ecce terra coram te est. Dic ergo mihi, quem locum desideres ad inhabitandum? Peto, inquit S. Patritius, vt illam altitudinem terræ, quæ nominatur Saileg, dones mihi ad inhabitandum, vt construam ibi locum ad cultum diuinum. At ille noluit dare S. Viro terram altam quam petierat, sed dedit illi locum alium in inferiori terra, & habitauit ibi S. Patritius cum suis. Post alioquot dies venit Eques Dairi diuitis prefati, ducens equum Domini sui satis opimum, vt pasceretur in herboso loco Christianorum, & offendit Patricium talis depastio equi in loco suo, dixitq; stultè fecit Daire mittens animalia bruta turbare locum paruum, quem obtulit Deo. At verò eques non attendit ista verba, sed dimisso ibi equo nocte illa discessit: Crastina verò die veniens videre equum, inuenit eum iam mortuum, reversusq; ad dominum suum cum festinatione dixit ei: Ecce Christianus ille occidit equum tuum: offendit enim illum turbatio loci sui. Et dixit Daire seruis suis: dignus est morte iste homo, qui reddidit nobis malum pro bono, ergo occidite eum. Euntibus verò seruis ad interficiendum eum dicto citiùs repentina mors irruit super Daire. Dixitq; vxor sua; causâ Christiani est hæc mors. Eat quis citò & portentur ei beneficia nostra, & reuocentur, qui exierunt occidere eum. Exeuntes ergo duo Viri ad sanctum Patritium dixerunt ei, Ecce infirmatur Daire, portetur illi aliquid à te, si fortè sanari possit. Sanctus autem Patritius, sciens qua facta sunt, benedixit aquam, & dedit eis dicens: Ite & aspergite dominum vestrum, & equum eius hac aquâ. Et fecerunt sicut præcepit eis sanctus vir, sanatusq; est Daire, & reuixit equus eius aspersione aquæ sanctæ. Venit ergo Daire vt honoraret sanctum Patritium portans secum æneum scyphum mirabilem ac pretiosum capientem vi tres tas ternas, dixitq; Daire ad S. Patritium, Ecce hic æneus sit tecum ob memoriam meam. Et ait ei S. Patritius Grazagam. Reuersus autem Daire domum dixit ad suos, stultus est homo, qui nihil aliud mihi respondit, cùm darem ei æneum vas pretiosum, præter solum verbum Grazagam. Addiditq; Daire dicens militibus suis. Ite reportare nobis æneum nostrum, quia ingratè accepit eum homo ille. Venerunt itaq; ministri Dairi, & dixerunt Patritio: Misit nos Dominus noster vt reportemus ei æneum suum, quia ingratè accepisti eum. Et illa

vice

vice S. Patritius nihil aliud dixit prater Grazagam. Reportantibus autem illis interrogauit Daire seruos suos dicens: quid dixit Christianus ille, quando reportastis aneum? At illi dixerunt Grazagam. Et ille respondens dixit: mirabilis est homo iste, qui nihil aliud dixit quàm Grazagam in dato, Grazagam in ablato. Vt video bonum est eius dictum Grazaga, & non malum. Reportetur ergo illi rursum aneum vas. Et remisit illi rursum scyphum argenteum dicens ei, sit tecum aneus tuus: Constans enim & incommutabilis homo es, & verbum bonum, non malũ profers. Insuper & partem illam agri, quam olim petisti, do tibi nunc, quã meliorem habeo, vt inhabites eam. Accepit ergo S. Patritius prædium optatum, & placitum sibi, & edificauit in eo monasteria, & habitationes religiosorum Virorum. In quo loco nunc ciuitas est Arithmache nominata, vbi sedes Episcopatus, & regiminis est Hyberniæ. En quàm multum accepit Patritius, cui perinde fuit, siue ditaretur, siue spoliaretur: & quemadmodum Iob dixit; *Dominus dedit, Dominus abstulit;* ita Patritius, cùm scyphum acciperet, *Grazagam* dixit: cùm eum ammitteret, iterum *Grazagam* dixit. Vtinam hæc vox nobis in corde semper, & in ore esset, quàm parum dolere nos ostenderemus, si aliquid nobis vel amicus, vel hostilis miles auferret? *Grazaga* enim, si bene conijcio, aliud nihil fuit, quàm *Gratias ago*, quod linguæ Latinæ non bene gnari *Grazagam* se audiuisse putauerunt. Itaque qui nouit penuriam & abundantiam esse à Deo, libenter vult ex eorum esse censu, qui Patritium imitantur, *gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri IESV Christi, Deo & Patri. Magnus ille est, ait Philosophus, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi est animi, Pati non posse diuitias:* fortis, inopiam æquè, ac opes sustinere. Ephes. 5. 20.

VII.

Ad hanc indifferentiam respexit & Psalmus illis verbis: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ille igitur*, inquit S. Augustinus, *qui non habet, non ambiat; is qui habet, non superbiat. Et non dicit, nolite habere, sed cor apponere. Non enim damnat diuitias, sed cor appositum, quod scilicet non expendit, sed recondit.* Vtrumque igitur licet bene agere, & Croesum & Irum. *Oportet*, inquit Teles Pythagoricus, *sicut bonum histrionem, quamcumq; personam pœta imposuerit, eam decorè exsequi & sustinere: sic & bonum virum quamcunq; fortuna de-* S. Augustin. sup. Psal. 61.

na dederit. Nam & hæc, ait Bion, velut pœtria, aliquando primi, aliquando vltimi actoris personam imponit, est & cùm Regis, & aliàs mendici. Et Zeno pronunciauit, *esse nouo histrioni simile sapientem, qui siue Therſitæ, siue Agamemnonis personam acceperit, vtramq; decenter exprimit & imitatur.* Sed multò magis sapiens Christianus, nam cùm nihil magis æstimet, quàm Deum, credatque, quidquid Deus vult, non posse esse nisi æquissimum, sanctissimum, optimum, vtilissimum, ita suam voluntatem cum diuina coniungit, vnit, conformat, vt quàm primùm aliquid Deum velle, intelligit, illico & ipse velit; dicatque: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Quòd si sensus se opponit, & inferior homo contrarium suggerit, illico subiungit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Laërt. in Zenone.

Matth. 6. 10.

Matth. 26. 39.

VIII.

Tertia denique classis eos habet, qui paupertatem sponte diuitijs prætulerunt, tamquam ad benè viuendum longè accommodatiorem. Quod quidem etiam Philosophi Ethnicorum feciſſe leguntur. Epictetus patria Hieropolitanus, quàm pauper fuit, tam dijs & Philosophiæ se se amicum judicauit. Anaxagoras Clazomenius, sæpe dicebat: *Nemo simul & virtutes, & diuitias possidere potest.* Quamobrem amplum patrimonium suis sponte concessit, pauperque studijs adhæsit, Laërtio teste. Qui etiam testatur Socratem pauperem semper fuisse, sordidoq; palliolo contentum, nudis pedibus incessisse. Plato certè, vt Suidas refert, solum in Academia tenuit hortum, qui pars minima fuit eorum, qui illi succesſerunt. Hortus enim tres aureos numos pendebat: omnis autem prouentus pòst, mille, aut plurium fuit. Democritus Abderites, nihil præter ingenium possedit: vel quia noluit, vel quia non debuit. Demonax Philosophus, qui floruit Adriano imperante, nullum vmquã viaticum sibi præparauit: sed cùm esurirer, in proximam domum, quam aptam videbat, ingrediebatur, & victum ibi quæritabat. Centenarius decessit, elatus publico sumtu, vt testatur Volaterranus. Diogenes Cynicus solitus est ioco dicere, sibi tragicas execrationes contigisse, quòd esset *ἄοικος, ἄπολις, ἄπατρις, πτωχὸς, ἀλήτης, καὶ ἡμερήσιος*: id est, *domo, ciuitate, patriáq; carens, pauper, erro, & in diem viuens. Hæc atq; hoc genus alia partim cùm audiret à Diogene Crates, alia sibimet ipse suggereret, deniq; in forũ exilit, rem familiarem abijcit, velut onus stercoris, magis laborì, quàm*

Sabell. lib. 8. cap 5.

Volat lib. 15. Anthrop.

Laërt. lib. 6.

Apul. in Florid.

quàm vsui. Dein cœtu facto maximo exclamat: Crates, inquit, Cratetē manu mittit. Exinde non modò solus, verùm nudus & liber omnium, quoad vixit, beatè vixit. His omnibus vsque adeò paupertas mala non fuit, vt etiam bona videretur. *Si vis scire, quàm nihil in illa mali* Senec. ep. 80. *sit,* inquit Romanus sapiens, *compara inter se pauperum & diuitum vultus. Sapius pauper, & fideliùs ridet: nulla sollicitudo in alto est: etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit. Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut grauis, & suppurata tristitia: & quidem grauiore, quia interdum non licet palàm esse miseros: sed inter arumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Sapius hoc exemplo mihi vtendum est: nec enim vllo efficaciùs exprimitur hic humana vita mimus, qui nobis partes has, quas malè agamus, assignat. Ille qui in scena elatus incedit, & hæc resupinus dicit,*

En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,
Quà Ponto ab Helles atque ab Ionio mari
Vrgetur Isthmos:

Seruus est, quinque modios accipit, & quinque denarios. Ille qui superbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus ait,

Quòd nisi quieris, Menelae, hac dextra occides:

diurnum accipit, in cenaculo dormit. Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraq; turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est. Contemnes illos; si despoliaueris. Equum emturus solui iubes stratum, detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem inuolutum æstimas? Mangones, quidquid est, quod displicear, aliquo lenocinio abscondunt. Itaq; ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: siue crus alligatum, siue brachium adspiceres, nudari iubere, & ipsum tibi corpus ostendi. Vides illum Scythia Sarmatiaúe regem, insigni capitis decorum? si vis illum æstimare, totumq; scire, qualis sit? fasciam solue. multum mali sub illa latet. Quid de alijs loquor? Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipsum considera. Nunc qualis sis, alijs credis. Hæc ille. cui, sicut & ceteris recensitis, magis vtique placet penuria, quàm abundantia. Et hoc ob animi pacem, quæ ibi maior est, vbi pecunia est minor.

IX. Christus Seruator, & Christiani, ob longè altiores causas, diuitijs paupertatem anteposuerunt, suo loco indicandas. Hîc

sufficit illud apponere, quod Ethnicis paupertatem, adeoque & vilitatem Christiano gregi obijcientibus, M. Minutius Felix respondit. *Ceterùm, quòd plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria. Animus enim vt luxu soluitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cùm multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quàm natus est. Aues sine patrimonio viuunt, & in diem pascua pascuntur: & hæc nobis tamen nata sunt: quæ omnia si non concupiscimus, possidemus. Igitur, vt qui viam terit, eò felicior, quò leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi, qui paupertate se subleuat, non sub diuitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si vtiles putaremus, à Deo poscueremus vtique. indulgere posset aliquantum, cuius est totum. Sed nos contemnere malumus opes, quam continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos esse, quam prodigos.*

M. Minut. Fel. in Octauio.

X. Ex triplici hac hominum classe, tria licet colligere. Ex prima, quia sunt qui egent, sed inuiti, eam ipsam ob caussam eos meritò egere, vt doleant, quia volunt inde dolere, vnde alij commodum accipiunt, alij etiam sentiunt animi voluptatem. Paupertate enim alij ex virtute contenti sunt, alij etiam delectantur, auari autem cruciantur. Qui quantumcumque habeant, tamen pauperes sunr, immò miseri, quàm diu non habent, quod concupiscunt. Vis exemplum? *Vinea erat Naboth Iezrahelita, qui erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab regis Samariæ. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, daboq; tibi pro ea, vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et proijciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Vide mihi diuitem pauperem, vide regem egentem; vide viribus integris in lecto iacentem, vide indignantem & frendentem, nec comedentem! quid miserius hoc homine? Quid eum cruciat?

3. Reg. 21. 3.

pauper-

paupertas? immò propria cupiditas. Habuisset satis, si quidquam auaro potuisset esse satis. Fuit rex Samariæ, & eguit, quia non fuit Dominus vineæ. Quid ergo Mundi Rector facere debuisset? an oportuisset innocenti Naboth nihil dare, regi omnia? Achab accepit regnum, & contentus non fuit, quia non accepit etiam olerum hortum. Naboth caruit regno, contentus horto, quis dignus fuit hortum habere? nonné ille, qui paruo contentus fuit? Apud Laërtium Socrates quosdam hospites tenui cœna excepit, quærenti cur ita fecisset, respondit: *Si boni sunt, æquanimiter ferent, si mali, non est curandum;* neque enim vel hoc ipso digni sunt, quo eos excepi. Ita Deus, quibus moderatas in hoc mundo tribuit opes, si boni sunt, tribuit sufficientes, aiunt enim, *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus:* sin autem mali sunt, non est curandum; quia nec digni sunt, qui communem aërem hauriant, aut quos terra portet. Apparet igitur, quos non tam paupertas, quàm suamet voluntas miseros faciat; ardent enim insatiabili cupiditate, & illud sitiunt, quod alij contemnunt. Hinc paupertatem putant esse calamitatē, & Aurum adorant vt Deum, Plutumque maximum Numen arbitrantur. Hinc illorum cantilena est: 1. Timoth. 6, 8.

Quisquis habet nummos, secura nauiget aura,
Fortunamq; suo temperet imperio.
Vxorem ducat Danaën, ipsumq; licebit
Acrisium iubeat credere, quod Danaën.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat causſas, sitq; Catone prior.
Iurisconsultus, paret, non paret, habeto,
Atque esto, quidquid Seruius & Labeo.
Multa loquor: quiduis nummis præsentibus opta,
Et veniet: clausum possidet arca Iouem. Petron. Arbit. in Satyr.

XI. Ex altera hominum classe colligo, paupertatem, seu orbitatem rerum esse calamo, aut penicillo, aut cuiuis instrumento similem. Qualis is est, qui eo vtitur, tale opus producit. Da calamum puero, & tales characteres formabit, quales gallina scalpit in arenis. Si scriba peritus calamum ducat, litteras dabit Iouis tabellâ dignas. Penicillum porrige ei qui chiragrâ laborat, ex Gratijs Furias

rias faciet; Apelles autem aliquis, & qui manum habet sanam, ipsas Furias ita ad viuum exprimet, vt iures eis omnes Gratias Veneresque inesse. Ita ad eamdem lyram, si asinus veniat, & Apollo, quàm diuersam musicam audies? Tale instrumentum est paupertas, ea si cupido, si improbo, si impatienti obueniat, erit illi occasio omnium vitiorum; quemadmodum & diuitiæ esse solent. Quòd si verò animus moderatus vel diuitias acquirat, vel inopiam patiatur, quàm bene alterutris vtetur? inopia quidem, quia tamquam spiritu pauper, non dolebit, argento amisso: diuitijs autem, quia illis cor non apponit. Itaque vt per scalas alij ascendunt, descendunt alij, ita per opes & inopiam, alijs via est ad cælum, alijs ad Orcum. Quemadmodum enim nihil refert, vtrum hominem ægrum in sella lignea, an aurea portes: quocumque illum transtuleris, morbum suum secum aufert: ita nihil refert, vtrum æger animus in diuitijs sit, vel in paupertate; malum suum semper illum sequitur. Qui malus est, in inopia furatur: in abundantia prædatur; deijcitur in egestate; inter thesauros insolescit. Bonus, si abundat, pauperibus donat; si perdidit omnia, nomen Domini benedicit, aitque se nunc expeditiùs ire ad cælum. Sapienter Socrates diuitias, aiebat, in manu improbi, esse velut gladium in manu phrenetici, cui gladius ad nihil seruit, nisi & in propriam perniciem, & in exitium aliorum; ita enim opes si sunt in manu hominis mali, ad vindictam, ad luxum & luxuriam, ad comessationes & compotationes, ad mille vanitates illi sunt adiumentum: ast in manu Deum timentis, & pij, ad eleemosynas, ad liberalitatem exercendam, ad omnia opera præclara seruiunt. Ad eumdem quoque modum paupertas bonis fit bona, mala malis; non quòd ipsa mala, sed quia illius vsus aliò trahitur, quàm à Deo destinatur. Similis est ergo aquæ Ægyptiorum, quæ, vt Iosephus tradit, in manu quidem Israëlitarum aqua munda; at si quis eam Ægyptius hausisset, fœdus sanguis fuit. Ad eumdem modum paupertas, apud homines frugi & gnauos, limpida est, & virtutum parens; apud ignauos vertitur in sanguinem peccatorum. Quàm benè paupertate sua vsus est Lazarus? quàm præclarè & paupertate, & diuitijs Iob? cùm egeret, patientia; cùm abundaret, conspicuus fuit liberalitate, vt dicere auderet: *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater*

Exod. 7.

Iob. 29. 15.

pater eram pauperum. Itaque vt vino alij sanantur, alij ad insaniam rediguntur; sic diuitijs & inopiâ nonnulli exorbitant, nonnulli excitantur ad virtutem amplexandam.

XII.

Tertia classis *voluntariæ frugalitatis*, vt eam veteres philosophi vocabant, seu paupertatis, monstrat, etsi tam copia, quàm inopia res sit quædam ex se indifferens, qua bene, vel malè vti possunt mortales, longè tamen difficilius esse, modum tenere in diuitijs, quàm in paupertate, ac proinde diuites proniùs virtutem exuere, pauperes constantiùs retinere. Hinc sapientiores plerumque sese opibus sponte abdicârunt, quas scaphæ similes sunt arbitrati. Scapham qui flumini imponit, & aquæ decurrenti permittit, facili negotio, ipsius aquæ ductu ad mare vsque descendet. Quòd si autem contra fluminis impetum eam sursum propellere, & ad caput nauigare fontemque velit, poterit quidem, sed non æquè facilè, quia ratis conto subigenda, laborandum, & sudandum est. Nummi, & opes talis scapha sunt, quas si in eum cursum, quem modò Mundi res habent; diuitias tuas ducere velis, citò, & absque labore, diuitiæ te in amarum damnationis æternæ mare peruehent: at si, contra mundi cursum, & consuetissimos mores, opes tuas in cælum præmittere, & tibi amicos de mammona iniquitatis facere conaris, poteris quidem ad cælum contra Mundi impetum, etiam per opes, vehi; sed aliquid, immò multum difficultatis senties, & contra torrentem nitendum erit. Hoc cùm viderent, qui aliquid supra vulgus viderunt, etsi scirent etiam diuitias posse esse innoxias, immò posse esse instrumentum, quo cæli portæ reserantur, haud tamen ignorârunt annexam ijs difficultatem, consuetudinemque hominum communem, & illecebras, quæ quia à paupertate procul sunt, ideò illam diuitijs præposuerunt, tutioraque elegerunt. At quia difficile est opes contemnere, & thesauro præferre paupertatem; cùm tamen in hoc cardo rei versetur, (nemo enim de paupertate queretur, si eam diuitijs præstantiorem iudicabit) age inquisitiùs hæc duo inter se collata dispiciamus, vt, si constet, diuites esse miseriores, pauperes autem longè feliciores, miserijs veris, veram discamus præponere felicitatem. Neque enim aurum, aut opes sunt homini ad vitam necessariæ, etsi ei prodesse & obesse possint, sicut illa de quibus Beda

Beda in Collectaneis PP.

ait: *Qui sunt tres amici & inimici sine quibus viuere nemo potest? Ignis, aqua, & ferrum.* Aurum amicum est & inimicum, sed sine eo multi vixerunt, viuunt, viuent.

CAPVT III.

Vel ex Ethnicorum doctrina, paupertatem diuitijs esse anteponendum.

I.

Vide Lipsium de Saturnalibus.

AVREVM Saturni sæculum, aut vitam, qualis in Paradiso agebatur, optimam lætissimamque fuisse, vel Poëtæ cecinerunt. In cuius vitæ memoriam Romani veteres Saturnalia instituerunt, quibus & ipsi serui conuiuantes, dominis pares essent. Ad hoc festum igitur ritè celebrandum, cùm aliquando pauperes viderent se neque nummatos esse satis, neque à ditioribus iuuari, eorum quispiam hanc epistolam ad Saturnum

Lucian. ep. 1. Saturnali.

fingitur misisse. *Equidem & antea tibi scripsi, significans quonam instatu essem, & quemadmodum ob inopiam mihi periculum esset, ne solus omnium expers relinquerer solennitatis, quam indixisti. Addidi & illud (nam memini) iniquissimum esse, si nostrûm alij opibus ac delicijs superfluerent, nihil ex suis facultatibus impertientes pauperioribus, alij rursum fame contabescerent, atque id quidem instantibus Saturnalibus. Verùm quoniam tum ad meas litteras nihil respondisti, operæ pretium existimaui, te denuo ijsdem de rebus commonefacere. Tuum erat, optime Saturne, sublata hac rerum inæqualitate, bonisq; in medio depositis, postea celebrandum festum edicere. Nam vti nunc res habent, formicæ camelus, quemadmodum aiunt prouerbio. Quin magis tragœdiæ histrionem animo concipe, qui altero pede praaltis cothurnis sublimis insistat, cuiusmodi sunt tragica calceamenta, altero verò sit incalceatus. Is si ad hunc modum instructus ingrediatur, vides necessariò futurum, vt nunc excelsus sit, nunc humilis, prout hunc, aut illum pedem vicissim promouerit. Nec minor est in vita nostra inæqualitas, dum illi cothurnis fulti adornante fortuna tragœdias in nos agunt. Contrà magna pars pedibus atque humi ingredimur, quum & ipsi, scias velim, nihilo deterius illis fabulam agere possimus atque ingredi, si quis nos quoque ad eumdem iustum modum adornârit. Atqui ex poëtis audio nihil harum rerum inter homines fuisse olim, quum tu solus adhuc imperium teneres, verùm tellus illis citra serendi arandiq; laborem bona progignebat, cœnam vnicuique*

cuique paratam, vel ad satietatem vsque. Porrò flumina partim vinum, partim lac, erant autem & quæ mel manabant. Quodq; est omnium maximum, aiunt illos ipsos homines aureos fuisse, caterùm paupertatem procul ab illis abfuisse. Nos contrà non satis idonei sumus qui vel plumbum videri possimus, aut si quid etiam plumbo vilius, vt quorum plerisque victus labore quæritur, ac passim paupertas, egestas ac desperatio, & illud: Hei mihi, &, vnde inueniam? &, O fortunam atque id genus alia permulta, apud nos nempe pauperes abundant: quamquam his de rebus leuiùs discruciaremur, nisi diuites videremus tanta fruentes felicitate, qui quidem quum tantum auri, tantum argenti conditum habeant, tantum vestium possideant, tot mancipia, tot currus, familias, agros atque harum rerum omnium magnam vim teneant, tamen adeò nobis nihil vmquam, de eis impertiunt, vt plebeios homines, ne aspectu quidem dignentur. Hæc, inquam, sunt Saturne, quæ nos enecant maximè, planeq; rem intolerandam arbitramur, hunc in purpura accumbentem tantis opum delicijs affluere, ructantem interim & applaudentibus amicis perpetuò festum diem agere: me verò, meiq; similes somniorũ coniecturas interpretari, si vnde fortè quatuor oboli contingant, quò videlicet pane, polentáue expleti dormire queamus, nasturtium aut porrum cepasue, alliumue opsonij vice arrodentes. Aut hæc igitur, Saturne, ad æquabilitatem vitæ mutes corrigasq; necesse est, aut, quod est postremum, illis ipsis interdicas diuitibus, ne soli bonis fruantur, verùm è modijs auri tam multis vel heminam in omneis nos dispergant. Porrò ex vestibus, si quas iam atineis exesas, citra suum incommodum dare possint, malintq; hac prorsus vetustate situq; peritura nobis dare, qui induamur, quàm sinere, vt in cubilibus ac scrinijs multa carie computrescant. Præterea vt cœnent singuli nunc quaternis, nunc quinis pauperibus ad conuiuium adhibitis. Haud isto quidem pacto, quo his temporibus conuiuia peraguntur, verùm populariùs, vt æqua sit omnium portio; neque vt hic opsonijs ingurgitet sese famulo interim adstante atq; opperiente, donec herus vorando præfocetur. Caterùm vbi ad nos venerit, quum vix etiam apparauerimus admouere manum, protinus ad alios transferatur patina, tantum ostensa, vel si quid de placenta reliquum est. Neque illatum aprum ita partiatur, vt domino totum dimidium apponat, vna cum capite, reliquis autem ossa tecta apponat. Vtq; præmoneantur pincernæ, ne contentur, donec vnusquisq; nostrum septies poscat bibere, sed semel insi pre-

si protinus infundant, & ingentem calicem impletum tradant æquè atq; ipsi Domino, vtq; vnum & idem vinum conuiuis sit omnibus. Alioqui vbinam ista lex scripta fuit, aut receptus mos, vt hic vino odorato generosoq; temulentus sit, mihi contra mosto disrumpatur aluus? Hæc si correxeris, nouarisq; Saturne, tum demũ effeceris, vt vita verè vita sit, festum verè festum; sin minùs, illi quidem epulentur, nos autem interim sedentes precabimur, vt simul atq; loti venerint, puer subuersam amphoram rumpat, vtq; coquus jus adurat, ac per oblitionem muriam piscium in lentem infundat, vtq; canis in domum irruens opsoniorum artificibus alibi intentis exta deuoret vniuersa, praterea placentæ dimidiũ. Vtq; sus ac ceruus neque non suculæ inter assandum idem faciant quod Homerus de Solis bobus commemorat: immò vti non serpant solùm, verùm etiam vnà cum ipsis verubus in montem abripiant sese, fugiantq;, vtq; ipsæ etiam aues pingues iam ademptis plumis & ad coquendum apparatæ volatu aufugiant, ne soli illis fruantur: quodq; futurum est illis grauissimum, vt formicæ tales, quales feruntur Indicæ, aurum è thesauris effossum, noctu in publicum efferant: vtq; vestis curatorum indiligentiâ ita ab optimis muribus perforetur, vt cribrum videri possit, nihilq; differat à casse venatorio, vtq; formosi illorum comatiq; puelli (quos Hyacinthos, aut Achilles, aut Narcissos appellare solent) dum ipsis poculum porrigunt, subitò defluente coma calui fiant, & acutam edant barbam, cuiusmodi in comœdijs induci solent Sphenopogones, quibus à cuneata barba nomen inuentum est, vtq; vertex illis asperis ac pungentibus pilis sit hirtus, reliqua capitis parte nuda. Hæc atq; his etiam plura illis imprecabimur, nisi desinant vsq; adeò suis priuatim studere commodis, velintq; in commune diuites esse, nobis quoque, quantum æquum est, impartientes. Hæc ad Saturnum pauperculus quidam de famelica hominum natione scripsisse, contra diuites auaros, fingitur, ad inducendam quamdam bonorum omnium æqualitatem, de qua veteres Philosophi sæpe disputauerunt.

II. Apud Luc. ep. 2. Saturnali.

Ad hanc epistolam fertur respondisse Saturnus, bonorum de nouo partiendi potestatem, ad se amplius non pertinere, sed regnũ suum non nisi ad taxillos vsque, saltationes, cantiones & ebrietatem, & quidem per septem duntaxat dies, se extendere. Iouis esse negotium statuere de tollenda rerum inæqualitate, vtque ex æquo omnes aut opibus abundent, aut egeant. Mentem mandatumque

suum

ſuum eſſe, vt diuites de cœnis, deque auri hemina, neque non de veſtibus etiam pauperibus ad celebrandum feſtum nonnihil mittant. Ceterùm pauperes longè falli, neque rectè iudicare de diuitibus, cùm illos felices arbitrentur, ſolosque ſuauem vitam viuere, propterea quòd illis liceat opiparè cœnare, vino ſuaui inebriari, veſtibus vti delicatis: verùm iſtam felicitatem cuiuſmodi ſit, ignorare, ſiquidem hæ res eos curis non mediocriter diſtorqueant, cogi enim eos vt ſingulis inuigilent; ne quid rerum domeſticarum diſpenſator fraudet, aut clanculum ſuffuretur, ne vinum aceſcat, ne frumentum vermibus corrumpatur, ne latro tollat pocula, ne populus credat calumniatoribus, ſi talem dixerint affectare regnũ. Ad hæc, ſi noſſent pauperes metus & curas, quibus obnoxij ſunt diuites, planè fugiendas ſibi eſſe diuitias exiſtimaturos. Quod niſi ita eſſet, Saturnum non vſque adeò inſanum fore, vt, ſi præclara res eſſet opulentia, aut regnum, depoſiturus hæc, alijsque ea ceſſurus fuiſſet, patereturque, vt nunc priuatus alieno pareret imperio. Igitur potiùs ſe, cùm non eſſet ignarus huiuſmodi malorum, quæ plurima diuitibus ac regibus neceſſe eſt adeſſe, imperium ſapienter depoſuiſſe. Addit poſtea commoda diuitum, quæ pauper magna exiſtimet, non eſſe commoda. Verum quidem eſſe, diuites apris, & placentis expleri, pauperes autem naſturtium porrumue, aut cepe per feſti tempus, opſonij loco, arrodere, idque illis dulce, his inſuaue eſſe, ſed id intra breue tempus inuerti; cùm pauperibus deinde non accidat, vt poſtridie ſurgant capitis dolore grauati, ob temulentiam, quemadmodum diuites, neque ob immodicam ingurgitationem graueolentem & acrem ſpiritum ructare pauperes, neque facilè ſibi vel tabem, vel tuſſim, vel morbum intercutem, ex intemperato voluptatum vſu colligere. Paucos autem videri diuites, qui non planè palleant, ac faciem cadaueroſam præ ſe ferant; paucos, qui cùm ad ſenectutem peruenerint, ſuiſmet pedibus ingrediantur, ac non potiùs à quatuor baiulis geſtentur: foris quidem totos eos eſſe aureos, intus autem putres ac pannoſos, cuiuſmodi ſunt tragica indumenta, ex pannis admodum vilibus conſarcinata. Enimuerò ipſis quoque opulentis non dulce eſſe, quotidie ſupraque ſatietatem pretioſis veſci; ſed guſtûs variandi cauſſa nonnumquam ita olus ac lupinum appetere, vti pauper non

æquè appetat leporem, aut aprum. Esse præterea illis mille cruces à filijs, ab vxore, à famulis, & vnde non? quæ omnia pauperes cùm ignorent, tantùm aurum diuitum ac purpuram aspiciant; &, si quando vident eos albo prouehi curru, inhient & adorent. Quòd si illos contemnerent, negligerentque, neque ad argenteum currum oculos haberent intentos, neque inter colloquendum smaragdum annulo inclusum respectarent, neque vestes obiter contrectantes molliciem admirarentur, sed sinerent eos ipsos sibi diuites esse, haud dubium futurum esse, vt ipsi egenos vltro adirent, ad cœnam rogarent, nimirum vt illis ostendere possent lectos, mensas, ac pocula. Quarum rerum nulla sit vtilitas, si sine ceste possideantur. Certè hæc talia pleraque à diuitibus pauperum caussa parari, non vt vtantur ipsi, sed vti ea pauperes admirentur. Hucusque Saturnus apud Lucianum ad pauperes, qui hanc addit denique coronidem: *Hæc ad consolandos vos scribo vtramque vitam cognitam habens. Conuenitq; ita festum agere, vt cogitetis, omnibus breui decedendum è vita, & illis, depositis opibus, & vobis relicta paupertate.*

III. His talibus argumentis solabantur pauperes philosophi fabulantes, eademque erat ratio, vt opinor, Aristidæ, qui multò iustiùs se paupertate gloriari posse credidit, quàm Calliam Athenienſium ducem opum amplitudine & copia: nemini eam rem indecoram esse dictitans, nisi qui paupertatem inuitus ferret. Nemo profectò sapiens vel alij suaderet, vel ipse diuitias abijceret, nisi manifestò videret, pauperibus melius esse, quàm Midis illis, quibus dum omnia in aurum vertuntur, esuriunt & sitim patiuntur. Neque enim aut pro vino, aut pro culina audent nummos expendere. Itaque & alij sapientes, vt diuitijs demerent supercilium, paupertatem permulcere maluerunt. *Putemus nos ad concionem vocatos,* ait Seneca. *Lex de abolendis diuitijs fertur, his interrogationibus suasuri, aut dissuasuri sumus? his effecturi, vt populus Romanus paupertatem, fundamentum, & caussam imperij sui requirat ac laudet? diuitias autem suas timeat? vt cogitet has se apud victos reperisse? Hinc ambitum, & largitiones, & tumultus in vrbem sanctissimam temperantissimamq; irrupisse? nimis luxuriosè ostentari gentium spolia? quòd vnus populus eripuerit omnibus, facilius vni ab omnibus eripi posse? Hac satius est suadere, & expugnare affectus, non circumscribere.* Senec. ep. 87.

Eadem

IV.

Eâdem viâ homines duxit idem philosophus ad veram libertatem, cùm scriberet: *Quidquid facere te potest bonum, tecum est. Quid tibi opus est, vt sis bonus? velle. Quid autem melius potes velle, quam eripere te huic seruituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoq; conditionis extremæ, & in his sordibus nata, omni modo exuere conantur? peculium suum, quod comparauerunt ventre fraudato, pro capite numerant: tu non concupisces quanticumque ad libertatem peruenire, qui te putas in illa natum?* Itaque multi, pecunias proiecerunt, vt emerent libertatem, immò vt pro ea felicitatem recuperarent. *Pheraulas*, inquit Xenophon, *ex paupere diues à Cyro factus, desiderio tandem pristinæ tranquillitatis & quietis affectus, & curarum ac molestiarum, quas sibi diuitias importasse querebatur, multitudine offensus, omnium bonorum suorum possessionem in Sacam transfert, hoc sibi tantùm excipiens, vt ab eo tamquam hospes, atque etiam parciùs minuq; eleganter, ac sumtuosè, quàm hospes alatur.* Huic pares multos paulò pòst referemus, qui Codri, quàm Crœsi esse maluerunt, &, quemadmodũ Euripides dixit, *se malle ter sub clypeo consistere, quam párere semel*, ter maluerunt mendicare, quàm semel imperare, quia, vt Claudianus ait:

Idem ep. 80.

Xenophon lib. 8. Cyrop.

Viuitur exiguo meliùs: natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.

V.

Hanc ob caussam Anacreon, accepto à Polycrate tyranno auri talento, reddidit dicens: *Odi donum, quod vigilare facit.* Ex hac paupertate etiam Corneliam Gracchorum matrem, Campana matrona ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostendente, pronuncians ditiorem Valerius Maximus hoc epiphonema adiecit: *Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eò quidem certiùs, quàm qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bona mentis vsurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet, aut diuitias in prima felicitatis parte, aut panpertatem in vltimo miseriarum statu ponere? cùm & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & huius horridior aspectus solidis, & certis bonis abundet.* Fuit eiusdem sententiæ etiam *Ptolemæus Lagi*, qui *sæpenumero apud amicos & cœnabat, & dormiebat*, teste Plutarcho. *At si quando cœnam ipse præberet, illorum vtebatur rebus commodato accipiens pocula, lectos, mensas. Nam ipse plura non possidebat, quàm*

Valer. Max. lib. 4. cap. 4.

quæ necessaria forent, cùm ditare, quàm ditescere magis regium esse dititaret. Quin ipse Epicurus, quærenti, quo modo quis ditesceret, respondit: *Non augendo opes, sed minuendo cupiditates.* Et quoniam

Stobæus serm. 17.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,

debet amorem nummi minuere, quisquis vult minuere cupiditatem. Quamdiu autem cupidus manet, verè diues non est. Etsi enim habeat multa, tamen ostendit, se egere multis, si cupit multa. Diuitem autem esse, non est, habere multa, sed non indigere multis. Sicut satur non est, qui adhuc sitit, aut esurit, etsi plurimum vorauerit, aut potauerit; is autem, etiamsi parum comederit, aut biberit, satur vocatur, quem nec fames vrget, nec sitis vrit: ita ille diues non est, qui quamuis multas diuitias sit consecutus, tamen plures appetit, quippe quia auri sacram famem non extinxit; ille autem, qui opes contemnit, diues est, quia habet quidquid cupit. Inde igitur felicior est, vnde ditior, & inde ditior, vnde pauperior. Et hoc est, quod diuinæ litteræ aiunt: *Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigens pane:* itemque. *Est quasi diues, cùm nihil habeat; & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.*

Prou. 12. 9.
Prou. 13. 7.

Apositè D. Hieronymus: *Habeat quis multas pecuniarum facultates,* inquit, *si in eis non extollitur, pauperem; non habeat aliquid, & cupiat, & infletur, inter diuites reprobos eum deputat Dominus: quia diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, aut in domo.*

S. Hieronym. in Psal. 68.

Quin & apud homines diuitiæ sunt maximæ, non egere diuitijs; & ille est pauperior, qui pluribus eget: pauperrimus ergo, qui quàm plurima concupiscit, quia ostendit se quàm plurimis indigere. Talis autem est, quisquis

Senec. in Herc. Furente.

Componit opes gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.

CAPVT IV.

Acquisitio, possessio, amissio diuitiarum quantis miseriis sit obnoxia?

I. QVi, ex istorum sententia, pauperes iudicat esse diuitibus feliciores, lætatur, non queritur, si opibus amissis in statum incidit feliciorum; satisq; se opulentum arbitratur, qui

qui videt sibi nihil deesse. Cui autem appetendæ videntur diuitiæ, demonstrat se tamquam famelicum nondum esse satiatum, illudq; ipsum, quod appetit, sibi deesse profitetur; atq; eam ipsam ob caussam non negat se egere. Itaq; *melior est pauper & sufficiens sibi, quàm glorioſus & indigens pane,* neque enim eo, quod habet contentus est; cùm interea pauper sufficiat sibi. Hoc planè ita est, & tamẽ tantus mortalium numerus censet diuitias, præ paupertate, appetendas. *Et ista sententia*, ait S. Chrysostomus, *non solùm terra mariq; seruatur, sed vsque ad ipsas nubes, & sidera ascendit. Noui & ego, quòd non tam ista sententia, quàm flamma est, quæ & istum vastat orbem terrarum, & qui extinguat quidem nullus est, qui accendant verò & magis magisq; inflammẽt, multi sunt; omnes enim fauent huic malo, non solùm illi qui ab eo capti sunt, sed & qui nondum illuc videntur ingressi, & vnumquemq; hominem videns, siue vir ille, siue fœmina sit; seruus, aut liber, diues, aut pauper, pro viribus suis incendio huic, materiam & onera comportare, & die ac nocte in eius ministerijs vigilare. Onera dico non ligni, aut fœni: non enim talis est flamma, quæ ista consumat, sed animæ suæ & corporis, iniqua & iniusta ei opera deferunt, his enim accenditur ignis iste. Nam & ipsi diuites etiam si totum orbem esset possibile possideri a singulis, adhuc in desiderio eius arderent: pauperes verò, dum cupiunt diuitibus exæquari, insatiabilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt, & in tantum amor pecuniæ omnem animã fatigat, vt nec coniugis aut filiorum amori locum det: quibus affectib. inter homines nihil præfertur: amor autem pecuniæ omnia hæc huiusmodi deijcit, & pedibus conculcat. Ita velut fera quædam, & domina crudelis omnium possidet corda, & tyrannica dominatione deuincit, sæuit vt barbarus, feruet crudeliter vt tyrannus, debacchatur impudenter vt meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet, terribilis & dira est, & tamen suauis, & amabilis hominibus videtur, & dulcior melle, cùm ipsa eis præcipitia quotidie paret. Expetitur hoc ab eis, & adhuc desideratur, & per innumeras mortes latantur se ad eius ianuas saltem peruenisse: volutari namq; in cœno eius, tamquam sues delectantur, & vt chantari stercus eius euoluere. Quo modo ergo sanabimus mentes huiusmodi, irrationabilia illa, quæ diximus, quæ se huiusmodi sordibus volutant? Transferri ab his non possunt, vtpote intellectu, & ratione carentia: nobis autem nunc sermo ad homines habetur, quibus intelle-*

Prou. 12. 9.

S. Chrysost. hom. quòd nemo lædi-tur nisi à se ipso.

intellectus ineſt, Supereſt, vt audire velint, & facilè de cœno iſto poterunt liberari. Audiant ergo, quid ſecum ferat diuitiarum acquiſitio, quid pariat eorumdem poſſeſſio, quem dolorem relinquat illarum amiſſio, ſi appetantur, aut nimium amentur, diſcantq; amorem deponere, & frangere tam noxium appetitum. Multi enim etiam olim opes rem *quæſitu difficilem, cuſtoditu anxiam, amiſſu flebilem* vocauêre.

Franciſc. Petrarcha. c. 53.

II. Frangetur autem inprimis, ſi perpendere velimus ipſum appetitum, qui cum duitiarum acquiſitione coniunctus eſt, immò & præcedit. Cura enim nimia & intempeſtiuum ſtudium rerum temporalium voluntatem intemperanti affectu inuiſcatam rapit, vt nihil non moliatur, ſolliciteq; ſcrutetur omnia, ne ab eorum adeptione impedita voto ſuo excidat. Per hoc ardens deſiderium voluntas capta, etiam intellectum in rem amatam defigit, atque ad eam irrequieto motu vbilibet veſtigandam, ſuprà quàm mediocritatis fines ferant, circumagit, idcirco exſculpuntur imprudentia iudicia, ob quæ ſpinoſæ illæ ſollicitudines inter peccata prudentiæ oppoſita numerantur. Sollicitudo enim nimia rerum caducarum rationem abſorbet, nimijs cogitationibus, de eiuſmodi bonis acquirendis, vel conſeruandis, vel non amittendis: quod eſt prudentiæ aduerſum. Accedit, quòd effrenis amor rerum iſtarum etiam faciat temporalia, quæ auarus ſibi tamquam fines proponit, non, qualia in ſe ſunt, apparere, ſed qualia iuxta prauũ amorem diſpoſitionemq; hominis apparent. Hinc imprudens & peruerſum de rebus iudicium exiſtit. Atque idcirco D. Chryſoſtomus ait, *amorem pecuniæ* euertere, ſeu *deijcere, & pedibus conculcare* eos affectus, *quibus inter homines nihil præfertur*, adigere ad *inſatiabilem rabiem*, facere vt *inſaniant & furant*, atque, vno verbo, vt ex hominibus ad alia natis, tyranni, barbari, denique feræ fiant. Qua de cauſſa & Ariſtoteles monet, homini qui prudentiam amat, cauendum eſſe affectum prauum, quo intellectus per conſenſum obtenebratur, & à formatione veri de rebus iudicij abducitur; & cæcus fit ibi, vbi ſe maximè putat eſſe oculatum. Scitè D. Laurentius ſcribit, hanc eſſe prudentiam terrenam, de qua ſcriptum cenſet illud Baruch: *Filij Agar qui exquiſierunt prudentiam, quæ de terra eſt, negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores.*

Laurent. Iuſtin. in ligno vitæ tract. 4. cap. 5.

tores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ; viam autem sapientiæ nescierunt, nec commemorati sunt semitæ eius. An non ergo ipsa hæc solicitudo mentes hominum excæcans dignam se esse, quæ horreatur, ostendit? Non sine caussa Plutum poetæ cæcum finxerunt, facit enim cæcos, qui se sinunt ab ab illo gubernari. Quapropter vtique non possunt videre, paupertatem diuitijs esse præstantiorem; quæ, teste Aristotele, *nihil fere aliud sunt, quàm felix amentia*, immò infelix. Aristot. 2. Rhet. c. 16.

III.

Hic cæcus dux homines impellit ad sectandas opes. At qualisnam est, aut certè esse solet opum acquisitio? Satis esset ad diuitiarum contemptum, quòd non sine molesto labore acquirantur, nec sine molestioribus curis custodiantur, nec sine molestissimis luctibus amittantur, sed insuper iniquitas se ijs vbique intermiscet. Quantis laboribus inquirantur, testantur inprimis omnes, quicumq; agros fodiunt, arant, occant, serunt, & quisquis

Sole sub ardenti flauentia demetit arua: Catull. de nuptijs Pelei & Thetid.

testantur item omnes mercenarij, operarij, opifices, & quotquot corium suunt, ligna cædunt, saxa è lapicidinis eruunt. Hi omnes *in sudore vultus* sui *vescuntur pane.* Subscribunt omnes hominum Genes. 3. 19. sortes, dum laudant diuersa sequentes.

O fortunati mercatores, grauis annis Horat. lib. 1. Satyr. 1.
Miles ait, multo iam fractus membra labore,
Contrà mercator, nauim iactantibus Austris,
Militia est potior &c.

Interim vterq; laborat, iste vt lucrum, ille vt spolium reportet. Eccli. 43. 26. *Qui nauigant mare, enarrent pericula eius: & audientes auribus nostris admirabimur.*

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens.

Longum iter conficiendum est; aliena tellus adeunda; vitandi scopuli, breuia & syrtes; expectandi & superandi sæpe aduersi venti; excipiendi decumani fluctus; sustinendæ procellæ nauim quatientes; atræ nubes & horridæ suspiciendæ; imbres, nimbi, turbines reliquæque tempestates despiciendæ, non rarò etiam ex naufragio tabula arripienda; denique sexcentæ sunt occasiones pereundi. Tanti sit aurum. In bello autem, quod plurimi non-

nisi

nisi prædæ causſa amant, quis vult vigilias, famem, ſitim, frigora, æſtum, morbos, & mala cuncta militaria enarrare? Quàm multi *trium nummûm cauſſa ſubeunt ſub falas*, vt Comicus loquitur? applicant ſcalas, conſcendunt muros, neque ſciunt, vnde contorta falarica veniat; aut vnde fulminent è mœnibus aut turribus, aut propugnaculis tormenta. Vno verbo, hi Martij pupilli vel dandis, vel accipiendis vulneribus ſtipendia merentur, ſemper vel ſuo ſanguine cruenti, vel alieno, ſeu occidant, ſeu occidantur. Nemo mihi obijciat eos, qui domi ſeſſitantes fœnus exercent, & per vſuras, aut alios dolos fraudesque rem ſuam augent. Hi enim nec interdiu dormiunt, nec noctu quieſcunt, ſemper ſunt in ſuo calculo, ſemper computant, ſemper ſcribunt, legunt, relegunt, ſemper vigilantes ſibi ſomnia fingunt. Quid multis opus eſt? ipſum aurum, teſte S. Auguſtino, prouidens hominibus natura, *cum labore fecit quæri, quod noluerat inueniri.* Addit paulò pòſt: *Aurum quod æruminа perquirit, quod auaritia cupit, quod ſolicitudo cuſtodit: aurũ materia laborum, periculum poſſidentium: aurum eneruatio virtutum; aurum malus dominus, proditor ſeruus.*

S. Auguſtin. lib. de verbis Act Apoſt. ſerm. 2.

IV. Neque enim ſufficit in acquirendo auro eſſe laborem, qui tamen ſolus plurimos à virtute ſectanda abſterret, ſed inſuper plerumque habet auaritiam, fraudes, cædes, & meditata ſcelera connexa. Celebris fuit ſententia Pythagoræ: *Imaginem Dei, ne geras in annulo.* Aiunt Pythagoram vel è diuinis libris, vel è diuinis viris, vel rationis ductu intellexiſſe, animam hominis eſſe imaginem Numinis; hanc ergo noluit in annulo aureo vel ſculpendam, vel gerendam, ſicut gemmæ in pala annuli geſtantur. Quo ſymbolo voluit monere, ne mentem animamque noſtram auro includamus, more eorum, qui nihil aliud cogitant, nihil aliud amant, nihil aliud ſitiunt, nihil aliud quærunt, & negotiantur, niſi aurum & diuitias, atque ita animam ſuam, imaginem Dei, captiuam tenent, auro non decorantes, ſed maculantes. Huc reſpexit ille, qui Syllæ neſcio qua de re ſeſe iactanti dixiſſe legitur: *Quo modo vir bonus eſſe potes, qui tantas poſſideas opes, cùm à patre nihil tibi ſit relictum?* Qui neſcit flagitijs parari opes, interroget corruptores euerſoresque teſtamentorum, examinet fures, abigeos, prædones, latrones; conſideret vſurarios, mangones, & Iudæos noſtrates; & quos non?

Plutarch. in vita Syllæ.

Vt

Vt pecuniæ habeantur, profligatur fides, proditur patria, amittitur cælum, venditur anima diabolo, traditur Deus Iudæo. Neque enim satis est, Iudam hoc semel fecisse, adhuc hodie reperiuntur, qui vt nummos referant, deferunt hostiam consecratam, ad recutitos, impijs cultris conuulnerandam. Quis honor, quæ honestas, quæ nobilitas inesse potest auri argentique sacculis, aut prædijs in hunc modum acquisitis? Et tamen quoties nobilitas non nisi his artibus comparatur?

V. Imperialis Secretarius in hist. de Sigryalo.

Quod, apud puræ Latinitatis, sed non item puræ castitatis authorem Pandalus ostendit, qui *lenocinij mercede sortitus est Comitatum, & auream bullam suæ nobilitatis posteritati* nulla virtute comparatam demonstrauit. Cuius exemplo scriptor hæc subiungit. *In nobilitate multi sunt gradus, mi Mariane; & sanè, si cuiuslibet originem quaras (sicut mea sententia fert) aut nullas nobilitates inuenias, aut admodum paucas, quæ sceleratum non habuerunt ortum. Cùm enim hos dici nobiles videamus, qui diuitijs abundant, diuitiæ verò rarò virtutis sunt comites, quis non videt ortum esse nobilitatis degenerem? Hunc vsura ditarunt: illum spolia: proditiones alium: hic veneficijs ditatus est: ille adulationibus: huic adulteria lucrum prabent: nonnullis mendacia prosunt: quidam faciunt ex coniuge quæstum: quidam ex natis: pleroſque homicidia iuuant. Rarus est, qui iustè diuitias congregat. Nemo fastum amplum facit, nisi qui omnes metit herbas. Congregant homines diuitias multas; nec vnde veniant, sed quàm multa veniant, quærunt. Omnibus is versus placet:*

Vnde habeas quærit nemo: sed oportet habere.

Postquam verò plena est arca, tunc nobilitas poscitur: quæ sic quæsita, nihil est aliud, quàm præmium iniquitatis. Et paulò pòst. *Non miror aureas vestes, equos, canes, ordinem famulorum, lautas mensas, marmoreas ædes, villas, prædia, piscinas, iurisdictiones, siluas: nam hæc omnia stultus assequi potest, quem si quis nobilem dixerit, ipse fiet stultus.* Hæc de nobilitate emta, non de illis, quos virtus, aut fortitudo bellica, scientiæué nobilitauerunt. Huius enim nobilitatis origo honore dignissima semper judicata est: empta autem nobilitas tanti facienda est, quanti pecunia, quæ vtique non ornat eos, à quibus fuit, per furta, aut fraudes comparata. Quæ cùm ita sint, nonnè meritò Christus diuitias cum *spinis* comparauit, quæ & pul-

Matth. 13. 7. chritudine carent, & molestæ sunt rosas colligentibus, & denique vulnerant contrectantes. Longè sanè profundiùs aculeum imprimunt diuitiæ, quibus incautè manus inijciuntur. Vno verbo, *pauper est, qui vult esse diues*; nec rarò dum quærit pecuniam, amittit vitam. Ita memorat Ioannes Nauclerus, Anno 1198. Richardum regem Angliæ, cùm audiuisset quemdam militem Lemouicensis diœcesis in suo castro thesaurum magnum reperisse, cupiditate accensum, à vicecomite Lemouicensi, ad quem securitatis caussa confugerat, militem repetijsse. Negatus est illi miles. Quare in dicto castro eum rex obsedit, thesauro potiturus. Sed neque arcem, neque militem, neque aurum cepit. Quippe cùm castrum noctes diesque quateret, rexque ipse oppugnantibus instaret, sagitta ictus interijt. Hoc habet, non thesaurum.

Ioan. Nauclerus. Chronograph. volum. 2. Gener. 40. An. 1198.

Lucan. lib. 3. belli ciu.

Vsque adeò solus ferrum, mortemq; timere
Auri nescit amor,

VI. Durus cortex est nucis, sed eum vbi fregeris, dulcem nucleum reperies. An tales sunt diuitiæ? nequaquam: cum labore, & plerumque non sine scelere acquiruntur; cum solicitudine, & rarò sine iniquitate, possidentur; cum dolore, & sæpe etiam desperatione amittuntur. Quanta sit solicitudo opes partas seruandi, testatur Horatius ita canens:

Horat lib. 3. carm. od. 14.

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Plaut in Aulul. Ostendit in Euclione Plautus. Quantis ille senex curis & intemperijs ollam auro fartam, de loco in locum identidem transfert? quàm latebram nullam satis tutam putat? quantum oculos emissitios, vel in lusca & semicæca anu metuit? Nec sunt pauci eiuscemodi Eucliones, qui thesauros defodiunt, aut tres fores opponunt, quinque seras appendunt. Nota fuit & Propertio hæc querela. Ita enim interitum cuiusdam deflet.

Propert. lib. 3. eleg. 6.

Ergo sollicitæ tu caussa pecunia vitæ es?
Per te immaturum mortis adimus iter?
Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Curæ hæ nonnè totius ferè vitæ tempus insumunt? neque enim cessant, opibus accumulatis, sed semper durant, immò semper

Isa. 2. 7. crescunt, quantum ipsa pecunia crescit. *Repleta est terra auro, & argento*

argento dixit Isaias, cùm de diuitijs loqueretur. Cur dixit, terra? cur non dixit, repleti sunt homines auro & argento? Nempe fieri potest, arcas & domos hominum plenas esse diuitijs; homines verò auaros repleri, tametsi semper afferas, fieri non potest. Quàm diu autem cupiditas manet, tam diu manet solicitudo. Quam ob rem rectè Plato auarorum corda vasi rimoso comparauit: vt enim vas confractum repleri nequit, etsi vtrumque mare in illud infundas; ita cor cupidi numquam potest diuitijs impleri, quamuis omnes auri argentique venas exhaurias. Talia finxerunt Poëtæ Danaidum dolia, fundo carentia, quæ cassо labore noctes diesque, aquas acciperent, numquam implerentur. Tormenti hoc genus est, & in vanum laborare; accendunt enim sitim isti, non extinguunt, & velut in sacculum pertusum mittunt. *Improbi & auari,* inquit Cicero, *quoniam incertas, & in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui quod haberet, esset satis; non modò non copiosi ac diuites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.* Cic. Paradoxo vlt.

An vigilare metu exanimem, noctesq; diesq;
Formidare malos fures, incendia, seruos,
Ne te compilent, fugientes: hoc iuuat? horum
Semper ego optârim pauperimus esse bonorum. &c:
Denique sit finis quarendi, cumq; habeas plus,
Pauperiem metuas minùs, & finire laborem
Incipias, parto quod auebas: nec facias, quod
Ausidius quidam, non longa est fabula, diues,
Vt metiretur nummos: ita sordidus, vt se
Non vmquam seruo melius vestiret: ad vsque
Supremum tempus, ne se penuria victûs
Opprimeret, metuebat, at hunc liberta securi
Diuisit medium, fortissima Tyndaridarum. Horat. lib. 2 Satyr. 2.

VII. Manet ergo solicitudo, & miseria, etiam post opes adeptas, immò augetur. Neque solicitudo tantùm, sed ea est natura diuitiarum, vt vel malos sequantur, vel faciant, si probos inuenerint. Aristotelis problema extat, quo quærit: Quî fiat, vt paupertas, apud probos viros, plerumque versetur? redditque eiusce rei varias causas, inter quas est, Quòd improbi per fas nefasque maliat

parare diuitias, quàm cum paupertate diutinum contubernium habere: fugere proinde ab illis, quibus videatur maximorum flagitiorum occasio futura; ad illos deflectere, quos existimat sese rectè vsuros. Quò igitur tendunt opes? Nemo dixerit, eas tantùm improbis contingere, cùm & Abraham, & Iob, & Dauid diuites fuerint, & bellè dictum sit: *Diuitiæ bonis dantur, ne mala videantur: dantur malis, ne summæ putentur: auferuntur bonis, vt probentur; malis verò, vt crucientur:* valde tamen vsitatum est, vt eos grauent, & in infernum deprimant, à quibus nimis anxiè adamantur. Quàm enim difficile est, diuitias rectè, iustè, liberaliter expendere? quàm laboriosum, eas à furibus, raptoribus, & iniuriosis defendere? quàm multa sunt maledicta, inuidiæ, odia, propter eas, sustinenda? Quot subeundæ lites? quot adeunda tribunalia? quot rogandi prætores? ipsa bella nonnè propter opes & possessiones suscipiuntur? Cur Plutum sibi à Mercurio vltrò adductum admittere noluit Timon ille? *Quoniam pridem*, inquit, *innumerabilium malorum hic mihi fuit auctor, cùm me assentatoribus proderet, insidiatores in me inuitaret, conflaret odium, illecebris corrumperet, inuidiæ obnoxium redderet: deniq; cùm me adeò perfidè ac proditoriè destituerit.* Et S. quidam Pater dixit: *Aurum amplius cruciat, apud quē largiùs fuerit.* Nec cruciat tantùm, sed etiam maculat. Quamquam hoc habent diuites, quòd sicut aulæum floridum multa sordida tegit, ita apud eos, auri splendore, & nitidis titulis multæ tegantur calamitates; quæ tantò sæuiùs intus vrunt, quantò magis premuntur foris: sicut incendia diutiùs inclusa, potentiùs eruptura. *Sudat pauper foris in opere*, ait S. Bernardus, *sed numquid anxiè diues intus in sua cogitatione laborat? Aperit ille os suum in oscitatione, aperit iste in ructatione; & interdum grauiùs iste fastidio, quam ille inedia cruciatur.* Quid enim illi sapiat, cuius anima est amaritudine plena? Dolorem non tollit, qui vulnera sua tegit. Periculosiores sunt cicatrices, si computrescant. Nec pauci sunt tales:

Lucian. in Timone misanthropo.

S. Bern. ser. 4.

Plures nimiâ congesta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census.

Iuuen. Sat. 10.

Item, testè Petrarcha, *multis mortem attulêre diuitiæ, requiem omnibus abstulêre.* Vnde Chilon interrogatus, *Quid essent diuitiæ?* respondit: *Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis*

tatis suppeditatio. Has *cùm quis, quamuis indignus, habere possit, in bonis non numero. Quod enim est bonum, id non quiuis habere potest,* ait Tullius. Et quis ea bona vocet, quæ vrunt, & cruciant? Et tamen homines ea expetunt. *In hoc excusabiles sunt dij,* ait Seneca, *quòd ista, quæ vrunt, quæ cruciant, optantibus data sunt.*

Ant. ser. de diuit. Cic. lib. VI. Tuscul. Senec. ep. 22

Age ergo iam, & percontemur ab eis, ait S. Chrysostomus, *cur expetenda videantur esse diuitiæ? Respondebunt primò, propter vitæ voluptatem, & corporis delitias, tum deinde, propter honorem, & propter officia, quæ ab hominibus diuitiarum caussa conferuntur, & quia diues facilè vlcisci potest in eos, qui iniuriam inferre tentauerint, & vt timori ceteris sit. Existimo, quòd alias, exceptis his, caussas non habeant, voluptatis dico, honoris officiorum, timoris & vltionis: nam neque sapientiorem, neque temperantiorem, neque prudentiorem, neq; clementiorem diuitiæ hominem facere possunt, non deniq; sanctiorem: nusquam enim aliquando iracundum in placidum & mansuetum commutarunt, neque incontinentem continentiam docuerunt, nec voluptuosum sobrietatem, nec inuerecundum verecundiam, nec aliud virtutis genus. Quòd si virtutibus animæ nihil conferunt, nec meliorem hominem secundùm titulum virtutum reddunt, dic, quæso, quam ob caussam videantur diuitiæ expetenda?* Singula deinde ostendit, quæ vniuersim asseruerat, nimirum potiùs morbos à diuitijs haberi, quàm voluptates; superbiam, quàm honores, dedecus quàm dignitates; vlciscendi autem potestatem potiùs caussam esse execrãdi diuitias, quàm sectandi, de quibus postea locus erit agendi. Sufficiet hîc primum caput attigisse. Alibi igitur idem S. Pater ait: *Vnum est quo diuitiæ paupertatem superare videntur, quotidianis affluere delicijs, multa in conuiuijs repleri voluptate. Hoc tamen in pauperum mensa potiùs contingit, qui maiori, quam diuites fruuntur voluptate. Et ne miremini dictum, ex ipsa rerum demonstratione manifestum fiet. Nostis quippe omnes, & hoc confitemini, quòd voluptatem in conuiuijs, non ferculorum natura, sed conuiuantium dispositio facere consueuit, vt cùm fame quis mensam attingit, omni obsonio, & condimento, & innumeris ciborum illecebris, iucundiorem esca gustabit, etsi omnium vilissima sit, necessitatem verò & esuriem preueniens (quod diuites faciunt) etiam si placentas inuenerit appositas, non sentiet voluptatem, appetitu scilicet non excitato, & in hoc testes quidem*

VIII.

S. Chrys. hom. Quòd nemo lædi-tur, nisi à se ipso.

S. Chrysost. hom. ad pop.

Prou. 27. 7. dem vos omnes. Audiamus autem & Scripturam: Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Et certè quid dulcius fauo & melle? sed non iucundum, ait, nõ esurienti. Quid verò amaris iniucundius? sed dulcia pauperi sunt: pauperes autem cum necessitate & esurie ad cibum veniunt, diuites verò eam non expectant. Vnde legitimam & finceram voluptatem non capiunt. Neque in cibo tantùm hoc accidit, sed etiam in potu. Sicut enim illuc esuries, supra escarum naturam, voluptatem inducit, sic & hîc sitis iucundissimum potum facere consueuit, etsi pura sit aqua, qua bibatur.

Psal. 80. 7. Et hoc ipsum Propheta dicebat: Et ex petra melle saturauit eos. Atqui hoc nusquam in scriptura lectum est, quòd eduxerit Moses mel de petra, sed tantùm aquam. quid igitur hoc? neque enim Scriptura mentitur: postquam enim sitientes, & indigentia defatigati in aquas inciderunt, ex potu voluptatem asserere volens, mel aquam appellauit: non tamquam mutata in mel natura, sed bibentium dispositione, fluentia illa melle iucundiora faciente. Vides quomodo sitis sitienti potũ suauẽ reddere consueuit? Multi ergo pauperes fatigati laboribus, siti ardentes, cum dicta voluptate talia cibauêre fluenta, diuites verò vinum suaue, & odorem, & omnem virtutem habens, qua in vino optari posset, haurientes, non eamdem sensêre delectationem. Hoc etiam in somno fieri videas, non enim molle stratum, neque deargentatus lectus, neque quies per domum facta somnum dulcem & procliuem facere solet, sicut laborare, & lassari, & vehementer somni indigentes reclinari. Et hoc testatur rerum experientia; & ante ipsam experientiã Scripturarum sententia:

Eccle. 5. 11. delitijs enim enutritus Salomon, idem demonstrare volens dicebat: Iucundus somnus seruo, siue parum, siue multum comedat. Cur igitur addit: siue parum, siue multum comedat? Quia ambo hæc vigiliam inducere solent, indigentia & crapula, illa quidem spiritum arefaciens, & palpebras corneas reddens, nec claudi permittens; hæc verò anhelitum angens, & elidens, & multos inferens dolores: sed tantùm est laborum medicina, quòd si etiam ambo adsint, seruus dormire potest. Postquam enim seruì tota die circumcursitant, dominis suis ministrantes, & ne minimùm quidem respirantes, sufficientem laborum & lassitudinum retributionem capiunt in dormiendo voluptatem. Et hoc Dei benignitate factum est, vt non auro & argento, sed labore & necessitate & omni disciplina emi valeant voluptates. Non sic diuites, sed stratis mollibus iacentes sæpe

tes sæpe totam noctem insomnem ducunt, & multa somniantes tali non fruuntur voluptate. Cùm ergo maiori cum voluptate pauper & comedat, & bibat, & dormiat, quare diuitiæ hac priuata supra ipsam paupertatem prærogatiuam habebunt?

IX.

Chrysostomo addatur Boëtius, qui ita de opulentia philosophatur, *Diuitiæ quantis implicitæ sint malis, breuissimè monstrabo. Quid enim? pecuniamne congregare conaberis? Sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? donanti supplicabis: & qui præire ceteros honore cupis, poscendi humilitate vilescet. Potentiámne desideras? subiectorum insidijs obnoxius periculis subiacebis. Gloriam petis? sed per aspera quæque distractus, securus esse desistis. Voluptuariam vitam degas? sed quis non spernat, atque abijciat vilissimæ fragilissimæq; rei corporis seruitium?* præsertim cùm illud crucem potiùs soleat afferre, quàm voluptatem? vt D. Chrysostomus paulò priùs ostendit, hoc ipso pauperum conditionem præferens, quia illis omnia, quæ voluptatem afferunt, accidunt iucundiora. Immò & saniora. Ita enim ille: *Diuitibus in sua iucunditate multa irruunt ægritudines: pauperes autem à medicorũ manibus immunes sunt. Si verò nonnumquam in imbecillitatem incidant, breui seipsos instaurant, mollitie omni liberi, & corpora habentes robusta. Magna quidem possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus, thesaurus, qui nequit auferri, inculpabilis possessio, diuersorium ab insidijs tutum, & fons purissimæ sanitatis.* Amat igitur Deus illum, cui hanc possessionem tribuit, & hunc thesaurum largitur, & illum fontem sanitatis. At nequeunt vnà consistere copia & inopia? copia autem pecuniarum bonum quoddam est? *Ego verò negoillud esse bonum*, inquit Boëtius, *quod noceat habenti. Num id mentior? minimè, inquies. Atqui diuitiæ possidentibus persæpe nocuerunt, cùm pessimus quisq; aris alieni magis auidus, quidquid vsquam auri gemmarumq; est, se solum, qui habet, dignissimum putat. Tu igitur, qui nunc contum gladiumq; solicitus pertimescis, si vitæ huius callem vacuus viator intrasses, coram latrone securus cantares. O præclara opum mortalium beatitudo, quam cùm adeptus fueris, securus esse desijsti!* Ac ne Christianos duntaxat ita iudicare existimes, etiam

Boët. de Cons. sol. Philos. l. 3 pros. 8.

S. Chrysost. hom. 2. ad pop.

Boët. de Cons. sol. Phil l. 2. prosa. 5.

Sensit Alexander testa cùm vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi poscere orbem,

Iuuen. sat. 14.

Passurus

Passuum gestis æquanda pericula rebus.

D. Antonin. 2. par. Chron. tit. 10. c. 7. §. 2. Bonsignor. Cacciguerra lib. de tribul. cap. 4.

Nam esto, quietem, honorem, voluptatem, omnia habeat, qui pecuniam habet, tamen non habet securitatem. Et tantò grauiùs, quantò securiùs periclitatur. Proficiscebatur aliquando D. Ambrosius Romam. In Hetruria diuertit ab homine admodum copioso hospitio exceptus. Hic inter colloquendū cœpit iactare diuitias, prædicare familiam, filios laudare, denique prospera omnia commemorare, ac sanè præfidenter dicere: Nihil sibi vmquam in omni vita sua aduersum accidisse; læta omnia feliciaque euenisse. Quid ibi D. Ambrosius? an hunc censuit esse felicem? Nequaquam. Sed quàm primùm audiuit ita gloriantem, abitionem parauit, hortatusque est etiam comites suos, vt & ipsi discessum maturarent, fieri enim non posse, vt tanta rerum prosperarum affluentia exitum longè infelicissimum non sit habitura. Iussit ergo eos mox secum discedere, ne & illi vnà iræ Dei furorem experirentur. Vix pedem è tectis extulit, cùm hospes, & omnis familia, domusque tota repentino terræ hiatu absorpta est. I, vocales felices, qui dum se inter felices felicissimos putant, inter miseros miserrimi sunt numerandi: quibus malum serò, sed simul venit.

X.

Hucusque de acquisitione & possessione diuitiarum disputauimus, quæ si cum labore acquiruntur, cum solicitudine possidentur, quantum dolorem dabunt, si amittantur? Amittuntur enim; quia *omnia bona mundi triplex interitus tollit: aut ex seipsis veterascunt, aut luxu dominorum suorum consumuntur, aut ab extraneis dolo vel violentia, vel calumnia diripiuntur*, ait disertissimus Pater. *Caduca nimirum hæc*, ait Valerius, *& fragilia puerilibusque consentanea crepundijs sunt, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo statu fortuna huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso decursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari, neque dici debent bona, quæ vt infectorum malorum amaritudine desiderium suum duplicent, propensiore fauore primò delinitos, maiore postea malorum cumulo opprimere solent.* Democritus audiens de diuitijs in vtramque partem disceptantes, omnibus hominibus perpetuam quamdam diuitiarū

S. Chrys. in c. 6. Matth.

Valer. Max. lib. 6. 9.

Max. serm. 12

cupidi-

cupiditatem ineſſe dixit; *quæ ſi non acquiſitæ fuerint, vexant: ſi erunt acquiſitæ, ſolicitudine & cura torquent. Amiſſæ verò dolores etiam adferunt haud mediocres.* Quæ ſi non amittuntur in vita, certè cum vita amittendæ ſunt. Quippe *cum præſenti vita pariter diuitiæ diſſoluuntur non migrant cum poſſeſſore, ſed ipſos potiùs deſerunt ante mortem. Quod & ipſum demonſtrat* (Paulus) *dicens:* Neque in incerto diuitiarum. *Nihil enim tam infidum, quàm diuitiæ. Fugitiuus ſeruus eſt, copia diuitiarum, etſi enim innumera ipſi vincula injcias, ſic etiam cum ipſis vinculis fugit, ſæpiùs peſſulis, & foribus ipſum poſſidentes concluſerunt, ſeruorum adhibita cuſtodia: ille verò ſeruis ipſis perſuadens, cum ipſis cuſtodibus aufugit, & nihil cuſtodia profuit. Quid hoc infidelius? Væ his, qui in multitudine diuitiarum ſuarum ſperant. Quare, dices, væ eis? Quia, inquit, theſaurizat, & neſcit cui congregauit ea. Labor ergo certus, & fructus incertus: ſæpiùs inimicis laboras, & tu conficeris ærumnis, & tibi quidem peccata, poſſeſſionem verò alijs hæredibus præbuit.*

S. Chryſoſt. homil. 2. ad pop. 1. Tim. 6.

Doloris huius aliquot exempla libet apponere. Quo enim animo fuiſſe putemus Dionyſium? qui *cùm hæreditatis nomine à patre, Syracuſanorum, ac penè totius Siciliæ tyrannidem accepiſſet, maximarum opum dominus, exercituum dux, rector claſſium, equitatuum potens, propter inopiam, litteras puerulos Corinthii docuit. Eodemq; tempore, tanta mutatione maiores natu, ne quis nimis fortunæ crederet, magiſter ludi factus ex tyranno monuit.* Quid ſenſiſſe exiſtimemus Craſſum? *cui pecunia magnitudo locupletis nomen dedit? ſed eidem poſtea inopia turpem decoctoris ſugillationem iniunxit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia ſolidum præſtare non poterat, venierunt. Ita quoque amara ſugillatione non caruit: quia cùm egens ambularet, DIVES ab occurrentibus ſalutabatur.* Quòd ſi iſti dolorem preſſerunt, certè non preſſit Ioannes Conarius Eques Polonus, nobili familia oriundus, de quo Cromerus hanc recenſet hiſtoriã. *Circa an. Chriſti 1177. imperium & gubernationem regni Polonici adijt Caſimirus iuuenis adoleſcens luſui valdè deditus, adeò quidem, vt temerè cum quouis luderet. Is ad ludendum aliquando prouocauit Equitem Polonum familia nobili, & hodieq; in eo regno præpotenti Ioannem Conarium. Aſſenſus eſt regi Conarius, productaq; voluptas illa in multam noctem. Tandem vtroque in ſomnum ruente, conuenit inter ipſos, vt*

XI.

Valer. Max. lib. 6. c. 9.

Idem ibidi.

Martin. Cromer. lib. 6. Chron. Pol.

vnico fortunæ iactui, quod vterq; nummorum haberet, permitterent. Victoria penes regem fuit. Conarius partim iactura nummorum, partim scommate illudentis ei regis exacerbatus palma regem in faciem percussit, & noctis ac tenebrarum beneficio euasit. Manè postridie perquisitus, & repertus, grani Iudicum sententia ad mortem damnatur. Sed rex quàm primùm intercessit, liberè confessus coram omnibus parũ peccasse Conarium, plurimùm se in isto negotio. Nam primò prouocasse se Conarium ad ludendum; vrsisse deinde, in totam secum luderet summã; non quemuis in tanta nummorum iactura iræ temperare posse; se dignũ pœna esse, qui sua Maiestatis non habuerit maiorem rationem. Condonare igitur se, & plagam, & culpam Conario. Gratias insuper ei se debere, qui vna plaga sapere eum docuerit, & à lenitate in futurum reuocârit. Serìo autem se hæc dicere, vt Conarius certo sibi persuadeat argumento, fore beneficium nouum. Et cum dicto afferri iussit omne aurum, quod & posuerat ipse, & à Conario ex lucro acceperat; idq; allatum Conario in manus tradidit. Magna hæc regis virtus fuit, & heroici pectoris exemplum; sed in Conario apparuit, quantus sit dolor, pecuniam vel per ludum atque iocum amittere. Suprà ostendimus in Antonio Vrceo Codro, quantam in mœstitiam, immò insaniam eum coniecerit, vel amissus incendio liber. Innumera sunt exempla, quæ docent, fluxa ista hæc bona longè maiore cum dolore perdi, quàm labore quæri. Et subscribunt rotis cæteruis agminatim occurrentes viri fœminæq;, lamentantes, quòd hostilis vel flamma, vel rapina eos dispoliârit. Quibus vel hoc solatij potest esse, quòd iam nihil debeant ampliùs metuere, quia nihil possunt ampliùs amittere.

CAPVT. V.

Quanta diuitijs & vitijs inter se sit cognatio?

I. LAborem, curam, dolorem afferunt opes, vt dixi, non tamen ex se, sed eorum culpâ, qui laborant, curant, aut dolent. Ast *vnumquodq; non hominum, sed rerum ponderè iudicandum est*, ait S. Hieronymus, *nec diuiti obsunt opes, si bene vtatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit.* Et D. Augustinus: *Vt noueritis, non pecuniam in diuite, sed auaritiam condemnari: aduertite, quod dico. Respicis in illum diuitem stantem iuxta te: & fortè in*

S. Hieronym. ep. ad Saluian.

S. August. in Psal. 51.

tè in illo est pecunia, & non est auaritia; in te non est pecunia, & est auaritia. Hæc culpabilis, & propter hanc illa vitabilis est; non quia mala, sed quia, si in malos incidit, auaritiæ sit nutrimentum. Quare sicut auaritiæ reprehensio redit in diuites, non in diuitias, ita neque in authorem diuitiarum; qui bona tribuit, quæ non, nisi hominum abusu mala fiunt. *Itaque qui malè diuitijs vtitur,* teste S. Gregorio Nazianzeno, *miserabilis est, vt ille qui sponte se vulnerauerit eo gladio, quem ad vindictã hostium sumserat.* Accipiuntur enim opes, vt alijs opem possint mortales suppeditare; at illi in suam perniciem eas conuertunt. Hinc Chilon dicere solebat, *Quod Lydius lapis est auro, id aurum esse homini.* Lapis enim index affrictu prodit, quale sit aurum; ipsum autem aurum arguit, quale hominis ingenium inueniat. Nimirum vt gallinæ aranеis pinguescunt; ac rursum vt scarabæi ipso oleo, quo alij viuunt, occiduntur; ita boni etiam malis bene, & mali bonis malè vtuntur. Quia verò non mala tantùm, sed etiam occasiones malorum sunt vitandæ, age etiam hoc nomine contemptum diuitiarum suadeamus. Neque enim hîc imitandus nobis est Q. Fabius Maximus, qui cùm, capto Tarento, agerentur omnia ferrenturque, interroganti scribæ, quid fieri de dijs vellet (tabulas & signa innuebat) traditur respondisse: *Deos iratos Tarentinis relinquamus;* planè qui pessimè vellet, diceret: *Aurum, & opes rem periculosam auaris relinquamus;* & inimici vox est: *Hæc omnia tibi dabo, omnia* scilicet *regna mundi, & gloriam eorum.* Sed aliter Christus consulit, aliter de diuitijs loquitur, nouit enim, quam messem hæc seges ferat; seges bona; sed apud malos in lolium degenerans. Nam *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos, & desideria multa & & noxia. Non timetis? Audite quod sequitur, Quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Non times? radix est omnium malorum auaritia. Auaritia est esse velle diuitem, non jam esse diuitem. Ipsa est auaritia. Mergi non times in interitum & perditionem? Non times radicem omnium malorum auaritiam? De agro tuo extirpas radicem spinarum, & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatũ?* ait S. Augustinus. Et Chrysostomus: *Diuitiarum sequela, est luxuria, ira intemperans, furor ininstus, arrogantia superba, omnisq; irrationabilis motus.* Vere Poëta pecuniam alloquitur:

Laërt. in vita Chilonis.

Plutarch. in Fabio.

Matth. 4. 8.

S. Aug. serm. 205. de temp.

S. Chrysost. lib. Quòd nemo lædi-tur, nisi à se-ipso.

Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Propert. l. 3. & 7.

II. Etsi enim bonus possit esse vsus diuitiarum, tamen valde difficilis est, atque in earum possessione ingens est periculum æternæ damnationis. *Si fueris dives, non eris immunis à delicto.* Eccli. 11. 33. Diuitiæ diabolo sunt pro visco, pro laqueo; sunt pro ansa omnis peccati; immò adeò annexa sunt diuitijs peccata, vt ipsæ quoque quodammodo diuitiæ peccata dici possint. Hinc Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* Luc. 16. 9. mammonam iniquitatis vocat, non solùm, quia sæpe diuitiæ iniquè sunt acquisitæ, sed etiam quia possessæ non rarò sunt caussa iniquitatis, vel occasio. Ita olim, *cùm roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum; dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo.* 2. Paralip. 12. 1. Neque enim ipse solus Roboam, regni viribus auctis, sed etiam populus cum eo à Domino recessit. Adeò sæpe plus peccatur in regno valido, quàm afflicto. Quamobrem, Sexto Aurelio teste, Imperator Traianus solebat dicere, *diuitias esse sicut splen:* splene crescente, non bene est homini, sed vix incedere, vix respirare potest: ita crescente pecunia, crescunt morbi animorum; neque in via virtutis finitur facilè ambulare, qui est copiosus; immò propemodum vix habet facultatem respirandi, aut ad cælum suspirandi; cùm interea animæ pauperum tantò expeditiùs ad cælum subuolent, quantò sunt minùs oneratæ: *Surge, propera, amica mea, columba mea,* Cant. 2. 13. ait sponsus. Columbam vocat, quia hæc vix habet lienem; vnde perniciter volat, quemadmodum animæ diuitijs carentes. Diuitiæ etiam vrticæ sunt, citò vrunt; spinæ sunt, facilè pungunt; immò sicut inter vepres, viperæ, colubri, aliæque bestiæ virulentæ commorantur, ita inter opes omnis generis venena. *Opes luxuriæ occasio,* ait S. Chrysostomus, *malitiæ schola, turpis & defluentis vitæ caussa, animæ corruptela, via ad diuersa ferens mala; cursus nullum habens bonum his, qui abutuntur se. Hinc fures, hinc murorum fossores, domestici transfugæ in semetipsis furti morbum nutrientes.* S. Chrysost. homil. 7. de pœnit. Quid multis? Est in abundantia rerum caducarum scopulus, est fons, & quædam Lerna malorum, est radix omnium vitiorum. *Auaritia omnium radix malorum,* ait S. Asterius, *innumera ex se vitia progignens. Sicuti enim ij, qui aurum in sinu visceribusq; terræ scrutantur, auream*

S. Asterius homil. de auaritia.

glebam

glebam circa principem & proprium generationis locum, cumulatim repositam inueniri narrant, & aliquas inde velut venas, in longum hinc inde produci. Sicut arborum à stipite latè sese explicant ac diffundunt radices: Ad eumdem modum imagine non minùs impropria auri & auaritiæ, multa video germina, multosq; surculos vna, eademq; stirpe auaritia coniunctos. Quæ in genere dicta speciatim percurremus.

III.

A superbia initium sumamus, vnde initium sumit omne peccatum, *quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit eam adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.* Atque proprius diuitiarum vermis est superbia, teste S. Augustino, cui elidendo vt essent pares Philosophi, operam dederunt maximam, vt moderarentur elationem ex affluentia externorum bonorum, diuitiarũ scilicet & potentiæ. Hæc moderatio, Christianis humilitas vocatur, quæ cohibet animum, ne insolescat, cùm se homo copiosarum facultatum possessorem, & multis alijs imperitantem conspicatur; simulque efficit, ne ægrè ferat, quòd his destitutus, eo in pretio non sit, apud vulgus, in quo sunt ceteri, qui his rebus abundant. Hinc Philosophum se videri volentem, qui tamen turpe ducebat, quòd patre natus esset inope, his verbis increpat Epictetus: *Estne turpe tibi, quod ipse non feceris, cuius tu caussa non fueris? Quod alia ratione tibi euenit, quemadmodum dolor capitis aut febris? Si parentes tui fuerint inopes, aut alios reliquerint hæredes, aut dum viuunt, tenuiter se sustentant, ignominia scilicet inde ad te redundat nulla. Nec pudenda hæc tibi censè. Discere scilicet illud potuisti ex Philosophis. Numquamne audiuisti, turpe id esse, quod sit dignum ignominia? id verò aliud esse nihil, quàm cui sit illudendum? Quisnamne porrò est, quem irrideas in eo, quia ipse non fecerit? Tunè verò patrem tuum effeciisti talem? an in potestate est tua, vt rectiùs illa se habeant, quæ ad ipsum pertinent? Permissumne id tibi est? Quid ergo oportet? Num velle ea quæ in manu tua non sunt? aut si ista non consequare, timenda turpitudo & ignominia?* Incusat ex hac radice pullulantem superbiam suam & his verbis. *Vehiculum*, inquit, *in quod depositus sum, rusticum est. Mulæ viuere se ambulando testantur; mulio excalceatus, non propter atatem. Vix à me obtineo, vt hoc vehiculum velim videri meum. Durat adhuc peruersa recti verecundia. Quoties in aliquem comitatum lautiorem incidimus, inuitus erubesco. Quod argumentum est, ista quæ*

Eccli. 10 15. S Aug. serm. 5. de Dom. & ser. 212. de temp.

Epictet. apud Arrian lib. 3. cap. 26.

Senec. ep. 87.

probo, quæ laudo, nondum habere certam sedem & immobilem. Quę sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Parum adhuc profeci, nondum audeo frugalitatem palam ferre, etiam nunc curo opiniones viatorum. Vides vermem superbiæ? Vides quid ex opum æstimatione sentiant ij, qui ceteris sunt sapientiores?

IV.

1. Tim. 6.

S. August. hom. 13.

Quid illis continget, quos diuitiæ regunt, & agunt quò volunt? *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & desideria multa, & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Pecunia delectat, non times,* ait S. Augustinus, *Bona res est pecunia, bona res est magna pecunia. Incidunt homines in tentationes, non times? In desideria multa incidunt stulta, & noxia, non times? Desideria quò ducunt, time. Quid est quò ducunt? Quæ mergunt,* inquit, *homines in interitum & perditionem. Et adhuc surdus es? Interitum & perditionem non times? Sic Deus tonat, & stertis? Ceterùm his, qui iam diuites sunt adhuc, consilium dedit Apostolus; Præcipe,* inquit, *diuitibus huius mundi, non superbè sapere. Vermis diuitiarum superbia est. Difficile est, vt non sit superbus, qui dives est. Tolle superbiam, diuitiæ non nocebunt. Sed attende, quid inde facere debeas, ne vacet apud te, quod largitus est Deus: Non superbè sapere. Ista vitia tolle, neq; spera in incerto diuitiarum. Tolle & hoc vitium.* Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum; & alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici; vermis autem diuitiarum est superbia, ex eiusdem Patris testimonio. Quid ita? Qui nummos habet, habet quo se vestiat splendidè, quò splendidè epuletur, quò splendidè ædificet, quò magnos famulorum greges alat, quò magnificas pompas instruat, quò se aliorum ope, alios autem sua indigere existimet. Hinc se circumspicit, alios contemnit: hinc alta cogitat, & nullis se non sufficere sumtibus arbitratur. Phryne meretrix facta est, vt fieret opulenta; opulenta euasit, vt fieret superba; & quidem vt de ipso turpissimo quæstu superbiret. Nam, teste Athenæo, Thebas se muris circumdaturam pollicebatur, si hæc scriberent: *Alexander euertit, Phryne meretrix reparauit.* En quantæ superbiæ radix è pecunia? Nimirum grauis viri verbum est: *Nemo vult esse dives, nisi vt insletur inter eos, inter quos viuit: & superior illis videatur.* Postquam ergo dives factus est, postquam inflatus est, iniquitatem apponit super iniquitatem, vt

Athen. l. 12. cap. 12.

S. Augustin. in Psal. 48.

dici

dici possit: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Sunt enim*, ait D. Augustinus, *mali, sed macie mali, ideò mali, quia macri: id est, exiles, exiguitate quadam necessitatis affecti, & ipsi mali, & damnandi. Ferenda est enim magis omnis necessitas, quàm perpetranda aliqua iniquitas. Tamen aliud est de necessitate peccare, aliud in abundantia. Pauper mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas. Dives abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? Illius iniquitas ex macie, huius ex adipe processit. Ideò macro cùm dicis: Quare hoc feciſti? humiliter afflictus & abiectus respondet: Necessitas coëgit me. Quare non timuisti Deum? Egestas compulit. Dic diuiti, Quare hæc facis? & non times Deum? Si tamen tantus es, qui possis dicere, vide si vel dignatur audire: vide si non etiam in te ipso prodiet iniquitas ex adipe eius. Iam enim præceptoribus, & correptoribus suas inimicitias indicunt; & fiunt inimici verum dicentibus; iam sueti palpari verbis adulantium, aure molli, corde non sano. Quis dicit diuiti: Malè feciſti rapiendo res alienas? Aut fortè si ausus fuerit aliquis dicere, & talis est, cui non possit ille resistere, quid respondet? Totum in contemtu Dei loquitur. Quare? quia superbus est. Quare? quia pinguis est. Quare? quia deuotus ad victimam est. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum. Transierunt in dispositionem cordis. Ibi intus transierunt. Quid est, transierunt? Excesserunt metas humani generis, homines se pares ceteris non putant. Transierunt, inquam, metas humani generis. Quando dicis tali homini: Frater tuus est iste pauper, eosdem parentes habuistis, Adam & Euam; noli attendere tumorem tuum, in quo eleuatus es: &, si te circumstant familiæ, & si numerosum aurum & argentum, etsi domus marmorata continet, etsi tecta laqueata contegunt, simul te & pauperem contegit tectum mundi cælum: sed diuersus es à paupere rebus non tuis, extrinsecus appositis. Te in illis vide, non illa in te. Attende teipsum qui sis ad pauperem: te ipsum, non quod habes. Quid enim despicis fratrem? In viscoribus matrum vestrarum ambo nudi fuistis. Certè etiam cùm de ista vita exieritis, & istæ carnes exuta anima fuerint putrefactæ, dignoscantur ossa diuitis & pauperis. De conditione loquor æquali, de ipsa sorte generis humani, in qua omnes nascuntur. Et dives enim hîc fit, & pauper non semper hîc erit. Et sicut dives non venit dives, sic nec dives abscedit. Idem ipse vtriusque introitus, & par exitus. Addo, quòd fortè mutabitis vices.* Sicut diues ille epulo, & pauper Lazarus

Psal. 72. S. Augustin. in Psal. 72.

rus mutauerunt. Quæ à S. Patre dicta sunt, vt ostenderet, vermem diuitiarum esse superbiam, quæ ex adipe prodit, & ipsâ pauperum, quos despicit, comparatione detumescit, videt enim eorum finem suo esse meliorem; vnde cognoscere potest, etiam principia eorum suis principijs præstare. Nam sicut inopia est virtutum occasio, ita diuitiæ omnibus criminibus viam aperiunt. Quid enim mores magis corrumpit, quàm nummi? Nam, vt vidimus, non nisi qui nummos habent, superbè vestiuntur. Sine pecunia nulla emitur purpura; gemmæ, armillæ, torques, pretio constant. Inopia non patitur habitum sumtu insolentem. Compotationes, conuiuia, ebrietates, ibi abundant, vbi abundant facultates. Vbi maior auri copia, ibi maior auaritia: & *quantò minus rerum, tantò minus est cupiditatis.* Hinc lites, hinc rixæ, hinc cædes, hinc odia & bella oriuntur. Qui habet satis, non indiget labore; otio igitur est obnoxius. At otiosus quid est, nisi puluinar diaboli? sibidinis lectus, ager vitiorum. Eapropter & olim homines antediluuium ex abundantia rerum in otium; ex otio in luxum; ex luxu in lamentabilem illam totius mundi calamitatem inciderunt. In Brasilia barbari, quia ob cæli clementiam nec vestitu indigent ad frigora arcenda, nec aratro ad victum comparandum, sed omnia sponte proueniunt, idcirco omnibus flagitijs cooperti sunt, & ritu bestiarum degunt. Nempe vbi maior egestas, maior honestas; & abundantia rerum, inopia est virtutum. Caret ergo multis pedicis paupertas, quæ cum rerum affluentia remouet materiam superbiæ, ac omnium vitiorum. Cristas igitur demittit diues si seipsum rectè aspicit.

V.

Supercilium etiam ponere docetur, si ad finem respicit, omnis enim pompa diuitiarum, vno temporis momento, cum vita abit. Exemplum in Alarico Gothorum Duce exhibet Paulus Diaconus. Is Alaricus pecuniarum copia inflatus magis, quàm plenus, totos se auri non aceruos, sed montes possidere, omnem humanam opinionem excedentes, glorianter admodum iactabat. Vtque cresceret tumor, iam spe quoque Siciliam deuorauerat; & sibi superhostium capita gradi videbatur. Sed subitò in illo contigit, quod Propheta dixit: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus.*

Paul. Diac. lib. 13. hist. miscell. & Baron. Anno 412.

Psal. 36. 35.

inuentus locus eius. Siquidem dum jamiam traijcere in Siciliam exercitum cogitaret, inciſo conſilio, fruſtra fuit. Quin etiam in Conſentiæ regione, ſubita morte inopinataque extinctus eſt. Nec ſatis fuit, opes amiſiſſe, amiſit etiam ſepulturæ honores, vtq; memoriam quoque ſepulturæ non haberet, Gothi illico Baſentium amnem à ſuo alueo, per alium tramitem, captiuorum labore, deflexerunt. Vbi aqua defecit, & deſiccatus eſt alueus, Alaricum ibi cùm magnis opibus ſepeliuerunt, rurſusque fluuium in alueum ſuum reuocárunt, vt terris pariter & aquis tegeretur. Ac ne memoria illius vlla extaret, aut ſciri ex quoquam poſſet, vbi vel oſſa, vel opes illius eſſent, captiuos omnes, qui auertendo flumini interfuerunt, & locum tumuli cognitum habuerunt, è medio ſuſtulêre. Ita qui *ſuperexaltatus & eleuatus erat, ſicut cedri Libani,* in tranſitu eſſe deſijt, *& non eſt inuentus locus eius,* cui locus antè ædificatus fuerat palatium magnificum, cui ſpectacula & cœnacula erigabantur ſumtuoſa, jam nuſquam apparet; neque tumulus eius apparet, quin & theſauri ipſi cum funere euanuerunt. Si ſperamus æterna, cur tantopere quærimus perituta?

Vt veniant gemmæ, totus tranſibitur orbis: Manil. lib. 4. Aſtron.
Nec lapidum pretio pelagus cepiſſe pigebit.
Annua ſolliciti conſumunt vota coloni,
Et quanta mercedis erunt fallacia rura,
Quæremus lucrum nauis, mortemq; ſequemur
In prædas, pudeat tanto bona velle caduca.

VI. Auaritiam quis monſtrum eſſe neget? eadem & mater eſt, & filia diuitiarum; parit enim illas, & paritur ab illis. Quia cum pecunia, vt dictum eſt, creſcit cupiditas pecuniarum: & inde etiam illiberalitas; vt ſæpe nemo magis *parcus, tenax, retractus & reſtrictus* ſit (qui omnes in dando deficiunt) quàm qui plus habet. Videbis talem tantùm intentum ad accipiendum, numquam ad dandum. Timebit ſemper, ne neceſſarijs deſtituatur, aut ne turpe aliquid committere cogatur. Quod vitium nonnulli ex opibus aiunt Simonidi acceſſiſſe. Ille enim vt parcitatem tegeret, dicebat: *malle ſe mortuum inimicis benefacere, multis poſt ſe relictis, quàm viuum amicis egere.* Eſt hydropi ſimilis auaritia, & pecunia aquæ. Ab hydropico *Quò plus potantur, plus ſitiuntur aqua:* ita quò plures Ariſtot. lib. 4. Ethic. c. 1.

nummi accipiuntur ab auaro, plures appetuntur. Hinc alter ordo pullulat auarorum apud Aristotelem, de quo ait: *Nonnulli verò in accipiendo excedunt, dum & vndecumq;, & quodcumq; accipere non verentur. Vt sunt qui illiberalia opificia exercent, & lenones, & id genus ceteri, & fœneratores, qui etiam parua magnis cum vsuris accipiunt. Qui quidem omnes, neq; vnde debent, neq; quantum debent, accipiunt.* Aristot. ibid.

Addit ibidem: *Communis autem his omnibus turpis quæstus videtur. Causſa enim lucri (atque eius parui) opprobria subeunt. Nam qui magna, vnde non oportet, & quæ non oportet, accipiunt, vt tyrannos, qui vrbes populantur, & templa diripiunt, non illiberales, sed improbos potiùs, sed impios, sed iniustos appellare consueuimus. At aleator, & fur, seu spoliator & latro ex illiberalibus etiam ipsi sunt, cùm turpi lucro diditi sunt. Vtriq; enim lucri causſa negotiantur, & opprobria sustinent; & hi quidem pericula maxima acceptionis causſa subeunt. Illi ab amicis, quibus dare deberent, lucrantur. Vtrique igitur, cùm vnde non oportet, velint lucrum comparare, turpi lucro diditi sunt.* Quid quòd quidam à Superis, alij aliunde ex re qualibet ærarium locupletare non verentur? Quale illud barbarici Midæ votum fuit? Ouid. lib. 11. Metam.

effice, quidquid
Corpore contigero, fuluum vertatur in aurum.

Auditus est, accepit dona nocitura; versa sunt omnia in aurum, quæ contrectauit, sed & cibus, & potus.

Attonitus nouitate mali, diuesq;, miserq;,
Effugere optat opes, & quæ modò vouerat, odit.
Copia nulla famem relevat, sitis arida guttur
Vrit, & inuiso meritus torquetur ab auro.

Quàm sordido lucro Vespasianus vrinæ vectigal in toto Imperio exegit? Quod tamen ad publicas amphoras in angiportis, ad vrinam in fullonum vsum excipiendam repositas fortasse fuit arctatum. Baronius, negotiatoribus impositum censet, quod Græci Imperatores, ex vrina & alui purgamentis, vbicumque deijcerentur, in vectigal exegerunt; & Chrysargyrum, quasi *aurargentum* nominabant. Quod quale fuerit, Constantinus Manasses in Anastasio (qui precibus ascetarum quorumdam dedit, vt illud abrogaret) sic exponit. *Omnes viri, mulieres, puella, pueri, infantes, mendici, liberti, serui, liberi, nomine stercoris & vrinæ, fisco nummum argenteum pendo.* Sueton. in Vespas. c. 23. Baron. Anno 330.

pendebant. Idem onus etiam iumentis impositum erat, bobus scilicet, mulis, & equis. Pro quolibet autem cane ac asino, sex folles numerabat is, qui canis asiniué dominus esset. Caligula materiam præuenit, dum ex edulijs, quæ tota vrbe vænirent, certam summã tributi nomine exactam; itemque ex singulis litibus quadragesimam rei de qua lis esset, componendi, aut donandi facultate intercluſa: & ex diurnis quæstibus gerulorum partem octauam; denique ex infami lucro meretricum certam quantitatem collegit. Crudeliùs adhuc accenderunt opes Michaëlem Paphlagonem Orientis Imperatorem, de quo Cedrenus memorat, eum super ceteris vectigalibus voluisse sibi pro cuiusque facultatibus numerari tributum ex ipso aëre locorum, quæ quisque possideret. Eò etiam spectat titulus, apud Harmenopolum, *de pœnis aëris.* Itaque sicut olim Iudæis summæ asperitatis voto à Pescennio Nigro responsum prodit Spartianus: *Vos terras leuari censitione vultis, ego verò etiam aërem vestrum censere vellem:* ita aduersus Christianos, Imperator nomine tenus Christianus, reipsa præstitit, dignus, cui igni, & aqua & aëre interdiceretur, & quẽ nec terra sustineret. Videri potest Lipsius, Theophil. Raynandus, Adamus Contzen & alij. *In Iustiniano,* inquit Euagrius, *tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis, atq; adeò absurda rerum alienarum appetitio, vt omnia subiectorum bona his, qui magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de caussa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures verò, immò innumerabiles, & bona multa possidebant, caussa falsa commentitiaq; ficta omnibus fortunis mulctauit. Quòd si qua meretrix oculos cupiditatis ad alicuius bona adijciens consuetudinem se vllam cum eo vel coniunctionem habuisse simularet; statim omnia iura ac leges, modò Iustinianum turpis lucri socium constitueret, eius caussa euersa iacuerunt; facultatesq; omnes illius, qui falsò in crimen adductus erat, fuerunt in eius domum translatæ.* Quis non exclamet: *Execranda fames auri, sitis improba nummi!*

Iust. Lipsius lib. 4. Polit. cap. 11. Raynand. l. 4. de Virt. & Vitijs. cap. 20. n. 221. Contzen in Politicis. Euagr. lib. 4. cap. 29.

Qui mare bibunt, plus sitiunt, quia salsum est, ita qui opes acquirunt, acquirunt vnà & opum cupiditatem; quin & audaciam spemque maiorum diuitiarum adipiscendarum; quia cum pecunia potentiam acquirunt, qua inferiores deprimant. Quocirca eiuscemodi principem aut regem Homerus δημοβόρον, hoc est, populiuorum

VII.

Homerus Iliad.

Psal. 13. 4. & Psal. 52. 5. *puliuorum* appellat. Et Dauid ait: *Nonnè cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, sicut escam panis?* Sed quid tali accidet? *Panis eius, in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Nam *quamquã in imagine ambulet homo,* sitq; ad imaginem & similitudinem Dei factus, *tamen vanè conturbatur. Audi conturbationem eius,* ait S. Augustinus, *& vide, si non est vana, vt calces eam, transilias eam, & habites in excelsis, vbi non est ista vanitas. Quæ vanitas? Thesaurizat, & non cognoscit, cui congregabit ea. O insana vanitas! Beatus cuius est Dominus spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias mendaces. Delirare tibi videor, anare, cùm hæc loquor, anicularia tibi videntur hæc verba? Tu enim videlicet homo magni consilij, magnæq; prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, de negotio, de agricultura, fortassis & de eloquio, de iuris consultatione, de militia; addis & de fœnore. Homo cordatus nihil prætermittis omnino, vnde nummus super nummum, & in occulto diligentiùs acquiratur. Deprædaris hominem, caues deprædatorem: quod facis, times ne patiaris, & in eo, quod pateris non te corrigis. Sed non pateris, prudens enim homo es: bene seruas, non solùm benè colligis. Habes vbi ponas, cui committas, quo modo nihil pereat ex eo, quod congregasti. Interrogo cor tuum, discutio prudentiam tuam. Ecce collegisti, ecce ita seruasti, vt nihil possis amittere eorum, quæ seruasti. Dic mihi cui seruas? Non tecum ago, non commemoro, non exaggero quidquid mali habet auaritia vanitatis tuæ: hoc vnum propono, hoc discutio, quod mihi dat occasio lectionis huius Psalmi. Prorsus colligis, thesaurizas: non dico ne fortè, dum colligis, colligaris: non dico, ne fortè, cùm vis esse prædo, sis præda: hoc apertiùs eloquar. Fortassis enim cæcus auaritia, non audisti, aut intellexisti: non dico, inquam, ne fortè, cùm vis esse prædo minoris, sis præda maioris. Non enim sentis esse te in mari, nec cernis minores pisces à maioribus deuorari. Non dico ista, non dico difficultates & pericula in ipsa conquisitione pecuniæ: quanta patiantur, qui eam colligunt, quam in omnibus periclitentur, in omnibus pænè mortem videant: transeo hæc omnia. Prorsus colligis, nullo contradicente; seruas nullo auferente; excute cor tuum ac prudentiam tantam, qua me derides, qua me insipientem putas, hæc loquentem, & dic mihi, Thesaurizas, cui congregabis ea? &c.* In quam rem narrat S. Gregorius Nyssenus hominem

S. Greg. Nyss. hom. in vsur.

auaritia

auaritia absorptum, non solùm in suos plus quàm credi posset parcum, sed etiam in seipsum, iusto Dei judicio, neque sibi, neque filijs suis, quod collegerat, collegisse. Nam cùm magnam vim auri comportasset, cui gryphis in modum incubaret, subita morte extinctus est. Itaque quia nemini vlli thesaurorum suorum latebras indicauit, filios familiamque vniuersam pauperrimam reliquit: qui omnes stultitiam patris detestati sunt, vt qui asperitatem in se & suos dum viueret, summa egestate moriens cumulârit. Thesaurizauit iste, sed nescius cui congregaret. Alioqui S. Bonauentura auarum porco similem esse scribit, qui non nisi mortuus vtilis est alijs, cùm quæ sibi soli in vita collegerat, in morte alijs relinquat, animam diabolo, corpus vermibus, opes amicis. Iste autem ita industriè egit, vt opes eius ne filijs quidem relinquerentur. Quibus igitur? nesciunt, quinam thesaurum illum reperturi essent, amiciné, an inimici, malè gratias acturi.

S. Bonauent. in diæta salutis tit. 1. c. 4.

VIII.

Ob hæc talia, non solùm non gaudendum est thesauris acquisitis, sed neque amissis dolendum est. Quis enim prudens dolet vanitate erepta, & veritate inuenta? Quis non lætatur vinculis, qnibus tenebatur, diruptis? & catena, qua in exitium trahebatur, à se ablata? Quamquam opes, non superbiæ tantùm auaritiæque sunt instrumenta, sed, vt D. Chrysostomus ait, *diuitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor iniustus, arrogantia superbia, omnisq; irrationabilis motus.* Nemo quia diues est, duos ventres habet; & tamen plerique ita comedunt, quasi duos ventres habeant opulenti. Quis enim dapes adornat Iouiales? quis exoticos pisces, peregrinas aues, vina trans maria vecta apponit? quis Apitium agit, aut Sardanapalum? nonnè cuius marsupium turget? Vel ipsi opifices, quoties, quod tota hebdomade, assiduis laboribus, corraserunt, vbi die vltimo nummulos acceperunt, die primo cauponam adeunt, & degulant, quidquid in sequentem hebdomadem suffecisset? Ætolos, ob victûs magnificentiam, ære proprio consumto, oppressos alieno scribit Polybius. Opulentia nimirum superbos, superbia prodigos facit; prodigalitas demum opes rursum decoquit, quas auaritia collegit. *Crasso pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit. Sed eidem postea inopia turpem decoctoris suggillationem iniunxit. Siquidem bona eius à creditoribus, quia solidum præ-*

S Chryf. lib: quòd nemo læditur, nisi à seipso.

Polyb. lib. 13. hist. Athen. lib. 12. c. 10. Valer. Max. lib. 6. c. 9.

stare non poterat, venierunt. Ita quoq; amara suggillatione non caruit: quia cum egens ambularet, DIVES ab occurrentibus salutabatur.

Athen. lib. 12. cap. 17. Callias Athenienſis, Diomneſti Eretrici diuitias malè partas ita dilapidauit, vt apud vetulam quamdam barbaram viuere cogeretur, victusque quotidiani inopia laborans, mortuus ſit. Vides in quanto *circuitu impij ambulent?* Nummos ad ſe trahunt, vt magnes ferrum. Nummi eos trahunt ad profuſionem. Hæc iterum eos præcipitat ad paupertatem. Ita ſurſum deorſum aguntur argenti amatores. Acilio Butæ prætorio, poſtquam totas inter pocula noctes tranſegiſſet, ſomno impendiſſet dies, patrimoniumq; ingens conſumpſiſſet, paupertatem ſuam agnoſcenti, *Serò*, inquiebat Tiberius Imp. *experrectus es.* Nempe antea inter viros diuitiarum erat, *qui dormierunt ſomnum ſuum.* Quid mirum, ſi, qui in ſomno ac dormientes ambulent, & ſe, & omnia ſua profundant?

Cælius Rhodig. l. 9. c. 13. Antiq. c. 13.

Valer. Max. lib. 6. cap. 9. Non poſſum hîc omittere Themiſtoclis adoleſcentiam, in qua ei pater abdicationis notam inuſſit, mater propter filij turpitudinē coacta eſt ſuſpendio vitam finire. Qui luctus hodieq; multis matribus accidit, quæ ſæpe plorant, pectus tundunt, crines lacerant, Superosq; obteſtantur, ob acerbos liberorum caſus, in quos non inciderent, niſi matres ipſæ furioſis arma miniſtrarent. Niſi enim, clam patre, eis pecunias ſuppeditarent, non haberent, vnde diſcerent ludere, pergræcari, nepotari; ſed neceſſariò ad eiuſcemodi luxus ſumtu deſtituti, honeſtis artibus, ludo litterario, ſobrietati, virtuti ſe dederent. Diſcant hi parentes à Phocione Athenienſi filios tractare, cui cùm pecuniarum aceruus à Philippo rege Macedonū dono mitteretur, nequaquam accipere voluit. Hortantibus autem oratoribus, vt etſi ijs carere poſſet, filijs tamen eas acciperet, quibus eſſet valde difficile, paternam dignitatem in tanta paupertate tueri, reſpondit: Si mihi fiant ſimiles liberi, hic idem agellus, qui me ad hanc dignitatem euexit, illos educabit. Sin diſſimiles, nolo eorum luxuriam his opibus alere. Dignus de quo ſit diu inter Græciæ Sophiſtas quæſitum, Maiorné Alexander eſſet, an Phocion, qui Alexandri aurum contemſit? Præſtat vtique filios pauperes habere, quàm per diuitias ducere ad prodigalitatem, vnde rurſus inopes facti, mendicare cogantur, veri Salacones. Apud Suetonium *C. Caligula Imp. non habuit vt filiam dotaret.*

Sabellic. l. 8. cap. 5. Sueton. in Caligula.

dotaret, ob sumtus citra modum factos: stetitq; Calendis Ianuarijs in-
edium vestibulo, ad captandas strenas, & stipes, quas plenis ante eum-
manibus ac sinu diuersa turba fundebat. Tam pauper euasit vel nimia
largitione, vel immodica auaritia ille, qui aliquando super immensos au-
reorum aceruos, patentissimo loco diffusos, nudis pedibus spaciatus est, &
toto corpore grunnientium porcorum instar aliquamdiu volutatus. Vides
vt vitia se mutuò destruunt, cùm virtutes vsque adeò sibi inuicem
non aduersentur, vt sæpe omnes in vno pectore reperiantur? Ad Æmil. lib. 7.
quantam pecuniæ penuriam recidit Fridericus Imp. II. dum Cæ-
sarum antiquorum magnificentiam & rerum splendorem, editis
spectaculis æquare conatus est. Vtinam non etiam hodie multos
magnificentiæ nomen ita inescaret, vt dum parasiti, & adulatores,
& scenæ, & theatra omnia absumunt, Christo, & eius pauperibus
nihil superfit; immò, vt ne ipsismet. Luculentum exemplum in-
Euangelio proponitur. *Homo quidam habuit duos filios: & dixit ado-* Luc. 15. 11.
lescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me con-
tingit. Et diuisit illis substantiam. Quàm longè melius fecisset, si ei
non annuisset? Mansisset vtique cum illo. Nunc *profectus est in re-*
gionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.
Si nihil attulisset, non aperuissent ei domum suam meretrices.
Nota ars harum mulierc ularum. Luxûs igitur & luxuriæ instru-
menta sunt opes, quæ hominem à Deo separant, & in longinquam
regionem auellunt. *Regio longinqua,* ait S. Augustinus, obliuio Dei S. Aug. lib. 2.
est. Et S. Ambrosius: *Quid est,* inquit, *longinquiùs ire, quàm à se re-* qq. Euang.
cedere? nec regionibus, sed moribus separari? studijs discretum esse, non- cap. 33.
terris? & quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu diuortia habere sanctо- S Ambros. in
rum? Etenim qui se à Christo separat, exul est patriæ, ciuis est mundi. c. 15. Lucæ.
In regione longinqua, ait S. Augustinus, *illi erant, qui sedebant in te-* Isa 9. 2.
nebris, & vmbra mortis: & illi, vt Theophylactus ait, de quibus Psal. 72, 27.
dictum est: *Qui elongant se à te, peribunt. Longè enim est Dominus ab* Prou. 15. 29.
impijs, & orationes iustorum exaudiet. Quod vtrumque in filio pro-
digo contigit. Adeptus facultates, quæ ei iure hæreditatis obuen-
turæ erant, nondum tamen debebantur, abijt in regionem longin-
quam: sed vbi eas amisit, pauper factus, & redactus non tantùm
ad incitas, sed etiam ad siliquas porcorum, vexatione intellectum
dante, *in se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei ab-* Luc. 15, 17.
undant

undant panibus, ego autem hìc fame pereo? Surgam & ibo ad Patrem meum, &c. Ecce quo modo fames, quo modo inopia eum in viam reuocat, qui aberrauit? Ecce quomodo paupertas ad patrem reducit, quem abundantia in regionem longinquam abstraxit? Et adhuc copiam præ inopia amamus? adhuc putamus, malè nobiscum agi, si nobis aufertur, quod nocet; & datur quod prodest?

Eccli. 10. 10. *O cæcas hominum mentes!* Vtinam illud sæpe repeterent: *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet.*

IX. Malè oculis affecti, qui muscam non vident, saltem vident elephantem. Nos quoque ijs, qui dicta non æstimant, tamquam minora, maiora afferamus, vt oculi cæcorum aperiantur. Siquidem & maiorum malorum caussa sunt opes. Notum est illud Sallustij:

Sallust. in Catilin. *Diuitiæ, & imperia, bella atque certamina inter mortales excitant.* Si bella, quæ publica sunt, quantò magis discordias priuatas? Verè Poëta: *Certamen mouistis opes.* Duæ erant familiæ inter se multis titulis connexæ & amicæ, eorumque capita viri sancti;

Gen. 13. 7. & tamen *facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot.* Qua, obsecro, de caussa? *Erat substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.* Videns igitur mille confligendi caussas esse inter diuites, ait Abram ad consobrinum suum charissimum: *Ne, quæso, sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est; recede à me, obsecro.* Si igitur inter Sanctos hos diuitiæ & pax non potuerunt simul habitare, quas tricas non dabunt inter peccatores, qui domi, qui foris, in foro & curia, vnius oboli caussa, peierant, blasphemant, & funestas tragœdias meditantur? Nouerat hanc opum naturam sapientissimus Ioseph, qui redeuntibus ad patrem fratribus suis di-

Gen. 45. 24. xit: *Ne irascamini in via.* Cur hoc dixit ijs, in quibus tantam vidit animorum coniunctionem, tantumque amorem, vt omnes pariter, pro minimo fratre Beniamin liberando sese obtulerint in seruitutem

Gen. 44. 16. dicentes: *Omnes serui erimus domini mei?* Quid ergo suspicatus est, eosdem in via exarsuros in iram? Dederat fratribus suis

Gen. 45. 21. non solùm frumentum, sed insuper etiam *eis dedit plaustra, & cibaria in itinere, & singulis proferri iussit binas stolas, & Beniamin dedit trecentos argenteos, cum quinque stolis optimis; tantundem pecuniæ & vestium*

veſtium mittens patri ſuo. Cùm ergo ſciret pecuniam eſſe matrem diſcordiarum, litiumque ſemen, quia *dedit eis ex omnibus diuitijs Ægypti,* prudenter eos monuit, ne inde anſam arriperent vel inuidiæ, quòd minimo plus dediſſet, vel iræ, quòd huic talem, alij aliã ſtolam dediſſet. Qualis diſcordia exiſtere poteſt, vel inter ipſos quoque Religioſos paupertatis non amantes, ſi vident alium habere meliorem pileum, recentiorem togam, nitidius pallium, pulchrius breuiarium; ſæpe etiam ob elegantiorẽ icunculam: aut ſi ob calceos magis attritos ſibi datos, ſunt in fermento. *Certamen moniſtis, opes. Denig,* quò quiſque plus habet rerum, eò plures habet ſollicitatores & inſidiatores.

X.

Vt autem diſſidia ex opibus germinant, ita & vindictæ appetitus. Qui enim videt, ſibi deeſſe vires ad vindictam, fert, quod ferre cogitur. At qui nouit, ſibi neruum eſſe, criſtas erigit, & ſurgit in iras. Immò ad hoc optantur, & quæruntur opes, vt ijs noceri poſſit, qui inuiſi ſunt. Hoc ipſo damnandæ, quia ſic quærendæ. Scitè D. Chryſoſtomus: *Sed vindictam, inquis, inimicorum ſumere aliter non poſſum. Hæc verò eſt maxima cauſſa, propter quam execrandæ ſunt diuitiæ, & amanda paupertas; iſtum enim gladium, quẽ dicis, acuunt aduerſum te; faciunt enim te prænaricatorem mandati illius: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Vis autem videre, quantum mali habeat cupiditas vindictæ? Miſericordiam DEI aufert ab homine, & gratiam jam conceſſam reuocat, & infringit. Scriptum eſt enim in Euangelio, quòd is, qui talentorum multorum debitor fuerat, & veniam à domino precatus, a domino impetrauerat; cùm conuerſus ad ſeruum ſuum, qui ei parum pecuniæ debebat, hoc eſt, ei qui parum in eum peccauerat, exigere eum cœpit, vindictam ſcilicet ſumere, & ob quod immitis fuit erga indigentiã conſerui, ipſe de ſe tulit ſententiam, vt non ſolùm jam conceſſa non frueretur indulgentia, ſed & tortoribus traderetur, atq, vniuerſi debiti ſummam, cum ſupplicio ſolueret ac pœna, & ita, pro deſiderio vindictæ, munus perdidit indulgentiæ diuinæ. Pro his, quæſo te, expetendæ videntur diuitiæ, vt tibi facilior ſit ad interitum via? Nonnè pro his maximè oportebat eas veluti grauiſſimum inimicum vitari?*

S. Chryſoſt. tract. quòd nemo lædi-tur, niſi à ſe-ipſo.

Rom. 12. 19.

Matth. 18.

XI.

Quid quòd non priuatæ duntaxat inimicitiæ, ob pecunias, gliſcunt, ſed etiam odia in publica bella, propter opes erumpunt?

Atque vt quàm damnosa sint hæc lucra, appareat, sæpe à ludo incipitur, & ad arma venitur. Post Sleidanum Thuanus, nescio qua fide, hæc scribit: *Causſas odij inter Ioannem Fridericum Electorem, & Mauritium Saxoniæ principes gentiles aliqui has adducunt. Cùm in aleæ lusu Mauritius, omni pecunia amissa Septemuirum ad continuandum ludum, depositò oppidulo improbiùs vrgeret, eo itidem amisſo, Mauritium à Septemuiro increpitum fuisſe, admonitumq;, vt in posterum in ludendo modum seruaret. Illum verò reprehensionis acerbitatem grauiùs iusto tulisſe, statimq; agnato suo, ex ea causſa, bellum intulisſe, quod vix tamen Hessi soceri interuentu compositum sit.* Sic luditur in terris, quod totis bellis luendum est. Priuatorum exempla sunt quotidiana, eorum, qui tota ludendo patrimonia perdunt, & qui eò ludendi libidine prouehuntur, vt omnibus bonis exuti seipsos in seruitutem abducendos pecuniæ opponant. Quin ad remigandum damnati, vbi per decem annos, aut etiam plures durissimam seruitutem seruierunt, elapso damnationis tempore, audent sæpe, pro vili precio ludere, seque denuo ad remos ducendos mancipare. Tantus amor est pecuniarum, vt non solùm rixas, odia, bella excitet, sed etiam in seipsum arma conuertat. Immò plerumque, dum in alios, quos expilat, grassatur, in seipsum quoq; sæuit. Verissima enim sunt illa D. Ambrosij: *Diuites, eripitis quidem pauperibus vniuersa, auferti omnia, nihil relinquitis, pœnam tamen pauperum vos potiùs diuites sustinetis. Illi ieiunant, cùm non habeant; vos ieiunatis, cùm habeatis. Vobis igitur priùs pœnam exigitis, quàm pauperibus erogetis. Vos igitur, vestro affectu, luitis miseræ paupertatis ærumnas. Et pauperes quidem non habent, quo vtantur: vos autem nec ipsi vtimini, nec alios vti sinitis. Eruitis aurum de metalli venis, sed rursum abscouditis. Quantorum vitas in illo infoditis auro? Cur illa seruantur, cùm legeritis de auaro diuite: Thesauros condit, & ignorat, cui congregat eos? Hæres otiosus expectat, hæres fastidiosus increpat, quòd serò moriamini. Odit incrementa hæreditatis suæ, ad damna festinat. Quid igitur miserius, quando nec apud illum, cui laboratis, gratias derelinquitis? Propter illum totis mœstam diebus toleratis famem, quotidiana mensæ vestræ damna metuentes. Propter illum diuturna adamatis ieiunia. Noui ego diuitem in agrum proficiscentem, panes breuiores vrbe delatos numerare solere; vt pro numero panis æstimaretur, quot dies in agro futuris*

Michaël Piccartus obseruat. Historico-Politicarũ decad. 6. c. 4.

Plura exempla sic ludentium sunt apud Mart. Cromerum lib. 6. Chron. Polon. Sueton. in Augusto c. 71. Plutarch. in Artaxerxe.

S. Ambros. lib. de Nabuthe. c. 4.

turus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis vnus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei ouum esset appositum, queri, quòd pullus esset occisus. Hoc ego scribo, vt cognoscatis vindicem esse Dei institiam, quæ lachrymas pauperum vestro vlciscatur ieiunio. Hæc Ambrosius.

XII.

Quæ confirmantur quotidiana experientia eorum, quibus pecunia est pro anima, argentum pro sanguine, aurum pro vita; nam hanc malunt fundere, quàm nummos perdere. Quæ S. Asterius grauiter & disertè his verbis confirmat. *Auarus propinquis est odiosus, famulis grauis, amicis inutilis, exteris difficilis, & vix affabilis, vicinis molestus, vxori malus contubernalis, liberorum parcus atq; sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdiuq; solicitus, & cogitabundus, secum ipse loquens ac disserens, eorum more, qui mente exciderunt, & in insaniam lapsi sunt, denicq; cùm omnibus abundat, tamquã omnium egenus ingemiscit; præsentibus non fruitur; quæ absunt, anxiè quæritat; propriis non vtitur; & ad aliena oculos adijcit. Multi (inquit) in istius grege agni: stabula vix capiunt, planicies ac pascua tota teguntur. At si pinguem & bene habitam ouem vicini viderit, misso proprio grege in vnam, & alienam illam cupiditate fertur. Atque ita quoque de bobus, equis, agris. Omnium copia rerum ades coangustat, sine vsu, sine fructu. Nullum enim percipere fructum voluptatis potest, quisquis insatiabilis: estq; domus eius similis conditorijs, siue sepulchris, quæ sæpe plena sunt auro atq; argento, cùm qui vtatur existat nemo. Corpus auari non alitur; anima nihil lucratur, quia non exuberat è dextera eius eleemosyna. Quis autem laboris & erumnæ finis? Dicat eorum aliquis, quos hic morbus corripuit. Multos equidem ipse noui, qui etiam cùm in morbo cubant, pecuniam salute sua magis ament, & æstiment. Nam si fortè medicus remedium eis parabile præscribit, ac parui pretij, ex apio puta, thymo, vel anetho, quæ passim obuia sunt, & paruo comparantur, sine mora consilio obtemperant. Si verò medicamentorum eiusmodi mentio, quæ ex pluribus componuntur, & vel ex pharmacopolio, vel ex vnguentaria petenda sunt, animam potiùs exhalent, quàm crumenam soluant. Quid mirum? cùm mente & cogitationibus terreni sint, terrestrium possessionem rerum vitam & spiritum ducunt.*

S. Asterius hom. de auaritia.

Quid jam mirum, si in alios sæuit, qui amore diuitiarum se XIII.

ipsum occidit? Priami filius Polydorus, initio belli Troiani, ad Polymnestorem Thraciæ regem, cum magna vi auri à patre missus, vt si contingeret Troiam capi, ipse genus & vrbem posset instaurare; auri cupiditate, à rege barbaro interfectus est. Quod Poëta his versibus deplorat.

Virgil. lib. 3. Æneid.

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus, furtim mandarat alendum
Troicio regi: cùm iam diffideret armis
Dardaniæ: cingiq; vrbem obsidione videret.
Ille, vt opes fractæ Teucrûm, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias, victriciaq; arma secutus,
Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Neque in fabulis duntaxat hoc facinus defletur, sed etiam in sacris historijs, quæ docent auaritiam etiam mortuis esse infestam, quos *de requie sepulturæ*, vt Tertullianus loquitur, *de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos*, affectu planè illiberali & muliebri, immò canino, auellit, dissecat, distrahit. Ad quam auaritiæ in defunctos feritatem auertendam, tradit Onuphrius, veteres consueuisse pretiosam vestē qua plerumq; cadauer inuoluebant, varijs locis concerpere ac forare, quòd alioqui rapacitati pateret, & abijciendi corporis occasionem ingereret. Indicant eum morem etiam verba Origenis, ad illud Iob: *Conscidit vestimenta sua.* Sic enim illum Iobum aduersarios affantem inducit. *Si me mortuum æstimatis, ô inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas atq; regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis eos possidentes.* Et addit: *Puto, quòd ex illo consueuerunt homines, cùm pretiosam sepulturam cuilibet miserint, conscindunt eam: ne aliqui scelesti & ipsum corpus proijciant, & ipsam pretiosam sepulturam possideant.* Contra quod flagitium, more suo, luculentè disputat D. Chrysostomus, & Isidorus Pelusiota, qui videri possunt. Ex his satis apparet, neque mortuos à piceatis his manibus esse tutos atque incontaminatos. Quantò minùs securi erunt viuentes, quorum minor esse solet reuerentia? Est enim aliquid, quod natura in mortuis reueretur, & refugit lædere.

Tertull. in Apolog. c. 37.

Onuphr. lib. de ritu sepeliendi mortuos.

Orig. in c. 3. Iob.

S. Chrysost. hom. 35. in 1. ad Corinth.

Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 146.

Hanc

XIV.

Hanc ob cauſſam teſtatur Suidas, Ariſtippum Socraticum, neſcio quò nauigaturum, ſeruulo de pecuniarum, quas ferebat, onere conquerenti dixiſſe, vt eas abijceret. Poſtea eaſdem ipſe in mare abiecit, cùm propter illas ſibi à ſceleratis nautis periculum inſtare videret. *Harum interitus, mea ſalus erit,* inquiebat. Quam Philoſophiam multi nolunt imitari. Malunt enim ipſi perire, quàm ſuas opes. Et pereunt plurimi, dum aurum ſecum, tamquam hoſtem ſuum, ferunt, alliciuntque prædâ prædones, dum interea cantat coram latrone vacuus viator. *Age,* inquit aureum illud os, *tibi oſtendam, quo pacto cupiditas te odio habet, & te relinquit. Quo pacto contra te enſem acuit, quot barathra effodit, quot ſtruit laqueos, quot parat præcipitia, vt hoc ſaltem pacto ardorem extinguas. Vnde autem hæc cognoſci poſſunt? Ex itineribus, bellis, mari, judicijs. Siquidem & pelagus ſanguine ſæpenumero impleuit; & judicum enſes iniuſtè nonnumquam cruentauit; & latrones, qui noctu vias obſident, declinante die armat. Ipſa vt natura ignoraretur perſuaſit. Ipſa patricidas & matricidas effecit. Ipſa omnia vitæ mala induxit. Quare radicem malorum Paulus eam appellat.* Quam naturæ omnis oblitam crudelitatem S. Aſterius his verbis delineat. *Hinc video filium capiti genitoris imminentem, & abſq; vlla vel venerandæ canitiei, vel authoritatis patriæ reuerentia, longiorem ſenis vitam indignantem. Cùm enim copiam omnem domi largiter ſuppetere videt, cuius dominium penes ipſum non ſit, eoq; potiri ipſe cupit, & ſui quoque juris fieri, grauis illi patria authoritas ac poteſtas. Et initio quidem intra ſilentium ſeſe continet, alteq; reconditum morbum habet. Aucta dein paulatim cupiditate, & animo tumente, repentè malum prorumpit, non aliter quàm è fiſtulis & canalibus aquæ vis. Tum ille miſero ſeni prorſus intolerabilis, viuumq; tantùm non eſſert ac valentem. Si equum agiliter conſcendit, miratur & adſtupet. Si largiùs & bene ſanus cibum ſumit, fert ægrè, ſecumq; murmurat. Si famulos ad opera & miniſteria manè excitat, vigilantiam bonamq; valetudinem ſenis gemit ac dolet. Quòd ſi aliquod cimelium alicui donauerit, aut ſeruum manu miſerit, tum nullius homo pretij ac delirus audit: tum quaſi viuendi regulam ac præſcriptum tranſgreſſus, alienig; prodigus ac profuſus, conuitijs atq; probris omnibus proſcinditur; longioris heu vitæ, & ſpiritus non ſtatim emiſſi reus. Tui iſti, ſcelerata auaritia, fructus. Tuo impulſu & incentiuo filius parenti inimicitias denunciat,*

S. Chryſoſt. hom. 23. in 1. ad Cor.

S. Aſterius hom. de auarit.

nunciat. Tu comples terram latronibus, & homicidis, mare piratis, vrbes turbis atq; tumultibus, forum atque tribunal falsis testibus, sycophantis, proditoribus, aduocatis & judicibus, eò propendentibus, quò tu pertræxeris. Auaritia mater inæqualitatis, immisericors, inhumana, crudelis. Hæc Asterius de cupiditate per opes accensa, quæ, teste Valeriano, in filio *Parricidali animo aut patris vitam increpat, aut matris mortem expectat. Tueatur illum fortè ab hoc crimine caussa debitæ hæreditatis. Verum est. Sed quamquam legitimus hæres sit, non tamen sine cupiditatis vitio successionis vota componit. Vellet denig; vnicus esse, si posset. Modò de patris morte cogitat, modò de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis. Nam quisquis hominum parentinæ mortis expectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit. In quo loco cupiditatis impulsu nutriuntur inter coheredes odia.*

Valerian. hom. 20.

XV. Exempla sunt innumera, etiam fratrũ inter se agentium, quod egerunt, inter se Eteocles & Polynices Oedipi Thebanorum regis filij; qui defuncto parente, de hæreditate & ditione dissidentes, cõtractis vtrimq; copijs, ambo se mutuis vulneribus interfecerũt. Eamdem caussam habuit Romulus, sed prætexuit, cùm Remum occideret. Eamdem in sacris historijs Ioram rex Iudææ, qui suasu Athaliæ vxoris fratres interfecit. Eamdem, vt tradit Volaterranus, habuit Aristobulus rex & ipse Iudææ, vt Antigonum fratrem, quem priùs regni consortem fecerat, falsò insimulatum perimi iuberet. *Compertum est*, inquit Diodorus, *Osiridem Ægypto iuste regnantem à Typhone fratre impio ac nefario interemptũ. Quem in sex & viginti partes dissectum cuilibet eorum, qui tanti sceleris participes fuerant, partem dedit, vt ipsos defensores custodesq; regni fidos haberet.* Polyphontes rex fratri necem intulit, quòd ab eo insidias & mortem sibi parari intellexisset. Herodotus alijq; scribunt, Cambysi Persarum regi visum esse per quietem, venisse sibi nuncium, qui diceret, *Mergidem fratrem solio sedere regio.* Qua ille visione consternatus, Perexaspem Persam ad eum interimendum misit. Mamertes cùm Sisaphonis Corinthij fratris sui filios regnandi libidine peremisset, ab ipso Sisaphone membratim laceratus est. Rhesus Maximi & Ameriæ filius fratrem Simulum in venatione vita priuauit. Sallustius quoq; affirmat Iugurtham Manastabolis filium nothum

Gel. lib. 4. c. 3.

fratres

fratres suos Adherbalem & Hiempsalem Micipsæ patrui sui filios exanimasse, vt solus Numidis imperaret. Atque vt ad nostra tempora propiùs accedamus, Isaacius Angelus Imperator ab Alexio fratre (quem à Turcis captum redemerat) per summum scelus, oculis, imperio, & vita priuatus est. Feugo quoque Horuendiliũ Danorum regem fratrem suum insidijs circumuenit, atq; vbi parricidio datus est locus, cruenta manu funestam mentis libidinem satiauit, vt eo mortuo regnaret. Gregorius Turonensis memorat, Herminefredum Bertarium fratrem vi oppressisse, vt soli sibi tranquilliùs & securiùs, apud Thuringos liceret regnare. Fernandus rex Castellæ, Sanctij filius, Carsiam fratrem regem Nauarræ peremit, vt Nauarram ipsam suo adijceret regno. Vsque adeò libido principandi non præscribit sibi modum. Eamdem ob regnandi caussam, Drahomira matre instigante, Boleslaus Vratislai Bohemorum regis filius fratrem Wenceslaum æquitatis & religionis obseruantissimum principem, & Abeli iusto persimilem, è solio & vita eiecit. Deniq; Orodes Phraatis filius, Parthorum rex, Mithridatem secundum fratrem suum Babyloniæ obsedit, factaque deditione, in conspectu omnium, quamuis supplicem contrucidauit. *Deus te perdat, ambitio,* inquit ille,

Saxo Grammat lib. 3.

Io Dubrauius lib. 5. hist. Bohem. Surius in vita S Wenceslai 28. Septemb.

Quæ fratres armas in fratrum viscera, quæque
Securum à nato non finis esse patrem.

Neque enim, vt suprà ostendi, in fratres tantùm sæuit amor diuitiarum, parentum ipsorum iugulos petit. Nam, vt Plato queritur, Ardieus Pamphyliæ tyrannus patrem senio confectum, & fratrem natu maiorem morte affecit. Mithridates tanta feritate fuit, vt matrem, fratrem, & insuper sex liberos crudelissimè è medio tolleret. Cosroes rex Persarum senio confectus Medarsem filium regni hæredem instituit, ob quam caussam ab altero Siroche natu maiore peremtus est. Agminatim sese historiæ, & quidem admodum luculentæ, offerunt, in quibus opes leguntur filijs chariores fuisse, quàm fratres & parentes.

Plat. lib. 3. de Rep. Cæl. lib. 16. lect. Antiq.

XVI.

Potestné aliquid parente charius esse? potest, & debet, nempe DEVS. Quò igitur vlteriùs potest progredi insania pecuniarum, quàm vt Deum ipsum vendat, eique argentum anteponat? Ad hunc malitiæ apicẽ ducit nummus. Euangelium ipsum audi.

Thng

Matth. 26. 14. *Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum: & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.* Tanti fuit, apud perfidum, pecunia, vt triginta argenteis venderet Deum. Sed de hac Iudæ scelerata proditione, in peculiari libro, satis multa memoraui. Hîc illud non possum omittere, quàm plurimos esse Iudæ imitatores, qui Christum non solùm Iudæis, & veneficis in sacra hostia conuulnerandum vendunt, sed eo etiam abnegato, amore diuitiarum, sibi nouos Deos faciunt. Hoc est enim, quod apud Oseę

Osee. 2. 8. queritur Dominus: *Argentum multiplicaui eis, & aurum, quæ fecerunt Baal.* O miseros homines, ad quid dat vobis Deus argentum & aurum? An ad hoc, vt ex ijs idola Baal, & vitulos aureos

Exod. 32. conficiatis? Nam & filijs Israël olim Deus donauit thesauros Ægyptiorum, quibus illi non vsi sunt in eleemosynas, non in aliũ pium vsum, sed ad vitulum ex eo conflandum, vt inde Deum offenderent, vnde locupletati fuerunt. Queritur id meritò etiam per

Ezech. 7. 20. Ezechielem: *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulachrorum fecerunt ex eo.* Neque hîc illi tantùm tanguntur, qui ex auro, Iouis, aut Æsculapij, aut alterius ficti Numinis statuam fundunt, coluntque,

Coloss. 3. 5. sed omnes auari. Nam & Apostolus *auaritiam, quæ est idolorum seruitus*, idololatriam vocat. Etsi enim quidam dixit, *nullas nummorum ereximus aras*, Plutus tamen olim colebatur, & idem dixit:

Iuuen. Satyr. 13.

Est alius metuens, ne crimen pœna sequatur,
Hic putat esse deos, & peierat, atque ita secum
Decernit, quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego nummos.

ac rursus, de auaro:

Iuuen. Satyr. 14.

Falsus erit testis, vendet periuria summâ
Exiguâ, Cereris tangens aramq; pedemq;.

Certè vbique tamquam Numini, *Plurimus auro Venit honos.* Certè non aliter quidam pecunias colunt, ac si quid diuinum illis inesset: pecunijs religionem, iustitiam, cælum, Deum postponunt. Petrus Damiani sua ætate, & S. Asterius, suo tempore plerisque, incen-

Petr. Dam. opusc. 31. c. 4. S. Aster. homil. de Auaritia.

tor-

tore Iuliano Apostata, contigisse deplorant, multos ob auri spem in aliqua falsa secta affulgentem à recta fide deuiasse. Et hodie quoque ah quàm multi temporalium bonorum esca, cùm dispendio æternorum, in hæresi perseuerant! Agnoscunt veritatem esse apud Catholicos, vident errores Lutheranos, aliorumúe sectariorum; sed quia officium, quia hæreditatem, quia agros, aut domos amitterent, malunt cælum perdere, quàm aurum; & potiùs dominis aureos montes promittentibus, quàm Deo adhærere. Hæc est illa misera seruitus, quam Deus minatur: *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Diuitiæ sunt tales dij, qui requiem non dant suis amatoribus, neque sinunt eos vacare & videre, quàm bonus sit verus Deus. Idcirco Christus disertè affirmat: *Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Errant ergo quicumque hoc facere tentant. Tentant autem innumeri; qui si hos, quos enumerauimus, diuitiarum fructus expenderent, profectò numquam de sua paupertate, vel de opibus amissis conquererentur. Ierem. 16. 13. Luc. 16. 13.

XVII.

Potiùs exclamarent in modum Constantini Manassis, qui cùm stragem captiuorum à Chagano Scytharum rege, miserandâ scenâ editam, ob illiberalem Mauritij Imperatoris parcitatem, immò sordidam & crudelem auaritiam, describeret, in hæc verba prorupit. *O aurum tyranne crudelis, hominum persecutor, audacissime, fraudulente, arx malorum omnium, castellum perniciei, vastator vrbiũ, propugnaculorum euersor, murorum dilacerator, oppidorum oppugnator, adiũ succussor, qualibus malis mortales diuexas! Nullares in hominum vita tecum in certamen descendere potest: nulla res terrena tecum potest in comparationem venire. Durum emollis, mollem induras: linguam mutam soluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac vicissim de tardo volucrem. Corda inflammas, & voluptate quadam demulces; sensus illecebris ineuitabilibus, ceu præstigijs quibusdam excantas: cùm interim venustas illa tua, non minùs veneno suo, quam vipera noceat. Leges & iura proculcas; verecundiam & pudorem abigis, sepulchra violas, parietes perforas. Nihil non habes venale, nihil non prodis. Nimirum friuolum quiddam est, ac fabula mera, vulgò quod dicitur; adamantem solum sanguine molliri. Quid enim esse te possit efficacius, etiam in saxis emolliendis?* Hæc Constantinus Manasses, quæ sunt verissima. Aconita, quia de veneno sunt infamata, In Annal. num. 137.

nemo pro lactuca comedit: aurum tot titulis noxium homines adhuc gestiunt deuorare? semper famelici, numquam satiandi. Et, quod peius est, in ipso morbo, se sanos esse rati. Nullum enim ex omnibus inuenies, qui se auarum esse fateatur; plurimos tamen, qui sint sub hac idolorum seruitute; nec enim Numinum, sed idolorum. *Qui est enim,* ait Arnobius, *qui credat esse deos Lucrios, & lucrorum consecutionibus præsidere, cùm ex turpibus causis frequentissimè veniant, & aliorum semper ex dispendijs constent?* Et paulò infrà. *Quis deam Pecuniam esse credat, quam, velut maximum Numen, vestræ indicant litteræ donare annulos aureos, loca in ludis atq; spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus, & quod maximè pigri ament, securum per opulentias otium?* Auari hanc Ethnicorum insaniam ab inferis reuocant; Deum verum spernunt, nummum pro Deo colunt; & hinc non solùm stulti, verùm etiam impij; qui oderunt, quod colendum, & volunt, quod execrandum.

Arnob. lib. 4. aduersus Gent.

CAPVT VI.

Immodica & stulta diuitiarum cupiditate, homines iram, vindictam q; DEI, & diuitiarum amissionem promereri: quamquam ex hac amissione nemo debeat iudicari.

I. NOn contemnendæ sunt parabolæ, apud Syros olim frequentatæ, ab ipso Seruatore nostro vsurpatæ, & à SS. quoque Patribus adhibitæ ad declarandas rerum veritates, quæ in similitudine explicatiùs planiusque perspiciuntur. Itaque inter parabolas numero, quod Beda his verbis narrat. *Est auis quædam in India partibus, prope solis ortum, viginti alas habens, cuius voce audita, omnes somno & sopore sopiuntur: cuius vox per mille passus auditur. Huius auis magna vocabulum est Gobalius. Est autem lapis in mari Oceano miri decoris, qui aliquoties apparet, aliquoties verò arenis præoperitur. Hæc autem auis cùm auiculam genuit nimis pulchram ac sonoram, videns lapidem in mari, sereno die, radiantem, illius desiderio rapitur, & volat, vt capiat eum, quæ dum adhuc alas extendit, lapis arenis tegitur. Est autem cetus in mari magnus valde, qui cùm viderit Goballum ad lapidem volantem, statim accurrit ad nidum huius, & auiculas*

Ven. Beda in Collectaneis SS. PP.

culas auferens deuorat: & veniens Goballus in æstu nimis recurrit ad nidum, quoddam solatium sui laboris putans reperturum: & inueniens nidum vacuum, septies clamat: ita vt non solùm ingentes lachrymas fundat; sed & omnes, qui eam audiunt, se à lachrymis cohibere non possint. Tunc se ipsum in profundum mergit, & moritur. Et tu homo Goballus habens naturam decoram nimis, quæ generat sapientiam venustam. Lapis autem in mari, amor diuitiarum est, qui seducit hominem: & relicta sapientia, volat ad diuitias congregandas. Cetus autem in mari stultitia est, qui aufert sapientiam simul cum diuitijs. Stultitia nascitur, & homo perdit sapientiam, perdit diuitias, & infelici rapitur morte. Ita quidem strictè, sed congruè parabolam hanc exponit venerabilis Pater. Verè enim Goballo similis est homo, cui plurimas alas dedit Deus, quibus ad cælum euolet. Nam & per orationem, eleuata mente; & per ieiunium extenuato ac agiliore facto corpore; & per eleemosynas; & denique, quot sunt beatitudines, per tot alas potest ad cælum euolare; nec non & per pœnitentiam, perq; amorem Numinis, perque omnia diuina sacramenta. Sæpe vox eius longè latéque auditur, quæ alios sopit, instar Sirenum, aut instar nutriculæ ad cunas cantantis. Cùm enim alioqui alij clamantium vocibus excitentur, Goballus iste ita de thesauris diuitijsque blandè loquitur, vt alij, lenocinijs illius sopiantur, iuxta illud: *Dormierunt somnum suum viri diuitiarum*, in quibus quantumcumque anxij & laborantes, sibi tamen acquiescere videntur. Cur autem *amor diuitiarum* lapidi comparatur? Nimirum, quia animam cælo natam deorsum ad terrena trahit & aggrauat, vt si *suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* *Amor* autem ille *diuitiarum* aliàs occulitur, aliàs manifestè apparet, & videtur multis splendere adeò, vt eos excæcet, & stultos efficiat, priuetque omni sapientia miserandum in modum, meritò deplorandos. Denique Goballus iste *seipsum in profundum mergit, & moritur. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & in perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.*

Psal. 75. 6.

Matth. 18. 6.

1. Tim. 6. 9.

Quanta hæc auaritiæ deceptio est? dum sibi sapere videtur, II.

ſtulteſcit; dum coquit fraudem, perdit fidem; dum delicias procurat, incidit in ſpinas; quæ velut Charybdis ſemper vorat, numquam ſatiatur; de pauperum peculio ſemper egentior; de præda innocentum rapacior; &, ſi cetera deeſſent, hoc ſolo nomine execranda, quia quò potentior, eò eſt ſceleratior. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Neque malum culpæ duntaxat ex hac radice germinat, ſed etiam malum pœnæ. Eſtque primò hæc ipſa magna auaritiæ pœna, eſſe malarum libidinum, & vitiorum omnium procuratricem; eſſe ſeminatricem tentationum; eſſe textricem laqueorum diaboli; eſſe cauſſam eorum, *quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Secundò tamen etiam innumeris hominem curis, & miſerijs flagellat. In quem finem Simplicius ait: *Auari totum vitæ tempus circa lucra laborantes cum conſternatione, vigilijs, ac formidine ſemper adiuncta, nullum vſum, nullam delectationem a pecunijs capiunt, & quænam hac fuerit iuſtior ac vberior pœna?* Tertiò, quod pauci agnoſcunt, tum maximè diuitibus metuendum eſt, cùm maximè ſibi videntur eſſe felices. Siquidem *fortunantur etiam aliquando peſſimi ad infortunij maioris apparatum. Numquam tuta eſt felicitas ſontium. Per ſomnium quidam fur monitus diſcedere a muro, recedens vidit ſtatim corruentem. Putabat jam gratum Deo furtum, donec aliter edoctus vidit ſe reſeruari cruci. Quare ſæpe maxima ira Dei eſt, locupletare malos, & licet feſtino ſupplicio, ſatis ſæuit.* Quia dum prodit quaſi ex adipe iniquitas eorum, flammis acrioribus reſeruantur.

Simplic. in Enchirid. Epicteti.

Ioan. Euſeb. Nierenbergius in Theopolitico. c. 9.

III. Quartò tamen iras cæleſtes prouocant, vt, in quo peccant, in eo ipſo puniantur. Dum diuina Nemeſis opes malè congeſtas diruit, & ianuam furi, viam hoſti aperit. Sæpe enim auaris eripiuntur opes, vt quibus cupido augebatur diuitijs, pauperie minuatur. Et quia ab incunabulis egeſtati aſſueti plerumque inopiam patientiùs ferunt, quàm ferre didicerunt; illi autem qui in abundantia enutriti, prouidentiam Numinis accuſant, quando ſpoliantur; cùm pœnam non agnoſcant quam ſe putant non meruiſſe, detegenda ſunt hîc altiùs conſilia diuina ex litteris diuinis. Apud Ieremiam ita loquitur Dominus: *Et tranſibunt domus eorum ad alteros, & agri, & vxores pariter: quia extendam manum meam ſuper habitantes terram, dicit Dominus.* Cur extendes manum tuam, ô Deus?

Ierem. 6. 12.

Reſpon-

Respondet ibidem: *A minore quippe vsque ad maiorem omnes auaritiæ student: & à Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Appetuntur opes ardentissima siti, ad explendas ferè voluptates, aut ad diuitiarum iactantiam, hinc meritò subducuntur, tamquã ligna incendijs. *Argentum eorum foras proijcietur*, ait apud Ezechielem Deus, *& aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos, in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est. Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum, & simulachrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiã: & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impijs terræ in prædam, & contaminabunt illud.* Impij vocantur hostes, quia, etsi apud eos non sit moderatior amor habendi, sed multò flagrantior, vult suos Deus aliena auaritia castigare: vt dum aliorum violentam lamentantur cupiditatem, suam quoque agnoscant. Diripit eos hostis, quia fortior; at & ipsi pauperes diripuerunt, quia fortiores fuerunt. Amittunt iure, quod iniuria acquisiuerunt. Venatio leonis onager in silua, sic pascua diuitum sunt pauperes. *Sedet in insidijs, cum diuitibus, in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.* Segetes & messes, labores & sudores pauperum, præda sunt diuitum. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliuiscaris pauperum. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.* Neque enim quibus cælum promisit, eorum prædones dimittet impunitos. *Stat ad judicandum Dominus, & stat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet, cum senibus populi sui, & principibus eius: Vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?*

Ezech. 7. 19.

Psal. 9. 30.

Isa. 3. 13.

IV.

Hoc æquum esse, sapienter Metellus Numidicus, in censura, populo demonstrauit his verbis: *Dij immortales plurimum possunt; sed non plus velle debent nobis, quàm parentes; si pergunt liberi errare, bonis exheredant. Quid ergo nos à dijs immortalibus diutiùs expectemus, nisi malis rationibus finem facimus? Isdem deos propitios esse æquũ*

A Gellius l. 3. Noct. c. 6.

est, qui sibi aduersarij non sunt. Qui ergo opibus, quas à Superis habent, Superos offendunt, digni vtique sunt, vt exhæredentur. L. Sylla, victo ad Chæroneam Archelao Mithridatis duce, Thebanos, qui cum Mithridate fecerant, dimidio agri multauit. Et passim Romæ, qui pro criminibus grauioribus supplicio censebantur afficiendi, illorum quoque bona, ob criminis detestationē, publicata fuerunt. Sic domini supplicium, bonorum publicatio sequebatur. Vnde, Tarquinio rege eiecto, ager, qui Tarquiniorum quondam fuerat, Marti dicatus, *Campus Martius* dictus est. C. Cassij domus, cui ob affectati regni crimen dies perduellionis dicta fuit, euersa, area ante Telluris ædem facta est. Domus præterea M. Manlij Capitolini, quæ quondam in arce fuerat, qui suspicione regni pœnas dedit de saxo deiectus, ædes atque officina Monetæ fuit. Cùm Marcellus quidam nequam & criminosus, qui in ganea & lustris vitam egerat, propter latrocinia sordesque vitæ, capitali supplicio pœnas dedisset, bonis publicatis, in ipsius domo ab Æmilio & Fuluio censoribus macellum, vbi obsonia venderentur locum extructum ferunt. P. Clodius Tribunus plebis Ciceroni in voluntarium exilium fugienti aqua & igni interdixit, eoque exterminato, villas eius incendit, domum incremauit, & areæ ædem Libertatis inædificauit, reliqua bona hastæ subiecit, quæ quotidie proclamauit. Themistoclem, vt suprà memini, cùm in adolescentia minùs probatis moribus esset, proprij parentes exhæredarunt. Hoc homines faciunt: hoc faciunt parentes: quia & domini, qui ignauis seruis; & duces, qui militibus fugitiuis stipendium subducunt. Et Deus parcat, cùm videt eos, quos omnibus bonis circumuallauit, tam improbos & ingratos, iniustitiaq; plenos? immò ipsis bonis in malum abutentes?

Plutarch. in Syll.

Idem in Publicola.

Alex. l. 3 c 23.

Plutarch. in Cicer.

Prob. in Themistocle.

V.

Apud mortales sanè opulenti, licet maximè rei, plerumq; euadunt, vel quia iudices pecunia corrumpit, vel quia terret authoritas; & certè, *si possibile esset in diuites vindicta procedere, videres ex eis repleri carceres vniuersos*, ait S. Chrysostomus, *sed cum omnibus malis suis hoc malum habent diuitiæ, quòd in malignitate peccantes ab vltionibus eruunt.* Apud omnipotentem autem iudicem, quem nihil latet, nihil terret, nulli diuites effugiunt pœnā quam meruerunt. *Peccatores persequitur malum: & justis retribuentur bona. Bonus re-*

S. Chrys. in ep. ad Hebr. serm. 2.

Prou. 13. 21.

linquit

linquit hæredes filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris. Sic diuina æquitate Ægyptiorum diuitiæ translatæ, diuque per Ægytios iniquissimè pressis datæ sunt Israelitis: ac paulò antè ijsdem Ægyptijs magnæ clades illatæ sunt, *& percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum: cunctamq; herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.* Quod & per locustas & per alias plagas fecit. In nouo quoque Testamento permisit Christus dæmonibus intrare in gregem porcorum, *& ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* Ecce dator bonorum permisit hominũ hosti vt tantum damnum inferret, gregem totum vno impetu perditum iret. Quid ita? Quia, vt ait Iansenius, Geraseni erant Israëlitæ, quibus lege prohibitum erat, carnes porcinas manducare; quare contra legem suam, & Dei voluntatem, gregem porcorum alebant. Iniustam igitur possessionem iustè dissipauit. Filio quoque prodigo, nonnè profuit, quia *cœpit egere?* Idcirco enim *in se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum.* Quàm multi redeunt ad Deum, cùm paupertatẽ sentiunt? Quàm multi, qui antea delicijs abundabant, neque ante, neq; post prandia, aut cœnas dignati sunt benedictionem à Deo exorare, aut ei gratias agere? spoliati autem quanto nunc affectu dicunt: *Panem nostrum supersubstantialem, seu quotidianum, da nobis hodie?*

Exod. 9, 25.

Matth. 8. 32.

Luc. 15. 14.

Matth. 6. 11.

Et quoniam diuites, cùm se satis habere existiment, non admodum frequenter aut feruidè orant: *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie*; illud saltem prouidit Deus, vt pauperes, qui ab illis stipem accipiunt, pro illis orent. Quia verò sæpe contrarium accidit, vt non pauperes à diuitibus, sed diuites à pauperibus accipiant, siue per vim, siue per fraudem; mutatur quoque genus orandi, & pro benedictione maledictio à Deo petitur, & impetratur. Audit enim clamores pauperum Deus; & voces lamentantium nubes ac cælum penetrant. Hac de caussa euersum est olim à barbaris Romanum Imperium, tunc nimirum, quando in capite delictorum fuit auaritia. Ea scilicet erant vota, eæ preces egenorum; quod Saluianus testatur. *Iam verò illud*, inquit, *cuiusmodi, aut quàm graue; genere quidem dispar, sed iniquitate non dispar: nisi fortè*

VI.

Saluian, l. 7. p. 72.

fortè in hoc dispar, quia maiui: proscriptiones dico Orphanorum, viduarum afflictiones, pauperum cruces; qui ingemiscentes quotidie ad Deum, finem malorum imprecantes; & quod grauissimum est, interdum vi nimiæ amaritudinis, etiam aduentum hostium postulantes, aliquando à Deo impetrauerunt, vt euersionem tandem à barbaris in commune tolerarent, quam soli antè à Romanis tolerauerant. Legantur veterum annales, inspiciantur historiæ: cælum, terra, omnia elementa reperientur pro Deo pugnasse, atque diuitias impiorum pessum dedisse. Cedrenus refert, initio Imperij Michaëlis Paphlagonis, grandinem impetu intolerabili delatam, non frugiferas modò sterilesque arbores confregisse, sed domos quoque deiecisse, & templa ac segetes vitesque solo allisisse. Vnde summa sterilitas est secuta. Sub Iuliano Imp. apostata, Alexandria maris æstu sic inundata est, vt eo in locum suum regresso, in tectorum tegulis scaphæ marinæ sint repertæ. Diem eum, quo recessit, inter anniuersarios sacrum deinceps celebrarunt Alexandrini, & Deo pro liberatione gratias egerunt, qui cum homine malo malam quoque abduxit tempestatem, quam is ipse adduxerat. Quod plerumque fit. Nam, vt Sigonius scribit, Anno salutis 589. Italia ab Authari Longobardorum rege miserè afflicta, quasi affligentis delicto contaminata balneo indigeret, continuis imbribus, Octobri mense cælo effusis, tanta aquarum illuuies Italiam totam inuasit, quantam post antiquum diluuium nulla hominum, aut litterarum memoria prodidit. Nam exundantibus amnibus non campi solùm passim in stagna conuersi, & viæ itineraque confusa sunt, sed tecta etiam subruta, atque homines passim, pecudesque nullo discrimine perierunt. Veronæ Athesis amnis ita creuit, vt aqua ad ædem D. Zenonis peruenerit. Quod verò pro insigni miraculo S. Gregorius scripsit, Authari ipso rege spectante, aqua apertis templi januis irruens, templum tamen ipsum non inijt: & paulatim crescens vsque ad fenestras, quæ proximæ tecto erant, euasit. Qui verò in templo remanserunt, cùm elabi inde non possent, aquam tamen ad januam templi venientes hauriebant, neq; ab eius impetu aliquid noxæ accipiebant. Ea ædes fuit, quæ hodie in ripa Athesis sita Oratorium S. Zenonis vocatur. Templo ipso incolumi, tamen muri vrbis vi aquæ multis in partibus subruti prociderunt. Quin etiam

Niceph. l. 10. cap. 35.

Carol. Sigon. lib. 1. de regn. Ital.

etiam Romæ Tyberis exitu Octobris adeò intumuit, vt ſuper mœnia ſcandens altiores quoque vrbis regiones latè omnes obſederit. Itaque non ſolùm innumerabiles domos ſubuertit, ſed horreis etiam Eccleſiæ deturbatis frumenti numerum ingentem corrupit. Quodque homines nouo ſtupore defixit, magna ſerpentum turba cum ingenti dracone, ſecundo flumine, in mare delapſa, quæ pòſt ſalſis fluctibus hauſta, & ad littus eiecta intuentibus omnibus memorabile ſpectaculum edidit. Quot tunc terræ fructus, quot iumenta & alia animalia, quot veſtes, quot domos, quot theſauros putemus perijſſe? quemadmodum & in alijs ſimilibus pluribus cladibus, de quibus in libro de Mundo & Mundi partibus egi. An fruſtra Deus tales plagas immiſit? Digni erant homines, priuari opibus, quarum abuſu dignis Deum honoribus priuauerunt.

VII. Neque rex tantùm in cauſſa fuit, quo diuinus judex fortè tamquam flagello vſus eſt, ſed ſæpe populus ipſe oppreſſus, à Superis eiuſcemodi pœnas extorſit, ſæpe etiam meruit; neque rarò, vt communi clade plecterentur, omnes à ſummo ad imum peccauerunt. A ſummis incipiamus. Tales enim Iudæorum principes deſcribit Iſaias his verbis: *Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem,* Iſa. 56. 11. quantumcumque edant, bibant, corradant, *ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam,* nec interrogauerunt, quid fas, quid nefas eſſet, ab ouibus exigere: *omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſq; ad nouiſſimum.* Summi vt nouiſſimos degluberent; nouiſſimi vt ſummos deciperent, atq; ita vtrimque fierent rei. Domi belliq́ue, in curijs & caſtris auditur vox illa: *Venite, ſumamus vinam, & impleamur ebrietate: & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multò ampliùs.* Hinc ventres pinguedine & omento loricatos ferre nec validiſſimi equi poſſunt; Sellæ ipſæ, in quibus pergræcantur iſti Bacchi potiùs, quàm Martis alumni, rumpuntur; & plura pocula, quàm tela circumferuntur; plura conuiuia, quàm prælia numerantur; ſplendet argentum in menſis, ferrum rubigine ſordet in vaginis. Hæc vita ſine diuitijs non agitur; diuitiæ non ſufficiunt, niſi militibus decedat, quod ducibus accedit. Eunt igitur milites, & ruſticos deprædantur; duces, vt ſit *ſicut hodie, ſic & cras, & multò ampliùs*, militum ſtipendia interuertunt. Ita non ad præliandum, ſed ad ſpoliandos miſeros animantur. Sic merentur,

Matth. 7. 2. tur, quod alijs faciunt, pati viciſſim, juxta illud: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Hoc eſt, quod per Prophetam mi-
Iſa. 33. 1. natur Dominus: *Væ qui prædaris, nonnè & ipſe prædaberis?* Hoc eſt, quod multi iniuſtè lamentantur, quando omnia plauſtra, & prædæ, quas multis annis comportarunt, in hoſtium manus incidunt, repentè è Cœſis Iri & Codri facti. Neque militiæ duntaxat iſta, ſed etiam domi contingunt; vbi potentes nonnulli ſoli volunt terram poſſidere, quæ egenis gementibus, & pauperibus oppreſſis ſedebit deſolata. Nam idcirco potentes Dominus ſinit vaſtari. Mi-
Michææ 2. 2. chææ teſtimonium audi: *Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum eius: virum & hæreditatem eius. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum: vnde non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peßimum eſt.* Tempus planè peſſimum, quo per mille fraudes agri, horti, ædes, totæ hæreditates inuaduntur, & iura omnia ſeponuntur; nullâ reuerentiâ maiorũ, nullo reſpectu fundatorum; nullo metu Dirarum, quas priuilegiorum à ſe datorum violatoribus proaui, aui, parentes ſunt imprecati. Quorum tanta fuit pietas in deſtinando, tanta liberalitas in largiendo, tanta ſolicitudo in prouidendo, vt eorũ maledictiones & imprecationes meritò exauditæ, in filios ac nepotes adducantur; qui dum auferunt, quod eorum progenitores cœnobijs, templis, ædibus & viris Deo ſacratis, denique ipſi Deo conſecrârunt, digni ſunt, vt & quæ bonis titulis habent, amittant. *Væ qui*
Iſa. 33. 1. Matth. 7. 2. *prædaris, nonnè & ipſe prædaberis? In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Nam illi, qui vobis Deum placare, qui preces, qui ſacrificia pro veſtra incolumitate offerre deberent, oppreſſi, victu, veſtitu, rebus ad vitam neceſſarijs priuati, dum manus ad cælum tendunt, & cauſſam ſuam agunt, vos ſi non verbis, tamen egeſtate ſua accuſant. Fames, ſitis, nuditas, quidquid pro illis clamat, contra vos clamat. Si enim, Domino vetante, in craſtinum ſolliciti eſſe non debetis, cur auaritia veſtra in annos, in ſæcula cumulat theſauros? cur, vt poſteris veſtris bene ſit, malè vos agere vultis? Tantuſné eſt in vobis poſteritatis amor, vt velitis filios veſtros damnatione parentum fieri fortunatos? immò infortunatos?

VIII. Siquidem paupertas ſæpe iuſtiſſima pœna eſt auaritiæ. Qua-

ſi qui

si qui oleo incendium vult extinguere, ita desipit, qui vult, iniustis pecunijs, suam imminuere paupertatem; iustâ enim Dei pœnâ illam augebit, benedictione diuina subtracta. Sed præcipuè amittit etiam sua, qui ad se trahit bona Ecclesiarum, ea enim alijs appositа etiam iustis bonis, id agunt, quod accipitris pennæ appositæ pennis columbarum. Dicuntur siquidem hæ ab illis mirabili vi naturæ consumi. Clarissimo id exemplo ostendit Sanderus, qui refert, Anno Christi 1543. quo argenteus nummus, in Anglia, purgatissimus, ab Henrico VIII. in æreum conuersus est, manifestâ Dei vindictâ, rapinas sacrilegiaq; regis esse punita. Erant in Anglia ingentes monasteriorum thesauri; & vel decima eorum pars auarissimi cuiusque regis mentem explere potuisset, nisi insatiabilis omnino cupiditas fuisset, ac fundo caruisset. Igitur Henricus, *cùm thesauros vbique omnes, cùm cruces argenteas, aureas, omniaq; sacra vasa, cùm altarium ornamenta, cùm omnem supellectilem mille panè monasteriorum, cùm omnia prædia, fundos, fructus, jura & actiones in suam potestatem redegisset; cùm præterea decimas, & annatas omnium beneficiorum, per vniuersam Angliam, exigeret; & adeò, cùm ipsum plumbum, ligna, atq; lapides monasteriorum vbiq; venderet, ex eoq; debuisset in æternum omnia ciuibus suis tributa & vectigalia remisisse (id quod se facturum simulabat, vt ciues eò libentiùs in monasterijs euertendis ipsius libidini assensum præberent) immò cùm debuerit quocumq; Christiani orbis rege argento præsertim & auro ditior extitisse: adeò tamen in contrarium ea res, ex Dei justissima voluntate, cessit, vt multò pauperior intra paucos annos, post expilationem istam, fuerit, quàm vmquam antè aut ipse, aut maiores eius fuerunt. Quin ille solus plura tributa & vectigalia ciuibus suis imposuit, quàm omnes simul reges, per quingentos antè annos, fecerunt. Cùmq; stantibus adhuc monasterijs, vulgò pseudoeuangelici iactitarent, neminem, in Anglia, pauperem* (mendicum) *deinceps fore, si semel claustra sacra dirumperentur, & thesauri, quibus Abbates incubarent, prædiaq; & agri, quibus pauci jam monachi alerentur, in manus plurium deuenirent; adeò nihil eorum reipsa extitit, vt pro singulis, qui antea ostiatim victum quæritabant, nunc viginti ad minimum, non modò idem vitæ genus sequantur, sed etiam, quod miserrimè quæritant, interdum vix inueniant.* Hæc Sanderus,

Nicol. Sanderus de Schismate Anglicano Anno 1543.

IX. Video, quàm periculosa res sit, hîc epimythion addere. Nimis magnus est numerus humana diuinis, terram cælo anteferentium, & non iam, *primùm regnum cælorum quærentium*, sed *rationi Status*, vt vocant, omnia subijcientium. Apudquos, *virtus post aurum*, Ecclesia post marsupium sequitur; apud illos religio Reipublicæ, & quæ Dei sunt, Cæsaris, non quæ Cæsaris, Deo debent seruire. Nimirum atheorum hæc sunt principia, & eorum fundamenta, qui omnia pecuniæ causſa faciunt, & existimant, religionem, ad terrores duntaxat populi, esse excogitatam. Cùm ergo religionem & res Ecclesiæ nihili faciant, magisque temporalia bona ament, quàm æterna; facilè res Deo dicaras suis vtilitatibus accommodant, atq; honestatē omnē postponunt commoditati. Nemo ex his est, qui non *addit super peccata sua blasphemiam*, vt in Iobo dicitur, & prætextum inuenit, quasi Ecclesiastica libertas commodis sæcularium, & non potiùs hæc seruire debeant Ecclesiasticæ libertati. Contra hanc vtilitatem tam noxiam quisquis, vel in curia consulit; vel in concione differit, vel in libris scribit, dicitur seditionem excitare. Vsque adeò impietas inualuit, vt etiam publica illius patrocinia suscipiantur, & pœnam timere debeat, qui eam impugnat. Sed nondum eò progressi sunt Principes Catholici, quibus mens est generosa, & Deus charior, quàm nummus, vt pecuniam conscientiæ posthabeant. Illis ergo exemplum Henrici regis fidentissimè potest inculcari, qui tota ad sese trahunt Christi patrimonia; qui nullum inter sacra & profana faciunt discrimen; immo à Dei seruis, plura exigunt, quàm à sæcularibus; eosque sinunt famere, cùm ipsi quotidie ad vomitum vsque epulentur; nec antè desistunt, quàm eos migrare ac solum vertere compellant. His, inquam, exemplum regis Henrici sæpius est recensendum, vt intelligant, non modò viam ad pecunias non esse, per spolia Ecclesiarum; verùm etiam opes certiùs non amitti, quàm si de patrimonio Christi, per varias artes ac prætextus, accumulentur. Nos Deo, non Deum nobis seruire oportet. Quare neque, vt nostræ fortunæ & thesauri augeantur, minuenda sunt, quæ maiores ad animæ suæ emolumentum, Deo donauerunt. Illi dando Ecclesijs semper locupletiores effecti sunt, hic modus est perueniendi ad diuitias. Qui autem Ecclesias, qui monasteria,

Matth. 6. 33.

Matth. 22. 21.

Iob. 34. 37.

nasteria, qui ædes sacras spoliauerunt; neque spolia retinuerunt, & insuper etiam, quæ antè habebant, perdiderunt. Quia, vt in prouerbijs est, *Peccatores persequitur malum; & iustis retribuentur bona. Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris.* Prou. 13. 21.

X.

Atque vt ad nostros mores veterum exempla comparemus, nonnè quod olim statum Imperij, in occidente, per barbaros euertit, id ipsum quoque nostra ætate fieri audimus, videmus, experimur? Non igitur mirandum est, si pœnas similes infligi videamus, vbi paria sunt delicta, Vbi peccata peccatis æquantur, debent etiam clades cladibus æquiparari. Quid enim iustus iudex & mundi Rector agat, si summam in tribunis & centurionibus videat cupiditatem, quam meritò summam esse ostendit summa crudelitas? Quemadmodum enim militum auaritiam prodit rapacitas, quæ sine misericordia obuios quosque in via spoliat, domi expilat; ita & milites militum prætores, fame emori sinunt, si vel commeatum, vel stipendia negant, & eos tamen excubare, vigilare, vitam & sanguinem exponere cogunt. An Deus impunè sinat ire tot nomina exactionum, contributionum, & familiarum, & familiarium? morionum, ludionum, lenonum, & meretricum? tot stabula equorum, asinorum, canum? vt ad venandum, non bellandum exisse putes. Abominatur hæc Dominus, & omnes participes, omnes conscios iustissimè sinit diuitijs excidere, quæ rarò transeunt ad tertium hæredem. Quid quòd multi nobiles, multi præfecti, multi in alijs officijs positi duri sunt & contumelioси in suos subditos, quos tondere, quàm regere malunt. Hinc & illos hostis omnibus fortunis exuit, non rarò etiam vitâ. Quin & Deus plures ex improuiso aufert. Hinc cùm maximè opes intuto putant, cùm dicunt animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*, tolluntur, rapinis suis non fruuntur; & ad supplicia luenda rapiuntur. Quid quòd neque ciues, neque opifices, neque coloni semper opibus suis digni sunt, quas per artes malas, per fraudes, per mendacia, per furta, acquisiuerunt? Nonnè iustus est Deus, si malè parta malè perdat? si hostibus suis hostes immittat? si ignes accendat & incendia suscitet? si aquas congreget & diluuia explicet? si Luc. 12. 19.

procellas multiplicet & naufragia procuret? Si muscas, si erucas, si locustas producat & omnia vastet? deniq; si grandine fata læta boumq; labores percutiat? hostes suos in his omnibus percutit; auaritiam plectit, docetq;, beatam vitam, in auro & argento non reponendam. Deniq; qui sæpe immiti cahinno mendicos irriserunt, aut à se vacuos dimiserunt, iustissimâ Numinis sententiâ incidunt in paupertatem, vt & risum ac sarcasmum experiantur, iuxta illud: *Iacebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorum.* Prou. 14. 19.

XI. Hæc cùm ita sint, neque habent caussam vt diuitias appetant, qui non habent; neque vt defleant, qui amiserunt. Dei enim nutu & acquiruntur, & amittuntur. Itaque *omnia ista nobis accedant, non hæreant: vt si auferantur, sine vlla nostri laceratione discedant. Vtamur illis, non gloriemur, & vtamur parcè tamquam depositis apud nos;* quæ si repetantur, sine dolore dimittamus. Non enim malis tantùm bona hæc auferuntur, aut dantur; sed etiam bonis. Vnde & supplicium aliquando, & beneficium est, amittere; sicut pœna vel præmium, adipisci. Nemo igitur, si spoliatur, iudicari debet, quasi meruisset spoliari. *Alia sunt dona quæ dat Deus & inimicis suis*, ait D. Augustinus, *alia quæ non seruat nisi amicis suis. Quæ sunt dona, quæ dat inimicis suis? Ea quæ numeraui. Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessarijs; aut soli boni vel salui facti sunt, vel ab ægritudine conualescunt, aut soli boni filios habent, soli boni pecuniã, soli boni cetera apta huic vitæ temporali atque transeunti. Habent hæc & mali, & aliquando desunt bonis, sed desunt & malis, & plerumq; istis magis quàm illis, aliquando illis potiùs abundant. Permixta ista temporalia Deus esse voluit, quia si bonis solis ea daret, putarent & mali propter hæc colendum Deum. Rursus si ea solis malis daret, timerent boni infirmi conuerti, ne ista illis forte deessent. Est enim adhuc anima infirma minùs capax regni Dei, nutrire illam debet Deus agricola noster.* Et paulò pòst. *Propterea dilectissimi, vt dicere cœperam, si solis bonis darentur ista, omnes propter hæc accipienda vellent conuerti ad Deum. Rursus si solis malis darentur, timerent infirmi, ne cùm conuerterentur, amitterent, quod soli mali haberent. Permixtè data sunt, bonis & malis. Rursus si solis auferrentur, idem ille timor esset infirmorum, nec conuerterentur ad Deum. Rursus si solis malis auferentur, ipsa sola pœna putaretur qua mali plectuntur. Quòd ergo dat ea* Senec. ep. 81. S. Augustin. in Psal. 66.

bonis

bonis, consolatur itinerantes: quòd dat ea & malis, admonet bonos, vt alia desiderent, quæ non habent cum malis communia. Rursus bonis aufert ea quando vult, vt interrogent se de suis viribus: & inueniant se qui fortè latebant se, vtrum iam possint dicere; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum esse, sit nomen domini benedictum. &c. Quemadmodum igitur qui diuitias amisit, existimare debet, eas in manu Dei fuisse, qui dum subtraxit data, non subtraxit datorem, sed vel ea subtraxit, quæ ipse calcabat, vel quæ præposterè adorabat; ita quisquis videt alterum ad inopiam redactum, non illicò iudicare debet, id eum suis peccatis meruisse. Spoliatus est & Iob: num meruit spoliari? Nequaquam, sed spoliatus est, vt virtutibus ditior fieret. Ita & de alio, & nisi tibi malè conscius es, etiam de te ipso cogita. *Arca exinanita est auro, cor plenum est fide. Foris pauper es, sed intus dives es. Diuitias tecum portas, quas non amitteres, etiamsi de naufragio nudus exires.* S. Augus. loc. cit.

CAPVT VII.

Ipsa Vitia diuitijs pariter, & diuitibus obesse: ac proinde vel hinc opes, tamquam spinas & laqueos, habendas, immò abijciendas esse.

INterim verum est, auaritiam auaritiæ obstare; vsque adeò non modò reliqua illi vitia aduersantur, verùm etiam ipsa se ipsam affligit, dum meretur mœsta perdere, quod iniquè corrasit. Vt autem plures habeat tortores, omnia ferè etiam reliqua vitia illam impetunt; immò acuunt, vt in acerbiorem illius cruciatum diuitias destruant. Superbia, vt habeat, vnde se iactet, vnde pretiosè vestiatur, vnde dapsiliter epuletur, vnde habitet magnificè, vnde parasitorum & adulatorum turbas alat, vnde totas pompis aulas impleat, auara est. Hac ancilla vtitur, hanc vt filiam adhibet pecuniarum collectricem; immò, ne quidquam monstro desit, hanc colit vt genitricem. Faciunt enim diuitiæ, sine moderatione amatæ & coaceruatæ, superbos; & à superbis, per vices nunc cumulantur, nunc dissipantur. Hæc in vitijs rota est: vt se vicissim generant, ita vicissim quoq; eneruant. Quidam auari sunt, vt possint superbire; & rursus omnia dispergunt,

gunt, vt superbiant. Neque enim magnifici illi sumtus fiunt, sine profusione pecuniarum. Vnde tam grauis est inter hanc matrem & filiam pugna. Superbia dicit, Eme tibi titulos, eme honorem, eme nobilitatem; Auaritia reclamat, & ait, Tantam pro vno nomine Nobilis, Baronis, Comitis pecuniam expendes? dabis trecentos, dabis quingentos, dabis ter aut quatuor mille Philippæos, vt tantillum ceræ & chartæ Pergamenæ recipias? Apud quosdam vincit Auaritia, apud alios Superbia dominatur. Hæc ait, Instrue conuiuium; inuitandus est hic, & ille, & ille, qui scire debent, quantum possis: At illa respondet, Cras, finitis epulis, quid habebis? veniet lanio, aderit caupo, pulsabit ostium qui aues, qui pisces, qui obsonia volet solui. Superbia non vult tolerare vestes attritas, mittit, qui sericum afferat, qui purpuram venalem inquirat. Auaritia ait: Etiam centones arcent frigus; adhuc vno anno tunica facilè durabit; melius est, non profiteri vestibus pretiosis diuitias; præstat marsupium, quàm pallium auro fulgere. Et mille talia. Quantum feminæ pecuniarum perdant in mundo muliebri, in libro de Monstris ostendi; quantum impendant filij ac filiæ in superbiam, experiuntur miseri parentes. Vno verbo, quidquid reclamet Auaritia, Superbia vult esse sumtuosa; & superbus

Claud. lib. 1. in Ruffin.

Illecebris capitur, nimiumq; elatus auaro
Pascitur intuitu.

II. Trahit plerumque Superbia secum comitem prodigalitatem: prodigalitas autem diuitijs est inprimis inimica. Iuuenes prodigi, senes auari: illi quia nondum sciunt, quid pecuniæ prosint, nisi plena manu profundantur: isti, quia semper metuunt, ne desit, quo viuant. Demadem Athenienſem non admodum senem fuisse iudices, quia admodum prodigus fuit. Nam pecunias amplissimas facilè effudit, mirificamq; pecuniæ vim in res turpes contulit. Lege enim Athenienſium cautum cùm esset, ne quis peregrinus ludis publicis in theatro saltaret, mille drachmarum mulcta indicta ei, qui ludos ederet: Demades ludis suis centum peregrinos, qui saltarent, mercede conductos in theatrum induxit, centies mille drachmis solutis. Fuit qui in meretrices totos modios pecuniarũ expenderet; Alexandrina Thais totam iuuentutem Atticam, & cũ ea immensas ad se opes attraxit, Neque enim cum Demosthene dixerunt:

Pontan. c. 3. de Magnificentia.

rerunt: *Non emo pœnitere tanti.* In leones, in elephantos, in spectacula & theatra, quantum argenti expensum est olim? Marineus, dum Granatæ vrbis in Hispania agrum à fertilitate laudat, testatur eum ex arborum folijs, è quibus fit sericum, singulis annis, vectigal aureorum millium ferè triginta quinque regibus pendere, præter multas serici libras. Hæc nisi emptores prodigos haberent, non venderentur. Sed vestibus maior est excusatio. Vidi, qui multas pecunias daret ijs, qui sibi ab eo barbam prolixiùs pẽdentem curtari, aut capillos Absolonios tondere paterentur. L. Neratius, cùm, authore Gellio, pro delectamento haberet, os hominis liberi manus suæ palmâ verberare; seruum comitem trahebat, crumenam plenam assium portitantem. Et quemcumq; depalmauerat, numerari statim, secundùm duodecim Tabulas, XXV. asses eidem iubebat. Explicari non potest, quantum in minutissimos lapillos, dummodo pulchrè luceant, expendatur, tametsi neque pro sanitate, neque pro re alia seruiant. Nonnè præstat non habere pecuniam, quàm habere & perdere in tales vsus? ideóne sudatur, vt habeatur, quod sic expendi possit?

Marin. lib. 22. rer. Hispan.

Manil. lib. 5. Astron.

Censibus æquantur conchæ.

Sunt & alia vitia Charybdes nummorum. Ira quid non amisit sæuiens in suum damnum? quas non opes & vrbes euertit furor? Pigritia quid non neglexit? *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, vt dormias: & veniet tibi, quasi viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus,* vltro obuiam ibit, & instar militis, immò hostis, te spoliabit, ait Salomon. Ac rursus: *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergò æstate, & non dabitur illi.* Et quid daretur illi, qui ait: *Fodere non valeo, mendicare erubesco?* Quanta pretia homines per guttur transmittant, quot thesauros venter hauriat, quis computabit? Multi, quidquid tota hebdomade lucrati sunt, die Dominica, ad cauponem ferunt; saturantur vno die, vt fameant & sitiant tota hebdomade. Quamquam aliquos auaritiæ tyrannis perpetuâ inediâ cruciet. Nam juxta vetus prouerbium, quod Pollux citat:

III.

Prouerb. 6. 10.

Prou. 20. 4.

Luc. 16. 3.

Difficilis emptor haud bona emit obsonia.

Pollux lib. 6. de rerum vocab.

Numquam enim audent satis emere, quare neque vmquam satis possunt comedere. Fuit in vicinia hac nostra, qui, cùm mensæ ac-

cumberet, tres crucigeros extraxit è crumena, eosque sub hydria posuit, pro cereuisia emenda. Sed antè, quàm emeret, aquam exiguis haustibus bibit. Aqua quia sapuit, cereuisiam non emit. Finito prandio, aut cœna, monetam in marsupium reponens dicere solebat: *En meos tres cruciferos retinui, Et tamen satis bibi.* Ita Genium suum defraudauit, immò auaritiam suam ipse plexit.

Horat. lib. 1. Sat. 1.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina. quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis vndique saccis
Indormis inhians, & tamquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Nescis quid valeat nummus, quem prabeat vsum.
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde
Queis humana sibi doleat natura negatis.

Eccl. 14. 3. Sacrum oraculum est: *Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum? Qui acernat ex animo suo iniustè, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis.* Ethnicum audiamus.

Immunifico scis quid cantari solet: Quod habes, ne habeas.
Et illud: Quod nunc non habes, habeas malum, quandoquidem
Nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.

Cùm interea frugalitate contento bene sit, & ita bene, vt Ioue hospite dignus judicetur. Quales fuêre Philemon, & rustica illa Baucis, qui paupertatem ferendo leuem effecêre.

Horat. lib. 1. ep. 12. ad Iccium.

Si rectè frueris, non est, vt copia maior
Ab Ioue donari possit tibi; tolle querelas:
Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusq; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.
Si fortè in medio positorum abstemius herbis
Viuis & vrtica: sic viues protinus, vt te
Confestim liquidus fortunæ riuus inauret,
Vel quia naturam mutare pecunia nescit,
Vel quia cuncta putas vnâ virtute minora.

IV. At, ne inuidia fortasse hîc nihil negotij gerere videatur, audite, obsecro, inuidam auaritiam, aut auaram inuidiam. Refert

idoneus

idoneus author Ioannes Nider, à fide dignis hominibus se intellexisse, suoque tempore, Constantiæ accidisse, vt quidam collectis multis nummis argenteis, ijsque partim seruandis, partim dissimulandis, rogaret, in commune valetudinarium admitti, atque inter pauperes ali. Impetrauit. ibi, velut Tantalus inter aquas, maluit carere delitijs, quàm diuitijs. Itaque, ne suos nummos cogeretur expendere, pulmentis atque olusculis victitauit, magis nummorum suorum aspectu, quàm ciborum vsu pastus. Postquam satis diu hanc miseram vitam vixit, tandem morbo afflictus, mortem sensit in foribus esse, dolensque sibi adhuc pecuniam supereſſe, qua neque ipse vsus erat, neqe alios gaudere volebat, mirabile consilium cepit. Siquidem *de farina auena sibi pulmentum impatientissimè clamabat præparandum. Quod cùm factum esset, sedit ægrotus solus, more solito, in lecto, & loco micarum panis minutatim spargere cœpit denarios, quos occultauerat, in pulmentum auenaceum*, quasi panem intereret. Quis non diceret, auri atque argenti *sacram esse famem*? Ne alijs, quod comparsum erat, relinqueretur, ipse deuorauit, sed non sine diuina Nemesi. Nam vbi, arrepto cochleari, auidissimè argenteam offam cœpit ori inferre, illicò suffocatus est; vt eâdem operâ & peccatum, & pœna peccati iungerentur. Quamquam, vt malum multiplicaretur, etiam amentia cum stultitia iuncta fuit. I, auare, *Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.* Condas licet, relinquendum est: deuores licet, relinquendum est, & fortè *hac nocte animam tuam repetunt à te.* Nonnè meritò Dominus talem *stultum* appellauit?

Ioan. Nider lib. 3. cap. 5. Formicarij.

Martial. l. 8.

Luc. 12. 10.

V.

Nemo sæpiùs scilicet veriusque ludit Heautontimorumenon, quàm auarus; qui & in aliorum exitium viuit, & in suum. Quod plus quàm Tragico exemplo docet Antonius Balinghem. E Martia Polonorum gente non nemo fuit, patria Pultouiensis, cui vita militaris placuit. Castra igitur secutus, complures annos, à domo paterna abfuit, seu prædis, seu stipendijs insigniter ditatus. Tandem Sagum togâ mutare, ac postliminio domum redire statuit, vt acquisita exoneraret, suasque opes cum parentibus communes faceret. Sed quia diuturni temporis absentia magnam in vultu habituque mutationem induxerat, neque noscebat suos redux, neque noscebatur. Iam in conspectu vrbis patriæ erat, cùm obuiam

Anton. Balinghem in Zoopæd. tit. Hospitalitas.

obuiam habuit mulierem ignotam, ex negotio in rus egressam, quam, data acceptaque salute, interrogauit: An tales, & tales (& nominauit suos parentes descripsitque) adhuc in viuis essent, si fortè eos nouisset? Respondit mulier; Et Noui, quia illorum sum filia, & superstites sunt, rectèque valent. Ad quod verbum lætitia plenus miles: Quod benè vertat, ait, Et ego illorum sum filius, ac proinde tuus frater. Cùm in ambiguo staret illa, & intonsum illum quasi dubitans curiosiore aspectu consideraret, miles ex equo desiliens, renudato paulisper brachio, En, inquit, vt me fratrem tuum esse credas, signum mihi à natura & matre impressum, domesticisq; dudum familiare. Agnito signo, soror præ gaudio exilit, fratrique, ambabus manibus in collum iectis, faustum reditū gratulatur; quem multis quæstionibus fatigatum, & longo sermone detentum, tandem bonis auibus porrò pergere jubet ad parentes, qui illum nihilo magis essent agnituri; dum, peracto ipsa foris negotio, postera luce, eo esset, sicut maiore, ita & jucundiore otio fruitura. Ita in diuersum viam prosequuntur, illa ad pagum, ille ad vrbem. Vti prædixerat soror, ita euenit. Nam vbi domum redijt miles, neque à patre fuit, neque à matre agnitus. Hospitium nihilominus petijt; neque negatum est, quamuis peregrino, erat quippe hospitium publicum. Et libuit militi, ad augendum crastinum gaudium, sub peregrini nomine latere. Iubet tamen parari cœnam lautiorem, ad quam vtrumque parentem inuitat. Edunt splendidè, bibunt largiter, viuunt jucundè, dum filius lætatur se esse apud genitores, & genitores nesciunt à quo hospite tam lautè liberaliterque tractentur. Ibat jam comessatio in seram noctem, & militis itinere vinoque fatigati oculi conniuebant in somnum. Remouetur mensa, surgitur, secundùm cœnam, antè, quàm miles in lectum se proijcit, sarcinulam profert, quam admodum grauem, ignotus adhuc parentibus diligenter asseruandam tradit, existimans tandem spolium suum in bonas manus veniisse custodiendum. Ita securè cubitum concedit. Hucusque omnia læta. Nunc de socco ad cothurnum transit narratio, & ostendit, quàm verum sit illud S. Cypriani dictum: *Vsque ad mortem domini amor lucri se ingerit.* Filio alrùm dormiente, primas egit curiositas. Nam sarcinulam è pondere æstimantes aperiunt seorsim

sim parentes, visuri, quantum ea auri, quantum argenti contineret. Reperiunt aurum esse, quidquid intus est. Heu quàm facilè vitium vnum alteri viam aperit! Præit curiositas; comitatur cupiditas; sequitur crudelitas. Vident auri summam esse grandem, atque auaritia cæci, non vident suam futuram, nisi impotenter appetijssent. Vt itaq; depositum non repeteretur, hospitem necare statuunt, cum quo paulò priùs hilariter erant epulati. Multa hîc sese offerunt consideranda. Nam & pecuniarum amatores hîc discere possunt, quid ament, & an non verum sit, quod vulgò dicitur, *Hostem secum ferre, qui pecuniam secum ferant.* Deinde quale bonum sit, quod plus secum detrimenti affert, quàm lucri. Tum quàm fluxum sit bonum, quod multis annis, & magnis curis acquisitum, vna nocte perditur. Denique quàm suspectum debeat esse bonum, cum quo sæpe vita, sæpe etiam ipsa anima amittitur. Certè huius boni possessores quos insidiatores non alliciant, si paternas manus armant in cædem filiorum? Dormiebat iam somnum suum filius diuitiarum, cùm in exitium eius consultarunt progenitores. Mulier viro audacior; & imbecillior sexus fortior in impij facinoris crudelitatem, cultro manum armat, & intrepida mater intrat in cubile, filiumq; iam diu numquam suauiùs sopitum, parricidali ferro contrucidat. I nunc miles, hoste tot annis superior; hæc militiæ tuæ coronis est, isti spoliorum tuorum sunt triumphi, muliebri, immo materna tandem dextera cecidisti. Vitam inter tot enses inq; tot prælijs seruatam aurum prodidit. Adhuc vineres, si ex bello nihil attulisses; tantò securior, quantò pauperior. Nunc pecuniam non sine sanguine partam, non sine sanguine atque vita amisisti. Corpus adhuc in sanguine suo palpitans de lecto detrahitur, effossaque humo clam sepelitur, ab ijsdem mundo sublatum, qui id mundo viuum dederunt. Triumpha Plute, triumpha Pluto, ob aurum, hominem obtruncarunt ijdem, qui genuerunt. Quamquam hominem sibi incognitum adhuc, vt, postquam cognoscerent, acerbiùs lamentarentur. His enim in hunc modum perpetratis, nocte omnia tegente, quàm primùm sol diem reuexit, criminis quoq; detecta est magnitudo. Vix enim lucem claram expectare potuit absens soror, eùm, adhuc rubente cælo, ad vrbem aduolauit, fratris alloquendi desiderio tota

flagrans. Pulsat ianuam, aperitur. Prima vox fuit, *Et vbinam est frater?* Mirantur genitores quæstionis nouitatem. Instat illa: negant illi, nescij, quid sibi puella velit. Rogat denuò filia, *vbi frater?* neq; enim rem sibi iam notam certamq; vel negandam, vel vltro, per iocum dissimulandam. Aiunt illam deliria loqui, nihil enim sibi de fratre constare. Enimuerò, ait, fratrem meum adesse scio, qui mihi heri, tali hora, tali loco, tali habitu oris & vestis, tali denique statura, in campis obuiam factus est. Fateor, multùm mutatus ab illo, qui à nobis discessit, nec mihi quidem ampliùs agnoscendus, nisi sese natalitio brachij signo ostenso prodidisset, dixissetque rectà ad parentes diuersurum. Dixisses fulmine cælesti percussos, ita ad hunc filiæ sermonem expalluerunt obstupueruntq; miserandi parentes. Facti enim conscientiâ exhorrescentes capillos de capite euulserunt, sibiq; ipsis, ob immane parricidium, intolerabiles visi, inconsolabilibus lamentis, domum, vrbem, cælum impleuerunt, optantes nullum vmquàm aurum, in mundo extitisse. Et quamuis iudicis pœnam meruissent, ipsi tamen intemperijs agitati, carnificem præuenerunt, vindicesque manus in se conuerterunt. Tota itaque ea die pater, in tristitia, inedia, ac desperatione transacta, nocte proxima, vrbem solus absque arbitro egressus, è publico se ciuitatis patibulo suspendit, vt è sublimi loco altiùs ad Tartara descenderet; mater autem eodem, quo pridie filij fauces iugulauerat, cultro etiam suum guttur dissecuit; filiâ, inter tria cadauera, aurum, cupiditatem, & diuitias detestante. Ac ne historia hæc vim vetustate perdat, contigit ea nostro sæculo, anno scilicet 1618. die 15. Maij. In qua Mundus videt auri vim, qua non solùm, spe adeundæ hæreditatis, filij rapiuntur ad necandos parentes, sed ipsi quoque parentes præcipitantur, vt natos suos è viuis auferant, quibus vitam dederunt. O mater crudelis, & sæuior Medeâ! ô noua Progne, quæ, Deo vindicante, Ityn ipsa suum concîdit! & prolem, quam vtero texerat, nunc ingesta terra occultauit, ignara quid faceret. Adeò cæcos & amentes facit aurum; adeò sæuit, adeò furit.

Ouid. lib. 6. Metam.

VI. S. Chrysost. tom. 5. homil. Cum Sartoriana.

Diuinè Chrysostomus ait: *Fugitiuæ diuitiæ sunt, ab hoc in illum transeuntes, atq; vtinam transissent solùm, non etiam occidissent: nam præterquam quòd deserunt, etiam gladio tradunt, & in barathrum pertrahunt.*

trahunt; eò quòd sunt periculosæ proditrices; & cum his potissimùm bellum gerunt, à quibus amantur; ingratæ sunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles, implacabiles, bestiæ incurabiles, præcipitium vndequaque præruptum, scopulis assiduis plenæ, & fluctibus; & mare innumeris ventis agitatum; tyranni acerbè imperantes, domina quouis barbaro sæuiores, inimica irreconciliabiles, hostes implacabiles, & quæ numquam erga eos, à quibus possidentur, remittunt simultatem. At non ita paupertas, quæ quidem est tutum asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, delitiæ periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, Philosophiæ parens, frenum intemperantiæ, supplicij sublatio, radix modestiæ. Quare igitur hanc fugientes, illas amatis? illas hostes, illas homicidas bestiâ quamuis sæuiores?

VII.

Quæ cùm ita sint, num Christus nimium dixit, quando diuitias spinis comparauit? Spinæ sepiunt rosas, & pungunt eos, qui florem volunt carpere. Collige aurum, & senties aculeum. Inter spinas & vepres, viperæ, colubri, bufones nidulantur, & omnis generis animalia venenata: inter diuitias ô quæ non sunt venena, quæ non crimina? quæ fraudes, quæ furta, quæ insidiæ? quæ cædes, quæ spoliationes? E spinis rident rosæ, nitent lilia, quæ nisi summâ cautelâ non leguntur; aculei enim vndique, velut hastæ porriguntur, adhærent vestibus, & si non lædunt manum, saltem metu terrent: è diuitijs multa commoda percipi possunt, sed magna opus est attentione, incredibili vigilantia; certè neque curæ desunt, neque solicitudines, vbicumque sunt diuitiæ. Quod in parabola diuitis, qui plurimum fructum collegit, à Christo Domino est manifestatum. Ille enim, cùm interdiu magno labore multa congregasset, noctu somni & quietis expers, secum tacitus dicebat: *Quid faciam?* Anxij vtique verba hæc sunt. Opes illum dormire non sinebant. Et quid mirum? Si enim diuitiæ spinæ sunt, quis super spinas dormire potest? Nimirum vel idcirco Deus opes spinis cingit, vt sentiat earum amator, quid ambiat; &, agnitâ benigni monitoris manu, dicat: *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Et quamuis nonnulli diuites diu non sentiant aculeum diuitiarum; tamen illæ, quemadmodum spinæ, in fine desinunt in cuspidem, qua

Luc. 8. 14.

Luc. 12. 17.

Psal. 31. 4.

qua vulnerant. Multi enim, dum viuunt, voluptatibus sopiuntur, ast in fine vitæ, cùm moriendum est, atque in judicio Numinis aculeum persentiscunt. Tunc *enim extrema gaudij luctus occupat.* Quod, ne fiat, monet Psalmista: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Quibusdam enim, tamquam ex Amaltheæ cornucopia, toti diuitiarũ torrentes affluunt, à quibus si se rapi sinunt, deorsum labuntur & rapiuntur ad Phlegethontem. Niti ergo debent contra torrentem, vt sursum ferantur, & cor in altum erigant, neque absorberi à cupiditate sinant spinis implicatum. Quisquis autem aurum judicat esse thesaurum, cor apponit, quia, teste Christo, *vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quod S. Antoninus docet illo auari exemplo, qui morti propinquus, morbo sese intendente, iussus est, conscientiam excutere, & rationem inire scelerum expiandorum. Sed surdo canebatur. Instabant amici, vrgebat sacerdos: ille autem negabat, id sibi integrum esse; eò quòd cor sibi præsens non esset, sed illud auulsum è pectore, inter aureos in cista nummos attineretur. Dixit, & vixit. Vt dicti fides constaret, reseratâ cistâ, miserum cor, mille curis, tamquam spinis, confossum, in medio fulgentium nummorum repertum est. Quo prodigio, quid aliud dicere voluit benignus hominum pater, quàm, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere?* si arrideant, nolite totis manibus inuolare, sed eas non secus ac spinas tractate. Spinas enim, si quando portandæ sunt, aut attingendæ, trepidis & cautis, non pressis manibus tangimus, libenterque dimittimus. Sic & diuitiæ non sine metu sunt apprehendendæ, & explicatis manibus à nobis dimittendæ, quando vel merces, vel eleemosyna danda, vel liberalitas, vel patientia in earum amissione exercenda. Quisquis eis cor apponit, adhamatur: quisquis illas pressis manibus retinet, sauciatur. Faciliusque est spinas induere, quàm euellere.

Prou. 14. 13.

Psal. 61. 11.

Matth. 6. 21.

S. Antonin. in summa. 2. p. tit. 1. c. 4. §. 6.

Psal. 61. 11.

VIII. Nec spinis tantùm diuitiæ, sed etiam laqueis comparantur, quibus Stygij animarum venatores humanum genus solent irretire, teste S. Bernardo in illud Psalmi: *Ipse liberauit me de laqueo venantium.* Horum autem venatorum laquei sunt tentationes atq; peccata. In quos laqueos incidunt, qui diuitias sitiunt. Quid enim mali non faciunt, vt bona caduca adipiscantur, vt amissa recuperent, vel vendicent? Hoc est, quod Apostolus commonuit:

S. Bernard. in Psal. 90. hom. 3.

Qui

Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. 1. Tim. 6. 9.
Inter omnia metalla auro nullum est nobilius, sed nullum quoque grauius; quo ipso pondere auri Conditor voluit hominibus indicare, quantum sit in eo onus, quantum corporis & mentis impedimentum, ad cælum euolare cupientis. Qua de caussa etiam Poëta ait:

Diuitias fugito, pondus graue celsa petenti:
Impediunt animum, nec bene velle sinunt.

Parum refert, aureis, an ferreis compedibus ligeris. Absalom pulcherrimos nutriebat capillos, adeò vt nonnulli scribant, illos in ornamentum à mulieribus emtos. Illi tamen ipsi pulchri capilli in laqueum ei fuerunt, quo suspenderetur. Quin & in onus: indicat enim diuina pagina, cæsariem eum grauasse, eaq; propter tõdebatur, *& quando tondebat capillum*, ait (*semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries*) *ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico*. id est, ducentis vncijs. Tales sunt diuitiæ, & onerant, & ligant, atque idcirco pili faciendæ, & tondendæ. Quocirca rectè monet Chrysostomus: *Superflua quæq; amputa, & fac pauperibus supplementum. Nam si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiore sentiet impedimenta; & vestimentum induens corporis staturam excedens eodem implicabitur modo. Quòd si superfluum vbiq; inutile est, in pecunia fortiùs multò: & qui supra quod satis est, habent, non modò in ipsa sufficientia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur. Nam qui deforis in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta; viam verò in cælum ferentem, & eamdem arctam, & arduam tot cum impedimentis, quo modo poteris ambulare? Veloci enim & expedito cuiquam panè impossibile est consequi salutem.* 2. Reg. 14. 26. S. Chrysost. hom. 7. de pœnit.

Quam vt nonnulli consequantur, singulari beneficio Deus ab eis opes, tamquam onera & laqueos, aufert, vt ostendat, non solùm malè parta, malè dilabi; sed etiam vtiliter amitti, quod acquisitum est flagitiosè. In quam rem D. Gregorius Turonensis hanc historiam memorat. *Quidam apud Lugdunensem vrbem vix ita laborans, vt vnum trientem posset habere, accensus auri execrabilis sacra fame, voluit per eam sæculi ora replere, in tantum illum Prudentij nostri versiculum:* S. Greg. Turon. de glor. Confess. c. 109.

IX.

Auri namq; fames parto conquiritur auro.

Igitur de hoc triente vinum comparat, admixtisq; aquis, iterum per argenteos venumdans duplat pecuniam. Hoc iterum atque iterum agit, & tam diu turpis lucri sectator est factus, vsquequo centum solidos de hoc triente lucraretur. Sed judicium Dei confutauit lucra diaboli. Congerens enim auarus negotiator aurum in sacculum, possessurus pecuniam, vnius horæ momento, alterius negotiatoris nundinas adit. Extractoq; triente, quasi aliquid negotiaturus, colloqui cum socio cœpit. Erat autem sacculus ex pelle Phœnicea, sicut his manu gestare mos est: & ecce subitò adueniens miluus rapit eum pedibus atq; discerpere tentat, putans à colore partem aliquam carnis esse. Sed cùm nihil pinguedinis sentiret in eo, euolans super alueum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miscuerat, laxatum sacculũ deijcit in flumen. At ille, apprehensis capillis, elidens se ad terram, spargensq; puluerem super caput aiebat: Væ mihi, qui judicio Dei oppressus perdidi pecuniam, quæ iniquè fuerat aggregata. Nam ex vno triente centum erexi solidos. Nunc perditis centum solidis, vnus tantùm mihi remansit triens. Væ mihi, sicut feci, sic recepi: & qui nihilo eos habui, ad nihilum redijsse conspicio. Talis pecunia, diabole, tua est, per tale lucrum deduxisti Deo inobedientes in Tartarum. Tale enim commercium & in præsenti damni notam ingerit, & in futuro diuersarum pœnarum genera parit. Vides lector, 1. quò ducat lucri cupiditas? 2. quas fraudes comminiscatur? 3. quas artes doceat cauponantem? 4. Quàm citò malè parta, malè dilabantur? 5. Sed & quanta benignitate Deus iniusta lucra auferat? iustum trientem solùm relinquat? 6. Quàm vtile sit iudicia Dei agnoscere, atque æquo animo ferre? 7. Denique infamiæ notam, & Tartari pœnam, quæ sequitur eos, qui malis artibus volunt diuites fieri: illi enim *incidunt in tentationem, & laqueum diaboli,* qui irretitos trahit in exitium sempiternum.

1. Tim. 6. 9.

CAPVT VIII.

Quanta multis diuitiæ sint occasio æternæ damnationis?

1. EA est improborum cæcitas & peruersitas, vt vitia non æstiment, quorum tamen vel sola nos deterrere deberet turpitudo. Apposuit ergo Deus vitijs supplicia, quorum metu non solùm vitia vitaremus, sed etiam periculis vitiorum libenter ca-

ter careremus, atque beneficij loco acciperemus, si ipse laqueos nobis subduceret, nosque vel bello, vel quocumque casu, spoliatos vellet carere ijs rebus, quibus habitis perditum iremus. Tales res diuitias esse, satis commonstrauimus huc vsque, in ipsis vitijs, quæ vel sunt proles, vel matres pecuniarum. Sed id ipsum nunc videamus clariùs in testimonijs exemplisq;. Neque enim sine caussa. Redemtor noster dixit: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.* Si quis pater filio diceret, nisi nuces reliqueris, & crepundia abieceris, difficilè regnum Poloniæ, Galliæ, Hispaniæ consequeris; quàm vecors puer esset, qui nuces nollet deserere, aut crepundia magis, quàm regnum adamaret? At Christus amantissimus nostri pater ait: *Diues difficilè intrabit in regnum cælorum,* & tam multi adhuc sunt, qui diuitijs adhærent, neque formidant hanc difficultatem regni non terreni, & fortè cras amittendi, sed cælestis atque æterni obtinendi? Quæ difficultas, ne parua videatur, addit Seruator ibidem: *Iterum dico vobis, facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnũ cælorum.* Quæ sententia adeò Apostolos perculit, vt *dicerent*: *Quis ergo poterit saluus esse?* Quibus responsum datum diuites quidem à desperatione liberat, sapientes autem, velut digito intento, ducit, vt periculi magnitudinem magis apprehendant. Ait enim: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt;* quasi dicat, omnipotentia, & infinita Dei pietas ad hoc exigitur, vt diues aliquis saluus fiat; est enim quasi prodigium quoddam & miraculum ingens, diuitijs circumdatum & oneratum ad cælum ascendere; cùm vel vacuo graue sit, per tam arduum cliuum emergere.

Matth. 19. 23.

lb. v. 24.

Hoc nomen Plutonis & Pluti, quod, teste Platone & Cicerone, apud Græcos diuitias significat, velut affinitate quadam coniunctum, indicat. Voluerunt enim veteres significare, diuitias, & inferos magnam inter sese habere societatem. Vt enim parùm distant, Plutus & Pluto; ita non multùm inter se dissident, diuitiæ & inferorum flammæ. Quod vt innueret vel ipsa natura, aurum atque argentum, & omne æs in ima terræ viscera abstrusit, vt etiam originis situ inferno vicinum esset, neque erui posset, nisi ab ijs, qui in profundum descenderent. Quod mirum est, mortales tantis

II.

Plato in Cratilo, Cic. lib. 2. de Nat. Deor.

laboribus factitare. Nimirum teterrima est seruitus auarorum, neque dissimilis ijs, qui captiui sunt, aut ad metalla damnati, de quorum misera conditione Agatarchides apud Photium, Tertullianus, Cyprianus, itemque ex recentioribus Bellonius, & à Costa; Sed omnium appositissimè D. Chrysostomus in hunc modum disserit. *Auaritia suos amatores, quàm qui metalla effodiunt, nulla meliori conditione esse permittit. Vt enim illi perpetuò in tenebris inclusi & ligati maximis exercentur laboribus: ita & hi in auaritiæ speluncis defossi, nulla necessitate & vi, sponte sua supplicium subeunt, & seipsos insolubilibus vinculis alligant. At rei illi, vesperi saltem, laboribus relaxantur. Hi autem diu noctuq; huiusmodi mala metalla effodiunt. Et illis quidem mensura definita est laboris: hi verò nullam mensuram norunt, sed quantò magis effodiunt, tantò magis miseriam illam desiderant. Quòd si illi inuiti operantur, hi sponte; difficultatem mihi morbi enarras, à quo minimè liberari possunt. Siquidem non odio habent, quòd malo afficiantur, sed tamquam sus in cœno, ita hi in auaritiæ sordibus inuoluti latantur, grauiora patientes, quàm rei illi. Quòd enim peiore sunt conditione, audi eorum vitam, & hoc pacto intelliges. Dicitur ergo aurea illa terra, hiatus, scissuras, & cauernas in opacis speluncis habere, & malum aliquem virum illic laboribus damnatum, & propterea lucernam & bidentem accipere, ita intus ingredi, & guttum secum ferre, vt lucernæ oleum instillet, eò quòd illic tenebræ sunt, & in die obscuritas, vt diximus. Inde cùm tempus miseros ad cibum vocat, quod ipsi ignorant, sed carceris illius custos è loco superiore vehementer speluncam pulsat: ob pulsum & vocem, manifestum fieri miseris, in cauernis laborantibus, diei finem adesse. Nonnè horum auditu perterremini? Iam videamus, an his grauiora patiantur auari. Etenim hi grauiorem habent carceris sui custodem auaritiam: & tantò grauiorem, quantò cum corpore animam quoque colligat. Et tenebræ hæ illis longè horridiores. Quippe quæ insensibiles sunt, sed intrinsecus generantur, & quocumq; abeunt, secum deferunt. Cæcatus namq; est eis animæ oculus. Omnium maximè eos Deus miseria afficit, dicens: Si autem lux in te tenebræ sunt, quantæ sunt tenebræ? Et illi quidem saltem lucernam habent ardentem; hi autem eo priuantur lumine. Quamobrem singulis diebus in innumeras cauernas decidunt. Et rei illi præterea, nocte aduentante respirant, in communi infelicium tranquillitate nauigantes. Tranquillitatem noctem*

Phocius Cod. 250. c. 11. Tertullian. l. de habitu mulier. c. 5. Cyprian. ep. 25 77. & 80. Bellon. 1. obseruat. c. 50. 51. 52 à Costa 4. histor. c. 4. S. Chrysost. hom 23. in 1. ad Corinth.

tem appello. Auaris autem hunc auaritia portum obstruit. Tantam & tam difficilem curam, in hac nocte habent, vt puta quos nihil perturbat, sed in summo otio seipsos affligunt. Huc vsq; D. Chrysostomus vitam auarorũ describens similem ijs, qui ad metalla damnati sunt; immò ijs, qui meritò dicere possunt: *Repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.* Psal. 87. 4. Quin & Seneca ait: *Ipsos opifices intuere, per quorum manus sterile terræ genus & informe perpurgatur: Videbis, quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animos, quàm corpora, & in possessore eorum, quàm in artifice, plus est sordium.* Seneca. ep. 94. Ita de ijs, qui metalla fodiunt, & multò magis de ijs, qui metalla diligunt, Seneca.

III. Quemadmodum igitur fossores auri, nocte, dieque in tenebris laborant, & miseram vitam degunt, sordidi atque inquinati, Plutoni æquè, ac Pluto vicini, ita diuites auari non procul absunt à *tenebris exterioribus*, ad quas citò ab his mentis tenebris transeunt, cæcitate eos in summa pericula & scelera inducente. Talem se ad metalla damnatum fuisse ostendit Reginherus, Misniæ in Germania Episcopus, cuius horrenda mors extitit. Hic pecuniæ maiorem curam gesserat, quàm Ecclesiæ; atq; in eodem cubiculo thesauros suos infoderat, in quo somnũ solitus erat capere. Aliquando igitur, cùm absoluto prandio à mensa surgeret, in cubile illud concessit, quasi cibo meridiationem additurus. Sed non sinebat eum pecunia quiescere: immò æs corrasum ferreum illi somnũ conciliauit. Solito diutiùs famulis intus morari videbatur. Expectabant tamen vsque ad multam vesperam. Et ferè iam tempus cœnæ erat, cùm somni prolixitatem mirati familiares, ianuam digito primùm, tum etiam pugno percusserunt. Et quia arctè oppessulatæ fores aditum non dabant, neque vllum ille audientis signum redderet, malleis seras effregerunt. Ibi tremendum se exhibuit spectaculum. Namque episcopus, fractis miserandum in modum ceruicibus, exanimatus, atro colore, aspectuq; terribili thesauris suis incubans repertus est. Matth. 8. 12. Lambertus Schafnabur. & Baron. to. 11. An. 1066.

IV. Fateor, non omnes diuites tali morte puniri; sed mortem alteram, inter opes, euadere, æquè difficile est, immò difficilius, quàm camelum per foramen acus transire; aut in aquis non vuidum, in flammis non atrum fieri. Cuius rei clara imago fuerunt

Israëlitæ, ad terram promissionis, per mare rubrum, tendentes. Ingens enim tunc prodigium accidit. Diuisi sunt fluctus; & diuisi à vento prodigiosè. Steterunt enim vtrimque fluidæ vndæ, muri, immò montis instar erectæ, & siccum, in medio aquarum, se se detexit vadum, per quod tot populorum turbæ transierunt. Cur diuina sapientia voluit populum suum electum, hoc pacto, ad optatas illas sedes traducere? Cur eum nauibus non imposuit, & transuexit, sicut quondam familiam Noë in arca? Aut si tot ceteruis nullæ classes sufficissent, cur non effecit, vt omnes, sicut

Matth. 14. 25. & 29.

postea Christus & Petrus, vndis solidatis, super aquas graderentur? Nimirum, quia tunc Israëlitæ ambulabant onusti diuitijs Ægyptiorum, quæ illos premebant, & ex natura sua firmum exigebant pauimentum. Nec tamen hoc ipsum fiebat sine grandi miraculo, vt aquæ cederent, & se se in altum erigerent, instar ardui ac generosi caballi. Et vulgò inter mira computatur, si quis in profundo maris possit solum inuenire. Terra sancta patriæ cælestis fuit figura; ad quam diuites auro & argento onerati, non possunt venire communi modo ac velut nauigando; nec more Christi, aut Petri imitatione, quia hi sine mundi opibus incedebant, Christus

Matth. 8. 20. Luc. 9. 28. Matth. 19. 27.

enim *non habebat, vbi caput suum reclinaret*; Petrus autem dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Vnde & Christus, & Petrus ab oneribus mundi expediti, ac nulla re grauati, facilè super aquas ambulauerunt. At qui se se oneribus Ægypti grauant, opibusque pressi ad terram æternæ promissionis volunt pertingere, possunt quidem, vt D. Augustinus copiosè ostendit, attamen egent non vulgari, sed peculiari diuinæ gratiæ auxilio, & misericordia singulari; vt se se illis tot maria periculorum aperiant, per quæ transeant tuti, neque in scopulos impingant, aut

S Augustin. ep. 89. ad Hilarium.

fluctibus sæcularium curarum hauriantur. O quot in hoc diuitiarum mare non cum Israëlitis, sed cum Ægyptijs ingrediuntur, & merguntur! Grauant eos annuli in digitis, vniones in auribus, torques in collo, aurum in vestibus, argentum in crumena. Grauant eos agri & fundi, grauant palatia & regna. Cum tot oneribus, ad terram benedictam viuentium, sine grandi miraculo non peruenitur. Ipsi torques sunt compedes, ipsa monilia sunt vincula; atq; in his mundi vehementibus aquis, aurum fit plumbum; & quod laqueus est, putatur ornamentum. Est

V.

Est in litteris annuis nostris, An. 1605. Garigaræ, in vice- prouincia Insularum Philippinarum, fuisse seruum plagipatidam, fame & labore consumtum, atq; calamitate ad extrema adactum, qui suspendio voluntario statuerit finire ærumnas pariter & vitam. Vtq; compendium mortis haberet, ex proxima arbore funem nexum collo iniecit. Erat autem ea ita humilis, vt non esset amplius trium cubitorum. Quare, nisi genua flexisset, solum pedibus attigisset. Et vel sic diutiùs palpitabat pendens. Quod vbi conspexêre transeuntium nonnulli, aduolantes laqueum inciderunt. Collapsum est humi exanime corpus, & jam ita deforme, vt Auernali laruæ, quàm homini similius esset. Nondum tamen penitus extinctus erat spiritus, sed laxato gutture cœpit paullatim respirare, & ad se redire, præsertim fomentis quibusdam adhibitis. Die postero, cùm iam vires reualuissent, tamen animus adhuc peregrinabatur, attonitus enim, & quasi stupens notissimos vix agnoscebat. Tandem vbi sensus plenè remigrauit, interrogatus, cur in eam sese desperationem præcipitasset? respondit auri se specie deceptum esse. Veniisse enim ad se, quoddam oris fædissimi spectrum, simis naribus, capite obtuso, atq; dixisse: *Accipe, quem collo injcias torquem aureum.* Ita pro torque laqueum iniecit sibi, & in eo hæsit, quod concupiuit, aurum ratus, quod exitium fuit. Multi grauiùs falluntur, quibus verum aurum mutatur in laqueũ, quo irretitos cacodæmon trahit ad æternam damnationem. *Nabuzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis*, cùm populum Dei expugnasset, vicisset, captiuum abduxisset in Babylonem, præcipuè diuites abduxit, *de pauperibus terræ reliquit vinitores, & agricolas.* Ad eumdem modum humani generis hostis, pauperibus, quos Christus, & sua paupertas defendit, relictis, diuites inuadit, vinculis innumeris ligat, captosque trahit ad Babylonium Acheruntem. Nimirum, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli.* Atque vel idcirco dixit Christus. *Væ vobis diuitibus.* Quia ergo nemo vult sibi esse væ, necesse est hoc homines vel non credere Christo, qui est *veritas*, vel summè amentes esse, si adhuc diuitijs inhient, à quibus æternum væ dependet; nisi, velut cum prodigio, per laqueos earum, sicut Israëlitæ olim per mare rubrum, educantur.

In litter. annuis Soc. Iesu Anno 1605. Residentiæ Garigaræ.

4. Reg. 25.

1. Tim. 6.

Luc. 6. 24.

Com-

VI. Complures sunt huius periculi causſæ. Prima eſt, quia cùm alioquì mortales plerumq; beneficijs cicurentur & miteſcant, & Deus quoque opum largitione homines alliciat, vt ament largitorem; tamen cupiditas & auri poſſeſſio, quæ omnibus vitijs viam aperit, dum mentem occupat cæcitate, obliuionem inducit benefactoris. Fiunt ergo diuitiæ auaro in laqueum, quæ eſſe debebant mnemoſynon Creatoris. Quàm autem miſera hæc ſit felicitas, & quò ducat, ex Axitheo accipe Æneæ Gazæi, cuius hæc ſunt verba: *Si ſceleſtus aliquis diteſcat ac valeat, id quidem conſtat eſſe ex prouidentia diuina erga nos propenſa voluntate, & gratia. Siue enim hoc remedio fiat melior, quemadmodum pueri quibuſdam illecebris ad bonarum artium ſtudia inuitari ſolent: ſiue conuictus deſperatæ malitiæ, atq; nudato eo quod latebat animæ totius vlcere ſeipſum quàm ſit intus & in cute malus, prodiderit; flammã ipſe ſibi parat, multam videlicet materiam cumulans, vnde etiam lapſus nullam habebit neque excuſationem, neque culpæ condonationem. Neque enim poteſt comminiſci, quòd propter inopiam egentibus non potuerit ſuccurrere, qui diuitijs abundabat: neque etiam fingere, quòd potentia ac viribus deſtitutus, eos qui premerentur iniurijs neglexerit, qui ſummus rerum Dominus erat: neq; pretexere, quòd imbecillitate ſuapte factum ſit, vt voluptatibus ſuccumberet, cui corporis robur alias adres affuerit. Nam vt omnibus cõſtet, quàm multa ſit huius iudicis & excellens iuſtitia; vult ille ipſe iudicium ſuum nec obſcurum eſſe, nec ambiguum: verùm ſic iudicare, vt reus & pœnam ſibi irrogatam ferat, & ſententiam ab iudice de ſe latam ſuſpiciat atque reuereatur. Etenim ſi mors omnium rerum finis vltimus eſſet; rectè in quæſtionem vocarent homines quînam fieret, vt homo ſceleſtus in imperio atque lauta fortuna vitam ſuam omnem finiret. Iam verò cùm immortalis ſit anima, ac neque ad Inferos demiſſa pœnam effugiat; ſed iſtic maximè anteacta vitæ vindictam ſentiat, cùm in ima tartara ceciderit, inde numquam eſt exitura. Quamobrem, inſperati lucri vice fuerit, hîc egrotare, egere, ſeruum eſſe: cùm is, qui illa perfert, in priuato vitæ genere, & parum deliquerit, ac deinceps membrorum ſuorum compactione iam ſoluta, iamq; eius fortunæ cauſſa cognita, ac ſatis deplorata, à ſupplicijs inferorum liber & immunis euaſerit. Alius exſecto oculo factus hîc exemplum inſtitiæ; vitij ſui, ſiue perturbationis euentum odio proſecutus ac deteſtatus, liber etiam*

ipſe

ipse euadit. Præstat ergo hîc pauperem, ægrum, miserum esse, & paruas culpas, paruis pœnis luere; quàm abundare pecunijs, delitijs, voluptate, &, sine excusatione, virtutum, pauperum, Dei obliuiſci, pœnisq; æternis reseruari, quod factum esse illi, legimus in annuis Societatis nostræ, qui animâ iam sub labijs hærente, nihil à Confessario audire voluit de Deo, nihil de cælo, nihil de inferno; sed eo exesse iusso, lancem auro impletam sibi ab vxore voluit apportari; eaque illatâ, manus immersit, atque inter aureos nummos identidem illas versans dixit: *Tu meum Numen es, tu spes mea, tu mea voluptas, & vita; quidquid aliud deblaterent sacerdotes: àte vno opem expecto.* Post hæc & caput in auro circumuoluens, illudque hinc, & inde deosculans, ac velut idolum suum adorans, animam à Pluto ad Plutonem transmisit. Sic opes à Deo dispensatæ, benefactori se gratas præstant, quando mentes humanas inebriauerunt.

Citat hanc historiam etiam Philip. D'oulterman in Pædagogo Christian. c. 7. §. 2.

Altera caussa hinc emergit, quòd, sicut *beati* sunt *misericordes, quoniam misericordiam consequentur;* gerit enim se Deus erga hominem, sicut homo erga proximum se gerit; ita vicissim, immisericordes, qui pauperes non exaudiunt, nec ipsi à Deo exaudiuntur. Faciunt autem diuitiæ immisericordes, quia cùm ipsi non sint miseri, nesciunt, quod non sentiunt; hinc plerumque miseris non succurrunt. Quare nec ipsi digni sunt, quibus succurrat Deus. *Idèo rogans diues non exauditur in tormentis,* ait S. Hieronymus, *quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris.* D. Augustinus epulonis illius damnationem, quodam loco, huic soli caussæ ascribit, dum ait: *Quamuis superbus diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splendidè, mortuus apud inferos torqueretur: tamen si pauperis vlceroſi, qui ante ianuam eius contemtus iacebat, miſertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam. Et ſi pauperi illi meritum esset, inopia, non iuſtitia, non vtique ab Angelis in Abrahæ gremium, qui diues hîc fuerat, tolleretur. Sed vt nobis oſtenderetur, nec in iſto paupertatem per ſe ipſam diuinitus honoratam, nec in illo diuitias fuisse damnatas: ſed in iſto pietatem, in illo impietatem ſuos exitus habuisse: ſic ſuſcepit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem ſuſciperet ſinus diuitis.* Damnatus est ergo diues ille, non propter diuitias, sed quia diuitiæ ab illo non sunt adhibitæ ad misericordiam

VII. Matth 5. 7.

S. Hieronym. hom de diuite. S. Augustin. ep. 89.

exercendam: quæ plerumque quò habentur ampliores, eò habentem magis incendunt faciuntque intemperantiùs pecunias sitientem. Quantò autem magis amantur, tantò ægriùs dispensantur. Hinc fiunt earum possessores minùs liberales, magisq; duri ac immisericordes, digniq́ue, qui nec ipsi misericordiam consequantur, sed sine misericordia è medio tollantur.

VIII. Recitat Raderus noster ex Menæis Græcorum, quin & Cardinalis Baronius ex Cedreno luculentum exemplum, de viro copioso, qui an. 27. Iustiniani Imperatoris, Constantinopoli graui morbo afflictatus mortem cernebat nulla humana vi posse euitari: confugit ergo ad diuinam, & iussit triginta libras argenti in subsidium pauperum distribui. Faciliùs nimirum pecuniam erogauit, quam cum vita mox amittendam alioqui censuit. Sed vel sic miserentis misertus est Deus. Nam præter omnium spem illi vitam restituit, & valetudinem prolongauit. Multùm refert quo quid animo faciamus. Quidquid fit libero Dei amore, constanter fit. Quod autem fit amore creaturæ, mutata creatura, facilè mutatur. Quare & iste diues, valetudine recuperata, & morbo pulso, suggestione Acherontica, cœpit mutare suam voluntatem, cuius eum subijt pœnitudo. Nam & pecuniam suam optauit recuperare, quasi Deum fallere potuisset. Neque tales cogitationes in corde eius pressæ manserunt. Habebat amicum fidelem, cui sua arcana solebat patefacere. Huic cum gemitu narrat, se quidem conualuisse, sed interim triginta auri libras sibi perijsse, quæ vtiq; seruari potuissent, jamq; in magnos vsus seruirent. Audijt hanc querelam amicus, & expalluit: vtq; erat rerum diuinarum peritus, illum seriò commonuit, mali spiritus hanc esse technam, cogitationem istam ex animo, velut ignem è manu, eijciendam; ne diuina misericordia in iram conuersa, sanitatem, quam reddidit, denuò auferat; & vt liberaliter misericordem sanauit; ita datum retractantem rursus verberet. Non cæcum modò, sed etiam ad pia monita surdum fecerat Plutus. Nihil igitur motus in consilio perstitit, immò magis magisq; cupiditate argenti recipiendi inflammatus, altùm ingemuit. Quod vbi vidit amicus, eum, ne animum desponderet, aut se suspenderet, talibus verbis affatus est. Oportebat quidem, ô bone, te consilium meum non respuere, ac seriò cogitare,

Baron. to. 7. An. 553.

cogitare, nihil amitti, quod pauperibus datur, Christo dicente, *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis;* & vtique præſtantior eſt corporis ſanitas, quàm pecuniæ, quibus ægroto non licet frui; quæq; ſæpe ſine fructu medicis expenduntur. Verùm quia ſana conſilia apud te locum non habent, eſt aliud, quod ægritudini tuæ curandæ offeram, ſi fortè illud placet. Auarus cùm animaduerteret, nummi ſpem refulgere, jubet eum conſilia promere. Tum alter non minùs pius, quàm ſacra doctus: Quando igitur ita es conſtitutus, inquit, & te largitatis in pauperes pœnitet, age ad templum mecum redi; totam quantam ſummam expendiſti, tibi numerabo, ſi Chriſto profeſſus fueris, non te, ſed me argentum iſtud in pauperes effudiſſe. Accipit conditionem miſerè lætus ille. Adeunt ambo templum, annumeratur pecunia, pronuntiatur formula, & meritum ab auaro ad liberalem transfertur. O cæcam auaritiam! quàm non videt in lucro ſuo damnum! Vix iſte argentum receperat, & illico cum valetudine vitam amiſit. Nam è templo egrediens, ſub ipſo limine, repentina morte extinctus eſt. Ita pecuniam pariter atque animam ſuam perdidit. Cur perdidit? quia liberalitatem ſuam retractauit. Vſque adeò non ſolùm auaritia impedit homines, ne ſint liberales, ſed etiam hominibus pœnitudinem inijcit, ſi liberales extiterunt. Matth. 25. 40.

IX.

Et quærimus adhuc, cur diuites difficulter intrent in regnum cælorum? diuitiæ amatæ ægrè ſeparari ſe ſinunt à ſuis amatoribus; hinc faciunt illiberales; hinc efficiunt immiſericordes; hinc gignunt crudelitatem, quæ miſeris non ſuccurrit; hinc merentur diuitiarum amatores, vt neque erga ipſos Deus ſit liberalis, ſed eos in vita ſua, bona ſua recipere ſinat; in altera, quid futurum ſit, dudum prædixit: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis:* nulla miſericordia tetigit vos, neq; Deus tunc miſerebitur veſtri. Si cetera vobis omnia delicta deſint, ſufficit, miſericordiam non exercuiſſe. *Nam & ille diues*, ait S. Auguſtinus, *ante cuius ianuam iacebat pauperrimus vlceroſus, non eſt dictus, raptor rerum alienarum. Erat quidam diues, inquit, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Diues, inquit, erat, non dixit, pauperum oppreſſor: non dixit, rerum alienarum raptor, aut delator, aut receptor: non dixit, pupillorum ſpoliator: non dixit, viduarum perſecutor. Nihil* Matth. 7. 2. S. Auguſtin. ſerm. 19. de verbis Apoſt. Luc. 16.

horum, sed, erat quidem dives. Quid magnum est? dives erat, de suo dives erat. Cui aliquid tulerat? an fortè illi auferret, & Dominus de illo reticeret, & personam eius acciperet, si crimina eius absconderet, qui
Ioan. 7. *nobis dicit: Nolite personaliter judicare? Si vis ergo audire crimen diuitis illius, noli amplius quærere, quàm audis à veritate. Dives erat, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splendidè. Quod ergo eius crimen? Iacens ante ianuam vlcerosus, & non adiutus. Hoc enim apertè de illo dictum est, quòd immisericors erat. Numquid enim, charissimi, si pauper ille ante ianuam jacens sufficientem panem à diuite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis? Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante januam suam jacentem, nec congruè digneq; pascebat, mortuus est, & sepultus est. Et cùm apud inferos in tormentis esset, leuauit oculos suos, & vidit pauperem in sinu Abrahæ. Et quid multis immorer? Desiderauit guttam, qui non dedit micam. Nonnè accepit iustam sententiam, qui non dedit crudeli auaritiæ? Si hæc ergo pœna est auarorum, quæ pœna raptorum?*

X. Tertia cauſſa ab eodem epulone diuite trahitur. Nam etſi diuitiæ neque peccata ſunt, neque culpabiles, vt rectè docuit Auguſtinus, neque proſperitas crimen haberi poteſt, cùm à Deo ſit, tamen inter diuitis illius elogia damnationis, ab Abrahamo etiam illud profertur, quia *recepit bona in vita* ſua. Quapropter D.
S. Baſil. hom. 3. de ieiun. Baſilius in hæc verba exclamat: *Timeto exemplum diuitis: illum delitiæ vitæ igni tradiderunt, non ob iniuſtitiam.* Verum eſt, immiſericors fuit, ſed non hæc ſola cauſſa indicatur ſupplicii. Opulentia illi etiam, & feſtiuus fortunæ vſus, & fauor auri, & ſplendor purpuræ, & apparatus epularum, denique magnæ annonæ voluptatis obijcitur. Hæc enim ſunt, quæ Lazaro defuerunt, & diuiti illi ſuperfuerunt, quæq; ille, ſi quid fortaſſe bene meruit, pro meritis ſuis in hac vita *recepit*. Quin hoc elogium damnationis, etiam Chriſtus ipſe non diſſimulauit: *Væ vobis diuitibus*, inquit, *quia*
Luc. 6. *habetis conſolationem veſtram; væ vobis, qui ſaturati eſtis; væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis.* Quid ita? an non ille diuitias condidit? an non epulas creauit? an purpuram non fecit? Aut fortaſſe peccatum eſt, habere, quod ſupremus rerum Dominus donauit? Nequaquam. Sed delictum eſt, poſſidere, quod alijs erat

diſtri-

distribuendum; sacrilegium est, ad Dei ignominiam vsurpare; quod ad illius honorem & gloriam erat vsurpandum. Quamquam etiam copia rerũ scelus non sit, tamen vt suprà docui, ea vel fundamentum, vel ædificium est scelerum ac vitiorum. Compendium est vituperationis, fortunatum dici, & simul non etiam misericordem, beneficum, liberalem, patrem pauperum, sobrium, iustum, & munificum esse: quia titulus opulentiæ, sine virtute, est omnium criminum index, & procurator voluptatis. Quid porrò voluptas pariat, ex illa sententia discitur: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18. 7.

XI.

Quarta causa, quia vti iustitia cælo digna est, ita iniquitas inferno. *Manè astabo tibi, & videbo*, ait Propheta. Quid videbis, ô Videns? *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* At, iuxta commune adagium, diues plerumq; aut iniustus, aut iniusti hæres est. Quid ergo mirum, si diuitiæ dicantur esse magna occasio æternæ damnationis? cùm & ab Ethnicis irritamenta malorum appellentur? & Iacobus Apostolus dicat: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt; & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Quam veritatem D. Gregorius hoc luculento exemplo confirmat. Femina ex illis vna, quibus dictum est à Poëta: Psal. 5. 6. Iac. 5. 1.

Sed facile est vobis verba & componere fraudes,

prætextu pietatis, multos deceperat, qui vultui, & gestui, & sermonis tractui crediderunt. Vtq; simulationi sacris peregrinationibus conciliaret authoritatem, terram Palæsthinam, quam Deus homo, suis natalibus, suoq; sepulchro insignem fecerat, visitare solitabat. Hoc iter illi occasio pecuniæ lucrandæ fuit. Nam multam peculij summam illi Christiani vbiq; contribuerunt, qua captiuos redimeret, egentesque sustentaret; quam illa interuertit. Neque enim eam in terram sanctam pertulit, sed clam domi in suos olim vsus sub terra defossam occultauit. Rarò prosunt iniquè acquisita. Quare neque mulierem hanc sua furta iuuerunt. Di- S. Gregor. Turon. lib. 1 de glor. martyr. c. 106.

uina enim Nemesis illi vitæ filum incîdit, vt constaret, etiam in
Psal. 54. 25. femina fieri, quod dicitur: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Quippe illi pecuniam, illis Deus vitam aufert. Ita sæpe
Psal. 38. 7. homo *thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Defuncta hac strige, mandato Episcopi in pecuniam inquisitum est: & filia illi superstes interrogata. Sed nihil ex eâ potuit intelligi, clam enim mater omnia domi infoderat, neque filiæ fidebat, ne ab ætate & sexu secreti impatiente proderetur. Per totam igitur domum, atque in omnibus angulis circumierunt scrutatores, tandemque repertus est tumulatus altè thesaurus. Neque verò pecuniam eam omnem meliùs potuit impendere sacer Antistes, quàm vt eam, in flagitij detestationem, sepulchro inijceret, & super infame mulieris cadauer iactaret; quasi diceret iam sæpiùs vsurpata formula, *Pecunia*
Iac. 5. 3. *tua tecum sit in perditionem*, aut, *Thesaurizasti tibi iram in nouissimis diebus.* Vtque etiam illud appareret, *Aurum & argentum vestrum manducabit carnes vestras, sicut ignis*: ecce, per tres integros continuosque dies, funestissimum hoc lamentum ex sepulchro clarissimè perceptum est: *Vrit me aurum, vrit me aurum.* Ne autem aures tantùm exhorrescerent, sed vt oculis quoque caperetur miseriarum experimentum, erutâ terrâ, metuendum se se aperuit spectaculum. Quippe liquatum, & candens aurum, lucentis flammæ instar, in os mulieris visum est, tamquam riuus quidam influere, atque non tantùm, veteri illo ritu, quodammodo dicere: *Aurum sitijsti, au-*
Psal. 10. 7. *rum bibe*, sed illud quoque exprimere, quod Psalmista cecinit: *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Similem potum sibi parari existimet, qui similem sitim patitur.

XII. Quòd si quis paucas esse eiusmodi Megaricas Sphinges arbitretur; illud tamen nouerit, eiusmodi calidum haustum, non tantùm raptoribus infundi, sed etiam opum malè acquisitarum
S Hieron. ep. ad Hedibiam. possessoribus. Valde me semper perculit illud, quod D. Hieronymus ex communi hominum opinione scribit: *Illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Diues aut iniquus, aut iniqui heres.* Quin
Plato lib. 5. de legib. & Platonis verba sunt: *Verum est, quod vulgò dicimus, admodum diuites non esse bonos.* Valde etiam multos locupletes viros sollicitos
Deuter. 5. 9. fecit illud summi judicis pronuntiatum: *Ego sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam*

& quar-

& quartam generationem, his qui oderunt me. Quidam opulenti, neque vllius sibi sceleris conscij, furtis, rapinis, spoliatione, incendijs, populatione agrorum, & mille quotidie incommodis infortunijsq; vexantur; neque satis dispicere possunt; qua id culpa sint commeriti. Nimirum vel seri nepotes luunt, quod proaui peccauerunt. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Ierem 31. 29. Noui ego antiquissimi stemmatis familiam, in qua jam multis ab annis, ferè nemo vllus bona morte defunctus est: plerique vel contrucidantur, vel miserando casu, ex improuiso, pereunt. Audiui sæpiùs, atque ex compluribus, caussam esse, quòd, sub prætextu patrocinij atque tutelæ, monasteria canibus venaticis onerent, exactionibus, & nescio quibus præscriptionibus exsugant, atque ea varijs titulis excogitatis auferant, quæ maiores ipsorum sanctissima liberalitate illis donauerunt. Hæc siue vera, siue ex odio ficta sint, simile tamen quiddam, post Cardinalem Petrum Damianum, narrat Cardinalis Cæsar Baronius, Anno 1055. de quodam Germaniæ Comite, qui probam alioqui honestamque admodum egisse credebatur vitam. Sed alia mors fuit, quàm fides vulgi. Siquidem post obitum illius Religiosus quispiam fortè pro illo preces ad Deum fundens, conspexit immane quoddam chaos, & horribile barathrum, longè lateque patens, ac metuendæ profunditatis, furentibus vndiq; atque exundantibus Inferorum flammis plenum. E medijs his incendijs scalæ sursum porrigebantur ignitæ, ad excipiendos omnes, qui ex illius Comitis stirpe nati, per eas descenderent ad tormenta Acherontis perpetienda. In supremo autem scalarum gradu adhuc Comes ille recens defunctus hærebat. In illis quippe scalis eius familiæ Comites, vita functi, sibi mutuò succedebant; ita vt semper vltimò ex hac vita eiectus primum scalarum gradum occuparet: ille autem qui inibi locum tenerent, alijq; deinceps ordine omnes ad proximum superiori gradum detruderentur. Quàm longè diuersæ hæ erant scalæ ab ijs, quas in somno vidit Iacob! Siquidem *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Gen. 28. 12. His autem scalis, heu qualis Dominus innixus erat? & per eas, ô quàm miseri Angeli descendebant? Nam *reuocare gradum superasq; euadere ad auras* nulli Baron. Anno 1055. tom. 11.

nulli dabatur. Religiosus igitur, qui hæc omnia trepidus videbat, causſam scire cupiebat; neque iustus Iudex eam cælauit. Clara enim vox audita est: supplicia hæc istis Comitibus decreta esse, ob quamdam Metensis Ecclesiæ possessionem, quam B. Stephano quidam ex Comitis atauis abstulisset: cui nimirum hic iam decimus, in ea iniusta hæreditate, successisset, forsitan ignarus, vnde ea haberetur, sed neque inquirens, neque à maioribus ea de re monitus.

Deuter. 5, 9. Itaq; *Deus æmulator reddit iniquitatem patrum super filios* non solùm *in tertiam & quartam*, sed etiam vsque in decimam *generationem, his qui oderunt* illum. O quàm meritò hîc omnes diuites contremiscunt! quàm meritò metuunt, etiam si ipsi nemini fraudem fecerunt, tamen ne aliquid possideant, quod vel à maioribus suis fuerit acquisitum per fraudem! Quanta solicitudine deberent inquirere in suorum bonorum origines! quanta diligentia restituere aliena? atque à se excutere, quarum causſa vel seri nepotes damnantur? An non beneficium est Dei, carere talibus bonis? ea posse contemnere, abijcere, detestari, quorum possessio ad alios pertinet, vel conflata de sudoribus tot pauperum, vel ipsi Ecclesiæ ablata? Quam longè melior conditio est paupertatis?

XIII. *Recordamini in Euangelio diuitem illum, & pauperem illum*, ait S. Augustinus. *Diuitem indutum purpura & byſſo, & quotidianis epulis ſaginatum, pauperem verò illum iacentem ante ianuam diuitis, eſurientem, & de mensa micas requirentem, vlceribus plenum, à canibus linctum. Recordamini ergo. Vnde recordamini, niſi quia Chriſtus eſt in cordibus veſtris? dicite mihi, quid ipſum intus interrogaueritis, & reſponderit vobis? ſequitur enim, & dicit: contigit, mori inopem illum, & auferri ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues & ſepultus eſt in inferno. Cùm autem in tormentis eſſet, leuauit oculos, & vidit Lazarum quieſcentem in ſinu Abrahæ. Tunc clamauit, dicens: Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat digitum ſuum in aqua, & ſtillet in linguam meam, quia crucior in hac flammâ. Superbus temporis, mendicus inferni. Pauper enim ille pertingebat ad micam, ille autem non peruenit ad guttam. De duobus ergo illis dicite mihi, quis eſt bene mortuus, & quis malè mortuus? Nolite oculos interrogare, ad cor redite. Si enim oculos interrogaueritis, falſa vobis reſpondent, multũ enim ſplendida ſunt, & ſæculariter fucata, quæ illi diuiti morienti exhiberi potuerunt.*

S. Auguſtin. de verb. Domini. ſer. 24.

runt. Quæ potuerunt agmina esse plangentium seruorum & ancillarũ? quæ pompa clientium? quis splendor funeris? quod pretium sepultura? Credo enim ab aromatibus obrutum. Quid ergo dicturi sumus, fratres, bene istum mortuum, an malè mortuum? si oculos vestros interrogatis, optimè mortuus est, si magistrum vestrum interiorem requiritis, pessimè mortuus est. Si ergo sic moriuntur superbi rerum suarum conseruatores, & nihil inde pauperibus largientes, quomodo moriuntur, qui rapiunt res alienas? Verùm ego dixi: viuite, ne moriamini malè, ne quomodo diues ille moriamini. Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem. E contra attendite illum pauperem, sed nolite oculis, nam errabitis, fides attendat, cor videat. Constituite illum ante oculos vestros iacentem in terra, vlcerosum, venientes canes lingentes vlcera eius. Sed cùm talem illum reuocatis ante oculos vestros, continuo expuitis, faciem auertitis, nares obturatis. Cordis oculis videte. Mortuus est, & ablatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. familia diuitis videbatur plangens, Angeli non videbantur gaudentes. quid ergo respondet diuiti Abraham? memento, fili, quia percepisti bona in vita tua. Nihil bonum putasti, nisi quod in ista vita habuisti. Accepisti bona, sed transierunt dies, & totum perdidisti, & torquendus in Inferis remansisti.

Si ita diuites laudantur, quis non malit esse pauper? qui, vt securiùs coram latrone cantat, quia est vacuus, neque timet spolijs insidiantem; ita expeditiùs currit, per ardua, ad cælum. Et verè S. Bernardus ait: *Camelus vnum solùm pondus habet, diues duo; vnum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud velit nolit moriens retinet, nisi ante mortem deponat.* Immò & primum retinet, quia etiamsi diuitiæ morientem deserunt, non deserit tamen pondus diuitiarum. Grauat enim eum adhuc æs alienum, grauant depositа, grauant doli & fraudes, quibus pecuniam aliasque res proximi interuertit; grauat denique onus restitutionis. Quibus tot ponderibus pressus in infernum submergitur, *quasi plumbum in aquis vehementibus.* Hoc est enim *talentum plumbi, & massa plumbea,* quam vidit Zacharias in os mulieris proijci. Aurum enim atque argentum, quod auaritia deuorat, quasi metallum animam grauat. Qua de caussa, alibi dicitur: *Collegisti quasi aurichalcum aurum, & vt plumbum complesti argentum.* Qui hostem fugit, omne onus, etiam hastam, etiam gladium, etiam scu-

XIV.

Exod. 15. 10. Zach. 5. 7.

Eccl. 47. 20.

Act. 27. 38. am scutum abijcit. In periculosa nauigatione, qui cum D. Paulo vehebantur, *satiati cibo alleuiabant nauem jactantes triticum in mare.* Fugimus capitalem humani generis inimicum: ad cælestem portum nauigamus, surgunt procellæ, periclitamur, & grande naufragium animæ nostræ instat; nec adhuc plumbum diuitiarum abijcimus, & ire in mare Creticum jubemus? Si sapimus, cum Philosopho, id facimus. Melius est nostra, quàm nos perire. Et in via, quæ nobis sunt onerosa, libenter damus alijs portanda. *Superflua,* ait S. Chrysostomus, *quaque amputa, & fac pauperibus supplementum: nam si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiore sentiet impedimenta; & vestimentum induens corporis staturã excedens, eodem implicabitur modo. Quòd si superfluũ vbiq; inutile est, in pecunia fortiùs multò; & qui supra quod satis est, habent, non modò in ipsa sufficientia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur. Nam qui deforis in agone currunt & ipsa exuunt vestimenta, viam verò in calum ferentem, & eamdem arctam & arduam, tot cum impedimentis, quò modo poteris ambulare? Veloci enim, & expedito cuiquam pænè impossibile est consequi salutem.* Quemadmodum ergo, qui in altis sunt speculis, à fulmine non feriuntur; ita infima fortuna tutissima est: *ab auditione mala non timebit.* Quæ est auditio mala? quod fulmen illud? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*

S. Chrys. homil. 7. de pœnit.

Psal. 111. 7. Matth. 25. 41.

CAPVT IX.

Qualis diuitum, qualis pauperum mors esse soleat?

1. SI vlla res est, quæ paupertatem commendat diuitiasque odio dignas facit, mors ea profectò est; nam eam pauperes læti expectant, & sæpe etiam optant; diuites autem horrent, & execrantur, & omnibus modis differre, fugere, fallere conantur: illi enim velut è carcere & vinculis emissi, de calamitate euolant ad libertatem ac gaudia; isti autem à suis delicijs ad metuendum judicem, per mortem, trahuntur. Hinc illi hîc fame, siti, varijsque ærumnis pressi, memores Lazari illius, clamant: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* itemque: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quid ita? Quia *pretiosa, in conspectu Domini, mors sanctorum eius.* Aut verò *mors peccatorum*

Psal. 119. 5.

Rom. 7. 24.

rorum peßima. Hinc Scriptura ait: *O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis; viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum? O mors bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate!* Quemadmodum itaq; Lazarus mortem non timuit, sed sperauit; quia nouerat, mortem sibi esse finem malorum, principium bonorum; ita diues à morte abhorruit, quia sciuit eam esse sibi finem bonorum, & principium malorum. Siquidem illi postea dictum est: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Illius crux fuit temporaria, tua erit æterna; tua voluptas erat fluxa & breuis, illius semper durabit. Sicut ergo illius mors fuit *pretiosa*, ita tua *peßima*. Ad quem finem quisquis respicit, more sapientum, vtique non solùm patienter, verùm etiam libenter fert paupertatem, vt quæ exitum habet longè lætiorem ac securiorem.

Psal. 115. 15. Psal. 33. 22. Eccli. 41. 1.

Luc. 16. 25.

II.

Quàm autem inuiti sese sinant ex hac vita expelli, quibus est aurum, & omnis rerum copia, qua sunt irretiti, eleganti dialogo Lucianus expressit. In eo enim cùm Charontem induxisset de Mercurij, in animabus sistendis, nimiâ morâ quiritantem; Mercurius sudore madens, ac pedibus puluere conspersis, crebroque anhelans, suspirijsque assiduis fatigationem professus, tarditatem suam excusat, quòd tempus insumpserit, in scelesto quopiam (& monstrabat eum) aufugiente prosequendo. Aufugisse verò illum, *quòd diutiùs viuere cogitaret*; esse autem vel regem quempiam, vel tyrannum, quantum quidem ex eiulatu eius conijcere licuerit: *nam ingenti quadam ex felicitate se deiectum querebatur.* Quamuis enim filum Parcarum iam defecisset, stultum tamen superuiuere omni modo conatum, ac planè euasurum fuisse, nisi pauperculus aliquis Philosophus, qui baculum manu gestabat, auxilio fuisset, itaque diues ille comprehensus alligatus vinculis esset. Ex quo enim eum Atropos Mercurio tradiderat, per omnem viam se retrahere atque obniti numquam destitit captiuus. Quin pedibus solo oppositis, ita se offirmauit, vt inter ducendum Mercurio non parum negotij exhibuerit. Aliquoties supplicabat, ac deprecabatur, ingentia daturum se pollicens, si vel paululum dimitteretur. Megapenthes autem Lacydæ filius, tyrannus is erat, qui ad supe-

Lucian. in Cataplo, siue tyranno.

ros remeare cupiebat, vel prece, vel pretio id obtinere nitens. Cuius rei cùm ex ipso tyranno caussã audire vellet Clotho, respõdit, domum se semiperfectam reliquisse, quam vellet ad fastigium perducere: quin, (quia eum nugas agere dicebat Clotho) saltem vnum diem apud superos adhuc degere vt sibi liceret, rogabat; quo tempore de pecunijs vxori nonihil iniungeret, atque vbi defossum thesaurum habuerit, demonstraret; quem oppidò dolebat in Megaclis inimici sui manus deuenturum. Dolebat etiam murum manere imperfectum; & nauium stationem inchoatam; & Pisides sub iugum nondum missos; & Lydis tributum non imperatum; nec sibi adhuc magnificum monumentum erectum; nec inscripta & commentarijs credita, quæ in vita gesserat; quibus expediendis, non vnum diem, sed viginti annos consumturus erat. Dolebat, vxorem suam seruo, filiam tyranno in manus venturam; statuas & imagines sibi erectas, euertendas; neque illorum vllum, qui eum, tamquam amicissimi, instar Numinis alicuius adorauerunt, obstiturum; & mille alia talia. Nam auro, argento, purpurâ, peristromatis, equis, cœnis, famulitijs, delicijsq; omnibus carendum erat; ac insuper Rhadamanthi judicium vehementissimè metuebat, apud quem suas crudelitates ac libidines, aliaque flagitia sciuerat acriter accusanda; à quo, quia & ipse noua supplicia, & ad immanitatẽ suam explendam recens inuenta in terras induxerat, præter alias pœnas, iussus est, non more ceterorum bibere ex obliuionis fonte, vt hoc pacto tantò grauiora tormenta persentisceret, recordans, semperque animo versans, & quis fuerit, & quanta apud superos potentia præualuerit: maximè autem, cùm animo identidem recoleret, quantis doloribus, quantas delicias ac voluptates commutârit, ex Crœso Irus, ex fortunato infeliciissimus factus. Hæc ferè, & plura de *pessima* diuitis morte Lucianus.

III. At de Cynisco paupere, & Micyllo sutore, omnia in contrarium recensẽt, qui Hecates cœnâ ac ouis lustralibus, cumque his sepiâ crudâ, deuoratis vitam finiêre: illudque solùm, contra Parcas, questi sunt, quòd tam longo tempore, apud superos errare permissi essent; & Lachesis vniuersam colum ferè illis solis adglomerasset. Nimirum adeò pauperes erant, vt eam ob caussam se à Morte contemni ac negligi arbitrarentur, neque exiguam esse iniuriam

iuriam existimarent, tot annis in vita relictos esse. Quærit igitur Clotho, cur tam grauiter ferant vitæ moram, pro qua alij mille auri puri talenta se daturos repromisissent? Cui respondet Micyllus: *Non admodum me delectat munus illud Cyclopis, videlicet in hunc modum polliceri:*

Post omnes alios, tandem ipse vorabitur Vtis.

Siue enim primum deuoret, siue postremum, idem me dentes manent. Sed enim neque aliàs meæres, vt diuitum se habent. Nostra enim & illorum vita (quemadmodum aiunt) perpendiculo inter se distant: quandoquidem tyrannus, qui in vita horrendus omnibus & suspiciendus videbatur, nunc auro, argento, vestibusq; exutus, tum & equis, cœnis, pueris, ac mulieribus post se relictis, eorum desiderio non iniuria cruciatur, ac à tot commodis se abstrahi fert grauiter: quibus nescio quomodo, anima ipsa velut glutino hæret affixa, neq; se facilè sinit auelli, vt quæ eis jam diu inhæserit: quin magis tamquam vinculum aliquod est infragile, cui ipsos illigari irretiriq; contingit, adeò vt vbi quispiam eos abducere parârit, plorent. Ac cùm in ceteris sint feroces, in hac tamen via, quæ ad inferos ducit, meticulosi deprehenduntur. Itaq; subinde dant terga, & ad ea, quæ procul in luce, apud superos geruntur respicere gestiunt: sicut stultus hic faciebat, qui non solùm in itinere aufugere conabatur, verùm etiam hìc mortem frustra deprecatur. At ego, vt qui in vita pignus haberem nullum, non agrum, non domum magnificè extructam, non aurum, non supellectilem, non nominis gloriam, non imagines, ad mortem expeditus meritò eram. At statim vt mihi solùm innuit Atropos, abiectis & subula, & loro geniculari, tantùm crepidam quamdam manu portans voluntarius sequebar, vsque adeò haud grauatim, vt dum præfestinandi studio subsulto, neque calceos subligârim, neque atramentum absterserim. Immò verò præcurrebam, quæ ante me essent spectare gestiens. Neque enim a tergo mihi erat relictum quidquam, quod me vel conuertere, vel reuocare potuisset. Et per Iouem, quæcumq; hìc apud vos video, mirum quàm mihi placent: nam pares honorum gradus hìc dari, nec quemquam vicino præstare, res mihi omnium longe suauissima videtur. Deinde coniecturam facio, ne æs quidem alienum hìc à creditoribus reposci, neq; tributum cuiquam pendi, neque, quod omnium maximum est, hyberno tempore quemquam rigere, neque ægrotare, neq; potentiores in humiliores pugnos ingerere. Postremò pace consistunt omnia, & in con-

trarium tota vita ratio versa. Siquidem nos pauperculi ridemus, discruciantur autem & plorant diuites. Cùm apud superos propter tyrannum habitarem, quæ apud eum fierent, nimis quàm accuratè inspectabam. Ac tum quidem feliciter, ex æquo cum dijs viuere mihi videbatur. Namcùm purpuræ florem spectarem, & comitantium turbam numerarem, aurum ac pocula gemmis distincta mirarer, lectos argenteis pedibus suffultos stuperem: beatum planè hominem prædicabam. Ad hæc, eorum quæ in cœnam apparabantur, nidor sæpe me prurire faciebat. Iam verò cùm pro maiestate in publicum prodiret, & se ipse subinde erigens velut resupinaret, obuijsq; stuporem iniceret, ceteris mortalibus pulchrior, & fortunæ beneficio toto pænè regio cubito sublimior videbatur. Sed vbi jam vita functus esset, ipse quidem istis delicijs exutus ridiculo fuit omnibus: ego verò meam stultitiam multo magis ridebam, qui eiusmodi non hominem, sed hominis probrum, adstuporem vsque, miratus fuissem, cuius felicitatem, ex epularum tantùm nidore æstimassem, quemq; ob sanguinem, qui Laconici maris testudinibus innascitur, beatum prædicassem. Neque verò hic solùm mihi ludo fuit, verùm etiam cùm Gniphonem illum fœneratorem gementem viderem, & quòd pecunijs, dum licuisset, vsus non fuisset, propriam sortem deplorantem. Immò quòd ne semel quidem illis à se gustatis, verùm luxu perdito Rhodochari relictis, è viuis excessisset (hic enim quia genere proximus erat, in hæreditatem lege vocabatur) hæc, inquam, cùm cernerem, risum sistere nullo modo potui, præsertim recordatus, quàm in vita pallidus semper & squallidus obambulasset, & vultu præ curarum magnitudine tristi. Deinde, quòd solis digitis opulentus fuisset, quibus talenta, & milliones supputare consueuisset, ea paulatim, & minutatim corradendo, quæ fortunatissimus Rhodochares haud ita multò post fuerat egregiè distracturus. Hæc Micyllus vbi pro felici pauperum morte, contra infelicia diuitum fata perorauit, Cyniscus, in cymba Charontis, inter nauigandum, nautica aliqua cantilena, remiges cantu accendere voluit: sed opulenti plorando obstrepuerunt; & vnus quidem vociferabatur: *Hei mihi, quæ reliqui prædia?* Alius *verò: Heu quàm fertiles agros?* Alius: *Me miserum, qualem reliqui domum?* Alius, *Va, væ infantulis meis.* Alius: *Quis nunc vuas decerpet è vitibus, quas hoc anno plantaui?* Hæc Micyllus plorantes ridebat. Sed iubebatur & ipse cum plorantibus complorare, quandoquidem fas non esset, quemquam citra

citra lachrymas pernauigare. Negantem sibi causas esse plorandi rogabat Mercurius, vt saltem pro more paulisper ingemeret. Cui Micyllus, *Quin hac gratia, quando ita vis*, inquiebat, *plorabo.* Cumque aliam plorandi causam nullam posset excogitare, ita ingemuit: *Hei mihi, quot lora reliqui, hei crepidas antiquatas! Eheu marcidos calceos. Non ego infelix posthac à manè ad vesperam vsq; sine cibo peragam, nec hiemis tempore sine calceis & seminudus oberrabo, dentes præ frigoris acerbitate complodendo. Quis tandem meam habebit subulam? quis aciculam?* Talia nimirum pauperibus in morte occurrunt momenta lamentandi.

IV.

Poëtica hac fictione homo etiam impius expressit veritatem, qua agnita, vel ipsi Philosophi Ethnici opulentiæ paupertatem antetulerunt, vt expeditiùs morerentur. Sed longè efficaciùs, quàm ægrè diuites, quamq; magno animo pauperes ex hac vita exeant, veræ historiæ docuerunt. Balthassar rex Babylonis, magnæ potentiæ, magnarum opum, exemplo Nabuchodonosoris patris, hoc est, aui sui, qui ante eum fuerat in figuram bestiæ commutatus, non est correctus: sed *fecit grande conuiuium optimatibus suis mille, & præcepit iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem &c: Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, ferreos ligneosq; & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est: & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius adse inuicem collidebantur.* Ecce quò diuitiæ ducant; raptæ è templo à Nabuchodosore, per filium eius Euilmerodach, ad nepotem Balthasarem (qui consueto scripturæ more, aui sui filius vocatur) sacrilega hæreditate transierunt; ille, vt opulentus, epulatus est; immo & inebriatus; deinde non solùm sacrilegus possessor, sed etiam vsurpator fuit, nam nouum sacrilegiũ commisit vasa Deo dicata profanando. Deniq; id fecit, nõ sine insigni contumelia veri Dei, cui invasis cultui eius dicatis insultauit, quippe cum combibonibus suis laudabat *deos suos aureos & argenteos, &c.* quasi victores Dei Israël. At non morata est vindicta diuina. Non enim duntaxat eâdem statim nocte in-

Daniel. 5.

Ierem 27. filius filij eius vocatur.

cte interfectus, & regnum eius ad Medos & Persas transiatum est, sed etiam animaduertens, mortem sibi portendi, totus cohorruit; & mortem vel temulentus ita apprehendit vehementer, vt *facies eius commutaretur*, & quæ antè vino rubebat, iam repentè expalleſceret; quiq; paulo priùs totus erat in lætitijs, iam subitò intemperijs agitaretur, & *cogitationes eius conturbarent eum*; quin etiam adeò vel suspicione necis commouebatur, *vt compages renum eius soluerentur*, adeò totis artubus contremiscebat, vt *genua eius ad inuicem colliderentur*. Quod videmus etiam sæpe contingere illis, qui inter pocula saturi arma & prælia iactant, ipsiq; etiam Marti & cælo minantur. Putares illis robur & æs triplex circa pectus esse, sed cùm ad rem venitur, cùm confligendum est, & manus conserendæ, tum morbum fingunt, tum medicinam sumunt, ne cogantur prælijs interesse. Quin & cùm verè ægrotant, animo magis quàm corpore deijciuntur, nec quidquam tristiore vultu audiunt, quàm cùm dicitur: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Quod vbi vel Ezechias audiuit, *fleuit fletu magno.* Nimirũ *amara est memoria* mortis *homini pacẽ habenti in substantijs suis.*

Isa. 38. 1.

Eccli. 41. 1.

V. Quod etiam in Antiocho demonstratum est, qui, vt mortẽ euaderet, quid non fecit? immo quid se facturum non simulauit? 1. *Cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga.* 2. *Cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Adeò non mente tantùm illuminatus est, sed lingua quoq; errorem suum confitebatur. 3. Vt seriò loqui videretur, etiam operà adiecit. Nam *& ciuitatem, ad quam festinans veniebat, vt eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere; & Iudæos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed auibus ac feris diripiendos traditurum, & cum paruulis se exterminaturum dixerat, æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur.* En vt se emendauit! En vt maleficia beneficijs compensat! 4. *Templum etiam sanctum, quod priùs expoliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumtus de redditibus suis præstaturum* spondet. Vides vt etiam Deo velit satisfacere? 5 *Super hæc & Iudæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem promittit.* Quid

2. Mach. 9. 11.

potuit

potuit ampliùs expectari, aut optari? 6. Scripsit & ad Iudæos litteras humanitatis plenissimas. Denique omnem lapidem mouit, & tamen de eo dicitur: *Orabat autem hic sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Igitur homicida, & blasphemus peßimè percussus, & vt ipse alios tractauerat, peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.* Quid ita? cur tanta faciens misericordiam non est consecutus? Respondet Augustinus: *Nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ, & fidei.* Atqui *Iudæum se futurum* promisit? An non hoc erat in vnitatem Ecclesiæ, & fidei velle venire? Nimirum hæc omnia cogitabat, dicebat, faciebat Antiochus tantùm vt sanitatem consequeretur; neque ex animo credebat in Deum Iudæorum, neque verè statuebat seruare religionem ab ipso præscriptam; tantùm enim hæc tam speciosa promittebat, vt posset euadere præsentem calamitatem; quasi Deum id lateret, aut diuinus oculus decipi posset. Nimirum vsq; adeò potentes isti omnia ponunt in hac vita, vt mortis effugiendæ caussa, quiduis agere, quiduis pati; & vel religionem ipsam, omniaque sacra & profana vendere velint; nihilq; magis quàm mortem abominentur. Est enim *mors peßima peccatorum.*

2. Machab. 9. 13. & 28.

S. Augustin. de vera & falsa pœnit. c. 11.

Psal. 33. 22.

VI.

At pauperum *mors pretiosa, quia ipsorum est regnum cælorum.* Hinc mortem non formidant, sed sperant, tamquam ianuam felicitatis. Simeoni Episcopo & martyri, successit in officio Sadoth, apud Persas Christianorum persecutores; cui quale ostentum sit visum, ipse clam ad se conuocato clero in hunc modum exposuit. Vidi, hac nocte, fratres, per somnum, scalas à terris vsque ad cælum splendidè erectas. Ad verticem earum, in cælo, consistebat, clarissima in luce refulgens inclytus martyr Simeon Episcopus; is me ad pedem scalarum in terris stantem, ita compellabat: *Ascende ad me Sadoth, ascende, ne timeas: ego enim heri ascendi, tu autem cras ascendes.* Quod ego ita accipio, vt existimem, sicut ille priore anno pro Christo mortem oppetijt, ita me hoc anno, pro eiusdem nomine sanguinem profusurum. Hæc vbi dixit, cœpit etiam diaconos ac presbyteros præsentes ad mortem fortiter patiendam his verbis adhortari. *Fratres mei dilecti & Patres, Deum amemus ex tota anima, & Dominũ Iesum Christum ex tota mente: & induti loricafidei non timebimus omne malum. Mors autem & cædes si ad nos venerit,*

Psal. 115. 15. Matth. 5. 3. Surius ex Metaphraste 10. Febr.

non formidemus, sed vnusquisq; nostrùm bellum gerat pro viribus, & decertet, vt perfectus athleta. Nam siue moriamur, moriemur vt perfecti: siue viuamus, viuemus vt iusti. Quòd si etiam moriamur, moriamur propter nostrum Saluatorem Iesum Christum. Cùm ergo ensis det vitam, adeste, & eum rapiamus. Et quoniam micat gladius, aeterna vitae opes nobis comparemus. Quàm diu enim est dies, celeri pede pergamus ad mansionem regni caelestis, vt abundantiorem honorem, & gloriam aeternam consequamur, & omni futura generatione vobis nomen & gloriam relinquamus. Fratres, oremus Deum nostrum, vt citò nobis impleat hanc visionem. Nam cum gaudio & desiderio, & magno amore accipit spiritualis aduentum talis mortis: neq; timuerit aliquis, qui fuerit praeparatus. Carnali autem est terribilis, & formidandus eius aduentus. Spiritualis non timet mortem, vt qui vitam possideat spiritalem. Carnalis verò caligat, & tremit, vt qui carnalem vitam habeat. Qui sunt viri boni, promptoq; & alacri animi studio, talem mortem persequuntur, vt ex ea vitam aeternam possideant. Qui sunt autem ignaui & pigri, ij, eâ visâ, se abscondunt. Qui Deum diligunt, ad Deum excesserunt. Qui verò mundum, manent in mundo. Illi quidem resoluti ad laetitiam, & exultationem, hi autem ad afflictiones, & suspiria. His verbis S. Sadoth se, & centum viginti octo de clero, ita accendit, vt omnes, sub Sapore, lætantes, & cantantes, & Deo gratias agentes, catenati ad mortem currerent. Nam ferro, non affectu alligati, à paupertate sua, ad cælestes diuitias, liberè, sponteque properauerunt.

VII. De Blesillæ viginti annorum viduæ morte ita matrem Paulam consolatur D. Hieronymus. *Lugeatur mortuus, sed ille, quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat, in cuius pœna aeternus ignis aestuat. Nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obuiam Christus occurrit: grauemur magis, si diutiùs in tabernaculo isto mortis habitemus. Quia quàm diu hìc moramur, peregrinamur à Domino. Illa, illa nos cupido teneat: Hei mihi, quia peregrinatio mea prolongata est à me, habitaui cum habitantibus Cedar; multum peregrinata est anima mea. Si Cedar tenebræ sunt, & mundus iste sunt tenebræ, quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt: faueam Blesillæ nostræ, quæ de tenebris migrauit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem, consummati operis percepit coronam. Reuera si saeculare desiderium; &, quod Deus à suis auertat, delicias vitæ huius cogitauerit,*

D. Hieron. in vita S. Blesillæ viduæ.

2. Cor. 5.

Psal. 119.

Ioan. 1.

gitantem, mors immatura rapuisset, plangenda erat, & omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc verò, cùm propitio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo se baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo, semper monasterium (& in eo voluntariam paupertatem) *cogitârit, non vereris, ne tibi Saluator dicat: Irascaris, Paula, quia tua filia, mea facta est filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriam possidenti? Scis enim quid de te; quid de ceteris tuis cogitem?* Huc vsque Hieronymus, qui mortẽ Sanctorum vsque adeò felicem ac pretiosam esse iudicauit, vt ne mater quidem filiæ obitum debeat deplorare. Ioannes Patriarcha Alexandrinus, qui pauperes Dominos suos appellabat, morte instante, mirificè lætabatur, dum gratias Deo ageret, quòd morienti sibi nihil superesset, præter vnum nummum, quem statim indigenti dari iussit. Annuum quippe illi patriarchatûs vectigal, annuæ in egenos eleemosynæ erant, nihil sibi reseruanti, præter Christum. Neque enim quicquam aliud suum esse dicebat, asserens, ideò sacerdotibus neque possessionem, neque partem, neque hæreditatẽ inter reliquas tribus datam, quoniam pars & hæreditas, & possessio eorum est Dominus. In summa, teste Ioanne Climaco, *Probatus ille est, qui mortem diebus singulis expectat, sed ille sanè sanctus, qui hanc horis singulis desiderat;* quod faciunt pauperes spiritu, quia aliquid lætius sperant, post mortem, secuturum. *Neq;* enim, *auara angustiaq; Christianorum religio est*, inquit S. Franciscus Xauerius, *æmiliter vt Bonziorum: non excludit cælo pauperes, non mulieres, si modò Christianè pieq; vixerint; quibus tamen Bonziorum siue auaritia, siue superstitio, cæli iter intercluserit.*

Ioan Diac. in vit. S. Greg. Magn. lib. 2.

Io. Climac. in scala cæli, grad. 61.

Horat. Tursellin. lib. 4. c. 5. de vita S. Franc. Xauerij.

CAPVT X.

Pauperum diuitias esse regnum cælorum, quod non solùm ipsis promissum, sed etiam aliis per ipsos.

I.

MEritò censetur gratia diuina eos supra naturam euexisse, qui mortem, quam natura horret, non solùm, diebus singulis, expectant, verùm horis singulis desiderant. Tales ergo cùm sint pauperes spiritu, conficitur paupertatem in beneficijs esse numerandam. Et quidem cur pauperes mortem non formident, sed ament, satis est declaratum; vt enim auari, per

Matth 5. 3. mortem, ad tormenta, ita pauperes spiritu ad gaudia tendunt, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Non est ipsorum quidem terra, sed maius quid, nempe ipsum *regnum cælorum;* vt de D. Martino Turonensi Episcopo canit Ecclesia: *Martinus hic pauper, cælum diues ingreditur,* nam ex promisso Christi, ipsius *est regnum cælorum.* Ex quo Christi oraculo duo intelliguntur: primum est eiuscemodi pauperes non in altera duntaxat vita, sed etiam in hac diuitibus esse beatiores. Alterum, eos non sibi duntaxat, sed etiam alijs esse vtiliores. Quod inde potest doceri; quia tametsi Seruator noster etiam mitibus, & misericordibus, & mundis corde, &c. regnum cælorum promittat, non promittit tamen, sub nomine *regni cælorum*, sicut paupertati voluntariæ, & patientiæ in tribulationibus est promissum. Mitibus enim sub nomine *terræ*, misericordibus sub nomine *misericordiæ*, mundis corde sub nomine *visionis Dei*, lugenribus sub nomine *consolationis &c*: beatitudinem æternam consignat. Pauperes verò beati dicuntur, *quoniam ipsorũ est regnum cælorum*, eminent enim inter ceteros, quasi quidam reges. Qua de caussa non ait: *quoniam ipsi sunt de regno cœlorum*, sed, *ipsorum est regnum cœlorum.* Quod ergo discrimen est inter reges & subditos, id quodammodo est inter pauperes ac diuites beatos: Regis regnum, subditi de regno esse dicuntur. Cùm ergo ait Dominus, *ipsorum est regnum*, ita eos extollit, vt pro regibus velit haberi. Quòd si hoc verum est in ijs pauperibus, qui non sponte, sed patienter tantùm sunt pauperes, quantò magis conueniet illis, qui libera voluntate diuitias abijciunt, & calcant, paupertatemque vltrò profitentur?

II. Iam verò illud consideratione dignum est, quòd diuina sapientia, quæ cæteris de futuro mercedem promittit, dicens: *possidebunt terram; consolabuntur; saturabuntur; misericordiam consequentur; Deum videbunt; filij Dei vocabuntur: solis autem pauperibus, ac persecutionem patientibus* ait: *quoniam ipsorum est regnum cælorum*; quia, vt D. Bernardus ait: *Regnum cælorum pauperibus non tam promittitur, quàm datur.* Hinc non dicit, *ipsorum erit*, sed, *est regnũ cælorum.* Etsi enim vera æternaq; beatitudo, non in hac, sed in altera primùm illis vita, haud secus ac ceteris sanctis, conferenda sit, iuxta illud: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, &*

Exod. 33. 20.

mo, & vinet; attamen honoris & cœtitudinis caussâ iam illorum esse dicitur. Enimuerò iam est, quoad quamdã iurisdictionem, ac potestatem id alijs quoq; aperiendi. Atque hoc est alterũ, quod paulò priùs diximus pauperes, alijs esse longè plus vtiles, quàm diuites. Diuites possunt alijs pecuniam, possunt vestem, possunt cibum, possunt domum dare, cælum dare non possunt. Atqui pauperes possunt. Non possent autem regnum cælorum alijs dare, si id illorum non esset. Regis esse regnum, propulum regni esse dicimus. Christus autem ait, pauperes non tantùm ad regnum cæleste pertinere, sed etiam regnum cæleste esse ipsorum. Etenim adeò est illorum, vt habeant potestatem illud etiam alijs dandi, seu alios in illud recipiendi. Quomodo, inquies, possunt pauperes regnum cælorum alijs dare? Diuina id veritas docet his verbis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Ita enim planè est, ad hanc pauperes voluntarij gloriam euehuntur, vt veluti cælestes quidam reges, regnum cælorum, quod illorum est, etiam alijs distribuant. Quamquam enim hæc Dei sit iurisdictio propriè, tamen pauperes sic voluit Deus honorare, vt eorum caussa facilè eos ad regnum cælorũ admittat, qui illis stipem dant, atque idcirco, quia *misericordes sunt, misericordiam consequuntur*. Non dixit autem Christus, *vt postquàm pauperes mortui fuerint, recipiant vos ibi*, sed, *vt cùm* vos *defeceritis*, seu mortui fueritis, ipsi *recipiant vos*, adhuc in hac vita manentes. Quod proprium est regum, qui etsi extra regnum suum versentur, tamen alios in regnum intromittere possunt. Ad eumdem enim modum pauperes, adhuc extra cælum existentes, alios ad cælum queunt promouere, non impetrando tantùm, sed etiam viscera eorum mouendo, vt fiant misericordes, atque idcirco & ipsi misericordiam consequantur. *Hæc est illa perfecta iustitia*, inquit Lactantius, *quæ custodit humanam, de qua Philosophi loquuntur, societatem. Hic diuitiarum maximus ac verissimus fructus est non vti opibus ad propriam vnius voluptatem, sed ad multorum salutem; non ad præsentem suum fructum, sed ad iustitiam, quæ sola non interit.*

Luc. 16. 9.

Lactant. l. 6. cap. 12 de vero cult.

Orationes sanè pauperum dignas esse, quæ impetrent, quod orant, ostendit D. Petrus in Thabitha, quæ *erat plena bonis operibus, & Eleemosynis, quas faciebat*, pro qua Petrum *circumsteterunt*

III. Act. 9. 36.

omnes viduæ flentes & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Ob quas preces eam Apostolus à morte ad vitam reuocauit. Flexit Petrum oratio pauperum, & non flectat Deum infinitè misericordem? qui semper *respexit in orationẽ humiliũ, & non spreuit precẽ eorũ.* An non intuens eleemosynas dantis, & preces accipientis, peccatorem quoque, qui peccata sua eleemosynis redimit, ad gratiam, quæ est vita spiritualis, reuocabit? immò an non defunctos ad æternam vitam in cælo degendam admittet? Hac de caussa in primitiua Ecclesia agapæ funerales sunt institutæ. *Cur post mortẽ tuorũ pauperes vocas;* inquit Chrysostomus, *cur presbyteros, vt pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro, te responsurũ: vt defuncto requiẽ adipiscatur, & propitiũ judicẽ inueniat.* De qua consuetudine loquitur etiam D. Paulinus cùm scribit: *Itaque patronos animarũ nostrarũ pauperes, qui tota Roma stipẽ meritant, multitudinẽ in aulam Apostoli congregasti. Pulchro equidẽ tanti operis tui spectaculo pascor. Videre enim mihi videor, tota illa religiosa miserandæ plebis examina, illos pietatis diuinæ alumnos tantis influere penitus agminibus in ampliſsimã glorioſi Petri basilicã, per illam venerabilẽ regiã carnia eminus fronte ridentẽ, vt tota & intra basilicã, & pro ianuis atrij, & pro gradibus campi spatia coarctentur. Video congregatos ita distinctè per accubitus ordinari, & profluis omnes saturari cibis, vt ante oculos Euangelicæ benedictionis vbertas, eorumq; populorũ imago versetur, quos quinq; panibus & duobus piscibus, panis ipse verus, & aquæ vinæ piscis Christus expleuit.* Hæc & plura ibidem S. Paulinus de epulis, quæ, pro defunctis, dabantur paupertinæ plebi. Cui olim accensi sunt & sacerdotes & Religiosi. Ita enim scribit Origenes: *Sic itaq; nos diem natiuitatis celebramus, quia in perpetuo viuunt hi, qui moriuntur: celebramus nimirũ, Religiosos cum sacerdotibus conuocantes, fideles vnà cum clero, inuitantes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriã requiei defunctis animabus, quarũ memoriã celebramus; nobis autem efficiatur in odorẽ suauitatis in conspectu æterni Dei.* Ad eumdẽ finem & olim, & etiamnum mendici ad fores templorũ sedere consueuerunt; non enim modò id fiebat, ne obstrepentes sacra agentibus in Ecclesia, atq; inibi precantibus molesti essent; sed & vt ingredientes in templũ priùs ipsos exorarent, atq; ita grati eorum postea preces, suis quoq; precibus gemi-

narent

Pſal. 101. 18.

Dan. 4. 24.

S. Chryſoſt. in Matth homil 32.

S. Paulin. ep. 31. ad Alethiũ de funere vxoris Rufinæ, filiæ S. Paulæ,

Origen. lib. 3. in Iob.

marent potentioresq́; redderent. Vt enim plurium vox longiùs auditur, quàm vnius, ita fortior fit altiúsque in cælum ascendit oratio illius, cum quo orant eleemosynæ pauperibus distributæ. Nam & hoc quoque Dominus indicat, cùm ait: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terrã, de omni re, quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Morem hunc mendicos extra Ecclesiam, ad mendicandum (nam ad alia diuina peragenda ingredi eis licebat) constituendi, discimus in claudo illo, qui à suis ad templi portam Speciosam fuit expositus. Causſam indicat D. Chrysostomus, dum ait: *Propterea & ante Ecclesias, & martyrũ monumenta pro foribus pauperes sedent, vt nos ex eiusmodi spectaculo multũ capiamus vtilitatis: Considera namque quòd nobis terrenas ingredientibus regias, nihil huiusmodi cernere licet, sed viri honesti, & splendidi, & diuites, & prudentes passim discurrunt: ad veras autem regias, ad Ecclesiã dico, & oratorias ades, & martyrũ templa, dæmonibus pressi, truncati, pauperes, senes caci, membra ferentes obtorta. Quid hoc tandẽ? vt tu docearis.* Quid? audire illos foris, vt te audiat Deus intus; succurrere illorum egestati, vt tuæ vicissim necessitati succurrat Deus. Nam si audiueris, audieris. Illi enim tecum orabunt, quia pro te. *Ita petitionũ clamor*, ait D. Gregorius Nazianzenus, *internis templi cantibus ex aduerso respondet, atq; è regione mysticarũ vocũ miserabilis luctus excitatur.* Sic ergo pauperum est regnum cælorum, vt illud alijs quoque impetrent, quorum orationi pondus addunt; & cum illis velut canes quidam venatici, cælum venantur, quemadmodum B. Amadéus Sabaudiæ dux dicere solebat.

Matth. 18. 19.

Actor. 3. Chrysost. ad pop. Antioch. hom. 28.

D. Gregor. Nazianz. in orat. de amore pauperum.

Sebast. Munster. lib. 2. Cosmogr.

Sed altero quoque modo vim habent, vt recipiant diuites in æterna tabernacula, qui se eorum ærumnis passi sunt moueri, vt fierent misericordes, & diuitias suas per eos, ante se, in cælum, præmitterent, per eleemosynam, quia *ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiã, & vitã æternam*, ait Archangelus. Et Dauid: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperẽ, in die mala liberabit eum Dominus.* Qui, licet sit iudex æquissimus, tamen hac pecunia se finit placari, quæ per manus pauperum ad eum transmissa ex iudice patronum facit. Siquidem, vt aureum os loquitur. *Hac Christi astat tribunali, non tantùm patrocinans, verùm & ipsi persuadens Iudici, vt reo patrociniũ præstet, & pro eo sententiam ferat: & licet*

IV.

Tob. 12. 8.

Psal. 40. 1.

S. Chrysost. hom. 33. ad pop.

licet millies peccauerit, coronat, & victorem promulgat. Propertij versus est.

Propert lib. 3. *Haud vllas portabis opes, Acherontis ad vndas,*
Nudus ad infernas, stulte, vehêre rates.

Quàm vellent res suas secum tollere diuites cùm moriuntur? Sed, præter vilem pannum, aut vestes exiguas, mox à putredine atque vermibus consumendas, nihil hinc secum auferre sinuntur; nec, si ferrentur, prodessent. Est tamen vnus ille modus, quo, quidquid volunt, vtiliter possunt, per manus pauperum, ad cælestes thesauros transmittere, si quidem egentibus non pigeat committere. S. Cyprian. tract de opere & eleemosyna. *Patrimonium Deo creditum,* ait S. Cyprianus, *nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur.* Quo pacto Ribadeneira scribit, S. Catharinæ Senensi aliquando Christum apparuisse, eique crucem argenteam exhibuisse (quam illa, cùm aliud ad manum non haberet, pauperi dederat) atque adiecisse, se illam olim in extremo judicij die toti mundo ostensurum. Vsque adeò non perdita illa erat, sed seruata. Ribaden. in vita S Catharinæ. Quemadmodum illa eleemosyna, quam D. Gregorius refert, à pia quadam muliere datam. Illa enim, cùm duobus martyribus, peregrino habitu apparentibus stipem pro more suo porrexisset, ingratiarum actionem hæc ab eis verba audiuit: *Tu nobis modò opitularis, tibi nos extremo & periculosissimo die opitulabimur.* Ita non modò *beati sunt pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* sed etiam quoniam ad illud alios quoque possunt promouere: immò & illi sunt beati, qui pecuniam, cibos, vestes, aliaque dant pauperibus, quia vsuram vberem atque honestam exercent. Nempe *terrena omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus,* ait D. Gregorius. Psal. 75.

V. Præclarè id docet etiam D. Augustinus in hunc modum diuites alloquens: *Mundum præstat Deus pauperi, præstat & diuiti. Numquid quia dives est, duos ventres impleturus est? Attendite, & videte, quoniam de datis Dei pauperes saturati dormiunt. Qui pascit vos, pascit illos per vos. Ergo non ametur pecunia, sed si jam habent hoc inde fiat. Diuites, qui illam habetis, estote. Sed vnde diuites? In operibus bonis; facilè, inquit, tribuant, communicent. Hîc jam auaritia contrahit se, quando audit, facilè tribuant, communicent, velut aquâ frigidâ perfunditur, rigescit, stringit sinum, & dicit: non perdo labores meos. Infelix per-* S. Augustin. hom 13 libri 50. Homiliar.

lix perdere vis labores tuos. Ecce morieris, & qui nihil huc attulisti, nihil hinc potes auferre. Cùm nihil abstuleris, nonnè perdidisti omnes labores tuos? Audi ergo consilium DEI: nolo terrearis, quia dixit: facilè tribuant, communicent. Audi & quod sequitur, expecta, noli contra me claudere ostium, nec aditum cordis tui, expecta. Vis nosse, facilè tribuant, communicent, quia non perdes, & hoc solùm non perdes: Thesaurizent, inquit, sibi fundamentum bonum in futuro, vt apprehendant veram vitam, ista ergo quæ te delectat, falsa vita est, quasi in somnis hîc viuis. Si quasi in somnis hîc viuis, euigilaturus es, quando morieris, & nihil habes in manibus tuis inuenire. Quomodo si mendicus dormiat, & in somnis illi veniat hæreditas, nihil illo felicius, antequam surgat. Videt se in somnis tractare manibus vestes egregias, pretiosa vasa, aurea, & argentea, intrare in amœnissima, & amplissima prædia, obsequi sibi magnas familias: euigilat, & plorat. Et quomodo vigilans accusat hominem, qui illum expoliauit, sic illum accusat, qui illum excitauit. Apertissimè hinc locutus est psalmus: Dormierunt, inquit, somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis, postea quam finierunt somnum suum. Quia ergo nihil attulisti, nihil hinc ablaturus es. Mitte sursum, quod inuenisti, & non perditurus es. Da Christo, Christus enim hîc voluit accipere. Da Christo, & perdis? non perdis. Si commendas seruo tuo, quod acquisiuisti, & non perdis, commendas Domino tuo, & perdis? si commendas seruo tuo, quod acquisiuisti, & non perdis, perdes si commendes Domino tuo, quod accepisti ab ipso Domino tuo? Egere hîc voluit CHRISTVS, sed propter nos. Omnes pauperes, quos videtis, potuit illos Christus pascere, quomodo per coruum Eliam pauit; tamen & ipsi Eliæ subtraxit coruum, vt à vidua pasceretur, non Heliæ præstitit, sed viduæ. Quando ergo Deus pauperes facit, quia ipse non vult, vt ipsi habeant, quando facit pauperes, probat diuites. Sic enim scriptum est; pauper & diues occurrerunt sibi. Vbi sibi occurrerunt? In hac vita. Natus est ille, natus est ille. Inuenerunt se, occurrerunt sibi. Et quid? fecit autem ambos Dominus. Diuitem, vnde pauperẽ adiuuaret; pauperẽ, vnde diuitem probaret. Pro viribus suis vnusquisq; faciat. Non sic faciat, vt ipse patiatur angustias. Non hoc dicimus. Superflua tua necessaria sunt alys. Audistis modò cùm Euangelium legeretur: Quicumq; dederit calicem aquæ frigidæ, vni ex minimis meis propter me, non perdet mercedem suam. Regnum calorum venale Psalm. 75.

proposuit, & pretium eius calicem aquæ frigidæ esse voluit. Sed quando est pauper qui facit eleemosynam, tunc debent eleemosynæ eius esse calix aquæ frigidæ. Qui plus habet, plus faciat. Vidua illa de duobus minutis fecit, Zacchæus dimidium rerum suarum dedit, & ad reddendas fraudes suas, aliud dimidiũ reseruauit. Eleemosynæ illis prosunt qui vitã muuerunt. Das enim Christo egenti, vt peccata tua redimas præterita. Nam si ideò illi das, vt liceat tibi semper impune peccare, non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris: ergo ad hoc facite eleemosynas, vt vestræ orationes exaudiantur, & adiuuet vos DEVS ad vitam in melius commutandam. Et qui commutatis eamdem vitam, in melius commutate, vt per eleemosynas & orationes deleantur mala vestra præterita, & futura bona veniant sempiterna.

VI. Quis vmquam diues tantam habuit potentiam, quis authoritatem tantam? Pauperi das, & Deus accipit. Immò & pauper tibi cælum aperit, teque recipit. Recipere in cælum Dei est, sed adeò illi chari sunt pauperes, vt hanc jurisdictionem suam velit cum illis habere communem. Hanc illorum potestatem quia agnoscunt Principes & Reges, ideò tantis eos sibi largitionibus deuinciunt, sibique amicos reddere studeant, vt ab eis in æterna tabernacula recipiantur. Placilla Theodosij Imper. vxor, teste Theodoreto, pauperes & infirmos sua manu fouebat; cùm autem quidam vellent illam ab hoc opere auocare, dixit: *Aurum distribuere decet Imperatorem: ego autem pro ipso Imperio, ei qui idipsum dedit, operam hanc offerre debeo.* S. Augustinus, teste Possidonio, vasa Dominica, ob captiuos, & alios egentes frangi iussit, & in eos dispensari: &, si quando Ecclesiæ pecunia deesset, populò denuntiabat, non habere se, quod in pauperes erogaret. Acacius Amidæ Episcopus, apud Socratem, vt pauperes Persas captiuos, numero septies mille redimeret, vasa sacra vendidit, dicens suis clericis: *Deus noster neq; lancibus, neq; poculis eget; quare conuenit hac in militũ afflictos dispertiri.* Et Theophilus, apud Sozomenum: *Præstat*, inquit, *ægrotorũ corpora, quæ verius Dei templa sunt, restaurare, quàm lapidea ædificare;* quantò magis, quàm profana palatia, theatra, sphæristeria, marmorea equorum stabula?

Theodor. l. 5. hist. c. 18.

Possidon. in vit. S. Augustin. c. 24.

Socrates l. 8. cap. 21.

Sozomen l. 8. cap. 12.

VII. D. Augustino consonat Lactantius, simul etiam inanem quemdam metum remouet ab ijs, quos solicitudo incurrendæ pau-

Lactant. l. 6.

pertatis

pertatis impedit à liberalitate in pauperes. Ita enim loquitur: *Dicet aliquis fortasse: si hæc omnia fecero, nihil habebo. Quid enim si magnus hominũ numerus egebit, algebit, capietur, morietur; vt hæc facientem vel vno die patrimonio exui, sit necesse: perdámne rem familiarẽ, meo aut maiorũ labore quæsitam; vt jam ipsi mihi aliena misericordia viuendum sit? quid tu tam pusillo animo paupertatẽ times, quam etiam vestri Philosophi laudant? nihil hac tutius, nihilq; hac tranquillius esse testantur? Hoc, quod times, solicitudinũ portus est. An ignoras, quot periculis, quot casibus, cum his malis opibus subiaceas? quæ tecum bene agent, si sine tuo cruore transierint. Tu verò onustus incedis, & spolia geris, quæ irritent animos etiam tuorũ. Quid ergo dubitas, bene collocare id quod tibi forsitan eripiet, aut vnum latrociniũ, aut existens repentè proscriptio, aut hostilis aliqua direptio? Quid verere, fluxum & fragile bonum facere sempiternũ, aut thesauros tuos custodi DEO credere; vbi non furem prædonemq; timeas, non rubiginem, non tyrannum? qui apud DEVM diues est, pauper esse numquã potest. Si justitiam tanti putas, sequere abiectis oneribus, quæ te premunt, libera te ipsum compedibus & catenis; vt expeditus ad DEVM curras. Magni & excelsi animi est, despicere, & calcare mortalia. Sed si hanc virtutem non capis, vt diuitias tuas in arcam DEI conferas, vt fragilibus tibi compares firmiora, liberabo te metu. Omnia ista præcepta non tibi soli dantur, sed omni populo, qui mente coniunctius est, & cohæret, sicut homo vnus. Si solus magnis operibus non sufficis, pro virili parte operare justitiam; sic tamen, vt quantum diuitijs inter cæteros, tantum opere præcellas. Neq; nunc suaderi tibi putes, vt rem tuam familiarem minuas, vel exhaurias, sed quæ in superuacua fueras impensurus, ad meliora conuertas. Vnde bestias emis, hinc captos redime; vnde feras pascis, hinc pauperes ale; vnde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli. Quid prodest perditæ nequitiæ bestiarios facere locupletes, & ad flagitia instruere? Transfer ad magnum sacrificium malè peritura, vt pro his veris muneribus habeas à DEO munus æternum. Magna est misericordiæ merces; cui Deus pollicetur peccata se omnia remissurum. Si audieris, inquit, preces supplicis tui, & ego audiam tuas; si misertus laborantium fueris, & ego in tuo labore miserebor. Si autem non respexeris, nec adiuueris, & ego animum tuum contra te geram, tuisq; te legibus judicabo.*

de vero cultu cap. 12.

Multis res firmari exemplis potest. Præclarum est illud, quod VIII.

Euirat. in Prato Spirit. cap. 195. Prou. 19. 17.

de Euagrio Philosopho refertur. Eum Synesius Episcopus ad Christi scholam cultumque traxerat; docueratque, illum, qui succurrit pauperi, *fœnerari Domino;* eaque omnia, quæ in hac vita egentibus distribuuntur, in altera vita, præter centuplum, cælo remuneranda. Audijt Euagrius, & credidit, bonaque fide Episcopo tercentum auri pondo in manus consignauit, in pauperum stipem, dicens: *Accipe hoc, & distribue pauperibus, & da mihi cautionem manu tua, quòd Christus mihi ipsum reddet in futuro sæculo.* Accepit Præsul aurum, & conditionem, syngraphamque Philosopho conscripsit. Aliquot inde vixit annis Euagrius; tandem tamen morti proximus, filios ad se vocauit, eisque hoc mandatum dedit: Ecce ratis cedo, vos mihi iusta persoluite. Cùm verò funus meum curabitis, chirographum hoc mihi in manus tradite, atque ita me tumulate, vt apud iudicem ex syngrapha agere queam. Paruerunt gnati, parentemque cum scripta cautione sua sepeliuerunt. Tertius à sepultura dies in noctem ijt; cùm Euagrius Synesio Antistiti se visendum stitit, eumque iussit ad suum sepulchrum tendere, & chartam fidei testem recipere, abundè enim sibi satisfactum esse, quod & manu suâ subscriptum reperturus esset. Facto die Episcopus cum clero sepulchrum adijt, reperit reserato tumulo chartam à se confectam, in defuncti manu hoc pacto, subscriptam: *Ego Euagrius Philosophus accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, satisfactumq; mihi est, & nullum habeo contra te jus, propter aurum, quod dedi tibi, & per te Christo Deo, & Saluatori nostro.* Contigit hoc miraculum, vt constaret, vbi thesaurum suum repertu-

Baron. Anno 1033. Bodinus lib. 6. de Rep. cap. 2.

rus esset, qui eum audet pauperibus concredere. Quod quia vtilissimũ est, Robertus rex Franciæ pauperibus stipem sua manu distribuebat, eorumq; manus exosculabatur, & quotannis, die Iouis sacro, trecentis iusculum, piscem, panem & nummum argenteum porrigebat, & quocumque ibat, plena pauperum plaustra secum circumuehebat, tamquam exercitum, vti aiebat, quo cælum iret expugnatũ, dicebatq; : hoc esse genus hominũ, quibus Deus cælestis regni fores tradidisset, ijs aperiendas, qui in ipsos misericordiæ viscera priùs aperuissent. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei,* ait Salomon. Hinc & S. Leo: *Deus,* inquit, *fideiussor est pauperum, & largissimus redditor vsurarum.*

Prou. 19. 17. S. Leo serm. 6. de ieiunio 10. mensis.

rum. Quamobrem D. Chrysostomus homiliam propriam de hoc argumento fecit, cui titulus est: *Quòd eleemosyna est ars omnium quæstuosissima.* S Chrysost. hom. 33.

CAPVT XI.

Pauperum diuitias, esse Virtutes.

QVàm verè dixit Salomon? *Est quasi diues, cùm nihil habeat: & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Quid enim pauperius diuite, cui non solùm admodum difficile est, intrare in regnum cælorum, sed etiam si vult intrare, debet intrare per pauperum preces, & ab illis, stipe data, cælum quodammodo emere? Vnde meritò censetur magna pars diuitiarum, quas possident, ad pauperes pertinere; siue deinde titulo iustitiæ, siue charitatis ad eos pertineant. Quia certè, etsi, vt D. Chrysostomus dixit, *Diuitiæ non sunt peccatum, tamen peccatum est, eas non distribuere pauperibus.* Atque hinc etiam *est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit:* nam ad illum pertinent, quæ diuitibus superfunt. Accedit, quòd sint *diuitiæ maximæ, non egere diuitijs.* Quin, si rem rectè ac suis momentis volumus ponderare, diuitiæ ibi demum veræ sunt, *vbi tinea non corrumpit,* profectò necesse est, pauperes esse in multis diuitijs, *quoniam ipsorum est regnum cælorum,* non spe duntaxat, sed etiam re, quia etiam adhuc in hac vita degentes potentiam habent, illud alijs, dicto modo, largiendi. Hinc enim Seruator non ait: *Ipsorum erit,* sed *Ipsorum est regnum cælorum,* potestate scilicet. Erit autem etiam possessione, quia, vt sanctissimus Antistes ait, *soli illi, qui se cognoscunt pauperes, & confitentur tibi, Domine Deus, paupertatem suam, ditabuntur à te: quoniam qui se diuites existimant, cùm sint pauperes, à tuis diuitijs inuenientur excluſi.* Et alio loco: *Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, vt per paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inueniri. Vis nosse, quàm locuples sit? Cælum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod paupertati videmus indultum?* Ac rursus alibi. *Vobis dico, pauperes, qui mendicatis, qui de eleemosyna Christianorum viuitis. Consolamini, consolamini, tribulatio vestra conuertetur in latitiam, & dolor vester in gaudium. Non vobis sit ingratum, quòd mendicatis, nec ideò in corde vestro aliquid contra*

I.

Prou. 13. 7.

Matth. 5 3.

S Augustin. lib. soliloq. cap. 15.

Idem in cõmun. serm. 59.

Idem serm. 3: de Natiuit.

Deum dicatis, quia ille iustus & pius, in omnibus operibus suis. Et ideò te fecit pauperem, vt sufferendo breuem inopiam, æternam vitam acquireres. Et diuitem ideò fecit, vt dum tibi superflua daret, remedium peccatis suis acquireret. Rectè igitur vereque dixit Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

II. Quamquam etiam aliud mihi insuper videtur latere arcanum in his verbis. *Regnum* enim *cælorum* non solùm est in cælo empyreo, vbi beati cum Christo regnabunt in perpetuas æternitates; verùm etiam in terris. Nam variè in diuinis litteris *regnum cælorum*, & *regnum Dei* accipitur. 1. Pro vita beata & præmio, quod Sanctis datur, vt cùm Christus dicit: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum,* quia non itur ad cælum verbis, sed factis. Id ipsum intelligit S. Io. Baptista, cùm ait: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum:* dicitur enim appropinquare regnum cælorum, quia cùm antè clausum fuisset, paulò pòst per mortem Christi erat aperiendum, antequam nemo in cælum ingressus est. 2. Pro Ecclesia, vt cùm dicitur: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum,* hoc est, in Ecclesia, *filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Rapuerunt enim, hoc est, extorserunt multi gentiles fidem, Euangelium, Ecclesiam de manibus Iudæorum, qui in possessione erant. 3. Pro gratia & renouatione Spiritus, & choro virtutum; quo sensu ait Christus: *Ecce regnum Dei intra vos est.* Quemadmodum ergo alibi transfigurationem suam regnum suum vocauit, non quia propriè regnū, sed quia futuri regni imago erat; ita in illo homine regnum cælorum esse dicitur, in quo est quædam regni cælorum similitudo. Est autem maxima similitudo in eo, in quo fides obscura claræ visioni Dei viam sternit, & spes comprehensioni; charitas amori gaudioque respondet, ac ceteræ virtutes, per quas nos Deus regit, & in quibus regnat; sicut regnat in cælo. Igitur *beati* sunt *pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* hoc est, tanta virtutum collectio & plenitudo, vt iam in cælo esse videantur; quarum possessione, longè sunt diuitibus mundi ditiores. In his lucet aurum, sed plus lucet fides & virtus in illis. Qua de caussa vtrosque ita alloquitur D. Augustinus: *Aduersus Dominum nolite murmurare. Audite*

Matth. 7. 21.

Matth. 3. 2.

Matth. 8. 11.

Luc. 17. 21.

Matth. 16. 28.

S. Augustin. super Psa. 105.

dite me, ô pauperes. Quid non habetis, si Deum habetis? Audite me, diuites, Quid habetis, si Deum non habetis? Qui alibi addit. *Ergo videamus, qui aurum non habet, quid habet. Virtutem habet, fidem habet.* Omnes virtutes habet. Habet ergo regnum Dei intra se. Idem in cõmun ser. 59.

III.

Quamobrem *est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Quemadmodum Crœsus aliquis, *est quasi dives, cùm nihil habeat.* Siquidem vt D. Gregorius testatur, *solæ diuitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus diuites efficiunt. Si ergo, fratres, diuites esse cupitis, veras diuitias amate; si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curiâ adscribi festinate.* Est autem Angelorum curia, regnũ Dei, ad quod tenditur per virtutes, hoc est, per regnum, quod Deus habet in nobis. Quòd si ergo paupertas ad virtutes viam sternit, efficitur & veras diuitias esse pauperum, & regnum cælorum non solùm ad illos pertinere, verùm etiam intra illos esse. Quemadmodum ergo diuitiæ occasio sunt omnium vitiorum, vt suprà monstraui, ita paupertas ansam præbet omnium virtutum. E corporis morbo, vt ait Plutarchus, quidam hoc excerpunt commodi, quòd vacant negotijs, quibus distinebantur, & quosdam labores obiecti reddidere validos. Sic multis exilium, paupertas, naufragium, adde & bellum, & quidquid infestus secum fert hostis, occasio fuit philosophandi. Prou. 13. 7. S. Gregor. in Euang.

IV.

Atque inprimis constat, sicut otium vitijs aditum aperit, ita labore industriaq; virtutes comparari. *Multam enim malitiam docuit otiositas, & cùm dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt.* Nimirum *sicut aqua*, ait B. Laurentius Iustinianus, *quæ caret decursu, ac iacet in foueis, putrescit, ac humano vsui aliena efficitur, repleturq; animalibus venenatis & noxijs; ita & corpus otij tabe confectum concupiscentiarum ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam.* Quod Valerius hoc exemplo confirmat. *Appium Claudium crebrò solitum dicere accepimus: Negotium populo Romano melius, quàm otium committi. Non quòd ignoraret, quàm jucundus tranquillitatis status esset; sed quòd animaduerteret, prapotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari; nimia quiete in desidiam resolui. Et sanè negotium nomine horridum, ciuitatis nostræ mores in suo statu continuit, blanda appellationis quies* Eccli. 33. 29. Matth. 13. 25. B. Laur. Iustin lib. de perfect. gradib. c. 9. Valer. Max. lib. 7.

plurimis

Laërt. l. 6. *plurimis vitijs respersit.* Diogenes certè otiosorum negotium amorem esse dicebat, quòd hic affectus potissimùm occupet otio deditos. Ita enim fit, vt dum otio vacant, in rem negotiosissimam incidant. Et Poëta:

Otia si tollas, periêre cupidinis arcus,
Contemtæq; jacent, & sine luce faces.

Ex aduerso autem, labor & occupatio vitia excludunt, virtutem & laudem pariunt. Sallust. in Iugurth. *Etenim ignauiâ*, ait Sallustius, *nemo immortalis factus est; neq; quisquam parens, liberis vt aeternis fierent, ignauiam optauit, magis vt boni & honesti vitam suam agerent.* Quemadmodũ autem diuitiæ faciunt otiosos, ita paupertas & egestas laboriosos. Vide mihi à prima ætate pueros nobiles, quibus non illecebris trahendi sunt ad studia litterarum honestissima (nam ad mechanicos labores animum adijcere, piaculum est) aiunt se non velle fieri Doctores; satis habere opum cum progenitoribus; non opus esse, vt litteris ac scientijs se alant. Hinc vel obiter libant libros, vel toto anno eos non aperiunt pulueribus plenos, sed *conchas legunt*, vt dici solet; sed hospitia, sed sphæristeria, sed lustra adeunt, sed in filuis feras quærunt; immò in vrbibus lupas. At pauperum filij ab ipsa rerum indigentia ad laborem impelluntur; si enim non volunt olim esurire, more parentum, artes discunt, quibus se alant. Hinc, quando semel animum ad studia litterarum appulerunt, totos sese Musis dedunt, quarum ope sperant, se supra vulgus, atque ex inopia emersuros. Quod idem videre est etiam in adultis, honestè se sustentare cupientibus, illi enim vtilissimis cogitationibus mentem implent, itaque se occupant negotijs serijs, vt ludis, poculis, conciliabulis malorum, impudicorum angulis, Baccho, Veneri, & quæ alia fert otium, vacare non possint; cùm ne ad aures quidẽ scalpendas sibi otium esse arbitrentur. Quare, vt à non nemine *ignaua* dicta *est opulentia*, ita vicissim *industriam* esse paupertatem, paulò post ostendemus. De ijs autem, qui voluntarie sunt pauperes, etsi rectè dicatur: 2. Tim. 2. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus*; tamen certum est, quòd nulli rei magis dent operam, quàm vt ne horæ quidem quadrantem sinant abire otiosum, sciunt enim ambulandum esse dum lucem habent, & serendum esse eis, qui volunt tempore suo messem colligere. Vnde aiunt: Senec. ep 1, *Omnia*

aliena

aliena sunt, tempus tantùm nostrum est. Ac sanè vel sic quædam tempora nobis eripiuntur, quædã subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam fit. Hanc iacturam ergo qui agnoscunt religiosi, jam legunt, jam scribunt, jam orant, ac ne nihil agant, vel corbes texunt; dantque id vnicè operam, vt orationem lectio, lectionem meditatio excipiat; tunc maximè occupati, quando diuinis rebus occupantur. Quo pacto Scipio Africanus, si quando vacans à negotijs bellicis in litteris versaretur, dicere solebat, se numquam minùs otiosum, quàm cùm esset in otio. Senec. ep. 1. Cic. lib. 3. de offic.

V.

De humilitate, seu animi submissione quid multis disputabo? sicut diuitiarum vermis est superbia; ita humilitatis radix est paupertas. Si enim humilitas, teste D. Bernardo, est virtus, qua verissima sui cognitione sibi ipsi quilibet vilescit; quis sibi vilior videtur, quàm pauper? Quis veriùs dicere potest: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me?* Pauper non se vestit splendidè, non fert gemmas in auribus, non annulos in digitis, non torques aureos circa collum. Non epulatur opiparè, non ædificat magnificè: sed in humili degit casula, & decore panno tectus, de eo viuit, quod rus parit. Quantæ humilitatis fuit Ruth? quæ *cadens in faciem suam, & adorans super terram,* indignam se rata est vt peregrina noscereture, seq; ancillam vocitans, Domina facta est. Vnde tam humilis euasit? Pauper erat. Maria quoq; Virgo, nonne illa est, cuius Deus *respexit humilitatem,* tamquam, *ancillæ suæ,* atque idcirco eam in suam Matrem exaltauit? nempe eadem illustris fuit virginitate, paupertate, humilitate. Inde digna erat, quæ & maternitate emineret. Nimirum hæc est via ad verum honorem. Nam *qui se humiliauerit, exaltabitur, qui autem se exaltauerit, humiliabitur.* Atque hac ipsa de causa docet D. Chrysostomus, diuitias esse fugiendas, quia titulis, & pompis, & superbiæ alimenta ministrant. Verba illius sunt: *Sed honores, inquiunt, conferunt diuitiæ, & in inimicos facilius vltionem præstant, & ob hoc videbitur necessarium esse opus diuitiarum, quæ vtijs ministrant, & via tribuunt effectum, atq; inanes ambitionum bullas inflant amplius, & extollunt in maius, quòdq; superbia malum exigunt, tumidius. Immo pro* S. Bernard. de gradib. Humil. Psal. 130. Ruth. 2. 10. Luc. 1. 48. Matth. 23. 12. S. Chrysost. in tract. Quòd nemo læditur nisi à seipso.

his maximè erant diuitiæ fugiendæ; hoc enim est bestias feras homines in animis suis collocare, & in pectore nutrire. Et iterum diuitiæ suadent, vt honore quidem vero cœlestiq; careatur; falsum verò hunc veri illius colore solum, & simulata imagine fucatum requiri honorem, non veritate, sed nomine. Sicut enim meretricis vultus plerumq;, cùm fœdus, & turpis est, per naturam, fucis, & coloribus pigmentatus ostenditur, ad decipiendos, qui ignorant, quid sub velamine illius fuci contegatur; sic & diuitiæ faciunt, cùm adulatorium volunt honorem videri, neq; voces illæ populi, per quas judicibus acclamatur, ex veritate proferuntur, sed ipsæ sunt, quibus fucatum nomen depingitur honoris: nam si conscientias interroges acclamantium tibi, inuenies apud vnumquemq; eorum mille te capitibus accusari. Denique vbi metus cessauerit potestatis, & publicæ pompæ fuerit scena resoluta; tunc videas quanti oblatrantes, quanti obloquentes, quanti insimulantes, & hi omnes illis sunt, qui prius acclamabant, & immensis te laudibus extollebant. Hæc tu honorem dicis? & hæc diuitijs quærenda credis, quæ etsi sponte adessent, recusanda erant? plus enim quidem ody, quàm amoris acquirunt. Sed si vis, ostendam tibi honorem verum. Honor virtus animi est, hic honor neque è Cæsaribus præstatur, neque adulatione conquiritur, neque pecunia præparatur, nihil in se fucati habet, nihil simulati, nihil occulti: huius honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus ingratus: honor hic temporibus non mutatur, neque patitur tyrannos, nec picturam tabulæ metuit aliquando esse delendam. Hunc verum honorem spectat humilitas, quærit paupertas: falsum illum horret, fugit, execratur, quem diuitiæ pariunt. Hinc, sicut pecunia & superbia, quodam velut fœdere iunguntur; ita vicissim plerumque & paupertas & humilitas sociantur; proq; vano honore verus honor, & potentia quædam supernaturalis comitatur. Act. 3. 6. *Argentum & aurum non est mihi*, ait Petrus, qui reliquit omnia, *quod autem habeo, hoc tibi do: in Nomine IESV Christi Nazareni surge & ambula.* Plus fuit vsum membrorum dare, quàm aurum & argentum; cùm & ipsi auari, quid non auri & argenti darent, vt vel podagram à se excuterent, vsumque pedum recuperarent?

VI. Auaritia, quæ cum diuitijs crescit, paupertatem voluntariam habet è diametro repugnantem. Nam de ijs, qui eam inuiti ferunt, non loquor, in prima scilicet classe suprà ab Hugone com-

Supra c. 2. §. 3.

ne comprehensis. Quisquis enim paupertatem amat, non amat pecunias, sed vilipendit, spernit, spargit, abijcit. Quare nemo voluntario paupere est liberalior. Siquidem liberalissimus est, qui omnia donat. Donat autem omnia, qui omnia, propter Deum, vel sibi patitur libenter auferri, vel vltro dat pauperibus, aut templis, aut Dei amicis; atque hac ipsa liberalitate, non tantùm ostendit, se paupertatem diuitijs anteferre, sed etiam verè dominum esse suarum diuitiarum. Nam, teste S. Hieronymo, *Qui diuitiarum seruus est, diuitias custodit, vt seruus; qui autem seruitutis discusserit iugum, distribuit eas, vt Dominus.* Inueniuntur quidem & diuites liberales, pauci tamen eorum sunt promi magis, quàm condi; cùm interea vltronei pauperes plenis modijs opes suas in egenos profundant. Immo, si liberalitas est virtus bene dispensandi diuitias in vsus bonos sibi suisque, & alijs; nemo tali paupere vel sibi, vel suis, vel alijs melius pecunias suas dispensat. Quis enim maiores facit largitiones, sine spe retributionis, in hac terra? Etsi parum habet, non tamen parum dat, qui omnia dat. *Uberior est nummus ex paruo, quàm thesaurus ex maximo: quia non tantum quod datur, sed quantum desiderat, perpenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui sibi nil requirit,* ait S. Ambrosius. Animus vocatur liberalis & manus; sed manus propter animum. Quantus ergo animus est, tanta est liberalitas. Potest igitur & in paupere, qui vel parum, vel nihil habet in manu, magna liberalitas esse; quia magnus illi sæpenumero animus est diuitias bene dispensandi. Quod vel ex Seneca audi, ita enim loquitur: *Si beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi voluntate consisterent, eò maiora essent, quò maiora sunt, quæ accepimus. Id autem falsum est, nonnumquam enim nos magis obligat, qui dedit parua magnificè, qui regum aquauit opes animo: qui exiguum tribuit, sed libenter, qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam respicit, qui non voluntatem tantùm juuandi habuit, sed cupiditatem, qui accipere se putauit beneficium, cum daret; qui dedit tamquã non recepturus, recipit tamquam non dedisset: qui occasionem, qua prodesset, & occupauit, & quæsiuit. Contra ingrata sunt, vt dixi, licet re ac specie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt: multoq; gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur. Exiguum est, quod in me contulit, sed amplius non potuit. At hic, quod de-*

S Thom. 2. 2. q. 117. a. 1.

S. Ambros. lib. 1. de viduis.

Senec lib. 1. de beneficijs c. 7.

dit, magnum est: sed dubitauit, sed distulit, sed cum daret gemuit, sed superbè dedit, sed circumtulit, & placere, non ei, cui præstabat, voluit. Ambitioni dedit, non mihi. Socrati cùm multa multi pro suis quique facultatibus offerrent: Æschines pauper auditor, nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, inuenio, & hoc vno modo pauperem me esse sentio. Itaq; dono tibi, quod vnum habeo, meipsum. Hoc munus, rogo, qualecumq; est, boni consulas, cogitesq; alios, cùm multum tibi darent, plus sibi reliquisse. Cui Socrates: Quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi fortè paruo te æstimas? Habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam, quàm accepi. Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem diuitijs animum, & omnem iuuenum opulentorum munificentiam. Vides, quàm animus inueniat liberalitatis materiam, etiam inter angustias? Videtur mihi dixisse: nihil egisti, fortuna, quòd me pauperem esse voluisti: expediam nihilominus dignum huic viro munus; & quia de tuo non possum, de meo dabo. Neque est, quod existimes illũ vilem sibi fuisse, qui pretium se sui fecit: ingeniosus adolescens inuenit, quemadmodum Socratem sibi daret. Non quanti quæq; sint, sed à quali dentur, perspiciendum. Hæc de pauperis Philosophi liberalitate Seneca.

VII. Ex lib. 5 de vitis PP. & Ruffin. l. 3. num. 70.

Quid quòd & Deus, pauperibus suppeditat, vnde possint, non solùm muneribus animum, sed etiam animo munera æquare, etiam cum aliàs nihil habent; vel certè parum. *Dixit Abbas Euagrius, fuisse quemdam fratrem, qui nihil habuit in substantia sua, nisi tantùm Euangelium, & ipsum vendidit in pauperum nutrimento: dicens quodam verbo quod memoriæ dignum est commendari: Ipsum etiam, inquit, verbum vendidi, quod iubet, Vende omnia, & da pauperibus. Abbas Theodorus, cognomento de Pherme, habebat tres codices bonos. Et cùm veniisset ad Abbatem Macarium, dixit ei: Habeo tres codices, & proficio ex lectione eorum. Sed & fratres petunt eos ad legendum, & ipsi proficiunt. Dic ergo mihi quid debeo facere? Et respondens senex dixit: Boni sunt quidem actus: sed melius omnibus est nihil possidere. Quod cùm audisset, abyt, vendidit memoratos codices, & dedit indigentibus pretium ipsorum.* Quia & munera pauperum extendit Deus, vt extenderet liberalitatem. Indicat hoc hydria farinæ, & lecythus olei, ex quibus Eliæ eleemosyna est collata. Nam

3. Reg. 17. 16. *hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus.* Pari pacto à

cto à paupere Christo dati quinque panes, & duo pisces in immensum multiplicati sunt. Ita S. Lydwinæ pauperis Virginis vinum, quod pauperibus dedit, in vasculo creuit. Quid, quòd pauper, adeò fuit opulentus, vt diuitibus, & adeò regibus ipse daret? Carilephum Presbyterum bubali colla mulcentum, reperit inter venandum Francorum rex Childebertus, eum verbis asperis ex eo loco facessere iussit. Ast ille memor patientiæ ac mansuetudinis Christi, mitissimè respondens, regi etiam vini poculum obtulit, ex vuis, eo loci prodigiosè expressis. Rex contempto musto rustico, cum indignatione, abscessit. Sed equo obrigescente, diuinitus coactus est subsistere atque opem Carilephi implorare. Et ope, & exhortatione adiutus, oblati priùs poculi potum jam vltrò expetijt. *Quod, cùm esset allatum, sua manu vir Dei obtulit regi vino plenum, qui illud hilariter accipiens, totum vinum exhausit. Inde etiam alijs, qui aderant, bibentibus, rogabat eos sacerdos Christi, vt tertiò, & quartò biberent, vsq; ad satietatem, dicens de pleno semper impertire eum, quem non opprimat in largiendi voluntate paupertas: nec vmquam animam diuitem facultate destitui: nec posse abundare hominem mente mendicum. Ita factum est, vt copiosa multitudo, quæ cum rege erat, ad satietatem biberet, nec vinum tamen in vase minueretur. Sed quid mirum, si vas plenum vino remansit sacerdotis Carilephi meritis, cùm ipse author vitæ, qui quinq; panibus quinque hominum millia satiauit, promiserit, maiora eos facturos, qui in eius nomine essent credituri?* Ecce quomodo rex fuerit *quasi diues* in silua, *cùm nihil haberet;* & Carilephus *quasi pauper, cùm in multis diuitijs esset?* Tam diues est paupertas, vt liberalis esse queat etiam in reges; & si desit, quod donet, etiam miraculis abundet. Matth. 14. 17. Sur. 1. Iulij.

VIII.

Diuitiæ scopus sunt inuidiæ, litium, discordiarum; paupertas amoris, pacis, concordiæ est incitamentum. Quantos tumultus moueant opes, suprà docuimus. Quid conferat paupertas ad pacem Plato testatur, qui ait: *Felix & beata erit ciuitas illa, in qua hæc duo verba* MEVM & TVVM *non audiuntur, eò quòd communibus rebus, quæ alicuius æstimationis sunt, quoad fieri possit, ciues vtantur.* Cui enim citiùs inuidetur, quàm plus habenti? pro qua re sæpius litigatur; quàm pro pecunia? quid magis facit discordes, quàm diuersæ possessiones? Vnde & in religiosis Ordinibus, tanta est Suprà cap. 5. §. IX. Act. 4. 32. Stobæus serm. 72.

concordia; quia ibi, vt amicorum, omnia communia habentur, & duo illa verba MEVM ac TVVM, quàm potest diligentissimè eliminantur. Duo fuêre religiosi viri, qui multis annis, sub vno tecto, in vna mensa, simul orarunt, simul cœnarunt; simul labori & quieti vacarunt. Vna vtriusque voluntas, vna anima esse videbatur. Numquam inter se verbis, numquam factis conflixerunt. Incidit aliquando sermo de discordia, cùm iunior quæsiuit, quid esset discordia? cui senior respondit: Age, ostendam tibi, quid sit discordia, &, libro in medium posito, dic, inquit, *Hic liber meus* est. Tum junior obsecundans: *Hic liber,* inquiebat, *meus est.* Cui senior dixit: *Non est tuus iste liber, sed meus est.* Quo audito, iunior illico in genua accidens, *si tuus est,* inquiebat, *habeto illum tibi.* Senior igitur hoc epiphonema adiecit: *Si quidem ita affectus es,* fili mi, numquam, quid sit discordia, experieris. Vbi enim MEVM & TVVM locum non habet, ibi dissidium est eliminatum; quod nusquam alioqui non subit, etiamsi ædes pessulis, repagulis occludantur, si MEVM & TVVM priùs intrauerunt. Est valde eius rei luculenta historia, & tragico cothurno memoranda, quam Bernardinus Scardeonius in memorias hominum misit, de geminis fratribus Limineis ex antiquissima familia oriundis. *Legimus,* inquit, *ex hac gente fuisse aliquando duos fratres, qui per æstatem, ruri, noctu, post cœnam, cùm ambo sub dio, in atrio domus, de diuersis rebus, diuersa inter se loquentes starent, suspicientes, & contemplantes innumeras stellas, quas tunc fortè sereno cælo, fulgere videbant, per iocum alterum, velut ridendo dixisse: Precari se tot sibi boues esse, quot stellas fulgere conspiceret. Alterum mox itidem per iocum respondisse: Vtinam mihi pratum esset, instar cæli latum; & ad fratrem conuersum dixisse: Vbi tuas pasceres boues? At illum, In tuo prato, dixisse. Rursum alterum, Si nollem? Te etiam inuito: alterum respondisse. Tunè me inuito? inquit. Te etiam inuito, ille respondit. Et ita altercando risu in iram, & mox ira in rixam, & in serium furore conuerso, dum neuter alteri cedere vult, exertis vtrimq; gladijs, quibus fortè ambo erant infeliciter accincti, se inuicem transfixerunt. Et hinc vnus, illinc alter humi decidentes exanimes in suomet sanguine volutantur, donec à domesticis, qui eos altercantes audierant, delati intra domum fatali hora properante extincti sunt.* Hoc facit vel fictum & iocosum MEVM ac TVVM

Bernardin. Scardeon. lib. 3. class. 13 in descriptione vrbis Patauij.

TVVM; quid non possit serium? Cùm ergo absit à paupertate tam MEVM, quàm TVVM, abest etiam hæc caussa litium ac controuersiarum, quarum locum pax aurea occupat. Quam, cùm poscamus omnes, cur non poscimus, vel saltem patienter ferimus paupertatem?

IX.

Eadem etiam sobrietatem ac temperantiam promouet, atq; quæ ex ea nascitur castitatem. Quemadmodum enim nummati habent, vnde cellas, ac culinas, atque inde ventrem impleant; ita pauperibus deest copia vini, quia deest copia nummi; neque ciborum lautias mensis inferunt, apud quos caput cœnæ est olus, etiam cùm festiuè epulantur. Quare si non virtute, saltem necessitate frugalis est mensa egenorum. Corpus autem, quod non saginatur, minùs vtique luxuriat. *Abstinentia ciborum, contra hoc vitium fortissima est*, ait S. Gregorius, *Si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cùm cibos subtrahis; & vinum præsertim in quo, vt est apud Apostolum, luxuria est.* Et D. Ambrosius: *Pascitur libido conuiuijs, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur.* Quòd si igitur *temperantia est animæ affectio, cõercens, & cohibens appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur*, vt S. Augustinus eam virtutem definit, & si adeò delectationem corporis, in vsu cibi & potus inhonestarumque voluptatum moderatur; profectò hanc virtutem egregiè fulcit paupertas. Quare Religiosi vnà & paupertatem vouent, & castitatem. *Vis esse perfecta*, scribit ad Hedibiam S. Hieronymus, *& in primo stare fastigio dignitatis? fac, quod fecerunt Apostoli: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, vt nudam solamq; crucem nuda sequaris & sola.* Facile enim est, cogitare, superato amore diuitiarum, Apostolos & matrimonijs carere voluisse. Nam si vxores habere voluissent, soliciti esse debuissent de modis, quibus familia alenda fuisset. Siquidem, *qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* In quæ verba D. Anselmus ita scribit: *Solicitus est, quæ sunt mundi, &c. id est, studet multiplicare diuitias variamq; supellectilem, vt habeat, vnde pascat vxorem, & filios.*

S. Gregor. in lib. 1. Reg. lib. 5 c. 14.
S. Ambros. lib de pœnit. 1. cap. 14.
S. Augustin. lib. 1. de lib. arb. c. 13.
S. Thom. 2. 2. q. 141. & Aristot. 3. Ethic. c. 10.
S. Hieron. ep. 150.
1. Cor. c. 7. 33.

X.

Nihil de obedientia dicam, cùm constet, diuites imperia magis affectare, quàm obsequia; & mandare malle, quàm obsecundare: pauperes autem vt ad seruiendum promtos, ita & paratos ad

tos ad obediendum. Quòd si autem inopum est, se se libenter submittere iugo potentiorum, atque illis parere, quantò maiore reuerentia se Deo subijcient atque ab illo opem petent? Quòd si *oratio humiliantis se penetrat nubes*, & tantò altiùs ascendit, quantò se orans profundiùs demittit; nemo profectò humilior esse solet, quàm pauper, ad quem se Deus ipse inclinat, de quo Dauid ait: *Respexit in orationem humilium, & non sprenit precem eorum.* Qui sunt isti humiles? illi qui alibi pauperes vocantur, ita enim dicitur: *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Quid ergo? an diuitum orationes non admittit Deus? Respondet Chrysologus: *Deus suscipit pauperes, sed diuites non repellit; habentes suscipit, & ad se attrahit non habentes.* Nimirum sanè diuites non repellit, si ipsi venire, & pulsare non negligant, si institerint, vt admittantur, non excludentur liminibus; sed pauperes attrahuntur, quia quasi velint nolint adducuntur. quo pacto? per orationem qua ad Deum ascenditur, & mens in Deum eleuatur. Magnum tamen est inter pauperis, & diuitis orationem discrimen. Orat diues, quem grauant opes: mille curis distrahitur, mille perturbationibus retrahitur: oratio talis ascendit, sed tam languens immo frigida, vt loco beneficij haberi debeat, si non repellatur, & dicatur: *nescio vos.* Orat & pauper, sed quia nudus est, & sæculi impedimentis liber, immo à calamitatibus etiam impellitur, ideò oratio eius expeditiùs, sine onere, ardentiùs cum calamitate ad cælum euolat, & velut in funiculis Adam attrahitur. Agite igitur, siue sponte, siue per vim pauperes, hoc vobis nunc superest, vos, oratio, & affectus vester ad Deum tantò potentius attrahitur, quantò pauciores habet impedientes. Nihil ergo vobis deesse dicite: omnia potest, cuius oratio accessum habet ad omnipotentem. Hæc solem stitit in medio cælo, immo etiam ad decem horas retroegit. Talia qui potest, cur queratur, sibi bouem abactum? aut ademtum peculium? Quamquam omnino, qui queritur, talia non potest. Voluntarij enim pauperis oratio ad Deum attrahitur, qualis fuit D. Dominicus, qui auditus est dicere, nihil se vmquam à Deo precibus contendisse, quod non impetrârit.

Eccli. 35. 21.

Psal. 101. 18.

Psal. 9. 30.

Chrysolog. serm. 28.

Iosue 10.

4. Reg. 20.

Petr. Ribad. in vita eius.

XI. Ecce quàm potens sit pauper Dominicus? Nihil simile audet dicere vel potentissimus Imperator. Quare & spes, & fiducia in diuinam

diuinam prouidentiam coniungi solet cum paupertate. Quin & iustitia: nullus enim alterius bonis insidiabitur, quæ sua sponte censet contemnenda & abijcienda. Nec iudex amans paupertatis, se pecunijs corrumpi sinet: immo iam olim paupertas fuit iudicis incorrupti argumentum. Et sunt, qui, ob paupertatis meritum, Apostolos totius mundi iudices putant à Christo constitutos. Quin & fortitudo, atque animositas ad pericula subeunda sociatur paupertati. Si enim, *non fit sine periculo facinus magnum & memorabile*, nemo paupere periculum potest faciliùs contemnere. *Rebus in angustis facile est contemnere vitam.* Quid namque non audet pauper? cùm enim parum habeat, quod amittat, per tela, per ignes intrat; per medios hostium cuneos penetrat. Miles, qui multa plaustra spolijs plena secum circumuehit, non sibi tantùm, sed prædæ quoque suæ metuit. Vnde meritò hæc talia vocantur *impedimenta.* O quantos suæ opes retrahunt à dimicando! Quàm multi, cùm classicum canitur, ipso auro suo magis expallescunt! tunc solùm fortes, quando poculis est certandum. Domi milites glorioſi, in campo fugaces cerui; qui Mercurium in pedibus, non item Martem in dextera habent. At vide mihi aliquem de grege pannosum, osseum militem, qui nihil amittere potest nisi famem, & sitim, si moritur; cùm standum est, stat vt rupes; cùm pugnandum, pugnat vt Achilles; certè tam citò de fuga non solet cogitare, potestque liberiùs dicere sibi:

Est hic, est animus lucis contemtor, & istum
Qui vitâ bene credat emi, quò tendis, honorem.

Virgil. lib. 9. Æneid.

Multa, quæ fortitudo facit, facit paupertas, nam & ipsa contemtrix est timendorum, & animum aduersus ea, quæ possunt euenire format; exilia, bella, naufragia, incendia, famem & sitim meditatur. Pauperibus dixit Dominus: *Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Quasi dixisset: *Multa exilia patent fugienti. Patria est, vbicumque vir fortis sedem sibi elegerit.* Sedem autem sibi & pauper vbique eligere potest, & pro patria habet totum mundum. Vel hinc satis diues. Quia, vt Cicero ait: *Omnes sunt diuites, qui solo & terra frui possunt.*

Matth. 10. 23.

Q. Curtius lib. 5.

Cic. l. 3. de offic.

Ad hanc animi constantiam & robur Deus homines, per incommoda paupertatis, exercet, *Ecce excoxi te*, inquit, *sed non qua-*

XII.

Isa. 48. 10.

si argentum, elegi te in camino paupertatis. Ad hoc paupertas à benigno Numine immittitur; non ad blasphemandum, non ad furandum, non ad alia indigna committenda, vt impatientes, & diuinorum consiliorum ignari impiè cauillantur. Qui ex prima pauperum classe occasionem virtutis conuertunt in ansam vitiorum, illi sanè vt egestatem à se auerruncent, prædis, rapinis, latrocinijs, & omnibus malis artibus pecuniam venantur. In illis autem *non paupertas hæc, sed pusillanimitas facit*, ait S. Chrysostomus. *Nam & Lazarus pauper fuit, & valde pauper, cuius paupertati addebatur etiam ægritudo, & ægritudo amarissima, quæ ipsam paupertatem redderet grauiorem; vis enim morbi solatia multa deposcebat, & nullum penitus paupertas poterat adhibere: horum enim alterum, etiamsi solum sit, graue est, & doloribus plenum. Cùm autem simul iunguntur, nec adest, qui subleuet, intolerabile videtur malum, ignis inextinguibilis, & dolor sine remedio, tempestas plena naufragijs, animæ simul & corporis flamma. Erat præterea huic beato his omnibus malis aliquid adhuc amplius, vicinitas scilicet diuitis epulantis quotidie luxuriosè; & ipse adiacebat huius epulantis foribus, vt eum multò amplius excruciarent opes in oculis positæ, quæ vetabantur; quàm illa, quæ per penuriam deerant. Multò enim grauius affligit animam, quòd cogitur carere bonis, quæ videt, quam his egere quæ non videt. Lazarum sic dira fames, & amaræ ægritudines vastabant: Minister verò nullus, nec vllum misero solatium ex diuitis mensa, quæ parasitos, & luxuriosos, vsq; ad distensionem & crapulam satiabat: nec mica quidem, quæ proijciebantur, Lazaro periclitanti dabantur. Et tamen ita pertulit hanc tam diram, tamq; terrimam paupertatem, vt neq; amarum sermonem, neque blasphemiæ verbum proferret, aut illicitum: sed sicut aurum vehementiùs ignitum, purius & sincerius redditur; ita etiam ille passionibus, & cruciatibus examinatus, clarior, & splendidior per patientiam reddebatur. Vides, quomodo nemo laeditur à paupertate, sed à seipso? Quid enim dic mihi morbus corporis? quid penuria rerum omnium? quid irruentes vlceribus canes? quid vicinitas diuitis auari ladere potuit athletam DEI? aut in quo his omnibus resolutus, aut fractus est à virtute animi sui? Nihil omnino. Quin immo & angustijs rerum magis solidatus est, & huiusmodi illi coronæ parata sunt, vnde infelicior putabatur, inde ei palma victoriæ; inde æterna remuneratio, vnde cruciatus ei multiplicabatur, & inimici;*

S Chrysost. hom. quòd nemo lædi-tur, nisi à se-ipso.

iniuria; fames illa abundantiam præparabat futurorum bonorum; agritudo illa vitam conciliabat æternam: vlcera illa, quæ canes lambebant, splendorem gloriæ per Angelos ministrandum ferebant inhumani & crudelis diuitis despectus, & ad januas eius cubile contemtum patris Abrahã pijssimos sinus, & beatitudinis eius consortia promittebant. Idem in Vitis PP. *dixit Abbas Hyperichius: Thesaurus monachi est voluntaria paupertas. Thesauriza ergo tibi, frater, in cælo, quia ibi, ad requiescendum, sine fine sunt sæcula.* Quæ cùm ita sint, & reuera virtutum thesauri omnes Pigmalionis opes superent, qui apud pecuniarum contemtores reperiuntur,

In vitis PP. lib. 5.

Quid quereris, pauper, Cræso ipso ditior? illi
Arcula dives erat, mens opulenta tibi est.

CAPVT XII.

Æquo animo pauperibus ferendum, si vanis diuitijs spolientur, cùm virtutibus alijsq; rebus melioribus nolentes spoliari non possint.

SI, vt corpori anima præstat, ita animæ quoque bona corporis bonis anteferenda sunt, vilipendendæ sunt vtique omnes diuitiæ, in virtutum comparatione. Quare maxima hinc existit consolatio pauperum ac spoliatorum, quòd opibus priuati, non priuentur possessione bonorum præstantiorum. *Amiserunt omnia quæ habebant* ait S. Augustinus, *Numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis bona, qui est ante Deum dives? Hæ sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat Apostolus: Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia: Nihil enim intulimus in hunc mundũ, sed ne auferre quid possumus, habentes autẽ victum, & tegumentũ his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, & desideria multa stulta, & noxia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix est enim omnium malorum Auaritia, quam quidã appetentes à fide pererrauerunt, & inseruerunt se doloribus multis. Quibus ergo terrena diuitiæ illa vastatione perierunt, si eas sic habebant, quemadmodum ab isto foris pauper, intus diuite audierant; id est: si mundo vtebantur tamquam non vtentes, potuerunt dicere, quod ille grauiter tentatus, & minimè* I. S. Augustin. lib. 1. de ciuit. c. 10.

nimè superatus: Nudus exij de vtero matris meæ, nudus reuertar. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Vt bonus seruus magnas facultates haberet, ipsam Domini sui voluntatem, cui pedissequus mente diteſceret, nec contristaretur eis rebus viuens relictis, quas fuerat citò moriens relicturus. Illi autem infirmiores, qui terrenis his bonis, quamuis ea non preponerent Christo, aliquantula tamen cupiditate cohærebant, quantum hæc amando peccauerint, perdendo senserant. Tantum quippe doluerunt, quantum se doloribus inseruerunt; sicut Apostolum dixisse suprà commemorauj. Oportebat enim, vt eis adderetur etiam experimentorum disciplina; quibus fuerat tamdiu neglecta verborum. Nam cùm dixit Apostolus: qui volunt diuites fieri, in tentationem incidunt &c. profectò in diuitijs cupiditatem repredendit, non facultatem; qui præcepit alibi dicens: Præcipe diuitibus huius mundi, non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum suarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: bene faciant, diuites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Hæc qui de suis faciebant diuitijs, magnis sunt lucris leuia damna solati, plusq; lætati ex his, quæ facilè tribuendo tutiùs seruauerunt, quàm contristati ex his, quæ timidè retinendo faciliùs amiserunt. Hoc enim potuit in terra perire, quod piguit inde transferre. Nam qui receperunt consilium Domini sui dicentis: Nolite condere vobis in terra thesauros, vbi tinea, & rubigo exterminant, & vbi fures effodiunt, & furantur, sed thesaurizate vobis in cælo thesauros, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit: vbi enim est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Tribulationis tempore, probauerunt, quàm rectè sapuerint, non contemnendo veracissimum præceptorem, & thesauri sui fidelissimum, inuictissimumq; custodem: nam si multi sunt gauisi, ibi se habuisse diuitias suas, quò contingit, vt hostis non accederet, quantò certiùs & securiùs gaudere potuerunt, qui monitu Dei sui illuc migrauerant, quò accedi omnino non posset? Vnde Paulinus noster Nolensis Episcopus ex opulentissimo diuite voluntatè pauperrimus, & copiosissimè sanctus, quando & ipsi Barbari Nolam vastauerunt, cùm ab eis teneretur, sic in corde suo, vt ab eo postea cognouimus, precabatur: Domine non excrucier propter aurũ & argentum; vbi enim sint omnia mea, tu scis; ibi enim habebat omnia sua, vbi eum

condere

condere, & thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat. Ac per hoc, qui Domino suo monenti obedierant, vbi & quomodo thesaurizare deberent, nec ipsas terrenas diuitias barbaris inursantibus amiserunt. Quos autem non obedisse pœnituit, quid de talibus rebus faciendum esset, si non præcedente sapientiâ, certè consequenta experientia didicerunt. At enim quidam boni etiam Christiani, tormentis excruciati sunt, vt bona sua hostibus proderent. Illi verò nec prodere, nec perdere potuerunt bonum, quo ipsi boni erant; si autem torqueri, quàm mammonam iniquitatis prodere maluerunt, boni non erant. Admonendi autem fuerant, qui tanta patiebantur pro auro, quanta essent sustinenda pro Christo; vt eum potiùs diligere discerent, qui pro se passos æterna felicitate ditarat, non aurum & argentum, pro quo pati miserrimum fuit, seu mentiendo occultaretur, seu verum dicendo proderetur. Namq; inter tormenta nemo Christum confitendo amisit, nemo aurum, nisi negando seruauit: quocirca vtiliora fortasse erant tormenta, quæ bonum incorruptibile amandum docebant, quàm illa bona, quæ sine vllo vtili fructu dominos sui amore torquebant; sed quidam etiam non habentes, quod proderent, dum habere creduntur torti sunt. Et hi fortè habere cupiebant, nec sancta voluntate pauperes erant quibus administrandum fuit; nec facultates, sed ipsæ cupiditates talibus esse dignas cruciatibus; si verò melioris vitæ proposito reconditum aurum argentumq; non habebant, nescio quidem, vtrum cuiquam talium acciderit, vt dum habere creditur, torqueretur. Verumtamen etiamsi accidit, profectò qui inter tormenta illa paupertatem sanctam confitebatur, Christum confitebatur. Quapropter etsi non meruit, ab hostibus cadi, non potuit tamen sanctæ paupertatis Confessor sine cælesti mercede torqueri.

His talibus consolabatur D. Augustinus pauperes à barbaris spoliatos, quos non ad ea, quæ amiserant, modica, fluxa, & multis noxia, sed ad magna, verè pretiosa, & semper duratura aspicere iubebat, qualia bona sunt virtutes, & cæli præmia, quæ virtutes promerentur. Hoc ipsum etiam omnes facere iubebat S. Antoninus, his verbis: Quanta pars immensi infiniti aui attributa est vnicuique? Celeriter ea in æternitate euanescit. Quantaq; est vniuersi? Quantula in glebula terræ repis? Hæc omnia tecum cogitans, nihil animo magnum concipe. Hoc tantùm, vt ductu naturæ agas, & feras, quæ communis II. S. Antonin. lib. 12. 2. 2.

communis fert natura. Id cura, quomodo mens tua seipsa vtatur. In hoc enim sunt omnia. Cetera siue à voluntate dependeant, siue secus, mortua sunt, fumusq;. Quidni Antoninus virtutes æquè diuitijs, ac corpori mentem anteponat, cùm vel Ethnicus *Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam esset beatus?* dixerit, *Nemo ex his, quos tu felices existimas: sed eum in illo numero reperies, qui à te ex miseris constare creditur. Non erit ille diuitiis & honoribus abundans: sed aut exigui ruris, aut non ambitiosæ doctrinæ fidelis ac pertinax cultor, in recessu, quàm in fronte beatior;* fide ditior, quàm ære; moribus cultior quàm honoribus; denique ipsa locupletior paupertate.

Valer. Max. lib. 7. c. 2.

III. Horat. Tursellin. lib. 4. vit. S. Franc. cap. 11.

Quod vel naturæ lumine docti vidêre Iapones, quantumuis alioqui Bonziorum suorum tenebris obnubilati. Sanctus noster Franciscus Xauerius ad regem Bungi salutandum *regiam ingressus, pratorianos milites numero sexcentos, luculenter armatos offendit in vestibulo atrioq;, mox in spatiosa porticu complures è cohorte regia obuios habet, &c. Aula hinc patuit viris nobilibus plena, vbi puer septennis; sed quod facilè appareat, indolis rara, ab sene ductus occurrit Xauerio, eumq; more patrio salutat. Fortunatum eius in regiam aduentum regi perinde charum jucundumq; fore, vt tempestiuus imber sit per æstatem segeti sitienti. Proinde ingrederetur latus, ac memor, se bonis iuxtà charum esse, & inuisum malis. Ad quæ cùm Franciscus comiter ac benignè respondisset, adiecit puer: O te beatum, Pater, qui ex alio orbe in alienas terras veneris, nihil hinc mercimm petens, prater infamiam paupertatis! O immensam DEI, quem colis, bonitatem! ô reconditam sapientiam! cui cordi est in suis sacerdotibus rerum inopia egestasq;! Ex nostri Bonzij ab egestatis probro vsq; eò abhorrent, vt jurati propalam confirment, pauperibus obstructum obuallatumq; esse iter in cælum, &c. Porrò is puer grauissimis de rebus, supra ætatem differens, in vlteriorem aulam Franciscum Lusitanosq; deduxit, vbi procerum filij considebant, &c.* Ita sensit de Christianorum paupertate Iapon, ethnicus, & puer, ingenio, natura, ratione doctus. Vidit enim auaritiæ & cupiditatis domitorem supra omne aurum & gemmas splendere; & longè animi opes, supra fortunæ ornamenta eminere.

IV. Macrob. l. 1. Saturn. c. 11.

Quemadmodum stultus est, qui empturus equum, non ipsum inspicit, inquit Macrobius, *sed stratum eius & frænum: sic est, qui hominem ex veste, aut conditione, qua modo vestis nobis circumdata est, æstiman-*

æstimandum putat. Et ille qui de Deo Socratis scripsit, *Neq; enim*, ait, *in emendis equis phaleras considerabamus, & balthei polimina inspicimus, & ornatissima seruicis diuitias contemplamur: sed istis omnibus exuuijs amolitis & amotis, equum ipsum nudum, & solum corpus eius, & animum contuemur.* Itaq; *neque equus generosus iudicetur, qui stratu & instructum splendidum habeat; sed qui natura sit talis: ita nec vir honestus, qui multas & æstimabiles opes habeat, sed qui animo sit præstans.* Apul. de Deo Socrat. Socrat. apud Stob. serm. 13

Idcirco fortuna te omnibus bonis suis spoliauit, vt non tua, sed tu inspicereris. Antea mortales purpuram tuam laudabant; nunc patientiam tuam admirantur. Numquam Iob ornatior fuit, quàm cùm nudus fuit. Vestem priùs homines videbant, tunc etiam mentem. Quot vlceribus corpus scatebat, tot animus eius virtutibus claruit. Itaque in fimo illustrior, quàm in solio extitit. Neque illi paupertas grauis fuit, qui, ne grauaretur, ipse dudum antea animo diuitias abiecit. Qui opes pro onere habet, illi inopia est pro leuamento. Et certè multæ curæ, cum multis diuitijs abeunt. Venit autem vnà paupertas & libertas. Vel potiùs tunc hominis libera generositas ostenditur, cùm amissis quæ possederat, velut velo remoto, fortitudo eius apparet. Qui paupertati potiùs vitium, quàm pauperi ascribunt, opinione, non re laborant. Fur pecuniam, latro vestem adimere potest, in virtutes non habet potestatem. Et vel idcirco omnia ista externa bona amisit Iob, vt occasionem haberet patientiæ suæ, longanimitatis suæ, fiduciæ suæ Mundo ostendendæ. Nihil deest auibus; *respicite volatilia cæli, quoniam neq; serunt, nequemetunt, neq; congregant in horrea: & Pater vester cæleſtis pascit illa. Nonnè vos magis pluris estis illis?* Pecora in diem viuunt, feris ad alimenta solitudo sua sufficit. Itaque & vos *Nolite soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Itaque vult Christus ea à suis fidelibus non solicitè inquiri; sed solicitudinem suam in Deum proijcere omnes, quotquot Deo credunt. *Scit enim*, inquit, *pater vester, quia his omnibus indigetis.* Quare sicut pater filijs suis de cibo, de potu, de veste prospicit, ita prouidet Deus ijs, quorum paupertas hilaris, tuta & expedita est. Meliùs curatur, quem Deus curat. Curat autem pauperes, quia ob ipsam virtutem cura dignos iudicat: vt mox docebo, Matth. 6. 28.

Interim

V. Interim, vt & illos consolemur, qui diuitias inuiti amiserunt, eamque amissam nimioperè dolent, sciant se dolendo non fieri ditiores, sed miseriores. Nam idcirco eos Deus minùs curat, quia illi nummos nimis curant. Ærario, aut marsupio debet esse similis homo. Ærario vel marsupio perinde est, siue plenum, siue vacuum sit: si infers, accipit; si aufers, silet. Non gemit, non clamat, non vociferatur; seu fur, seu dominus accedat, suo loco manet; idem est illi repleri, quod exinaniri. *Interrogata est beatæ memoriæ Syncletica: Si perfectum bonum est, nihil habere. Et illa dixit: Valde bonum est his qui possunt. Etenim hi, qui tolerare possunt, tribulationem quidem carnis habent, sed animæ requiem possident.* Itaque etsi aliquid subinde desit ijs, qui suis bonis exuuntur, atque ideò *inopia laborare, & penuria premi* dicantur, id tamen aliunde compensatur. Mentis quies, & animæ tranquillitas facit, vt quod carni deest, non æstimetur. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum,* ait *homo simplex, & rectus, ac timens Deum.* At tu, ô impatiens, quid clamas? *Pecuniam perdidi! Fortasse te illa perdidisset. Pecuniam perdidi! Sed habuisti. Pecuniam perdidi! Sed habebis inde periculi minus! Pecuniam perdidi! O te felicem, si cum illa auaritiam perdidisti. Sed si manet illa apud te, es tamen vtcumq; felicior, quòd tanto malo materia subducta est. Perdidi pecuniam! & illa quidem quàm multos? eris nunc in via expeditior, domi tutior. Non habebis, sed non timebis hæredem. Exonerauit te fortuna, si intelligis, & tutiore loco posuit. Damnum putas? remedium est. Defles, gemis, miserum te clamitas, quòd opibus excussis es? Tuo vitio ista tibi iactura tam tristis est. Non tam molestè ferres, si tamquam perditurus habuisses. Perdidi pecuniam! nempe quam, vt tu haberes, alius antè perdiderat.* Vide Petrarch. l. 2. de remed. vtr. fort. dial. 13.

In vitis PP. lib. 5.

Iob. 1. 21.

VI. Quid si vel inuito ademtæ opes prosint, atque is maximè profit, qui vel maximè videtur nocuisse? *Cùm essem astutus,* inquit Apostolus, *dolo vos cepi;* hoc est, artificiosa solertia, & cauta prudentia vos conuerti. Nam, vt S. Thomas existimat, eo loco, abusiuè in bonam partem accipiuntur. Sic decipi, non est iniuriam pati, sed beneficio affici: ditatque alterum, qui eum dolo bono spoliat. Audi factum felix euentu, forte conatu, quod meritò Helenopo-

2. Cor. 12. 16.

S. Thom. 2. 2. q. 55. art. 4. ad 1.

Pallad. c. 6. Hist. Lausiac.

lenopolitanus Episcopus Palladius memoriæ mandauit. *Erat quadam Alexandriæ virgo solùm nomine, habitu quidem humilis, animi autem instituto parca, gloriosa & insolens, & laborans auaritiâ, auri potiùs quam DEI amans: ex rebus suis nulli vmquam exhibens, non hospiti, non pauperi, aut afflicto, non monacho, non virgini, non Ecclesiæ vel obolum vnum. Ea multis sanctorum Patrum admonitionibus incitata, non repellebat graue pondus diuitiarum. Erat autem ei quoq; genus, ex quo sororis suæ filiam in filiam adoptauerat. Cui noctu & diu sua pollicebatur, cùm ipsa excidisset ab opibus cælestibus. Nam hæc quoque est vna species fraudis diaboli, qui prætextu amoris in cognatos, efficit vt nascatur auaritia. Nam quòd ei nulla cura sit generis, hinc patet. Ipse enim docuit, & fratrem & matrem, & patrem occidere. Idq; est ex scripturis extra controuersiam. Sed etsi videatur nonnullis curam cognatorum inserere, non hoc facit quòd illis bene velit, sed vt eorum qui ei parent animam apertè exerceat ad iniustitiam, cùm ipse sciat latam sententiam, quæ dicit: Iniusti regnum DEI non possidebunt, &c. Huic virgini, quæ solo nomine sibi parauerat appellationem, moribus autem erat aliena ab exercitatione, cùm venam, vt dicitur, vellet incidere ad leuandam auaritiam, sanctissimus Macarius presbyter & Præfectus Ptochotrophij eorum, qui sunt corpore mutilati, talem astum excogitat. Erat enim is à iuuentute lapidarius: Ad eam autem accedens, dicit: in me incidernnt pulchræ gemmæ, smaragdi & hyacinthi; nec scio, an sint furtiui, an alicuius mercatoris, non constituitur enim eis pretium, cùm æstimationem superent: qui habet autem, vendit eas quingentis nummis. Si ergo tibi visum fuerit, eas accipere, da quingentos nummos; potes ex vnâ gemmâ accipere quingentos, reliquis autem vti ad variandum mundum filiæ tuæ sororis. Cùm autem, quæ dicebatur virgo, tota penderet à puellâ, inescatur eius ornandæ cupiditate: & procidit ad eius pedes, & dixit: Rogo te, ne quis alius eas accipiat. Eam ergo adhortatur sanctus, dicens: Veni vsque ad domum meam, & eas aspice. Illa autem noluit; sed ei præbet quingentos denarios, dicens: Rogo te, ipse eas, vt vis, cape. Nolo enim videre hominem qui eas vendit. Cùm autem quingentos denarios ab eâ accepisset sanctus Macarius, dat eas ad vsum Ptochotrophij. Cùm autem multum tempus præteriisset, quoniã existimabatur Alexandriæ senex vir esse summè pius ac misericors, vixit autem ad centum vsq; annos, cuius tempore nos quoq; fuimus, verebatur*

tur eum admonere. Tandem cùm eum inuenisset in Ecclesia, dicit ei: Rogo te, quid jubes de lapidibus, pro quibus dedimus nummos quingentos? ille ei respondit, dicens: à quò die mihi dedisti aurum, eos impendi in pretium gemmarum, & si velis eas videre, veni in hospitium. Illic enim sita sunt gemmæ, & vide: quòd si tibi non placeant, tolle aurum tuum. Venit autem illa lubentissimè. Habebat autem Ptochotrophium in superiori quidem parte mulieres, in inferiori autem viros. Cùm ea autem accessisset, introducit eam in vestibulum, & dicit ei sanctus Macarius: Quid vis primùm videre, hyacinthos an smaragdos? Ea verò illi dicit: Quod tibi videtur. Ille verò eam ducit in partem superiorem, & ostendit ei mulieres mancas ac mutilas, & orbatas oculis, & dicit ei: Ecce hyacinthi. Deinde deducit eam in partem inferiorem, & ostendit ei viros, dicens: Ecce smaragdi; & existimo, non inueniri his pretiosiores: quòd si tibi non placeant, accipe aurum tuum. His ergo sic gestis, pudore affecta virgo exijt, & domum reuersa magnum accepit dolorem, quòd hanc rem ex DEO non fecisset, sed adducta necessitate. Postea autem gratias egit presbytero, cùm puella, cuius curam gerebat, post nuptias mortua esset, sine liberis, ipsáq; deinceps vitam suam rectè instituit.

VII. Multis sanguinis copia laborantibus, prodest venam secari. Auaris pecuniam auferre, est sanguinem mittere. Quo pacto misit huic mulieri Macarius; quæ vitam numquam rectè instituisset, tot nummis onerata. Nemo tamen hinc erroris debet sumere occasionem. Nec enim fures, aut prædones excusabuntur, si, dum clepunt, aut rapiunt pecunias, dicunt se auaris sanguinem mittere, alioquin & carnifex, cùm eos cultro suo subiecerit, dicet se illis sanguinem missurum. Alia, & sancta arte Macarius fœminæ isti nummos abstulit, eos redditurus, nisi tandem vel lubens consensisset. Vt autem consentiret, videtur illa ipsa pecunia impetrasse, quam pro eius animæ salute Macarius in egenos erogauit. Vtinam Macarius haberet multos imitatores, qui pecuniam pretiosis vestibus, sumtuosis spectaculis, Antonianis conuiuijs, aut alij vanitati destinatam, in pauperes, dolo bono, transferrent. Quàm multi parentes vtiliùs vestirent nudos, quàm tot pellibus pretiosis inuoluerent suos Ascanios? aut Iulos? Grauantur in aulis parietes aureis belluatis tapetibus, & milites in campo frigore pereunt. Quantum, ô mariti, in coniugum vestrarum syrmata impen-

impenditis? quantum, ô vxores, in virorum vestrorum compotationes? suadete illis, vt tantum in inopes expendant. Non erit hoc pecunias amittere, sed fœnori dare. Difficile est hoc? Deum amanti nihil difficile est. Cur hic ambigitis, quæ potestis aliud quiduis coniugibus vestris suadere? immò etiam malis fraudibus persuadere? Ioannis Eleemosynarij Archiepiscopi Alexandrini exemplum vobis proponite, qui quàm primum Pontifex factus est, accersitis ad se Ecclesiæ dispensatoribus, ijsque quos à secreto consilio habebat, dixit: *Non est iustum, ô fratres, & in ministerio socij, vllius alterius rei curam gerere priùs, quàm Christi. Euntes itaq; per totam ciuitatem, singulatim describite meos* DOMINOS. Hæserunt illi, quid vellet, & interrogarunt, quinam essent Patriarchæ DOMINI? Quibus respondit: *Quos vos pauperes & mendicos soletis appellare, eos ego* DOMINOS *meos, & adiutores nomino. Nam ij soli mihi possunt opem ferre, vt à Christi regno non excidam.* Fecerunt, quod iussi erant, & inuenti sunt septies mille quingenti, quorum singulis quotidie jussit dari sumtum diurnum. Post hæc studium conuertit suum ad hoc, vt justis ponderibus & mensuris vterentur, qui vendebant in ciuitate. Vtamini & vos, ô matresfamilias iustis ponderibus, nec vobis ipsis plus in luxum vestium, in torques, in armillas, in gemmas impendite, quàm in membra Christi alenda. Hoc dicite maritis vestris, quod Eleemosynarius dixit ijs, qui res Ecclesiæ dispensabant. Maritos *dominos* vocatis, & illis ipsæ imperatis. Pauperes pro *dominis* vestris habetote, qui possunt vobis opem ferre, non jam vt domi regnetis, sed ne à Christi regno excidatis.

Leont. Episc. Neapolis in eius vita, apud Sur. 23 Ianuarij.

CAPVT XIII.

Quantam DEVS pauperum suorum curam gerat?

SI hæc omnia, quæ declarauimus, nihil essent, illud tamen vel vnicum meritò pauperes animaret, quòd Deum habeant curatorem. Securissimè degunt illi, qui se sciunt, bono ac fideli œconomo suo fidere posse. Quo pacto rex Pharao olim dixit ad Ioseph; *Numquid sapientiorem, & consimilem tui* Gen. 41. 39. *inuenire*

I.

inuenire potero? Tu eris super domum meam, &c. Quis melior, fidelior, sapientiorue est Deo? Numquid consimilem illius inuenire poterimus? Si ergo ille est pauperum curator & procurator; quid potest illis deesse? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* dicebat Apostolus. Fames? sitis? inopia rerum omnium? Nequaquam. Nam Deus his omnibus est potentior. Vel eripiet igitur ex illis miseros, vel faciet eos in illis ipsis felices. *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum*, qui rotam nouit vertere, atque depressa rursus exaltare. Et vel hinc multi pauperem non despiciunt; nam apud se cogitant, volubilem esse fortunæ statum. Quid si enim ille breui sit supra me, quem ego nunc video infra pedes meos iacentem? Numine enim iubente, vt Ausonius ait:

Rom. 8. 31.

Eccli. 11. 12.

Auson. in Epigram.

Fortuna numquam sistit in eodem statu,
Semper mouetur, variat, & mutat vices;
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

Terram vides? orbis est, vt vel hinc memores simus volubilitatis. Cælum ipsum aspice: quotidie vertitur: & ipsa sidera, quæ interdiu sunt summa, noctu occidunt; fiuntque ima; vicissim internoctu conspiciuntur superiora, quæ interdiu infra nos voluta sunt. Quemadmodũ ergo ordo vniuersi postulat continuã mutationem; ita & Conditor Vniuersi *marcidũ & egentẽ recuperatione erigit, & exaltat caput eius;* vt etiam in paruo Mundo hæc rota inueniatur. Quare, si prophani dicunt. *Sors omnia versat*, multò veriùs dici potest: *Deus omnia versat:* aut, vt ipse Deus dicit: *Qui se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Quod, nisi fiat in hac vita, certò eueniet in vita futura, in qua *erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Hanc spem natura pauperibus suggerit, & author naturæ.

Virgil. Eclog. 9.

Matth 23. 12.

Matth 19. 30.

II. Hinc altera caussa emergit curæ diuinæ. Prima enim erat, quòd ordo vniuersi exigeret hanc vicissitudinem: altera autem est, quòd ita mereantur, qui se humiliant, vel sponte atque vltro; vel si non vltro, saltem patienter. Hinc enim & Deus peculiarem illorum curam gerit, qui dum suam voluntatem diuinæ accommodant,

dant, digni sunt, vt & Deus *faciat voluntatem timentium se.* Volunt enim, vt summus Pater curet, quos, tamquam infimos, nemo curat. Et sanè hinc tertiò res ipsa pauperum causſam agit, apud æquissimum iudicem, vt ijs qui maximè ope indigent, maximè opituletur. Quod eum facere, & scriptura docet, & quotidiana exempla. Nam ne quis putet, Deum tantùm videre splendidos, *oculi eius in pauperem respiciunt.* Et quia nullam videntur habere opem, qui idcirco vocantur *inopes*, ait idem Propheta: *Tibi derelictus est pauper.* In vitis Patrum, apud Ruffinum Aquileiensem, *Quidam frater requisiuit senem, dicens: Vis vt retineam mihi duos solidos, propter infirmitatem corporis? Et videns senex cogitationes eius, quòd vellet retinere eos, dixit: Retine. Reuersus ergo in cellam frater, cœpit cum cogitationibus proprijs colluctari, dicens: putas bene dixit mihi senex, an non? Exurgens ergo iterum venit ad senem, rogans & dicens: Propter Deum, dic mihi veritatem, quia conturbor à cogitationibus meis, propter illos duos solidos. Dicit illi senex: Quia vidi cogitationem tuam volentem retinere eos, dixi tibi, vt retineres: nam non est bonum tenere plus, quàm necesse est corpori. Duo ergo solidi sunt spes tua; & si contigerit vt pereant, numquid Deus non cogitat de nobis? Iacta ergo cogitationem tuam super Deum, quoniam ipsi cura est de nobis.* Quartò; etsi ad tempus ita sæpe agatur cum tali, vt etiam à Deo desertus videatur, ait tamen Dauid, *non in finem oblitio erit pauperis.* Quintò, licet talis non ipse elegerit pauper esse, si tamen oblatam à Deo paupertatem patienter acceptauit, clarè pronunciatur: *patientia pauperum non peribit.* Sextò, quòd si sint, qui non solùm pauperem derelinquant, sed etiam persequantur: *factus est Dominus refugium pauperi, neq; despexit deprecationẽ pauperis.* Septimò, nullus pauper ad eum frustra refugit, neq; auditur modò à clementissimo patre oratio pauperis, sed etiam exauditur, ille est enim *eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum,* vnde & alibi dicitur. *Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus saluauit eum.* Octauò, ne quis putet, impunè laturos eos, qui insidiantur pauperi, aut eum deglubunt, nec verentur vel nudum spoliare, ecce quid rex testetur: *Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.* Itaque diues *cadet, cùm dominatus fuerit pauperum,*

Psal. 144. 19.
Psal. 10. 14.
Heribert. Rosvv. lib. 3. in vit. PP. c. 69. Ruffin. presbyter.
Psal. 9. 34.
Psal. 9. 19.
Psal. 9. 19.
Psal. 9. 10.
Psal. 21. 25.
Psal. 34. 10.
Psal. 33. 7.
Psal. 139. 13.
Psal. 9. 29.

Psal. 67. 11. perum. Nonò nec meritis pauperum præmium deerit: *Parasti in*
Psal. 68. 33. *dulcedine tua pauperi Deus*, ait Psalmista; & rursus: *videant pau-*
peres, & lætentur. Hæc est vera lætitia pauperum; diuitibus autem
tristissima quæque diuina pagina comminatur. Igitur quos maxi-
mè curat Mundus, minimè curat Deus; & quos despicit Mundus,
protegit Deus; & quamuis vtrisque prospiciat sufficienter, pau-
peribus tamen prospicit etiam abundanter.

III. Ne autem in verbis duntaxat curam, quæ pauperibus est pro-
missa, consistere arbitremur, notum est è sacris libris, non rarò
Luc. 2. 15. idem esse *verbum*, quod *factum*. *Transeamus vsq; Bethlehem*, aiunt
pastores, *& videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus*
ostendit nobis. Certè, quod dicit Deus, facit; & quod promittit,
præstat. Itaque primò perspicacissimus ille oculus Mundi, qui
omnia videt, vtique etiam videt pauperes; neque eos spernit, aut
Psal. 10. 5. indignatur vel in summa maiestatis sede constitutus. *Dominus in*
templo sancto suo; Dominus in cælo sedes eius: oculi eius in pauperem re-
Isa. 66. 2. *spiciunt. Ad quem respiciam*, ait, *nisi ad pauperculum?* Quod se fa-
Marc. 12. 41. cere Christus ostendit, quando *sedens contra gazophylacium aspicie-*
bat, quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites ia-
ctabant multa. Cùm venisset autem vidua vna pauper, misit duo minu-
ta, quod est quadrans, & conuocans discipulos suos ait illis: Amen dico
vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in
gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt;
hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.
Nonnè fuit hoc respicere pauperem? Bono animo estote, pau-
peres, si nemo vos hominum videt, & nemo miratur, aut laudat,
quod sanctè facitis, aut cùm in occulto oratis: Deum habetis &
testem, & spectatorem. Hic vnus est instar mille, immò supra mil-
le. Res magna est, à Deo videri. Secundò non videt tantùm
Deus pauperum inopiam, sed etiam re ipsa opitulatur, idque alios
Leuit. 19. 9. facere jubet: *Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsq; ad so-*
lum superficiem terræ: nec remanentes spicas colliges. Neq; in vinea tua
racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis
Ibid c. 23. 22. *carpenda dimittes.* Idem repetit infrà. Exemplum quàm illustre
Ruth. 2. 8. exhibuit in Moabitide Ruth, quam pauperem, sed honestissimi
nominis puellam & aluit, per diuitem virum Booz, & deniq; eti-

am

am opulentauit. In nouo autem testamento, vt pateſceret, etiam in ſpiritualibus peculiarem eorum haberi rationem, *pauperes Euangelizantur*, ait Seruator; ne ſuperba opulentia putet, Redemtorem tantùm diuitum ac magnatum cauſsâ veniſſe. Tertiò; res ipſa mouet miſericordem patrem. Si enim vel terrenus pater è duobus filijs vnum in bene inſtructa naui ludentẽ videat, alterũ inter vndas ac vortices luctantẽ, cui citiùs ſuccurret? Ita Deus vtiq; citiùs opem afferet ope indigenti, cuius ipſa miſeria mouet miſericordem. Si enim Iob aiebat: *Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi;* quantò magis putandum eſt, flecti & affici eum miſericordia, qui afflictionem atque inopiam longè habet cognitiorem? & *cuius miſericordia* eſt, *ſuper omnia opera eius*, quæ tamen ſunt magna, & mirabilia nimis? Quocirca eam olim legem tulit: *Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris.* Iob. 30. 25. Deuter. 15.

Quartò etſi ſubinde differt Deus quoſdam, vt incommoda ſentiant paupertatis, & quaſi eorum obliuiſci videtur, tamen *non in finem eſt obliuio pauperis.* Hac ſpe conſolans filium ſuum Tobias ait: *Noli timere, fili mi*, ait, *pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* Vt prædixit, ita euenit, vel Raphaële Archangelo cælitus miſſo, qui eum ad fortunas ſuas perduceret. Quin Chriſtus quoque turbam triduo toto diſtulit, donec eam prodigioſè paſceret. *Cùm turba multa eſſet, nec haberent, quod manducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent: ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt.* Diſtulit, vt fames & fama creſceret, miraculumque tantò maius eſſet, quantò illi magis eſurirent. Quintò voluit eoſdem ita curare atque ſatiare Dominus, vt etiam patientiam eorum probaret. Ob quam cauſſam multos diu, plurimos etiam vſque ad vitæ finem relinquit in egeſtate. Tunc enim dicet: *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Pſal. 9. 19. Tob. 4. 23. Marc. 8. 1. Iſa. 48. 10.

IV.

pertatis. Si enim excoxissem te, quasi argentarius in fornace ardentissima excoquit argentum, separatque ab eo, per ignem, stannum, plumbum, scoriam, vt purum putumq; remaneat, & impermixtum, vtique consumpsissem te, cùm non sis, nisi peccatorum scoria, iuxta illud: *argentum tuum versum est in scoriam;* itaque leniori te camino purgaui, seruitute scilicet & ærumnis Babylonis. Multi enim non sunt tam fortes, vt possint martyria sustinere; neque tam patientes, vt possint graues diuturnosúe tolerare morbos; quare mores eorum in camino paupertatis corriguntur. Quod dum facit Deus, nonne pauperes quasi negligendo curat? quia curat eos ipsâ paupertate, sicut medicus ægrotum diæta. Alios, qui non ægrotant, in hoc camino paupertatis, tamquam aurum in fornace reddit splendidiores, vt Iobo contigit, qui omnibus amissis longè clariùs enituit, atque etiam in hac vita *addidit Dominus omnia, quæcumq; fuerant Iob, duplicia. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.*

Isa. 1. 22.

Iob. 42. 10. Psal. 9. 19.

V. Iob. 29. 11.

Sextò dicebat olim Iob: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi. Eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor.* Quantò magis Deus est beatificandus, cui testimonium reddunt tot millia pauperum vociferantium, se ab illo liberatos? Audit autem etiam non vociferantes: nam & silentium clamat miserorum. Abdias dispensator Achabi regis Israëlitarum, cùm centum prophetas in spelunca absconditos pane & aqua sustentasset, vt Iosephus refert, magnum æs alienum contraxit. Eo mortuo creditor duos natos eius in seruitutem rapere volebat, cùm vidua non esset soluendo. Illa Elisæum prophetam adijt, opemque eius implorauit. Cui ille præcepit, vt ex olei ampulla, quæ domi vnica superat, vasa à vicinis mutuò accepta impleret: diuinitus enim oleum non defecturum, donec omnia implerentur. Paruit illa, & iussu Elisæi postea vasa illa vendidit, & debitum dissoluit. In qua historia Prophetæ non vociferantes à Deo auditi, & vel in spelunca latentes conspecti, atque per Abdiam nutriti sunt. Cui eam liberalitatem non esse damnosam passus est diuinus Remunerator, sed in vidua, ac liberis, per Elisæum prodigiosissimo olei augmento, gratiam pro gratia repositit.

Ioseph. lib. 9. c. 3. Antiquit. 4. Reg. 4.

repoſuit. Animalia ratione carentia, in extremo periculo conſtituta cùm aliud non habent, quo ſe protegant clamorem habent, miſeriamque ſuam teſtantur vociferando: ita & homines extrema afflictione compelluntur ad Deum clamare. Nec in ventos abit clamor: *Clamor filiorum Iſraël venit ad me* ait, quia pauperum oppreſſio eſt peccatum in cælum clamans, etiam ipſo oppreſſo ſilente. Quia ipſa calamitas clamat, tacente calamitoſo. Exod. 3. 9.

VI.

Septimò non audit tantùm, ſed etiam exaudit pauperes, verus Pater pauperum, Deus, qui *ſaluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.* Quàm hoc verum ſit, oſtendit mirabilis prouidentia diuina, in hiſtoria, quam nobilis quidam Germanus, Anno Chriſti 1627. Româ huc, ad nos, in hunc fere modum perſcripſit, meritò poſteris non obliuiſcendam. Contigit quatuor ferè ab hinc menſibus non mirabile, minùs, quàm iucundum in Vrbe. Nam à triſtibus initijs, in lætum finem deſinebat. Eſt hîc par coniugum, quibus, annonæ caritate ad ſummam inopiam redactis, fame pereundum fuiſſet, niſi, per æs alienum, cum morte inducias feciſſent. Nam, cùm etiam, quod mutuò acceperant, abſumſiſſent, redijt fames, quam inſuper æs alienũ fecerat grauiorem. Sed inprimis creditor longè fuit grauiſſimus. Is enim, conſtituto debiti ſoluendi die, importunus aderat, ſibique, ſine vlla mora, ſatisfieri volebat. Nihil illum extrema inopia, nihil pallidi vultus, nihil preces mouerunt miſerorum. Proſpiciebat enim, egeſtate ſemper magis ac magis creſcente, ſupellectilem quoque, & cum ea ſpem ſolutionis obtinendæ, abituram. Traxit igitur maritum in ius, &, non ſecus, ac ſi lege repetundarum teneretur, accuſat. Fert ſententiam iudex: reus carceri mancipatur. Et iſte quidem in vinculis famebat: vxor autem dolebat tantò magis, quòd & inopiam, & inediam ſuſtinens, marito viuo, viduam agere cogeretur. His malis afflicta nihil prius habuit, quàm vt vndique circumcurſaret, quæreretque nouum creditorem, à quo mutuâ pecuniâ acceptâ maritum redimeret. Et erat exigua pecuniæ ſumma, de qua agebatur, vix duorum ſcilicet aureorum. Dum circumiuit, neſcio cui mala fide ambulanti nebuloni innotuit. Is eam è veſtigio clanculum ſectatus obſeruauit; & quòd fortè intellexerat, virum illius in cu-

Iob 5. 15.

stodiam datum, eo absente, ad ædes afflictæ accessit. Vtque minùs metueret, nox fecerat audentiorem, atque in primis ipsa domunculæ solitudo. Adit ergo; pultat fores: nemine audito etiam quatit. Vicit importunitas, vt tandem surgeret mulier, veritane postes effringerentur. Quærit de fenestra, quid hominis adsit? aut quid sibi velit, id noctis? Respondet, aditum se petere, & pro imperio proteruè iubet eam citò pessulum reducere, laresque reserare. Cui mulier, solam se domi esse, ait, haud decere, vt hominem ignotum ad ædes, in tenebris, admittat. Si quid negotij necessarij habeat, crastina luce, peragi posse, postquam clara dies remouerit caussam suspicandi. Instat ille: perstat illa. Sed non diu. Postquam enim homo atrocissimis minis edixit, ni actutum aperiret, se illam & domum pariter, cum tectis & fundamentis exusturum: neque expectaturum, donec sol incipiat collucere; sed incendio diem facturum. Quid faceret femina, inops, sola, tantis minis perterrita? Virilem animum vicisset periculi magnitudo. Fores trepida recludit, hominemque nefarium ad se intromittit, saltem domum conseruatura, si vitam non possit. Patefactâ ianuâ, velut rabidus canis illam inuadit impurus, vitiumque continuò offert. Sed qui Helenam sperauit, Penelopem, immò Lucretiam reperit. Non enim ille tam importunus fuit in flagitio petendo, quàm illa fortis in recusando. Adeò vehementer restitit, vt vitam se priùs, quàm pudicitiam profiteretur perdituram. Et vicit adulterum casta, sed prædonem non superauit. Nam ille à crimine vno ad alterum conuersus, mandauit, vt quidquid domi pecuniarum, vestium, vasorum haberet, apportaret: ni faciat, verbera, mortem, flammas tectis subijciendas intentat. O misera mulier quid hic ages? teruncium domi nullum habebat, præter duos nummos aureos, quos ea ipsa die elapsa, redimendo marito mutuò acceperat. Hos Lauernioni dare, durum erat; negare, periculosum. Sed prævaluit metus. Fatetur, adesse nummos, eosque accensa lucerna promit, sperans his se cetera omnia redimere posse. At longè secus fuit. Vt tigris, gustato sanguine, magis sæuit; ita auarus, viso auro magis sitit aurum. Existimans ergo crudelis homo, plus auri ab ea conditum latere, consilium capit illius necandæ, vt ea occisa, omnes latebras excutere possit. Quoniam igi-

tur

tur consultissimum videbatur, eam laqueo strangulare, & voci viam intercludere, ne clamans audiretur, laqueum ab ea petijt. Respondit, illa, nullum in tota domo esse, nisi quo asinus in stabulo religaretur, & clementiùs, quàm igne, moritura, ipsa carnifici suo viam ad propriam perniciem monstrat. Ventum est ad stabulum, ibi dum sicarius funem implicatiore nodo impeditum resoluit, videt femina clauam ligneam, tundendo asino parieti aclinatam, subitque mentem cogitatio: Quid si necem meam anteuertam, & homini, quod mihi parat; exitium priùs offeram? Fas est, vim vi defendere: etsi mihi non credatur, præstat perire publica authoritate, quàm crudelitate priuata. Nec plura deliberans, impetu quodam naturæ clauam arripit, nocturnumque latronem fune detrahendo occupatum, à tergo adoritur, atq; vnico ictu in terram prosternit: altero deinde fulmine superaddito exanimat: cadauer extra domum tractum eliminatumque in proxima via abijcit: reliquum noctis dat quieti. Quamquam inquieta illi ea quies fuit. Facilè enim habuit cogitare, primam cædis suspicionem ad se iri deriuatum. Vix orta luce surgit, creditorem adit, dispunctoque duorum aureorum debito, maritum carcere liberat. Quam lætitiam illico noua tristandi caussa interturbauit. Nam dum domum suam repetunt, occurrunt alij super alios, qui ad visendum cadauer confluxerant, nunciantque cædem factam, hominem trucidatum iacere in via, sanguinis è gemina capitis plaga manantis vestigia ad ipsorũ lares tendere, monstrareque, haud dubiè, vbi homicidium illud sit perpetratum. Fatetur vxor marito, se funeris istius esse authorem. Ibi nouus metus, nouus luctus hominem occupat, sed mox in gaudiũ transiturus. Nam dum vndique ad cadauer spectandum concurritur, adfuerunt etiam, qui, vultum occisi curiosiùs contemplantes, deprehenderunt manifestis signis, illum ipsum fuisse famosissimum latronem, in cuius proscripti caput, centum aurei à magistratu erant promissi. Defertur res ad Vrbis Gubernatorem, inquiritur in mulierem cædis patratricem. decernitur, illam centum aureos meruisse; qui proinde illi etiam numerati sunt. Iis & debito se exsoluit; & quod superat, ad vitæ necessaria impendit. Quàm verè Deus est, qui *saluum facit egenum à gladio, & de manu violenti pauperem?* Quàm mirabi- Iob. 5. 15.

1. Reg. 2. 6. liter *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit?* Nolite confidentiam amittere, ô pauperes, Deus vos de cælo aspicit; Deus necessitatem vestram probè agnoscit; Deus permittit, qui vobis insidientur: sed fortasse, per illos ipsos succurret, qui vobis imminent deuorandis, sæpe enim operatur *salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

Luc. 1. 71.

VII. Octauò igitur, quamuis *Deus potentes non abijcit, cùm & ipse sit potens*, tamen *non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit*, neq; eos sinit abire impunitos, quibus dici potest: *in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum.* Sunt enim *veloces pedes eorum*, & in modum Mercurij, ob talaria, alati, *ad effundendum sanguinem*, quorum manus ad dandum veloces esse debuissent. Sentiunt itaq; meritò manum Dei punientis, & curam pauperum singularem habentis. Qua de caussa ita præscripsit populo suo. *Aduenam non contristabis, neque affliges eum: aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Quas Dei minas nõ esse inefficaces ostendit tertiæ viduæ exemplũ. Memorat Paulus Diaconus, viduam fuisse, quæ paupertate pressa mutuam ab vsurario pecuniam acceperat, sed magno suo malo, neque enim desistebat ille vsuram identidem exposcere; quin & duplum exigere eius pecuniæ, quam dedisset. Nullum erat desertæ vspiam refugium, nisi ad S. Iuuentium Episcopum, singularem paupẽrum, viduarum, ac pupillorum patronum. Is postquam & viduæ calamitatem, & iniusti exactoris importunitatem cognouit, Diaconum suum Exuperantium cum eadem vidua, misit ad creditorem, addito hoc mandato: *Vade ad eum, qui hanc viduã crudeli exactione opprimit: admone eum vice mea postulationis, dicens: Pater tuus rogat, sufficiat tibi, quod tuum est, nec exigas, quod minimè dedisti, ne id, quod habere videris, amittas. Si autem te audire noluerit, ecce do tibi summam pretij, porrige ei, & reuertere.* Paruit Diaconus, hominemque anarum, vidua comitante, conuenit, nihilque eorum, quæ mandata erant, omisit. Lapidem citiùs mollijsset, quàm iniquum

Exod. 22. 21.

Paul. Diacon in vita S. Iuuentij Episc. c. 14. & Sur. 14. Septemb.

quum hominem. Sed exiguo lucro fœnus accepit. Eodem enim temporis momento, quo aurum ab Episcopo missum contigit atq; in manus sumsit, humi collapsus, miserrimè expirauit. Duo hîc expendi possunt, ira Dei, & cura Dei; cura pauperum & viduarum, ira in fœneratores. Tametsi enim licitum est, vrgente necessitate accipere mutuum à fœneratore, non tamen licitum est istis, cum spe fœnoris mutuum dare. Illos necessitas excusat, non item istos. *Audent fœneratores dicere:* ait S. Augustinus: *Non habeo aliud, vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret deprehensus circa parietem alienum; hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad prostitutionem: hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. Quidquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent, vnde viuerent, quia inde se pascerent: quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt, vnde vitam transigant, & inde se pascere volunt, vnde offendant vnum, à quo omnes pascuntur.* S. Augustin. in Psal. 128.

Nonò, quod Ado testatur, de Ludouico Imperatore Caroli Imperatoris filio, planè Deo maiore iure tribuitur. Ludouicus, annis circiter viginti octo, quibus imperium gessit, non solùm fuit eximius amator castitatis, promotor religionis, fautorq; Ecclesiasticorum; verùm etiam, in Gallia, Germania, Italia totoq; Imperio suo, legatos constituit, qui pauperum & oppressorum curam gererent, eorum causas audirent, ijsque iustitiam administrarent, atque in omni necessitate succurrerent, Deus, non annis 28. duntaxat, sed à condito orbe, Angelos pauperum tutelares constituit, quin & causam eorum ipse susceperit, susciperit, susciperet. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* ait S. Iacobus. Ipse Christus dixit: *cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos.* Ac rursus, cùm à cœna magna diuites, ob villam emtam, & ob emta quinque iuga boum, atque ob vxorem ductam se excusarent, *iratus paterfamilias dixit seruo suo: Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis; & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Cœna magna, erit cœna Agni, non nectare & ambrosia, sed genimine vitis nobilioris pretiosa, in qua, vbi accumbant hi pauperes, ostendit Lazarus in ipso sinu Abrahæ, sicut & D. Ioannes in sinu

VIII.
Ado Chron. æt. 6. An. 815.
Iac. 2. 5.
Luc. 14. 13.
Ibid.
Luc. 16. 23.

Gen. 26. 12. in sinu Christi requiescens. Cuius rei figura fuit Isaac, qui *seuit*, non in agro proprio, sed à Geraritis conducto; neque enim Abraham, neque Isaac, neque Iacob, possederunt agros, aut domos in Chanaan, sed identidem in ea peregrinati sunt. *Seuit* itaque *Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum, benedixitq; ei Dominus.* Quare hæc tanta messis, non per sationem, nec per agrorum fertilitatem, sed Dei beneficio, & per miraculum Isaaco obtigit, vt ex vno modio à se seminato, centum modios meteret. Plin. lib. 18. cap. 11. Quamquam Plinius fertilissimum triticum *centigranum* appellet, vnde & Isaaci prouentum naturalem esse potuisse, non tamen fuisse ostenditur, scriptura eam vbertatem benedictioni diuinæ ascribente. Hac autem benedictione tam copiosa indicatum est, tam vberem terram esse paupertatem, in qua qui serit, centuplum Matth. 19. 29. recipit, ex Christi oraculo: *omnis qui reliquerit domum, vel fratres &c: aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quò alludens ait Hieronymus: S. Hieronym epist. 26. *Centuplicato fœnore Christi promissa reddunturr: in tali Isaac quondam agro seuerat.* Hac fertilitate carent diuites, gaudent pauperes. Quibus proinde rectè S. Gregorius Nazianzenus gratulatur hac acclamatione: S. Greg. Nazianz in carm.

Felix qui Christum fortunis omnibus emit.

S. Augustin. serm. vlt. de diuers. Et D. Augustinus: *Quid est glorioſius homini, quam sua vendere, & Christum emere?* Quid vtilius, quàm omnibus rebus exui, vt eum habeamus, in quo sunt omnes thesauri? Quid securius, quàm à mundo non curari, vt curemur à Deo? Mundus respicere inopes Psal. 30. 5. non dignatur, Deus dignatur, *Dominus in cælo sedes eius: oculi eius in pauperem respiciunt.* Idcirco alibi dictum est: *Tibi derelictus est pauper,* Psal. 9. 35. quem alij negligunt, quem despiciunt, *Tibi derelictus pauper.*

IX. Quemadmodum infans à natura destitutus, nudus, neque surgere, neque se vestire, aut contra frigus tegere, neque cibum manibus capere, immò neque ea, quæ sibi necessaria sunt verbis postulare valens, à matre curatur. Hanc amor impellit, vt viribus carentem è lecto leuet, vestiat, inuoluat, portet, sinu excipiat, admotis papillis nutriat, ciboque præmanto in os inferto sopiat, in cunis circumagat, cantando ad somnum alliciat; plorantem mulceat, ridenti arrideat, denique noctes diesque laboret, ne quid desit indigenti. Ita Deus pauperes & inopes, & se ipsos iuua-

re non

re non valentes amat, fouet, educat & educit ad æternam vitam. Immò longè magis. Quia mater sæpe per ignorantiam, sæpe per negligentiam, sæpe per virium defectum infanti succurrere non potest. Deus autem, cuius sapientia falli nequit, cuius bonitas terminum nescit; cuius potentiæ non est finis; nihil ignorat, nihil negligit, nihil non potest. Quare magis vult, magis valet, magis curat, quàm mater. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Isa. 49. 15. Quæ cùm ita sint, prodest vtiq; hominibus sua paupertas, per eam, dum eos negligere Deus videtur, maximè curat, quia maximè amat. Quamobrem rectè possunt illud Themistoclis vsurpare: *Perieramus, niſi periiſſemus.* Multis etenim perire est salutare; hoc est, multis perdere opes, perdere domos, perdere pecunias, perdere vitæ necessaria, est occasio, vt Deum inuocent: qui inuocatus est, & succurrit. Itaque malè perierant, nisi bene à Deo perditi bene perijssent. Quod ita esse, pauperes vel in Martyribus possunt cognoscere; nam & illi sic bene perierunt in hoc sæculo, ne perirent in futuro. plura qui vult legere de hac cura Dei erga pauperes, tomum nostrum primum adeat, de Iudicijs Dei, quæ in hoc mundo exercet. Tom. 1. de judicijs, quæ Deus in hoc Mundo exercet. c. 4. & 5.

X.

Ne autem ipse solus curet pauperes Deus, vult etiam in hac cura homines suos esse imitatores, quorum plurimi extiterunt. S. Stephanus primus Hungarorum rex menti suæ altissimè impressa ferat illa Christi dicta: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiã conſequentur: date & dabitur vobis;* quare tanto affectu pauperes, & in illis Christum amplectebatur, vt nullum vmquam hospitem, aut peregrinum absq; aliquo solatio à se discedere pateretur, & in egenos quotidianas expensas fieri iuberet. Nocturno tempore, eleemosynas non solùm in sinu pauperum abscondebat; verùm etiam, Christi exemplo sese demittebat ad eorum pedes abluendos. Accidit, vt quadam nocte, nemine sciente, solus pauperes inuiseret, qui viso marsupio ita pecuniæ inhiarunt, vt certatim in eum inuolantes barbam ei euellerent. Ille nulla indignatione motus, immo gaudio perfusus, humique prostratus his verbis exclamauit: *Regina cæleſtis, & mea, en quem tu regem conſtituiſti, cum ſic honorarunt milites tui, Quæ ſi mihi ab aliquo hoſte illata eſſet iniuria* Sur. 20. Auguſti. Matth. 5. Luc. 6.

iniuria, tuo fretus adiutorio, non sinerem eam inultus abire. At nunc sciens hinc mihi parari aeternam felicitatem, impensè lator, & gratias agens, illis piis mi Saluatoris consolatorijs verbis, quibus discipulos suos confirmauit: Capillus, inquiens, de capite vestro non peribit. Dixit, & incredibilem quamdam animo persensit dulcedinem, statuitque numquam pauperi vlli pectoris sui ostia claudere. Quam liberalitatem in clericos præcipuè ac Religiosos exercuit. Quorum vni Gunthero dicto, tantam potestatem concessit, vt *quoties sua praesentia eius aulam illustraret, curam regni ei demandaret. Tum ille rebus, quas in aula inuenisset, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, cœnobia & Ecclesias erogatis, breui illam exinaniebat.*

Luc. 21.

XI.

Quid igitur? num & regnum fuit depauperatum? nequaquam. Sed dum rex pauperum; Deus regis & regni curam gessit. Tanti autem curam hanc fecerunt Sancti, vt etiam sibimet ipsis cibum, etiam vestes detraherent, egentibusque largirentur. Palam est, quid Martinus adhuc catechumenus fecerit. Ethelouoldus Wintonienſis Episcopus, neque Ecclesiæ ornamentis pepercit. *Accidit, vt quandoq; acerba fames vniuersam Britanniam vehementer opprimeret, & multi pra nimia inopia dira clade extinguerentur. Tum ille pecuniam suam omnem in pauperes elargitus est. Deficiente pecunia tolli iussit ornamenta quæque, & permulta vasa argentea ex Ecclesia thesauris confringi. Iis in pecunias redactis, cum multo cordis gemitu testabatur, se æquo animo ferre non posse, muta metalla durare integra, hominem verò ad imaginem DEI factum, pretioso Christi sanguine redemtum, mendicitate, & inedia confici. Sustentauit itaque innumeram pauperum multitudinem; qui periculum famis euadere cupientes, ad eum vndiq; confugiebant. Illos ipse in plateis, omni solatio destitutos refocillabat, singulis necessaria præbens: donec misericordia Dei de cælo in terram prospiciens, & humano generi solita benignitate subueniens malum inopiæ temperaret.* Inseminauit hanc curam mundi Moderator etiam S. Wilhelmo Episcopo Briocensi, qui sua manu voluit stipem pauperibus distribuere, quacumq; ibat; & cùm statutæ eleemosynæ darentur, ipse semper coram voluit esse, ne quisquã præteriretur. Tempore famis, & sua, & aliena horrea euacuauit. Deniq; rebus suis omnibus in egenos distributis, nihil superfuit, vnde conderet testamentum. Maluit enim sua viuus bene collocare

Seuer. Sulpit. c. 2. de vit. S. Martin.

Sur. 1 Aug.

Godefridus Caluus in eius vita 29. Iulij.

care, quàm, post mortem, incertæ aliorum fidei committere dispertienda. Constantius presbyter refert de S. Germano Episcopo Antisiodorensi, eum obuijs mendicantibus, ex diacono suo interrogasse, quantum secum nummorum haberet? cumque intellexisset, tantùm tres aureos præsto esse; omnes iussisse in pauperes liberali sparsione effundi. Ibi diaconus futuri prouidus, *vnde ergo,* inquiebat, nos *hodie victuri sumus?* cui Germanus respondit: *Pascet Deus pauperes suos, tu, quod habes, præsta pauperibus.* Diaconus malè sollicitus, nec bene obediens, duos erogat, vnum reseruat. In itinere à Leporio prædiuite domino vehementer ægroto, percursores inuitatur, misso ducentorum solidorum munere. Quo oblato, ad diaconum conuersus Episcopus: *Accipe,* ait, *quæ traduntur, & intellige te fraudem fecisse pauperibus. Nam si totum, quod dedi, indigentibus contulisses, remunerator noster trecentos hodie reddidisset. Contremuit diaconus, secretum reatus sui innotuisse pontifici.* In qua historia apparet, quantam Deus habeat curam eorum, qui pauperum curam gerunt; quibus & promissum *centuplum* reddit. Non solùm igitur in pauperes iniurij sunt, qui iustas eleemosynas vel interuertunt, vel diminuunt; sed etiam in proprios dominos noxij. Nam pauperibus simplum, domino centuplum subducunt. O cæca parcitas, quæ nescis seruare pecunias, nisi in proprium damnum!

Constant. lib. 2. de vit. S. Germani. c. 11. Sur. 31. Iulij.

Matth. 19. 29.

Mulierum quoque eximia hîc laus est; nam per illas misericors Dominus sæpe egenis præsenti manu adfuit, docuitque diuitias ab illis, non in ornatum capitis, non in armillas & torques, non vestes exoticas, & Phrygia acu elaboratas, sed in egentes atque misericordiæ opera impendendas. Talis erat illa, de qua scriptura ita loquitur: *Transibat Elisæus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet panem: cumq; frequenter inde transiret, diuertebat ad eam, vt comederet panem. Quæ dixit ad virum suum: Animaduerto, quòd vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cùm venerit ad nos, maneat ibi.* Neque gratis id fecit, pro gratia, gratiam sensit, & quæ sterilis erat, filium acquisiuit. Quàm multæ eiuscemodi opulentæ Iunones prolem optarent, sed pauperes non curant;

XII.

4. Reg. 4. 8.

rant; Eliseos, Prophetas, Religiosos in domum non admittunt. Quare vnà cum illis diuinam excludunt benedictionem. Aliæ fe-
minæ etiam foras eunt, vt pauperibus seruiant. Quales fuerunt
Luc. 8. 2. illæ, de quibus Lucas hæc memorat: *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella, prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo; & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Consuetudinis Iudaicæ fuit, ait S. Hieronymus, *nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum*
S. Hieronym. in cap. 27. Matth. *atq; vestitum præceptoribus darent. Sed hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abiecisse commemorat. Ministrabant autem hæ mulieres Domino de substantia sua, non quòd indigeret cibis Dominus creaturarum, sed vt typum ostenderet magistrorum, quòd victu*
Theopil. in 1. Cor. 9. 5. *atq; vestitu de discipulis debeant esse contenti.* Hæc D. Hieronymus. Eamdem caussam indicat Theophylactus his verbis: *Diuites fœminæ comitabantur Apostolos, vt suppeditarent eis necessaria, omnem illis securitatem horum caussa parantes,* vt soli Euangelij prædicationi ipsi
S Ambros. in eamd. ep. vacarent. D. Ambrosius autem etiam aliam caussam adducens ait: *Scilicet mulieres opulentæ desiderio doctrinæ Dominicæ, & virtutum, sequebantur Apostolos, & ministrabant eis & sumtus, & seruitia, sicut &*
1. Cor. 9. 5. *Saluatorem sunt secutæ.* Quid multis opus? Ipse Apostolus ait: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?* Habuit sanè Paulus potestatem, sed noluit ea vti, ne Gentiles offenderet. Ceterùm planè non exiguum opus erat harum matronarum, quæ diuinæ sapientiæ audiendæ, & pauperes Apostolos pascendi caussa tanta itinera, & tot incommoda susceperunt. Nunc multæ, ne dignantur ad planteas vsque descendere, vt Christum in pauperibus suis pascant.

XIII. Quamquam sanè multæ fuerunt præclaræ, quæ id fecerunt. Quis regiam illam mentem Elisabethæ nescit, quanta fuerit amatrix & nutrix egenorum? quis Radigundas non nouit mi-
Surius 23. Iulij. raculis, ob pauperes adiutos, illustratas? S. Birgitta vidua multis reuela-

reuelationibus nobilitata, *infirmorum, morbidorum, & pauperum, felix & inclyta mater eleemosynas largissimas præstabat. Habebat autem magnas ades pauperibus deputatas & in ijs feminas, quæ illorum ministerio semper occuparentur. Sed & ipsa cum multa humilitate non rarò illis inseruiebat, lauans, & osculans pedes eorum.* S. Anatolia Diodori filium cùm à malo dæmone liberasset, adijt eam Diodorus cum vxore, obtulitque ingentem vim pecuniarum. *Sed S. Anatolia nihil penitus accipiens, dixit: Vade, & egenis Christianis, atq; inopibus eroga: tu verò crede in Christum, vna cum tuis, & liberaberis.* Nimirum opes Anatolia à se in pauperes, quemadmodum alij labores solent, deriuauit. Numquam ad finem, in hoc genere argumenti, decurret oratio, si omnia velim attingere exempla. Nullus sanctus, nulla sancta fuit, quæ misericors non fuit. Hanc enim virtutem voluit diuina sapientia idcirco extendi, vt sua quoque erga pauperes cura extenderetur. Neque potest vllam in rem pecunia vtiliùs expendi, quàm quæ expenditur in charitatem. Qua de causa *Frater quidam interrogauit* Pastorem *dicens: Dimissa est mihi omnis hæreditas, quid facio ex ea? Et dicit ei Abbas Pastor. Vade, & post tres dies veni, & dico tibi. Venit autem, sicut præfinierat, & dicit ei senex: Quid tibi habeo dicere, frater? Si dixero, da eam in Ecclesiam, clerici sibi facient conuiuia ex ea: Si autem dixero, da eam parentibus tuis; non est tibi merces: si verò dicam, da pauperibus, securus eris. Quidquid ergo vis, vade, fac.*

Sur. 9. Iulij.

Apud Heribert. Rosweid. lib 5. de vitis PP. libell. 10. de discret. n. 55.

CAPVT XIV.

Moysis, Eliæ, Ioannis Baptistæ, ipsius Christi & Deiparæ, itemq; Apostolorum, ac primitiuorum Christianorum paupertas voluntaria.

I.

S. Bernardin. t. 3 tract. de 8. Beatitud. serm. 2.

AD commendandam paupertatis virtutem, narrat S. Bernardinus Senensis hanc parabolam. *Rex quidam duas filias habuit, vnam pulcherrimam, aliam turpissimam. Pulchra appetebatur ab omnibus, & honorabatur: turpem verò nullus nedum amare, sed nec videre volebat. Hæc autem amarissimè flebat in conspectu regis. Cui rex: Noli flere, inquit, dilectissima filia mea: Nam qui in sponsam duxerit sororem tuam, nihil secum accipiet, nisi pulchri-*

tudinem suam: qui verò sponsam acceperit te, dabo illi regnum meum. Rex iste Deus est; filia specie corporis visenda, est gloriosa sæculi vita, diuitijs, delicijs, potentiâ, & magnificentiâ plena; quam omnes ambiunt, qui in rebus æstimandis, externũ dumtaxat splendorem aspiciunt, neque aciem oculorum habent, qua penetrent ad interiora mentis ornamenta. Filia verò altera fronte seuera, genis pallida, labris macilenta, toto vultu horrida, est paupertas, plena fame, plena penurijs, plena despectu: sed *omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus.* Tot enim virtutes, tot dotes, tot priuilegia secum trahit, vt nihil possit ei comparari, si rectis oculis aspiciatur. Solatium est enim ei, penuriam pati; opes maximas videt esse in egestate, despici honori sibi ducit: & cùm nihil habeat, omnia possidet; denique quisquis eam sibi desponsat, ei à Domino promittitur *regnum cælorum.* Hæc dos est paupertatis; cùm interim viri diuitiarum, qui aureos montes sibi per somnum pollicentur, nihil præter fugitiuũ splendorem cum diuitijs suis reportent. Et terribile est, quòd non aliqui saltem excipiantur, ait enim Dauid: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt* OMNES *viri diuitiarum in manibus suis.*

Pſal. 44. 14.

Matth. 5. 3.

Pſal. 75. 6.

II.

Qua de causa, quisquis iudicio, consilioque magnus fuit, semper magni fecit paupertatem. Etiam in veteri testamento, vbi tamen alioqui magni fiebant terrenæ possessiones, tamen sapientiores diuitijs cor non apposuerunt; quin & fuerunt, qui etsi regibus essent, ob scientiam, virtutem, & Zelum, & prophetiæ donum, metuendi, tamen indigerent ab alijs sustentari. Moyses, in summo rerum dominatu, argentum, & aurum, aut alios thesauros non condidit. Cuius rei causam Philo hanc reddit: *Non opes sibi parauit, quamuis posset habere omnium rerum copiam: existimans animæ pauperis indicium esse mirari materiales diuitias,* Nimirum, vt D. Paulus ait, *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere incunditatẽ, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorũ, improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem;* vtique alterius vitæ, quamuis etiam aliquam in hac vita receperit. Nam, vt Philo loco citato ait, ipsius per tot prodigia, aeris, aquæ & terræ, & totius vniuersitatis imperium amplissimum ei datum est. *Horum*

Phil. lib. 1. de vita Moysi.

Hebr. 11. v. 24.

rum omnium princeps electus est. Nam quia regnum Ægypti dereliquerat, cùm esset nepos regius, amore iustitiæ, visum est omnipotenti rerum Gubernatori, frequentioris, melioris q; gentis regnum ei reponere. Itaque quoniam auaritiæ renunciauerat, & diuitijs honoratis apud homines, perfectas maximas q; diuitias, pro his, Deus ei reddidit: hoc est, vt tantundem posset, quantum terra & mare, ac flumina elementa q; cetera, & quæ ex his sunt condita. Fecit enim eum sua potentiæ participem, tetum mundum ei subdens, tamquam hæreditarium. Quod etiam in alijs fecit, qui dum sponte fuerunt pauperes, facti sunt miraculorum patratores. Elias, qui alijs farinam & oleum diuina virtute multiplicauit, ne fame perient, ipse indiguit ope aliena. *Corui quoq; deferebant ei panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.* Tanta erat illius paupertas, vt nisi ei bestiæ, ex mandato Dei, cibum ministrassent, fame illi pereundum fuisset. Alio libro ostendi, id diuina prouidentia sæpe factum fuisse, vt bruta animalia homines nutrirent. Hoc loco illud tantùm monstrare mens est, Eliam sua sponte pauperem fuisse; inueniisset enim vtique multos, qui ei etiam lautitias præparassent, si ipse voluisset. Sed contemtor aularum, maluit esse siluarum habitator; vnde & Deus ostendit, quale esset inter Eremitas, & Palatinos discrimen: illos corui pascunt, hi coruos. Eliam in hac paupertatis laude imitatus est Eliséus, adeò pauper vt frequenter transiens per Sunam, tamquam pauper à Sunamitide muliere hospitio exciperetur. Centum quoque Prophetæ fame perijssent, nisi eos Abdias dispensator Achab à furore Iezabel absconditos pane & aqua sustentasset. O quanta hæc paupertas? Tot Prophetæ ab alio debent sustentari? & sustentari non turdis, & ficedulis, sed pane & aqua? Verùm hos, sicut & Iobum, existimabit aliquis necessitate, non voluntate pauperes extitisse; quemadmodum enim mali dæmonis inuidia Iob ad incitas, immò ad fimum redactus est, ita & Prophetas illos Iezabel in speluncas coëgit se abdere. Esto ita. Sed non est exigua virtus, paupertatem oblatam acceptare.

3. Reg. 17. 6.

4. Reg. 4. 8.

3. Reg. 18. 4.

Quamquam nec voluntariæ paupertatis exempla desint. Et vel solus Ioannes Baptista quantum fuit exemplar paupertatis? Si vestem aspicias, nec mollem ille induit, nec pretiosam; si cibos,

III.

non adhibuit ille delicatos: si habitationē, inter feras vitam vixit:
Luc. 7. 25. *Quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce, qui in veste pretiosa sunt, & delicijs, in domibus regum sunt.* Tria indigitantur, vestes, dapes, ædes; quas pauperes & diuites planè oppositas habent. Quid de diuite
Luc. 16. 19. *legitur? Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendidè.* Ex purpura aliqui regem fuisse conijciunt, aut certè regulum, vel principem, immo ipsum Herodem; Euthymius, ex Hebræorum traditionibus Nineusi nominatum autumat. Quisquis fuerit, diues certè fuit, cui è diametro opposita omnia de S. Ioanne Baptista recensentur. Non enim ille mollibus vestimentis, non purpura indutus incedebat. Etenim
Matth. 3. 4. *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Non epulabatur quotidie splendidè, sed *esca eius erat locusta, & mel siluestre.* Non habitabat *in domibus regum*, sed in deserto, & circa Iordanem. Qualis habitus, victus, locus Eremitis conuenit. Hæretici, ofores paupertatis, pietatis, religionis, omnia in Ioanne permutant; & quia horrida, homines elegantes scilicet, abominantur, ex solitudine vrbes fabricant: ex pilis camelorum pretiosam illi vestem contexunt; locustas in marinos cancros vertunt. Quidam enim vestem è pilis camelorum scutulatam vndulatamque interpretantur, quali reges olim vsos meminerunt. Nimirum apta pluuijs, apta tempestati; apta solitudini, nedum pœnitentiæ, erat vestis Damascena. Quis credat, eum vrbanas munditias amauisse, qui vrbes ipsas fugit? *nulli se vmquam hominū consuetudine iungens*, ait S. Chrysostomus, & *continuo solus Dei fruebatur alloquio, non lecto, non tecto, non foro, non alia quapiam humana re vsus est vmquam.* Alij itaque paullò intelligentiores, vestem eam è crudis camelorum pellibus fuisse confectam, iuxta communem pauperum illius regionis morem & habitum. Addunt nonnulli, Ioannem non certa religione, sed quadam necessitate id vestimenti genus portauisse. At Euangelistæ, eum habitum, tamquam singularem describunt, vt Ioannis sanctitatem indicent, caussamque, ob quam populus ad eum, veluti ad monstrosè vestitum, videndum, tanto concursu confluxit. Quòd si vestis pellicea fuisset, cur diuina historia discrimen faceret, diceretque, vestem ex pilis camelorum, zonam autem

S. Chrysost. in cap. 11. Matthæi.

autem pelliceam fuisse? Innuit enim, vestem pelliceam non fuisse. Etsi enim zona minùs aspera atque horrida fuerit, quàm reliqua vestis, tamen erat ex cruda & pilosa pelle, qualis etiam olim erat Eliæ, in cuius spiritu Ioannes Christum præcessit. Fuit ergo Ioannis *vestimentum de pilis camelorum*, hoc est, horridum & aculeatum cilicium, vt Emissenus, & Anselmus docuerunt. Decebat siquidem, vt qui pœnitentiam prædicabat, pœnitentiæ habitu vteretur, quo plurimi, in veteri testamento vsi leguntur. Et conueniebat etiam, vt qui mundum ac pompam eius contemneret, à mundi ornatu abhorreret. De cibo quoque disceptatur. Scriptura ait: *Esca autem erat locustæ, & mel siluestre.* Locustas hæretici *cancros marinos* interpretantur, quos cum alijs piscibus captos piscatores, ad Iordanis ripas eiecerint; quòd, quia in Leuitico, lege immundi dicebantur, eos vendere non possent. Itaque ex horum cerebro, Ioannes, lege contemta, caneros collegit, quibus ipsi libenter vescuntur. Sed mirabiles sunt coci, qui ex locustis cancros faciunt. Neque enim ἀκρίδες cancros, sed locustas significant, humile insectorum genus, quod saltando volitat, & volitando saltat, neque est cibus adeò horrendus & inusitatus, vt ab eo Orientales abstinuerint, quamuis vilissimus esset, vt sunt & limaces apud nos, & formicæ apud Indos. Ac sanè si locustæ in cibo non fuissent, non eas Moyses inter munda animalia, quibus vesci licebat, numerauisset. Et quamquam Nicephorus putarit, arborum frondiumque summas partes (quòd extremæ sint ἀκρίδες) esse putârit: tamen vel etiam hinc paupertas Ioannis eluceret. Talibus enim etiam Philosophum Diogenem, ob inopiam, epulatum esse legimus. Nec paupertati obnunciat *mel siluestre*, quo itidem vescebatur, vtique in calida & fertili regione, & in terra Palæstinæ lacte & melle manante, passim obuio.

4. Reg. 1. 8. Emissen. hom. 1. de Io. Baptista Anselm. in c. 3. Matth. Gen. 37. 34. 2. Reg. 21. 10. 3. Reg. 23. 27. 4. Reg. 6. 30. 1. Par. 21. 16. Iudith 4. 9. Psal. 34. 13. Ierem 4. 8. & 6. 26. & 48. 37. & 43. 3.

Plin. l. 11. c. 29. Plutarch. in symp.

Nicephor. lib. 1. c. 14.

Ælian. lib. 13. variar. c. 26.

Qualis prodromus, talis & Christus. Hinc D. Augustinus titulũ Psalmi 101. qui est: *Oratio pauperis*, de Christo interpretatur. Et rectè. *Scitis enim gratiam Domini nostri IESV Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis*, tunc scilicet, *cùm in forma*, seu natura, *Dei esset*, & *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, sed reuera in gloria *erat æqualis Deo, adeoq; Deus, diues in omnes, semet ipsum exinaniuit, formam*

IV.

2. Cor. 8. 9.

Philip. 2. 6.

S Gregor. Nazian. orat. 3. in Pascha.

mam serui accipiens. Pauper factus est Christus, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *vt nos illius paupertate diteſcamus: serui formam accepit, vt nos libertatem recipiamus: deſcendit, vt euehamur: tentatus eſt, vt vincamus: contemtus eſt, vt nos gloria afficiat: mortuus eſt, vt seruet: aſcendit, vt ad ſeipſum trahat humi prouolutos in peccati lapſu.* Diuitias illius enumerare nemo poteſt. Eſt enim Deus, cuius ſunt omnia. Paupertatem, quæ in vtero Matris cœpit, nam corpus animatum habuit omnium minimum, ſed poſtea in nato magis apparuit: nam eam à domo, à diuerſorio, à lecto, à cibo, à potu, à veſte poſſumus demonſtrare. Siquidem Chriſtus rex regum in ſtabulo natus eſt, quia *non erat ei locus in diuerſorio.* Pro purpura pannis inuolutus, ijsq; vilibus, pro regali throno habuit præſepium, pro culcitris ſtramẽ, pro plumis fœnum: pro foco, bouis & aſini halitũ: pro periſtromatis, telas aranearum; pro odoramentis excrementa beſtiarum, pro equitatu duo iumenta; pro procerum turba, Ioſeph & Mariam: Nec ditior factus eſt, cùm adoleuit. Vnde ipſe ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Nullus ei lectus, nulla domus erat. Quare & ſuper aſſere, in naui dormiuit. Sæpe etiam non habuiſſet, quod comederet, niſi ſuprà dictæ piæ mulieres eum ſecutæ, de facultatibus ſuis ei miniſtrauiſſent. Sic tota deinceps vita pauper fuit, & vt Græcus textus habet ἐπτώχευσε, *mendicauit.* Quin & moriturus bis veſte ſua, quam habuit vnicam, exutus, atque altera vice etiam ſpoliatus fuit. Vtque fas eſt credere, ſine pileo, ſine calceis paſſim inceſſit, Crucem paſſuro nemo poliuit. Clamanti inter maximos cruciatus; nemo aquam, ſed acetum, amarã vtique potionem porrexit. Sepeliendo lintea aliunde fuerunt ſuppeditata. Quin & ipſum denique ſepulchrum fuit alienũ, vt neq; viuus haberet, vbi caput reclinaret; neque mortuus, vbi corpus eius tumularetur. Vſque adeò non in laboribus tantùm ſed etiam in paupertate fuit, à iuuentute ſua, ad extremum ſpiritum. Qua de cauſſa huius paupertatis, quam pro nobis ſponte ſuſcepit, meritò gratam à nobis memoriam exigit, per Prophetam: *Recordare,* inquit, *paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſinthij & fellis, Paupertatis,* quia in ea natus & educatus ſum: *tranſgreſſionis,* quia ab Herode in exilium fugatus, ex terra Iſraël in Ægyptum tranſgredi debui;

Luc. 2.

Matth. 8. 20.

Matth. 8. 24. Luc. 8. 2.

Thren. 3. 19.

debui; quid autem exules sustineant, notum est: *absinthij & fellis*, quia iste fuit potus meus, non solùm in cruce, sed per totam vitam frequenter. A Martha, à Zachæo, à Publicanis & peccatoribus hospitio exceptus; ab ipsa muliere Samaritana haustum aquæ petens refectus est. Harum rerum qui recordabitur; facilè suarum ærumnarum obliuiscetur. Ille enim est Dominus: quid queratur seruus, si paria sustineat? ille est, qui virtutem paupertatis ex cælo attulit & terris inuexit: quis optet, Deo suo experiri meliora? Hinc tot habuit imitatores, quot virtutum eximios æstimatores.

V.

Et sanè perfectio consiliorum Christi, debuit à Christo, qui est finis legis, inchoari, ea re autem nihil obstante, *sicut gratiæ plenitudo*, ait S. Thomas, *perfectè quidem fuit in Christo, & tamen aliqua eius inchoatio præcessit in Matre: ita etiam obseruatio consiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine matre eius.* Quare ipsa Christi mater S. Brigittæ reuelauit, se paupertatis votum nuncupasse, ita enim ait: *A principio voui in corde meo, si esset Deo acceptabile, obseruare virginitatẽ, Nihil vmquam possidere in mundo.* Itaque paupertas Deiparæ, non ex necessaria rerum inopia, sed ex spontanea bonorum abdicatione profecta est. Hanc à parentibus didicit, hanc à Filio exactissimè cultam, eius exemplo, perfecit. Parentes enim illius bona sua trifariam diuidebant; partem vnam templo, templique ministris; alteram peregrinis, & pauperibus; tertiam familiæ suæ vsibus impendebant. Fuit autem MARIA non tam pecuniarum, quàm virtutum paternarum hæres. Didicit igitur à prima ætate voluntariam paupertatem, vt Petrus Canisius ostendit. Eamdem, tota deinde vita, coluit, vt ipsa, dum breui compendio S. Brigittæ vitam suam recensuit, his verbis testata est: *Omnia quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilq; nisi tenuem victum, & vestitum reseruaui.* Quàm tenuis autem fuerit vestitus, ipsa materia, quæ de eo seruatur, perspicuè demonstrat; & docent, qui de sacris eius reliquijs scripserunt. Et alio loco sic cum S. Brigitta loquitur: *De diuitijs ego & Ioseph nihil reseruauimus nobis, nisi necessaria vitæ ad honorem Dei, reliqua dimisimus, propter honorem Dei.* Huic eius paupertati testimonium dat Nazarethica domus, vilis & parua; stabulum in quo Christum peperit; panni quibus filium inuoluit:

S. Thom. 3 p. q. 28. art. 4. ad 2.

Lib. 1. Reuelat. S Brigittæ. c. 10.

Petr. Canis. lib. 1. de B. Virg. cap. 4. In reuelat. S. Brigittæ l. 1. c. 10.

Lib. 7. reuelat. S. Brigittæ. cap. 25.

munera magorum, quæ ei obtulerunt: par turturum, quos ipsa, more pauperum, obtulit: labor manuum, quo se & Filium aluit, Iosepho quoque & Christo adolescente otio locum non dantibus.

S. Basilius in Constitutionib. monasticis c. 5.

Quæ confirmat egregiè S. Basilius in hunc modum. *Christus prima ætate parentum suorum imperio subiectus fuit, & labores corporis omnes æquo vnà cum ipsis animo illis obediens tolerauit. Verisimile est enim, cùm homines illi essent & iustitiæ, & pietatis cultores, tenues tamen, neque necessarijs ad viuendum copijs satis instructi (quod ex præsepio intelligi potest, in quo venerabilis ille fœtus est fœtus) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione quotidianum sibi victum quærita re. Porrò IESVS cùm in his, vt diuina litteræ prædicant, esset subiectus, sine dubio, in perferendis etiam vnà cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam.* Vidisses sanctissimos tres paupe-

Epiphan. Presbyt. in vita B. Mariæ.

res labore inter sese certantes, Iosephum ligna secantem & dedolantem; IESVM sarmenta colligentem, & in vnum cumulum comportantem; Mariam scitissimè fila deducentem. Nam Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus, affirmat eam accuratè perdidicisse artem tractandi lanam, linum, sericum. *Erat* iuquit, *docilis, & amans doctrinam, & non solùm in sacris litteris, sed etiam in lana, lino, serico & byssò laborabat. Erat præterea in sapientia, & intelligentia super omnes illius sæculi adolescentulas cunctis admirationi, quæ & vtrè consuerit ea, quorum vsus in templo erat sacerdotibus.* Idem testa-

S. Anselm. in vit. Deiparæ.

tur S. Anselmus. Ex quibus tantò eeedibilius est, tunicam Christi inconsutilē desuper contextam per totum, opus fuisse Deiparæ manibus elaboratum, vt volunt S. Antoninus & Euthymius. Neque obstat eximiæ Virginis paupertati, quòd aurum à Magis acceperit, & quidem ea copia oblatum, quæ regias manus decebat, vt etiam in sacra historia insinuatur. Neque enim ex marsupio, aut parua aliqua pyxide, vel vase poculo non maiore id depromebant; sed *apertis thesauris.* Grande aliquid esse debet, quod thesaurus possit

S. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 43. §. 1. Euthym. in c. 27. Matth.

Abulens. in c. 2. Matth. q. 47.

regius appellari. Quidam, apud Abulensem, aiunt B. Dei matrem munera illa, quamuis copiosa à Magis oblata delibasse tantùm, & ex singulis modicum quid acceptasse. Sed mihi hic modus minùs videtur conueniens: quis enim credat, modestissimam Virginem ipsam manus iniecisse in regios thesauros, atq; inde hausisse, quantum ipsi, non quantum regibus videbatur? Acceptauit itaque to-

tum,

tum, quod Magi Filio obtulerunt, cuius sciebat maiestatem nullis muneribus sat dignè posse honorari, neque mysteria, quæ eis significabantur ignorauit: sed illico, quod accepit, pauperibus erogauit, vt D. Bonauentura alijque existimant. S. Antonini verba sunt: *Aurum sibi oblatum à Magis non modicum, prout decebat eorum regiam maiestatem, non sibi reseruauit in posterum, sed (vt dicebat deuotus Bernardus) pauperibus per Ioseph dispersit.* Quid facis, ô Virgo, cur aurum das alijs? ipsa pauperes; mox iubeberis exulare; in Ægypto quis te alet? itineri aliquid reserua. quis scit quando reuersura sis ad notos & familiares? Et quid putas, numquam ægrotabit tuus Iosephus? numquam esuriet tuus IESVS? mille sunt humanæ vitæ casus, qui pecuniam exigunt. Cur aurum non seruas à regibus donatum? Breuis, & grauis est responsio. *A principio noui in corde meo, si esset Deo acceptabile, obseruare virginitatem, nihil vmquam possidere in mundo.*

S. Bonauent. cap. Medit. vit. Christi. S. Antonin. 4. p tit. 15. cap. 32. §. 2.

Lib 1. Reuelat. S. Brigittæ. c. 30.

Ita rex regum, & diuina Sapientia, ita Deus & Dei Mater, Regina Angelorum paupertatem amauerunt. Quid putemus Apostolos fecisse? quid Martyres, quid Confessores, quid Eremitas, quid tot sanctas Viduas & Virgines? quid Angelicos adolescentes & adolescentulas? quorum totum studium fuit, vt Christum imitarentur. De Apostolis omnibus loquens vertex Apostolorum Petrus ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Neque reliquerunt omnia dumtaxat, sed reliquerunt etiam ex voto. *Apostoli*, inquit S. Thomas, *intelliguntur vouisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum, relictis omnibus, sunt secuti.* Ex quo loco duo colliguntur. Primum est, si Apostoli in vouenda paupertate sunt secuti Christum, ergo & ille in eadem paupertate vouenda præcessit, tamquam perfectionis magister, qui illis specimen & exemplum dedit. Certè perfecta opum abnegatio ac abrenunciatio, non fit nisi per votum, per quod vouens non tantùm præsentia, sed etiam futura bona, quæ habere potest, liberè à se abdicat. Præterquam, quòd sit nobilissimus religionis actus, quo non tantùm res & actus, sed etiam voluntas ipsa in totum Deo consecratur, ita vt rem nec habere, nec velle possit. Ob quas rationes probabilius est, Christum voto se ad paupertatem obstrinxisse, vt cum Medina, Caietano, & alijs docet Suarez & Salme-

VI.

Matth. 19. 27. Luc. 14. 33. S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3.

Franc. Suarez 3. p. q. 40.

disp.20.sect.2. Salmeron.t.5. tract. 4. Augustl. 17. de ciuit. c.4.

ron, & ego fusiùs ostendi, in lib. de Imitatione S. Pauli Apostoli. Alterum est, Apostolos Euangelicorum consiliorum magis exemplo, quàm verbo, magistros extitisse. *De terra*, inquit S. Augustinus, *suscitatus est* (Paulus) *super omnes diuites pauper, & de illo stercore erectus supra omnes populos opulentos ille inops, vt sedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis super sedes duodecim, & sedem gloria hereditatis dans eis: Dixerant enim potentes isti: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant. Sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est, Dans votum venienti?* Videri potest Aluarus Pelagius, & Hieronymus Platus. Admirationem mouit olim Agesilaus rex Lacedæmoniorum jam senex, quòd persæpe sine calceis & tunica prodiret in publicum, cum lacera veste, idque matutino tempore hiemis; vt scribit Ælianus; Et Phocion Athenienſium dux mirificè extollebatur, quòd ruri aut militiæ nudus semper & absque calceis incederet, nisi frigus intolerabile incidisset; ita vt per iocum etiam milites intensum gelu significari, amicto Phocione, dicerent, teste Plutarcho. Et Cicero ait: *Audisse te arbitror, Scipio, hospes tuus auitus Massinissa quæ faciat hodie nonaginta annos natus: cùm ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere; cùm equo, ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, vt capite operto sit, summam in eo esse corporis siccitatem: itaq; exequi omnia regis officia, & munera.* Hi tales, vel ob corporis ita assueti duritiem, vel ob vanum populi plausum, neque capite, neque pedibus tecti incesserunt; Apostoli id ex mandato Christi, ex amore paupertatis factitarunt. Illis enim dictum est: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Etiam hoc igitur, Christi imitatione, fecerunt. Nonnulli putant, non omne genus calceamenti, sed illos tantùm calceos à Domino prohibitos, qui totum pedem tegerent; sandalia autem, quæ soleæ erant, solamq; tegebant plantam, concessa esse. Aliqui existimant, duo paria calceorum, alterum indefectum, sicut *duas tunicas* Christum vetuisse; ne in futurum solliciti essent. Sed mihi prior sententia probabilior videtur; est enim concordiæ Euangelistarum, & paupertati Apostolorum conuenientior. Itaque semitecti incedebant. Qualibus autem vestimen-

Aluar Pelag. lib.2. de planctu Eccl. c.9. Hieron. Plat. lib.1. de bono stat. Relig. c.20. Ælian. lib.7. var. Plutarch. in vita Phocionis, Cic lib de senectut.

Matth. 10.9.

S. Augustin. lib.2. de consens Euang. c.30. S. Hier. in cap. 10. Matth.

vestimentis, quàm vili materia vsi sint, & picturæ, & reliquiæ illorum declarant. Cibos quoque non lautos eis apponebat Christus, qui eis, etiam post resurrectionem, exacto magno piscationis labore, exiguum conuiuium apparauit. *Vt* enim *descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem*. Ioan. 21. 9.

Denique propriam habitationem nullam habuerunt; sed, instar mendicorum, vbique & nusquam, domi fuerunt; totusque mundus & exilium & patria illis extitit. De S. Pauli paupertate, in citato libro multa dixi. Illud hîc addendum est, quod S. Antoninus, in sexto gradu paupertatis, ex Alberto, his verbis indicat: *Sextus, omnia dare, semetipsum relinquere, & vltra hoc laborare manibus, vt tribuat necessitatem patienti, vt fecit Paulus; qui laborabat manibus suis, vt ipse dicit ad Corinthios, vt sibi & socijs subueniret.* S. Antonius 4. part. tit. 15. c. 32. § 2. Et quamuis manuum labore sibi & alijs victum quæreret; tamen & illud dixit: *Vsq; in hanc horã & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus.* 1. Cor. 4. 11. Vbi omnia pauperum incommoda recensuit; famem, sitim, nuditatem, despectum, denique & defectum habitationis, ait enim *instabiles sumus*, certam sedem non habentes.

VII.

Apostolis tempore proximi, erant proximi & virtute. Nam primæui fideles, etiã coniugati, vouebant vt plurimùm paupertatem. De ijs enim testatur D. Lucas ita: *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum*, doctrina autem Apostolorum non erat tantùm de præceptis, verùm etiam de consilijs Euangelicis. Sed longè clariùs id docetur historia Ananiæ & Sapphiræ. Ananias enim dicitur *fraudasse de pretio agri, conscia vxore sua.* Act. 2. 42. Quæ fraudatio furtum, immò sacrilegium rei Deo dicatæ nominatur à SS. Patribus: quia vel disertè vouerat, vel certè professus erat verbis, aut ipso facto plenam bonorum, & pretij eorum venditorum abdicationem. Itaque non solo mendacio, aut hypocrisi peccauit, quòd scilicet simularet se dare totum, cùm daret partem tantùm. Certè si *fraudauit*, fraus non in propria, sed aliena re potuit committi, & si votum violauit, necesse est, eum paupertatem promisisse. Violasse autem votum, disertè affirmat S. Augustinus inquiens: *Dum ex eo, quod promiserat, partẽ subtraxit, sacrilegy damnatur & fraudis. Sacrilegij, quòd Deum in pollicitatione fefellerit, Fraudis, quòd integris mu-* Act. 5. 3. S. Augustin. serm. 27. de verb. Apost.

neribus portionem quamdam putauerit subtrahendã. Potuisset licitè vel totum pretium, vel partem eius seruare, si non vouisset: *nonnè manens tibi manebat*, ait S. Petrus; nemini igitur iniuriam fecisset, neque peccasset fraude lethali, sed mendacio dumtaxat veniali; quod morte tam subita, publica, & infami non fuisset punitum. *Quare hoc fecisti?* inquit S. Chrysostomus, *Voluisti habere? oportebat initio habere, & non promittere: nunc autem postquam consecrasti; maius sacrilegium commisisti.* Ita Basilius, Athanasius, Nazianzenus, Hieronymus, Gregorius, & alij SS. Patres docuerunt. *Ni, humanæ gloriæ cupiditate, Ananias, quidquid bonorum habebat, Deo palam consecrasset, vt hominum de se opinionem excitaret*, vt S. Basilius loquitur, vix credibile est S. Petrum dicturum fuisse: *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?* itemque: *Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus Deo, sed hominibus.* Nimirum ille dicitur mentiri Deo & Spiritui sancto, qui id, quod ei promisit, & vouit, non seruat; non autẽ, qui in re propria mendaciũ solùm officiosum profert, nec pernicioſum; quale fuisset tantùm, si Ananias cum vxore votum non emisisset. Cum itaque Ananias & Sapphira paupertatis voto se obligarint, argumentum est manifestum, statim, tempore Apostolorum, plurimos amore paupertatis incensos ad eam sese voto obstrinxisse.

S. Chrysost. hom. 12. in Act.
S. Basil. ser. 1. de instit. Monach.
S. Athan. serm. de Passion. & cruce.
S. Naz. in carm. de Virginit.
S. Hieron. ep. 8.
S. Greg. l. 1. ep. 33.
S. Cyprian lib. 3. Testim. c. 30.

VIII. Qua de caussa Essẽi, quos S. Marcus Alexandriæ instituit, ad instar primorum fidelium, quos viderat Ierosolymis à S. Petro institutos, paupertatis laude claruerunt, de qua re vel Ethnicos audiamus. Plinij verba accipe: *Gens (Essenorum) sola in toto orbe, præter cetera mira, sine vlla femina, omni Venere abdicata, SINE PECVNIA, socia palmarum, in diem ex æquo conuenarum turba renascitur &c. & ita gens æterna est, in qua nemo nascitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* Adstipulatur Solinus, cuius hæc sunt. *Interiora Iudææ Esseni tenent, qui præditi morali disciplina, recesserunt à ritu gentium vniuersarum: maiestatis, vt reor, prouidentia ad hunc morem destinati. Nullæ ibi femina, venere se penitus abdicant; PECVNIAM NESCIVNT, palmis victitant: nemo ibi, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est, ad quem plurimi licet vndiq; gentium properant, nullus admittitur, nisi quem casti-tatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur. Itaq; incredibile dictu,*

Plin. l. 5. c. 17.
Solin. Polyhist. c. 36.

gens

gent aterna est, cessantibus puerperijs. Hæc Solinus, qui rectè scribit, Essenos castitatem paupertati coniunxisse. Nam pecunijs indigent, qui vel de prole cogitant, vel de voluptate. Essenorum porrò paupertas multis testimonijs est confirmata. Eusebius ex Philone ita scribit: *Nemo proprium aliquod possidet, non domos, non pecus, non vas aliquod, sed omnibus in medio positis communiter vtuntur: habitant simul, & conuiuunt vt sodales: Cumq; omnia pro communi vtilitate faciunt, alia aliorum negotia sunt quæ impigrè subeuntes certant; non frigus, non calorem, non aliquam aëris mutationem formidantes. Sunt autem eorum alij agricolæ, alij pastores, alij apum cultores, alij aliarum artium magistri. Cumq; à laboribus suis mercedem ceperint, apud eum deponunt, qui quæstor creatus est. Is omnia diligenter procurat, quibus egent: egent autem paucissimis, cùm omnem luxum, tamquam animæ & corporis morbum aspernentur.* Et infrà de ijsdem: *Quòd virtuti studeant, patet, quia pecuniam negligunt.* Ac rursum: *Nullus domum habitat, quæ omnium communis non sit: vnum erarium, vnus sumtus omnibus est: vestis communis, communis cibus & potus, communis mensa, omnis vita communis est.* Atq; alio loco: *Hoc in primis testatur, quòd facultatibus suis renunciarint, ac bonis ad se pertinentibus cesserint ij, qui Philosophari cœpissent, & cunctis huius vitæ curis abstinuerint, &c:* Et infrà. *Vinum quidem nemo omnino, ne gustu quidem contingit, sed nec quamlibet carnem, tantùm autem aqua est eis poculum, & panis cum sale vel hyssopo cibus.* Tales fuêre Esseni, nempe primi fideles Hierosolymæ & Alexandriæ. Qui quò tempore, eò etiam, vt dixi, virtute fuêre Christo propiores.

Euseb. lib. 8. Præparat. Euang. cap 4. Vide eumd. lib. 9 de Præpar. Euang. c. 1. & Ioseph. l. 3. de bell. cap. 7.

Euseb. lib. 2. Histor. c. 17.

Nam, vt scitè Nyssenus dixit: *Christianismus est vitæ diuinæ imitatio.* Et Nysseni frater Basilius: *Christianismus quid est? Assimilatio Dei, quatenus eam assequi potest humana fragilitas naturæ. Votine reus es, te Christianum fore? Ne cunctere Deo fieri similis. Christum indue.* Quæ sanè maxima est commendatio paupertatis, quòd Deo similes efficiat. Quid ita? cùm præsertim Deus sit Dominus omnium rerum, omnibus abundet, nec quidquam ei desit; pauperes autem penuria laborent? & ob hanc ipsam caussam, vt ex Varrone Tiraquellus aduertit, *diuites*, quasi quidam *Diui* habeantur? Ita planè vulgus iudicat, cùm nemo magis à Diuis differt, quàm *diues* plenus curis, & ærumnis. Pauper autem proximè

IX.

S. Greg. Nyss. init. tractat. S. Basil. homil. 10. Hexaëmer.

Tiraquell. cap. 3. de Nobilit. n. 12.

ad

ad Deum accedit. *Sunt aliqui*, inquit Philo, *quos* (Deus) *promouet, & volantes super omnes species, omniaq; genera prope seipsum collocat: sicut Moysi quoque dicit: Tu verò hic sta mecum.* Et paulo pòst. *Quin & cùm in terrenis eo vtebatur negotijs, non principis, aut regis communem aliquam virtutem indidit ei: Sed Deum eum constituit.* Deum scilicet Pharaonis; in quem ei velut diuinã potestatem dedit; quia diuinam velut vitam vixit. Audi igitur, quo modo voluntate pauperes vitam diuinam imitentur. 1. Quia sanè Deus est diues: at si Bias interrogetur, quis pro diuite, quis pro paupere habendus sit, ita ratiocinatur; apud Ausonium.

Philo. lib. de sacrificio Abel & Cain.

Quis diues? qui nil cupit: aut quis pauper? auarus:

Cùm ergo voluntarius pauper nil cupiat; auarus autem plurima, consequens est, auarum pauperem; voluntarium autem pauperem diuitem, adeoq; in hoc Deo similem esse. 2. Quia ideò Deus diues est, quòd sine nostra liberalitate satis ipse habeat, juxta illud: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egs.* Atqui, si Quintiliano credimus, homini paupertatem amanti, *Satis diuitiarum est, nihil amplius velle*: & vt Clemens Alexandrinus ait: *cupiditatum inopia, optima est diuitiarum copia.* 3. Tantò quisque propiùs accedit ad similitudinem Dei, quantò sibi ipse magis sufficit, tantò ab vitæ diuinæ imitatione longiùs recedit, quantò minùs ipsi sufficit, pluribusque indiget, qui ei succurrunt. Diuites mundi igitur necesse est, Deo longè esse dissimiliores, & quò ditiores sunt, longiùs à vitæ diuinæ imitatione recedere. Siquidem tantò minùs sibi ipsis sufficiunt. Quod inde intelligi potest, quia maiores Domini, maiorem habent comitatum, plures seruos, plures opifices. Alij sunt eis à consilijs, alij à cubiculis, alij à poculis. Nec jam tantùm indigent sartoribus, sutoribus, mercatoribus, aurificibus, lanionibus, cocis, hortulanis, medicis, pharmacopolis, & sexcentis alijs, talibus; verùm etiam manè, qui eos à somno excitet; qui lumen accendat; qui vestem internam & externam, qui calceos inducat; qui calamistro crines componat; qui eis matulam, qui guttulum, qui mantile porrigat; qui pallium in humeros inijciat, qui gladium lateri accommodet; qui præcedat, & viam monstret face prælata; qui cibos afferat, carpat, in orbe anteponat; qui calicem crystallinum lauet, impleat, prægustet.

Psal. 15. 1.

fiet. Denique aula non capit omnes, qui pro eius mensa, pro cella, pro vestiario, pro ærario, pro archiuo laborant. Nec satis est, vt in custodiam illius centum excubent satellites, decem centuriones; totos debet alere exercitus, vt in regno suo sit tutus. Nondum contentus est, quingenti illi non sufficiunt venatores; canum autem innumera turba à pauperibus alenda; vt vel hinc similis fiat illi diuiti, cuius canes vulnera Lazari linxerunt, vt illius sanguine alerentur, cui herus illorum negauit micas de mensa cadentes. Finis nullus erit, si omnia velim enumerare, quibus diuites necesse est sustentari. His omnibus non indiget pauper. Sine comitatu incedit; nec famulos constituit, nec seruos conducit, nec opifices occupat. Non habet consiliarios, non cubicularios, non pocillatores. Nihil curat sartores; qui cum D. Paulo potest nudus cæli iniurias perferre: nihil sutores, qui assuêrit nudis pedibus irer facere; nihil mercatores, aurifices, Phrygiones, qui munditias vrbanas, qui floridas vestes, qui fulgentes abacos aspernatur. Ipse sibi lanio, ipse cocus, ipse hortulanus, ipse medicus, ipse pharmacopola est. Ipse sibi lumen, ipse focum accendit: ipse tunicas & crepidas induit; ipse sibi barbam, sine speculo tondet; neque indiget manè, qui è lecto ad mensam vocet, inedia eum excitat, inopia contra fures & latrones defensat. Itaque quia *illi conuenit cum paupertate, diues est. Quod vult, habet, quia velle, quod satis est, potest. Minimo eget, quia minimum cupit:* nihilo eget, si nihilum cupit. Quanta hæc est Dei & pauperis similitudo? Quantùm ab hac distat diues, qui plurimis, & maximis eget, plurima & maxima cupit? Testis est Tacitus, Neronẽ Valerio Messallæ consuli, qui Coruini Oratoris pronepos fuit, obtulisse in singulos annos quingenta sestertia, quibus paupertatem & inopiam sustentaret, hoc est, nostræ pecuniæ duodecim millia & quingenta aureorum, vt Budæus computat. In hac tanta summa Messalla paupertate laborare censebatur; quia existimabat, se egere maiore, quam desiderabat. Is autem, qui paucis potest esse contentus, paucis eget, atque ea propter ditior est quolibet locuplete. *Diogenem admirari magnopere atque laudare soleo rerum humanarum omnium contemtorem*, ait S. Basilius, *qui se rege Alexandro ditiorem paruo contentus ostendit, cùm ille procul dubio*

Tacit. lib. 2.

Budæus lib. de asse.

S. Basil. hom. 24.

ad suum statum sustinendum pluribus indigeret. Nobis autem, si non Bibliæ Missij adsint talenta, & ingera tot terra, pascuaq; ac greges innumerabiles, nulla satietas est. Quantùm ergo ostendimus nos diffidere à Deo, si tantis ipsi nos fatemur indigere?

CAPVT XV.

Amicos, & fratres Christi Domini, hoc est, pauperes voluntarios, etiam posterioribus seculis, plurimos extitisse.

1. QVoniam autem homo, quamtumcumque allaboret à se terrena omnia abdicare, tamen adhuc infinitis, à diuina perfectione, modis distat, semper enim adhuc multis indigebit, idcirco, Deus, cui accedere ad perfectionem nihil poterat, homo factus est, vt imperfectiones quasdam hominis assumeret, atq; cibo, potu, veste indigeret, quibus quàm moderatissimè vtendis, nos frugalitatē edocuit. Quamobrem, teste S. Bonauentura, S. Franciscus *Aiebat socijs: Dum pauperē vides, ô frater, speculū tibi proponitur Christi: ipsēq; in pauperibus omnibus Christi effigiem contemplabatur.* Quare sicut homo ratione præditus ad imaginē & similitudinem Dei est creatus, ita homo paupertate ornatus, ad imaginem & similitudinem Christi est factus. Idcirco se exinaniuit, vt nos eius exemplo conformaremus. Ad hunc ergo paupertatis magistrum, qui proximè accedit imitatione, ita se Deo probat, vt eum non jam seruum (quæ tamen magna dignitas est, cùm seruire Deo, sit regnare) sed amicum, sed fratrem, sed imaginem Dei vocet. *Cornelius,* inquiebat Phrinicus, *à secretis Imperatoris, est nomine tenus, sed ei vsque adeò est in amoribus, vt reipsa Imperij particeps, & collega haberi debeat.* Ad eumdem modum, qui Christum sequuntur, serui Christi sunt nomine tenus, reipsa amici. *Vos amici mei estis,* inquit, *si feceritis, quæ ego præcipio vobis,* multò magis, si feceritis, quæ ego consulo vobis. *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæcumq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Inter quæ arcana est amor paupertatis. Siquidem *non omnes capiunt verbum hoc.* Qui autem capiunt, ex seruis transeunt in numerum amicorum. An non quæ ruosa est seruitus, cui amicitia-

S. Bonau. in vita S. Franc. cap. 8.

Phrinic. in principio Egl. Attic. apud Alexandr. Pellegrinū in c. 1. Matth. Paradoxo 1. Ioan. 15 14.

pro

pro mercede est? Longè alia seruitus est Mundi & diuitiarum, ea enim facit ex amicis seruos. Ita enim contigit Dauidi, cui ob illustres de Amalecitis, de Gessuri, de Gerzi, relatas victorias, rex Gethæus, vt aliquam grati animi significationem exhiberet, dixit: *Erit igitur mihi seruus sempiternus.* O ingratum regem! ô barbaram aulam! Ergóne ob tot labores, ob tanta pericula contemta, ob hostes debellatos, ob spolia & gloriam à tantò amico relatam, seruitus promittitur, eaque *sempiterna?* Autumabam cum Dauide spolia & prædas, titulos & honores diuidendos: expectabam coronas & triumphos: censebam amicitiæ fœdera ineunda: sed, vt video, pro tot meritis, seruitus stabilitur, & seruitus diuturna, immo sempiterna. Ita nimirum oleum & operam perdit, quicumque mundo industriam, laborem, sanguinem, vitam impendit, & hem nimis verè seruit. At non ita Christo seruitur: eum, qui domo, agro, alijsque, quæ possidebat, relictis, sequitur, de seruo fit amicus, cui Dominus omnia communicat, consilia, arcana, ipsum regnum cælorum, atque æternorum bonorum hæreditatem; quia amicorum communia sunt omnia. Vsque adeò, vt eos Christus etiam suos *coheredes* esse patiatur. Quid ni *coheredes*, si & fratres dignatur appellare? 1. Reg. 27. 12. Rom. 8. 18.

II.

Dignatur autem pauperes ita appellare, immo dignabitur ita appellare, coram vniuerso mundo, tunc cùm venerit in maiestate vniuersum mundum judicaturus. Cùm enim interrogabunt iusti: *Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & dedimus tibi potum? &c. respondens rex dicet illis: Amen dico vobis, quàm diu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Minimi sunt pauperes, miserum & plebeium genus. Hos rex ille, cum summo apparatu & pompa veniens, *fratres* suos vocabit, cùm nihil regio splendori sit magis aduersum, quàm habere *fratres* fame atque egestate pressos; regis *fratres*, regios, atque victu, vestituque claros esse oporteret. Eruditè Origenes: Quid ais? si fratres tui sunt, quomodo minimos appellas? *Immo verò ideò fratres, quia humiles, quia pauperes & abiecti. Hos enim maximè ad fraternitatem conuocat suam, quia ignoti & despicabiles sunt.* Cùm enim seipsos, propter Christum, despexerint, abiecerintque, digni sunt, qui à Christo extollantur. Hæc justitia est, vt nos humiliemus Matth. 25. 37. Origen. tract. 34 in Matth.

cùm & Dominus baptismum petens à Ioanne, præ reuerentia cunctante, dixerit: *sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam:* prudentia autem est, fugere iniquitatis occasionem. Hinc Propheta ait: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Per vnctionem regnum dabatur Hebræis. Regem igitur constituit Deus, quem ideò vngit, quia videt, diuitijs abiectis, fugere periculum iniquitatis, & diligere justitiam humilitatis: vnde *præ consortibus*, qui paupertatem non amant, vngitur; sicut & Christus vnctus est *præ consortibus*, ac fratribus suis; etsi enim & hi regno inaugurati sint, Christi tamen principatus est diuinioris fastigij. Itaque pauperes non solùm sunt *amici*, sed etiam *fratres*, sed *cohæredes* Christi, immo & *reges*, & quidem tales reges, vt eis semper maiorem exhibuerit & amicitiam, & familiaritatem. Quod ostendit vel cùm ipse reus ageretur, ante Caipham principem sacerdotum constitutus. Tunc enim cùm & judex, & omne concilium, & duo falsi testes multa contra eum molirentur, *surgens princeps sacerdotum* aiebat illi: *Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? Iesu tacebat.* Atque postea etiam ante Pilatum *cùm accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Immò vrgente Pilato & dicente: Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.* Quin & ad Herodem à Pilato missus, tacuit. *Erat enim* Herodes *cupiens ex multo tempore videre eum, eò, quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.* En quantis dominis, & potestatem iudiciariam in eum habentibus non dignatus est loqui? at pauperculo latroni, & in cruce pendenti, ipse in cruce pendens, quàm primùm audijt: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum*, illicò respondit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Nimirum *cum simplicibus sermocinatio eius;* quia isti apud eum sunt nobiles, isti eius sunt dynastæ, isti eius amici, fratres, reges; secus ac in sæcularibus aulis fieri consueuit, vbi Principes cum principibus, purpurati cum purpuratis, cum torquatis, & nobilitate claris tantùm volunt sermones miscere. Alios nobiles habuit Christus cum quibus est locutus, cum piscatoribus, cum Zachæo,

Matth. 3. 15.
Psal. 4, 48.
Matth. 26. 62
Matth. 27. 12.
Luc. 23. 10.
Luc. 23. 43.
Prou. 3 23,

Zachæo, Matthæo & publicanis pœnitentiam agentibus, cum lachrymante Magdalena; immo cum cæcis, & leprosis in via mendicantibus; quin & cum ipso latrone veniam petente fuit sermocinatio eius. De quo Arnoldus Carnotensis, *Modò*, inquit, *vltrò eloquitur, qui paulo antè ad Herodis & Pilati inquisitiones conticuit; curiositatem & fastum tumentium hominum aspernatus; pauperes spiritu de patibulo edocet.* Adeò chari sunt Seruatori, quibus argentum non est charum.

Arnold. Carnot. de 7. verbis Domini in cruce.

III.

Hinc non solùm Christus & Apostoli, verùm etiam alij, post eos, amplexi sunt, ingenti numero, ardenti studio paupertatem. Nam in primitiua Ecclesia multi proprietatem & dominium abdicauerunt, etiam ex voto, *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quod sanè fecerunt primi Christiani Hierosolymis dumtaxat, atque ex consilio, non præcepto, vt voluerunt hæretici veteres, ab æmulatione vitæ Apostolicæ *Apostolici* dicti, quos, tempore D. Augustini, secutus est Pelagius, & nunc Anabaptistæ. Contra quos apertè testatur S. Paulus, & S. Ioannes, in alijs Gentium prouincijs, quibus prædicabat Paulus, Christianos, proprias opes & fundos possedisse: nam ex ijs collectas fieri, pro pauperibus Hierosolymitanis, iubebant. Interim multi fuerunt, posteris sæculis, qui heroicum illud Hierosolymitarum exemplum sequebantur. Audierunt enim à Christo & Apostolis illam beatitudinem primo loco collocatam: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cælorum.* Et quidem post sæculum martyrum (qui vtique & ipsi opes contempserunt, cùm & sanguinem & vitam ipsam pro Christo profuderint) quod fuit ante Constantinum Imperatorem, postea sub Constantino, in pace Ecclesiæ, successit sæculum Monachorum & Anachoretarum, quorum dux & antesignanus fuit S. Antonius. Huius vitam à se concinnatam S. Athanasius secum Romam detulit; eaque multos Romanos diuites & potentes ita commouit, vt eam & ipsi vellent imitari. Inter quos prima fuit Marcella, teste S. Hieronymo. Quæ vt, per spontaneam paupertatem, terrenarum rerum amore extincto, diuino rerumque cælestium amori locum faceret, etiam sibi dictum putauit, quod postea ad Hedibiam D. Hieronymus in hæc verba scripsit, *Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio*

Act. 4. 32.

2. Cor. 8. & 9. 1. Ioan. 3. 17.

Matth. 5.

S. Hieron. in Epitaphio S. Marcellæ.

Idem ep. 150. ad Hedibiam,

dignitatis? fac, quod fecerunt Apostoli: Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, vt nudam solamq; crucem nuda sequaris & sola. Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis? dimitte omnia quæcumq; habes, da filijs, da propinquis. Hoc Hedibiæ suasit S. Pater, illud S. Spiritus S. Marcellæ persuasit.

IV. Sub idem tempus Gallicanus Constantiæ sponsus, & Constantini Magni gener destinatus, ac Romanus Consul, amore Christi Seruatoris, mundo nuncium remisit, relictisque omnibus, ad Ostia Tiberina, hospitale ædificauit, in quo ipse pauper pauperibus & ægris seruiebat: vtque altiorem coronam mereretur, postea à Iuliano Apostata occisus, paupertatis studium martyrij laurea condecorauit. Quæ eloquentia satis laudauerit Alexium Euphemiani senatoris filium? qui Romæ sub Honorio Imperatore, patricius sanguis, indolem, ingenium, opes, iuuentutem, virtutem cum nobilitate coniunxit, honestissimo insuper connubio beatus, sponte tamen ipsâ etiam sponsâ intactâ primâ nuptiarum nocte, omnia reliquit; atque ita reliquit, vt distributis, quæ habebat, in pauperes, de die in diem viueret; &, post septemdecim annos in Syria consumptos, in patria exularet, inter notos ignotus, in suis opibus inops, domi non domi, seruorumque suorum ludibrium; parentibus tandem venerandus, mundo admirandus, æqualibus imitandus. Nam & Ioannes Calybita, Romæ sub Imperatore Leone, in paternæ domus angulo pauper latitauit, nec ante mortem à parentibus est agnitus, in quo itidem virginitas & paupertas de palma certauerunt. Sed his etiam annumerandus, ob paupertatis amorem, S. Paulinus, ex Consule Romano monachus, tandemque creatus Episcopus Nolanus. In primis autem D. Hieronymus, qui cum S. Paula in Bethlehem seceſſit, secumq; traxit magnam nobilitatem Romanam, quæ paupertatem insigniter nobilitauit. Cuius S. Paula admodum fuit studiosa, atque omnes fortunas suas, quæ erant amplissimæ, ita in egenos distribuit, vt neque obolum sibi relinqueret, & in aliena sindone sepeliri peroptaret: quod & euenit, nam aliena veste, sua virtute tecta, est sepulta. Matrem secuta est filia Eustochium, & ceteræ. Quin & gener Pammachius, qui itidem Consul Romanus, fascibus depositis monasticen amplexus est, domumque suam in Ecclesiam conuertit, quæ

Petrus in Catal. l. 6. c. 107. Sur. 17. Iulij.

Nicephor. lib. 15. hist. c. 23. Sur. 15. Ian.

ĕit, quæ etiamnum titulo S. Pammachij inscripta visitur, & nuncupatur S. Ioannis & Pauli. Hunc idem, qui amore paupertatis inflammauit, S. Hieronymus dignis etiam laudibus extulit. *Nobis*, inquit, *post dormitionem somnumq; Paulinæ* (vxoris Pammachij) *Pammachium monachum Ecclesia peperit Posthumum, & patris & & coniugis nobilitate patritium, eleemosynis divitem, humilitate sublimem. Et paulò pòst: Quis hoc crederet, vt consulum pronepos, & Fuviani germinis decus, inter purpuras senatorum furua tunica pullatus incederet, & non erubesceret oculos sodalium, vt deridentes se derideret? Lucet margaritum in sordibus, & fulgur gemma purissima etiam in luto radiat.* Ac rursus: *Nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat, &c. Parua dimisimus, & grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi promissa reddantur.* Hæc Romani fecêre: & pluribus verbis in Pammachio S. Pater prædicauit.

S. Hieron. ep. ad Pammachium.

Quantùm amata sit paupertas à Ioanne Eleemosynario, vel è paucis ostendam. Audierat quidam opulentus & liberalis dominus, eum exiguis admodum ac vilibus operimentis in cellula sua vti, reiq; experiendæ caussa in rem præsentem venit. Vbi vidit lodicem & vetustam, & scissuris laceratam, aliam ei triginta sex nummis emtam misit, rogitans etiam atque etiam, vt ea in mittentis memoriam vteretur. Accepit munus cum actione gratiarum, & vnica nocte se meliùs tegens, peiùs dormiuit. Nam ea tota nocte, qui ei à cubiculis erant, audiebant eum ita secum loquentem. *Quis dicit, quòd humilis Ioannes (habebat enim semper verbum istud in ore) pallio triginta sex numismatum tegatur, & fratres Christi frigore necentur? Quanti sunt modò, qui dentibus stridentpræ glacie? quanti sunt modò qui psiathum* (tegetem siue stoream ex iunco aut papyro confectã, qua pro lecto & stragulo vtebantur monachi Ægyptiaci) *habentes, subtus dimidium, & supra dimidiũ & non possunt extendere pedes suos, sed dormiunt, vt glomus, tremen-tes? Quanti in monte dormierunt incœnati, & sine lucerna, habentes duplicem cruciatum, tam ex frigore, quàm ex ieiunio? Quanti desiderant saturari de foliis olerum, qua proiciuntur de coquina mea? Quanti vellent tingere panem suum in Zemate,* (id est, fermento, aut fæce, vel iactura aquarum in qua carnes sunt coctæ) *quod proiciunt coqui mei?*

V.
Leontius in vita Io. Eleemosynarij, cap. 20.

mei? Quanti cupiunt vel odorari vinum, quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in ciuitate ista, in hac hora, peregrini, non habentes vbi hospitentur? & in foro iacent, fortasse & pluuia madefacti? Quanti, putas, habent totum mensem, vel etiam duos, non gustantes oleum? Quanti sunt, qui non habent alterum vestimentum, in aestate, & alterum in hieme, & ita miseriis affligantur? Tu verò expectans etiam aternam iucunditatem assequi, & vinum bibis, & pisces immanes deuoras, & in cubiculis demoraris: modò autem cum omnibus malis, & in coopertorio triginta sex numismatum te calefacis. Veraciter ita viuens, & in tali laxatione conuersans non expectabis illic praparatis gaudys frui. sed audies vtique, quod & diues ille audiuit: Recepisti bona, in vita tua, pauperes verò mala: nunc ergo consolantur, tu verò cruciaris. Benedictus Deus, humilis Ioannes alia nocte non cooperietur illo. Iustum est enim, & bene acceptum Deo, vt tegantur centum potiùs quadraginta quatuor fratres, & DOMINI tui, quàm tu, infelix. Venumdabantur enim quatuor rachanellæ (seu panniculi) *numismate vno. Mox ergo transmisit illud in crastinum, vt venumdaretur. Et videns is, qui obtulerat, emit illud triginta sex numismatibus, & rursus obtulit Patriarchæ. Cùm verò in crastinum vidisset illud, emit hoc similiter, & rursus obtulit Patriarchæ deposcens, vt tegeretur ab eo. Cùm autem tertio hoc fecisset, dicit ei gratulabundus ille sanctus: Videbimus, quis deficiet, ego, an tu. Erat enim opulentus valde, & suauiter quasi vindemiabat eum ille sanctus, paulatim ab eo multa auferens: & dicebat semper, quòd posset aliquis intentione dandi pauperibus expoliare diuites, & ipsum etiam hypocamisum* (seu vestimentum, quod subtus camisiam est) *ab eis benevolè auferre, & non peccare: & maximè si sunt aliqui immisericordes & auari. Duo enim lucratur talis: vnum quidem quia animas illorum seruat; alterum autem, quoniam & ipse ex hoc mercedem non modicam habet.* Hucusque Leontius Neapoleos Cyprorum Episcopus, veram voluntariæ paupertatis effigiem, immò & liberalitatis nobis, in tanto Patriarcha, ante oculos ponens, Siquidem, Hieronymo teste, *optimus dispensator est, qui sibi nihil reservat.*

S. Hieronym. in ep ad Nepotian.

VI.

In vit PP. lib. 3. cap. 71.

Hinc, vt Ruffinus ait, *cùm quidam vir rogaret Abbatem Agathonem, vt pecuniam illius susciperet in propria ratione, nolebat ille, dicens: Non est necesse mihi, quia opera manuum mearum me pascunt. Cùm autem ille persistens diceret: Vel propter indigentes dignare suscipere*

dipere; respondit: Duplex verecundia est, quia non indigens suscipio, & aliena præstans, vana gloriæ subiacebo. Fuit nimirum Agatho Paulini exempli successor, cuius est illud monitum: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* 1. Tim. 6. 8. Fuit & memor illius oraculi: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13. 1. Quod S. Antonius in hunc modum ostendit, in eo, qui pecuniæ quàm non perfectus contemptor esset, retenta parte, declarauit. *Frater quidam renuncians sæculo, & dans, quæ habebat, pauperibus, retinens autem pauca in sua ratione, venit ad Abbatem Antonium. Quod cùm agnouisset senex, dixit ei: Si vis monachus fieri, vade in illum vicum, & eme carnes, & impone corpori tuo nudo, & sic veni huc. Et cùm sic fecisset frater ille, canes & aues corpus eius lacerabant. Cùm peruenisset autem ad senem, interrogauit, si fecisset, quod ei dixerat. Illo autem ostendente corpus suum laceratum, dixit S. Antonius: Qui renunciant sæculo, & volunt habere pecunias, ecce ita impugnati à dæmonibus discerpuntur.* Rufin. lib. 3. cap. 68. Mira ergo & misera res est, si qui profitetur, se pecuniam abiecisse, pecuniam sectatur religiosus, atque illis rebus inhiat, quas censuit abdicandas. Vnde D. Hieronymus, *Possideant opes*, inquit, *sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant; & suspiret Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos. Nepotianus noster aurum calcans, schedulas consectatur: & sicut in carne sui contemtor est, & paupertate incedit ornatior, ita totum animæ inuestigat ornatum.* Quare eumdum superiùs sic laudat: *Nepotianus baltheo posito habituq; mutato, quidquid ex strenis peculij fuit, in pauperes erogauit. Legerat enim: Qui vult perfectus esse, vendat omnia quæ habet, & det pauperibus, & sequatur me. Et iterum: Non potestis duobus dominis seruire, Deo & mammonæ. Exceptis vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantùm corpore frigus excluderet, nihil sibi amplius reseruauit.*

Pluribus experimentis testatum est, quantum possit diuinæ amor paupertatis. *Ægrotauit aliquando Abbas Arsenius in Scithi, & opus habuit in necessitate sua vsq; ad vnam siliquam nummi. Et cùm non inueniret, accepit à quodam velut eleemosynam, & dixit: Gratias tibi ago, Domine, quia me dignum fecisti, nomine tuo, ad hoc peruenire, vt egens eleemosynam postularem.* X. Heribert. Rosvveid. in vitis PP. l. 5. n. 5. libell. 6. Gaudent nimirum Christi imitatores ijs rebus se spoliari, quibus alij ditati exultant. Quin & centonibus magis triumphant milites sacri, quàm profani in paludamentis

Idem Ibid. l. 9. c. 43. mentis. Qua de caussa Mæsimas neque tunicam voluit, neque cilicium mutare, sed ijs, quæ in eis fiebant, rupturis pannos assuens, senectuti remedium attulit. Iulianus autem senex, circiter annos

Ibid. lib. 10. cap. 51. septuaginta, in quodam brevi spelæo moratus, nihil omnino sæculi istius, præter cilicium, & sagum, & vasculum ligneum, & librum possidebat. Hæ diuitiæ fuerunt, & tota supellex Iuliani.

Ibidem, l. 9. cap. 8. Miri etiam author exempli fuit, in hoc genere, Aphraates, qui *nihil vnquam omnino accepit ab aliquo, non panem, non obsonium, non vestem, sed vnus solus ei notus panem suppeditabat. Cùm autem vsq; ad profundum processisset senium, post occasum solis, vescebatur eleribus. Aiunt autem Anthemium, qui postea fuit & Præfectus, & Consul, cùm electus legatus profectus est ad Persas, ad eum attulisse tunicam apud Persas contextam, & dixisse: Cùm scirem vnicuiq; suam dulcem esse patriam, & qui illic nascuntur fructus esse iucundissimos, hanc ex patria ad te attuli tunicam, rogoq; vt tu eam accipias; ego verò sim tua benedictionis particeps. Is autem eam quidem primùm iussit poni in subsellio: deinde cùm multi fuissent interiecti sermones, dixit se angi animo, vtpote quòd sit in duas partes diuisa cogitatio. Illo autem rogante caussam, semper, inquit, constitui habere vnum solum, qui mecum habitaret, mihiq; ipsi hanc legem imposui, vt mihi omnino denegetur duorum simul habitatio. Cùm ergo vnus mecum jam sedecim annis habitasset, & esset mihi cordi, accessit quidam meus contribulis, volens mecum habitare, & rogans, vt hoc sibi liceat. Hoc mihi mentem distrahit: duos enim simul habere non patiar. Contribulem enim amplector, vt contribulem. Priorem autem, vt qui mihi cordi fuerit, expellere, & graue, & iniquum existimo. Ille verò, Meritò, inquit, ô pater, neque enim fas est, vt eum, qui tibi plurimo tempore inseruijt, amandes, tamquam non aptum; eum autem cuius morum nondum feceris periculum, propter solam admittas patriam. Ad hæc diuinus Aphraates: Non accipiam ergo, inquit, ô vir admirande, hanc tunicam; duas enim habere non patiar. Est enim mea quidem sententia iucundior, tua verò melior eâ, quæ mihi tanto tempore inseruijt.* Ad hunc modum veterem ac detritam tunicam suam noua repudiata retinuit Aphraates, non imperitior in docenda, quàm seuerior in exercenda paupertate magister. Ac sanè plures in huius virtutis schola, discipuli excelluerunt, quibus fiducia in Deum, præ omni pecunia, aut re alia fuit. Qualis & ille fuit, cui

Patriarcha

Patriarcha Ioannes Eleemosynarius centum numismata dare voluit. *Dei autem amicus ille verè monachus, non passus aliquid accipere ex eis, dignum memoria verbum ad Patriarcham locutus est dicens: Ego hoc non postulo, Domine; Monachus enim si fidem habet, horum non indiget: Si autem horum eget, fidem non habet.* Quo audito, S. ille Præsul tantò impensiùs monachos posthac honorauit, multoque maiore animi affectu hospitio excepit. Leontius in vita S. Ioan. Eleem. c. 23.

Paupertatem suam in eminens, & nostro quoque sæculo imitandum perduxerunt fastigium S. Basilius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ignatius, & alij quàm plurimi. S. Franciscus hanc virtutem vsque adeò censuit esse adamandam, vt eam quasi sponsam sibi suisque etiam desponsârit. Et sæpe à fratribus rogatus, *Quænam virtus maximè nos Christo commendaret, gratosq; faceret?* cum iubilo respondit: *Paupertas, hæc est enim via salutis, humilitatis fomes, perfectionis radix, quæ fructus nobilissimos, eosq; multiplices producit, sed occultos, & paucis cognitos.* Huius virtutis amore inflammatus, Romæ ad SS. Petri & Pauli sepulchrum, cum lachrymis supplicans, vt se se thesauro paupertatis instruerent, meruit eos, velut viuos intueri, qui eum addito osculo salutantes dixerunt: *F. Franciscе, quia hoc petis, quod Christus & Apostoli seruarunt, certiorem te reddimus, tuum desiderium esse exauditum. En thesaurus sanctæ paupertatis tibi tuisq; assectis perfectè conceditur: ac quicumq; eum capessent, de regno beatitudinis erunt securi, & à Domino benedicti. Hinc idem dictitabat. Pauper est typus Christi, qui propter nos egenus factus est, vt nos sua inopia diuites efficeret. Qui ergo pauperi maledicit, Christo maledicit. Ex aduerso pecunia seruis Dei non est aliud, quàm diabolus, & coluber venenosus.* Qua de caussa idem S. Franciscus fratribus suis, pro viatico, illum versiculum dare solebat: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Possem hîc adducere domestica, de S. Ignatio, de S. Francisco Xauerio & Borgia, de Petro Fabro, de Roderico, de Menesio, de Barcæo, de Gonzaga & alijs, qui heroica virtutis istius facinora ediderunt, sed alius sibi hos pauperes locus vendicat; neque vmquam ex hac silua emergerem, si velim singulos vel strictim attingere. Psal. 54. 23.

XI.

Alterius tamen sexus, & minoris quoque ætatis libet, in hac laude

XII.

laude, mentionem non omittere. Ac ne Marias Ægyptiacas, solo capillitio pallij instar tectas, & radicularum esu pastas; Melanias Romanas immensarum opum contemtrices; Macrinas Gregorio Nysseno fratre dignas, similesque innumeras è cælesti gynæceo huc conuocem, paucis contentus ero. Birgitta vidua à Bonifacio IX. Pontifice Maximo in numerum Sanctorum relata, ac reuelationibus multis illustrata, humilitatis pariter ac paupertatis magistra fuit. *Paupertas voluntaria adeò illi cordi fuit, vt omnes res & facultates suas cuidam commiserit dispensandas: & quoties aliquid inde vel in suos, vel aliorum vsus conuerti cuperet, cum summa humilitate, in nomine IESV Christi id sibi dari petierit, perinde ac si numquam eas possedisset. Solebat autem, in eiusmodi petendis rebus, aliorum, qui cum ipsa erant, vtilitatem suæ anteferre, & propriam celans indigentiam, orare, vt illis præberentur necessaria, licet ipsa plus ceteris ijs careret, vt sic proximum purè diligeret propter Deum.* Duo vtilissima hinc fluunt documenta, charitatis vnum, paupertatis alterum. Si enim tantus fuit paupertatis amor, vt vidua hæc sanctissima, vel sua, *in nomine IESV Christi* peteret, cur quidam erubescunt, in eodem nomine petere stipem alienam? Gloria est, non dedecus, Christi caussa fieri mendicum. Deinde, etsi sit ordo charitatis, vt à nobis ipsis incipiamus, quibus plus quàm alijs debemus, in rebus id spiritualibus est intelligendum, aut omnino ad vitam necessarijs: ea autem, quibus carere possumus, ventri negare, atque alijs potiùs concedere, non est charitatem offendere, sed carnalitati anteponere. Periculosa enim est charitas, cuticulam propriam curare; certa, succurrere alterius necessitati. Reddam hîc etiam debitum Elisabethæ testimonium, quæ præclarâ Christianaque operâ, vetustate familiæ suæ dignissima, posteris meritò venit suspicienda. Fuit ea Andreæ secundi Pannoniæ regis filia, & Ludouico Landgrauio Turingiæ Principi enupta, quæ inter opes luxumq; sæcularis potentiæ, neque opibus, neque luxu afficiebatur. Quoties ei domi, atque inter domesticos parietes licebat, vilissimum sumebat amictum, moresque ad paupercularum normam, quoad poterat, componebat, dictitans, haud aliter se victuram, si quando, extra alterius arbitrium, sibi degere à Deo concederetur. Illud sanè solenne illi erat, vt quoties ad templum iret, non nisi

Sur. 23. Iulij.

Conrad. in vit eius. Fulgos. lib. 4. tom. 4. Marul. lib. 1, c. 8.

inter

inter infimæ sortis feminas considendi locum caperet; in oculis omnium professa, desiderare se in illarum numero esse, quarum consortium tam studiosè ambiret. Quare marito per mortem ablato, quidquid possedit, inter pauperes distribuit: & quia opes non magni æstimabat, parui æstimauit fortunas duntaxat se Christi amore impendisse, se etiam seruitio miserorum consecrauit. Hanc ob caussam amplum diuersorium ædificauit, in quod grandem pauperum ægrotantium turbam congregauit, cui ipsa, noua Martha, diligenter ministrauit. Ab hoc tam pio, sed, vt putabatur, nimis abiecto munere, voluit eam parens in Pannoniam reuocare. Sed illa gnara æstimare pretium paupertatis, regno inopiam præposuit, sceptro quouis judicans pretiosiorem esse Christi seruitutem. Ob quam virtutem eam Deus inter sanctos suos esse voluit, clarissimisque miraculis, per eam patratis, testatus est, eam rectè atque sapienter egisse. *Quia melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Euphrasia, pietatis odore tracta, sæpius quoddam cœnobium sacrarum virginum visitare solebat. *Quodam die rogabat Abbatissam & priores monasterij dicens eis: Parnam benedictionem volo absque terrore vestro prabere, redditum auri viginti, aut triginta librarum, vt oretis pro ista famula vestra, & pro Antigono patre eius. Cui Abbatissa respondit: Domina mea matrona, ancilla tua non egent redditibus, neque pecuniam concupiscunt. Propterea namque omnia reliquerunt, & cuncta despiciunt in hoc sæculo, vt æternis bonis frui mereantur: & nihil possidere volunt, ne cælesti regno priuentur.* Verè virilis & generosi animi femina, quæ dum possessiones potuit contemnere, Deum possedit. *Generosi enim magnique animi est, nihil admirari, præter Deum*, ait S. Cyprianus.

Psal. 36.

In vita S. Euphrasiæ, apud Rosyweid. l. 1. vit. SS. PP.

Huic heroidi par fuit S. Clara, quæ cùm esset nobilis & opulenta, sua omnia distribuit in pauperes, Ordinemque pauperum Religiosarum instituit. In qua *paupertati spiritus, quæ vera humilitas est, & paupertas rerum omnium conueniebat. Primus*, inquit author vitæ iussu Alexandri Pontificis Maximi conscriptæ, *in suæ conuersionis initio, paternam hæreditatem quæ ad eam peruenerat, distrahi fecit, sibique de pretio nihil reseruans, totum pauperibus erogauit. Hinc, sæculo foris relicto, mente intus ditata post Christum, sine sæculo, exonerata, percurrit. Tantum denique cum sancta paupertate fœdus iniit, amoremque*

XIII.

Sur. 12. Augusti c. 9.

amoremq; contraxit, vt nihil, prater Dominum IESVM, vellet habere, nihil filias suas possidere permitteret, nil propter necessarium victum & vestitum à sororibus recipi, vel in posterum asseruari. Nequaquam celestis desiderij margaritam, quam, venditis omnibus, comparârat, arbitrabatur cum temporali, mordaci solicitudine possidendam. inculcat illud frequenti sermone suis sororibus, tunc acceptabile Deo illud fore collegium, cùm paupertate fuerit opulentum: & tunc perpetuò stabile permansurum, si altissima paupertatis fuerit semper turre munitum. Hortatur eas in paupertatis nidulo Christo pauperi conformari, quem pauperccula mater in arcto præsepio paruulum reclinauit. Hoc enim peculiari reconditorio quasi monili aureo suum subornabat pectus, ne terrenorum puluis ad interiora transiret. Volens denique religionem suam intitulari titulo paupertatis, à bonæ memoriæ Innocentio Tertio paupertatis priuilegium postulauit. Qui vir magnificus tanto Virginis feruori congratulans singulare dicit esse propositũ, quòd numquam tale priuilegium fuerit à Sede Apostolica postulatum, & vt insolitæ petitioni fauor insolitus arrideret, Pontifex ipse, cum hilaritate magna, petiti priuilegij primam notulam sua manu conscripsit. Felicis recordationis Papa Gregorius, vir sicut Sede dignissimus, ita & meritis venerandus, paterno affectu sanctam istam arctiùs diligebat, cui cùm suaderet, vt propter euentus temporum, & pericula sæculorum aliquas possessiones assentiret habere, quas & ipse liberaliter offerebat, fortissimo animo restitit, & nullatenus acquieuit. Ad quam respondente Pontifice, si votum formidas, nos te à voto absoluimus: Sancte pater, ait, nequaquam à Christi sequela in perpetuum absolui desidero. Eleemosynarum fragmina, panumq; minutias, quas Eleemosynarij deportabant, valde suscipiebat hilariter, & quasi mœsta de panibus integris, valde exultabat in fragmentis. Quid multa? satagebat pauperi Crucifixo paupertate perfectissima conformari, vt nulla res peritura amantem ab amato secluderet, aut cursum eius cum domino impediret. Occurrunt ecce duo miranda, quæ paupertatis amatrix meruit operari. Vnicus erat in monasterio panis, cùm iam instarent & fames, & hora edendi, dispensatrice vocata, iubet sancta panem diuidere, partemq; fratribus mittere, partem pro sororibus retinere. De quo retento dimidio iubet quinquaginta fieri, iuxta dominarum numerum, incisuras, & eis in mensa paupertatis apponere. Cui cùm deuota filia responderet, necessaria hic fore antiqua Christi miracula, vt medicum

dicum panis 50 reciperet sectiones, respondit mater, & dixit: fac filia secura, quod dico. Properat filia matris implere mandata. Properat mater ad Christum suum pia, cum filiabus, destinare suspiria. Crescit diuino munere inter frangentis manus parua illa materia, & cuilibet de conuentu suo extitit portio copiosa. Die quodam Christi ancillis sic ex toto defecerat oleum, vt nullum adesset, saltem pro debilibus condimentum. Accepit Domina Clara vasculum vnum, & humilitatis magistra suis manibus lauat, ponit vas vacuum seorsim, vnde frater Eleemosynarius illud accipiat, & vocatus est ipse frater, vt pro acquirendo oleo vadat. Accelerat deuotus frater, vt succurrat inopiæ tantæ, & adsumendũ vasculum currit. Non enim volentis est, neq; currentis, sed miserentis Dei. Etenim solo influente Deo, vas illud plenum oleo reperitur, præueniente S. Claræ oratione fratris obsequiũ, in solamen pauperum filiarum. At verò frater prædictus, quasi frustra vocatus fuisset, submurmurans dixit: derisorie me iste famine vocauerunt, cùm ecce vas plenum existat. Verùm non fuit ea derisio, benedictio diuina fuit, quæ ostendit, vltroneam inopiam esse copiosam.

His auditis, quis virginem hanc Claram non vocet? claruit miraculis, & paupertate, quam virtutem, in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque virorum ac mulierum, in quibus luxit, ornamentum iudicat. Cui rei confirmandæ Deus aliud prodigium ostendit. Sanctissima virgo pariter & vidua Catharina, filia S. Birgittæ, paupertatis & vestium vetustate fatiscentium, lectulique, quali vel egentissimi vtuntur, amans, à sponso Christo ita est condecorata. *Cùm aliquando quædam nobiliores Romanæ matronæ peterent à matre eius, vt permitteret ei, cum ipsis animi caussa extra muros egredi, idq; ob illarum insignem probitatem mater annueret, vbi ad vinearum macerias ventum fuit, viderunt q; matronæ botros vltra macerias propendere; rogabant S. Catharinam, vt illos botros ipsis decerperet. Erat enim procera corporis statura, præter alias egregias vtriusq; hominis dotes, quæ eam cunctis reddebant amabilem. Illa verò studio paupertatis iam manicas habebat attritas, & consutas, neq; verebatur, apud tantas matronas vilis, & inops videri. Itaq; extendit brachia vt vuas carperet: & ecce matronæ illæ videre sibi visæ sunt brachia eius purpura magni pretij operta. Accedunt igitur, præ multa admiratione, tangunt q;*

XIV. Sur. 11. Martij. c. 11. & 12.

gauntq; singulæ, cernuntq; manicas insigni purpura rutilantes, aiuntq; ad eam: Quis vmquam crederet, domina Catharina, tanti pretij vestibus vti te voluisse? Ignorabant enim Christum cohonestasse sponsam suam. Testabatur hæc familia, quæ his interfuerat, itemq; sancta memoriæ magister Petrus, eius confessarius. Decubuit quandoq; S. Virgo, petijtq; ab eius matre eam inuisendi copiam quidã nobilis Baro, Ludouicus nomine. Erubuit verò familia quòd vir tantus ad eam in vili lectulo iacentẽ esset accessurus. Erat is lectulus stramineus, ad caput ceruical exiguum: porrò operimentum vetustum consumtum, ac nullius pænè pretij. Sed Dominus IESVS, qui sua inopia seruorum voluntariam paupertatem maximè illustrem reddidit, non defuit sponsæ suæ. Cùm enim potens ille, & opulentus vir multis stipatus ad eam accessisset, videbatur ei lectulus illius aureo purpureo tectus operimento. Stupens igitur dixit famulis suis: Ha domina pauperes ab omnibus putantur: nam sæpe ob res necessarias emendas, pecuniam mutuò accipiunt. Præstaret, illas tanti pretij purpuram, tantumq; apparatum, quem illic vidimus, distrahere, quàm premi inopia. Ita nimirum Deus pauperculæ suæ inopiam vel honestare voluit, vel occultare, vt noua corona patientiæ ornaretur; dum Virgo vidua, in vili lectulo, immò stramine decumbens, in purpura iacere putaretur; & medulla humilitatis, pro superba habita, magis humiliaretur. Siquidem *inter alias virtutes, quarum celebri opinione apud omnes mirificè redolebat, erga domesticos, & qui eam iniuria afficerent, S. Virgo egregiam semper animi patientiã declarabat. Accuratè enim secum perpendit, si quid à nobis bene gestum sit, id facilè redigi in nihilum, si sit animus patientia destitutus. Vt igitur solent odores, tum latiùs spargi, cùm commouentur: ita hæc S Virgo, iniurijs, & persecutionibus infestata, præcipuam exhibebat patientiam: haud aliter quàm qui eam affecissent beneficio, diligens eos, à quibus offensa fuisset. Vtrùm autem vera quis sit humilitate præditus, tum potest intelligi, si placidè ferat iniuriam.* Hæc humilitas à Deo etiam in hac vita fuit exaltata; in qua etiam patuit, quàm magna sit vilis vestimenti, & exigui lectuli voluntariè pauperum, in oculis Dei, pulchritudo; quidque in altera vita sperandum sit ijs, qui futura ita nôrunt sperare, vt præsentia possint spernere. Si enim tantus honor est belli, quanta erit gloria triumphi?

XV. Sed à puero quoq; discamus contemtum pecuniarum. Nam vt

vt etiam viri ab hac ætate audirent, picem tutiùs tangi, quàm monetam, complures de puero Toraltano scriptores meminerunt, præsertim autem Meyerus, in Annalibus Flandricis. Oppidum est quoddam Flandriæ, Thorouth dictum. In eo, circa Annum Seruatoris 1220. puer fuit, Achas nomine; honestis pariter & copiosis parentibus ortus; ætate quintum annum nondum excedebat, prudentia autem atque pietate, etiam quemuis ex adultioribus superabat. Nisi membrorum, & totius corporis exilitatem vidisses, puerum esse negasses, tanta erat in eo morum dignitas. Oculos incedentis modestia deorsum flectebat; manus sursum tollebat pietas orantis; pedes ambulantis matura grauitas, linguam loquentis ipsa Suada regebat; denique in toto vultu gratiæ videbantur habitare. Hic tantillus pusio, quàm primùm in aspectum venit Fratrum minorum, cœpit igniculos persentiscere, Ordinis eius, quà posset, imitandi. Quare non desijt antè parentes precibus, lachrymis, gemitu fatigare, quàm ab eis obtineret, vt simili amictu vestiretur. Annuerunt illi tandem, & puerile desiderium esse existimantes, cum tempore, putauerunt abiturum. Verùm longè aliter res accidit. Nam cum tempore desiderium creuit, immò & studium. Quod parentes, & vicini manifestis argumentis cognouerunt. Cœpit enim Achas non iam habitum tantùm, sed etiam reliquos eorum Religiosorum mores consuetudinesque ad amussim obseruare. Itaque & cucullatus procedebat, & nudis pedibus, quamuis frigus esset, & lumbos nodoso duroque fune stringebat. Sed, ante omnia, argentum & aurum maximopere fugiebat tangere. Diebus sollennibus, vicinorum pueros vndiq; in plateis conuocabat, inque eorum medio sedens, concionabatur, moresque singulorum examinabat accuratissimè; si distorti essent, si pertinaces, si superbi, nimisque vestibus culti, aut inuerecundi, arguebat eos, propositis inferorum supplicijs: si modesti, si ad pietatem proni, cælestem illis gloriam promittebat. Quin & orare docebat ignorantes, atque crucem formare, genuaque ad Deiparam salutandam flectere. Dum hæc talia publicè gereret, non rarò ipsi quoque senes cum filijs suis confluxerunt ad illum, mirificeque verbis & factis illius delectabantur. Quin adeò censuit officij sui esse, vbique causam Dei agere, vt ausus sit ipsos quo-

Meyer. in Annal. Flandr. An. 1220. Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. c. 28. §. 2. Molan. in natal. SS. Belgij, die 11. Iunij.

que suos parentes monere, si quando viderentur delinquere. Nam & patri temerè iuranti, aut iusto plus bibenti, aliudué indecens quiddam admittenti flens dicebat: *Pater charissime, numquid Presbyter noster, in Ecclesia dicit, quia qui talia agunt regnum Dei non possidebunt?* Matri, quodam festo die, cùm Sidonium in morem vestes ostroque auroque rigentes gestaret, in templo, coram confidentibus, mœrens, & suspirijs intermixtis dixit: *Intuere, mater, intuere, & videas Dominum nostrum IESVM Christum nudum in cruce pendentem, Sanguine rubricatum, & tu te in contumeliam eius vestibus scarleticis adornasti? Caue, mater, caue charissima, ne pro rubore vestium pœnas ignis infernalis incurras.* Hæc paruulus Franciscanus: nec sine fructu. Mater enim quàm primùm domum rediit, purpuram abiecit, neque ampliùs, vt eam resumeret, potuit induci. Hunc paupertatis amorem non tantùm in suis, & maternis vestibus ostendit, sed maximè omnium in pecuniarum detestatione. Diuerterant aliquando in paternam domum quidam Negotiatores. Ibi viderunt pusionem cucullatum, nihil leue, aut puerile tractantem. Mirati in aliena ætate maturitatem, parentes eius interrogârunt, quid rei id esset? Aiunt parentes, vnico alloquio Fratrum minorum, puerum ita captum esse amore Ordinis illius æmulandi, vt ex eo tempore, numquã destiterit facere, quæ ab illis fieri animaduertisset. Quin adeò in eo vitæ instituto tenacem, vt pecuniam magis horreret, quàm anguem attingere. Quod posquam iocosi hospites intellexerunt, nummum, clam puero, poculo, ex quo bibebant, indidêre; idque, quod vini in fundo supererat, iussêre puerum ebibere. Paret ille, sed exhausto vino, nummum reperit. Ibi, quasi cacodæmonem ipsum reperisset, ita horrendis modis cœpit exclamare, proiectoque in terram vase, oculos & manus in cælum tendens, atque vberrimè lachrymans dixit: *Tu nosti, Deus omnipotens, quòd inscius Ordinem meum violaui.* Optarem pari dolore affici multos, qui scientes volentesque ordinem suum violauerunt! Nam cum dicto Achas toto vultu expalluit, omnibusque membris cœpit contremiscere; ac mox quasi ex tempore moriturus, redeunte sanguine copiosiore, tota rursus facie denigratus est. Territi sunt hospites, expauerunt parentes; Pater properè acciuit sacerdotem, qui puero absoluto manum imponens,

ponens, dolorem mitigauit. Tantus erat horror pecuniæ tangendæ. Sed non ita diu postea superuixit: nondum enim expleto ætatis septennio, *consummatus in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Eo sanctissimè defuncto, tunica, qua ægrotantis corpus tegebatur, repentè disparuit, à nullo postea vmquàm visa; quippe quam Angeli cum anima illius Deo præsentauerunt. Inter alia mira, quæ mortem eius sunt secuta, fuit, quòd parentes eius ita commoti sint filij exemplo, vt & ipsi, spretis rebus omnibus, mundo nuncium remiserint, & pater quidem in Ordinem Dominicanorum, mater autem Cistertiensium, vno tempore, intrantes docuerint, virtutem non tantùm à parentibus in filios, sed etiam à filijs in parentes posse propagari. Sap. 4.

XVI.

Prætermissis alijs numero carentibus, agmen claudant, qui sanguine regio, ætate iuuenili, virtute plus quàm heroica admodum clari, meritò alios rapere possunt ad imitationem, contemtumque diuitiarum, & amorem paupertatis. Mechtildis filia regis Scotiæ quatuor fratres numerauit, è quibus vnus Dux, alter Comes, tertius Archiepiscopus, omnes diuitijs abundantes, quibus tamen inopiam sponte antepositerunt. Nam Dux, Christi imitandi amore, vxore relicta, spretisque Mundi illecebris, pauperrimus exulauit. Comes sæculari pompæ vitam eremiticam prætulit. Archiepiscopus, deposita mitra, atque regimine abdicato, in religionem Cistertiensem se abdidit, omnes pauperiem, quam alij fugiunt, sectantes. Quartus superfuit, natu minimus, nomine Alexander, sedecim annorum adolescens, hunc pater sceptro destinauit, regnique fecit successorem. Virgo viginti tunc annorum erat Mechtildis soror eius, quæ fratrem ita est affata. *Alexander, frater charissime, quid nunc ages? Fratres tui maiores natu mundum terramq; deseruerunt, vt cælum acquirerent: regnum spreuerunt mortale, vt regna perpetua possiderent. Tibi ergo soli regnum relictum est, pro quo es & cælestem gloriam, & animam perditurus.* Bona indoles non indiget multis verbis. Dictum igitur hoc vnicum ita Alexandro adolescenti altè in pectus descendit, vt totus in lachrymas resolutus, videretur vtique pluris facere regni cælestis, quàm terreni jacturam. Neque distulit deliberationem, sed cum

Bapt. Fulgos. lib. 4. c. 4. & Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 10. §. 3. & seqq.

gemitu exclamans: *Heu*, inquiebat, *soror, quid mihi prodest, si non tantùm regnum, sed etiam vniuersum mundum lucrer, animæ verò meæ detrimentum patiar? Quid consilij mihi das? En paratum habes, quidquid suaseris, exequi, & facere, quidquid iusseris. Inter duo regna, vnum breue est, alterum æternum; vnum mille casibus obnoxium, alterum securum; inter duas coronas, vna est spinis curisq; suffulta, altera sine solicitudine amissionis. Video vtramque difficulter simul teneri; amens sum, si ambigo, vtra præ altera sit relinquenda. Iuniorem me fratres mei natu maiores docuerunt, quid sit eligendum. Cælum ipsi cum paupertate elegerunt; ego cum terris & diuitijs infernum habebo? Itáne ludemus, vt illi Prometheum, ego Epimetheum agam? Non ita erit: omnia perdam, ne animam perdam. Duc, soror, quocumque vis. In ignotas terras si duxeris, ibo: si duxeris in seruitutẽ, ibo: ibo si duxeris in solitudinẽ: ibo, si duxeris in horridos montes: in Caucasum ibo, si duxeris, dummodo ad Deum ducas.* Hæc, & plura talia, quæ mentis calor suggessit, adolescens sorori respondit. Quæ fraterno consensu gauisa, mutatis, vestibus, ne noscerentur, è paterna domo, comitante Alexandro, profugit, longeque, ne quæri possent, recessit. Forte facinus, & rarum. Nam è regia domo, ad rusticos lares descenderunt puer & puella regia; & seruituti grauissimæ se vltro addixerunt, qui imperare potuissent. Ibi Alexander assuenit, illam manum, quæ sceptro destinata fuerat, vaccis mulgendis admouere; factus casearius, ex regnatore populorum. Quia tamen quò remotiores essent à patria, eò se putarunt fore tutiores, inde in Galliam profecti sunt, delatique ad Fonij cænobium, vbi Cistertienses Religiosi Deum colunt. Ibi itidem Alexander mulgendis vaccis se addixit, caseisque figurandis. In qua re operam suam ita Religiosis probauit, vt eum intra claustrum reciperent, atque in eorum fratrum numerum ascriberent, quos *Conuersos* vocant, eadem, quæ priùs, vilissima quæque munia subiturum. Soror, quæ iam secura in statione videbat fratrem suum esse, ita eum allocuta est. Magna, ô frater, ob diuitias, patriam, & parentes relictos, præmia nos in cælo manent; sed ea miris modis cumulabimus, si etiam nos ipsos separemus, atque etiam hoc solatio, quod ex mutuo aspectu, & conuersatione capimus, ad tempus, priuemus, donec in cælo, cum inenarrabili voluptate mentis,

tis, nos æternùm intueamur. Deseramus ergo etiam fluxum hoc gaudium, cum spe retributionis, quod sine mercede, & maiore cum luctu mors auferet. Dici non potest, quantum hic sermo certamen, in Alexandri animo excitârit. Amabat sororem suam supra omne creatum, quod amari potest. In illa habebat ducem, in illa magistram, in illa exemplum vitæ suæ. Hanc deserere, gratius ducebat omnibus, quæ hucusque deseruerat. Sed tamen dux erat, cuius sequendum consilium; magistra erat, cui parendum; exemplum erat, cui nisi se accommodaret, videbat turpe esse, à femina in huius facinoris palæstra superari. Pudebat vinci, pigebat vincere. Ligabat hinc amor, inde pudor stimulabat. *Tu non poteris*, inquiebat, *quod ista? An verò ista in semet ipsa potest, ac non in Domino Deo suo?* Erubescebat igitur, & irascebatur sibi, & tamen ita commouebatur, vt fletu vberrimè prorumpente, vel inuita carne; animo imperaret, sororiqúe manus daret ac valediceret, iam totus sui, immo Dei. Ita duæ coniunctissimæ mentes à se, ad Christum discesserunt. Et Mechtildis quidem, nouem inde milliaribus abijt, ad villam, quæ Lapion appellatur. Quo in loco, non pauperrima tantùm erat, sed quoddam verissimum Archetypon paupertatis. Pro palatio, habitabat sub tecto ex asseribus tumultuariè constructo. Dixisses, anserem ibi, non hominem stabulari; ita humilia & angusta erant omnia, ac ventis peruia. Neque rogata, neque coacta vel munus, vel stipem admittebat; solo manuum labore victitans, more eremicolarum. Quin neque cum ceteris egenis, per æstatem, spicas colligere contendebat; sed ea dumtaxat collegit, quæ è diripientiũ manibus ceciderunt. Cùm dormiret, vix quidquam corpori substratum habebat, & quia defuit, quò caput reclinaret, membra omnia æquata iacebant. Neq; tantùm prolixissimas preces ad Deum fundebat genibus callosis incumbens, sed ipsum quoque cibum potumque hoc situ capiebat. Denique inter orandum sæpenumero ita sensibus abrepta fuit, vt neque micantia cælo fulgetra cerneret, neque tonitrua metuendum in modum boantia exaudiret. Ita cùm diu vitam traduxisset, tandem nouem annis ante obitum à militibus, qui eam in Scotia viderant, agnita in fugam se coniecisset, nisi vi retenta fuisset, virgo ante, & post mortem miraculis clara. Quamquam

S. Augustinus lib. 8. Confession. c. 11.

tota illius vita fuit miraculosa. Certè prodigium fuit, puellam sanguinis regij, in gynæcéo delicatissimè educatam, tantam paupertatis amatricem esse potuisse. Quod prodigium etiam in fratre eius Alexandro eluxit. Nam quis fuerit ille bubsequa, illud quoque manifestatum fuit, dolente licet ipso. Venatum exierat Dominus Hugo de Rumenni, vir primæ nobilitatis. Ibi aprum immanis magnitudinis canes excitauerunt, cœperuntque in campum prodire, eò, vbi Alexander armenta pascebat. Iam lassatus aper stabat, iam præliabatur; & Hugo ex equo descendens, stricto mucrone aduolabat, lethalem ei plagam impositurus; sed vbi eius truculentiam vidit, formidine horrescens propiùs accedere non est ausus. Quod vbi de propinquo vidit Alexander, extemplo accurrit, extortoque è manibus eius ferro, magna generositate bestiam aggressus interfecit. Ea humi strata, Nobilis in oscula Fratris Alexandri ruit, eiusque animos admirans dixit: Vndecumque veneris, neque vaccarum te custodem, neque in pago natum, aut rustici filium esse mihi vmquam persuadebis. Inde suspicio nata, inde multiplices coniecturæ ortæ. Quæ Priori illius causſam dederunt, eum postea morti propinquū obtestandi, & obedientiæ vinculo constringendi, vt ediceret, vnde, & quisnam esset. Hac vi adactus prodidit, se Mechtildis de Lapione (quæ iam antea innotuerat, vt dixi) germanum fratrem, regis autē Scotiæ filium esse. Tunc demum patuit, paupertatis amorem, auro, gazis, regnis esse potiorem. Tunc eum non iam Bootem, sed verum cælitem vniuersi nuncupauerunt. Quamprimùm enim ex vita excessit, omnes eum pro Sancto coluerunt. Inter quos monachus quidam præcordijs periculosè vlcerosis, ad tumulum eius sanitatem cùm flagitaret, tunc enimuerò apparuit, ad quas vltronei pauperes diuitias, & ad quantam in cælo gloriam euehantur. Nam ita precanti se se clarissima in luce, sole ipso splendentior præbuit visendum Alexander, duplici corona insignis, quarum vnam in capite, alteram in manu ferebat. Non potuit facere monachus, quin interrogaret, quid significaret geminata corona. Cui Alexander, Corona, aiebat, capiti meo imposita, coronam indicat, quam communem cum Sanctis accepi: altera corona, quam in manu gero, illam coronam gloriamque tibi ostendit, qua decoratus sum, ob

regiam

regiam coronam, quam pro Christo deserui contempsique, ô quanto fœnore, quantaque compensatione! Hæc ceteris nuncia, vt discant me imitari, & terrenis cælestia anteferre; qui ne putent, te somniasse, ecce, quod petieras, impetrasti. Ex hac hora enim sanus eris.

XVII.

Dixit hæc Alexander, & qui sanitati fuerat restitutus, alijs narrauit; illi, qui eodem tempore se vixisse testantur, posteritati commendarunt, vt & exemplum & præmium pretiumq; paupertatis à quatuor regijs prolibus discemus. O quàm magna virtus est, posse coronas abijcere, sceptra contemnere, purpuras deponere, in cœnobijs, inter infimos, inter pecudes laborare? Hi sunt, qui Mundo ignoti, Sanctis nobiles, Deo chari, de stabulis transeunt ad duplicem coronam, præ Principibus, præ Regibus, præ ipsis Imperatoribus in cælo triumphaturi. Liceat mihi igitur cum S. Hieronymo Lectorem alloqui ac dicere: *Sectare vestigia eorum, quos sacerdotium & humiliores facit, & pauperes: aut si perfecta desideras: exi cum Abraham de patria & cognatione tua, & perge quò nescis. Si habes substantiam, vende & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es: nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile; sed magna sunt præmia.* Nemo putet se nimium dare, si vel regna det Deo: si enim Deo danda sunt, quæ Dei sunt; profectò corpus & anima, vita & mors, copia & inopia, honores & voluptates, denique omnia, quæ in mundo sunt, Deo danda offerendaque sunt, quia omnia Dei sunt; siquidem *Dominus vniuersorum* est. Quod diligenter considerarunt Religiosi, qui, imitatione primorum Christianorum, quibus *erant omnia communia*, Euangelicam amplexi sunt paupertatem, eamque voto firmarunt, hoc ipso ditiores, quia pauperiores. Nam vnusquisque pro vno sibi proprio, conferendo illud in commune, in communi possidet omnia ceterorum. Quæ communio bonorum nata est ex communione animorum, apud Apostolos; *vt qui eodem consortio religionis tenebantur*, ait S. Augustinus, *eodem consortio fruerentur & vita; vt quibus erat vna fides, esset vna substantia; quibus erat communis Christus, communis esset & sumtus. Non quærit charitas quæ sua sunt.* Quidam eò vsque progrediuntur, vt nihil omnino, ne in communi quidem habere velint, sed viuere in diem mendi-

S. Hieronymus ep. 4. ad Rusticum.

Matth. 22, 21.

1. Reg. 2. 7.

Act. 4. 32.

August. serm. 27. de verb. Apostoli.

mendicatò. Sed diuersa sunt dona spiritus, diuersæ vocationes, vti & diuersi fines, ac diuersæ naturæ & vires. Non omnes possunt esse Alexandri, aut Mechtildes. Apostolorum exemplo patet, possessionem in communi, nil paupertati derogare. Quamquam neque hæc quidem paupertas omnibus competit. Quod S. Augustinus suo exemplo demonstrat. Narrat enim, se ante conuersionem agitasse consilium, cum socijs, de vita communi ineunda, vt remoti à turbis tranquilliùs viuerent; *vt vnam*, inquit, *rem familiarem conflaremus ex omnibus; vt per amicitiæ sinceritatem non esset aliud huius, & aliud illius, sed quod ex cunctis fieret vnum, & vniuersum singulorum esset; & omnia omnium. Et placuerat nobis, vt bini annui, tamquam magistratus omnia necessaria curarent, ceteri quietis. Sed posteaquam cœpit* (Romanianus vnus è socijs) *cogitare, vtrum hoc muliercula sinerent, quas & alij nostrûm iam habebant, & nos habere volebamus, totum illud pactum, quod bene firmabamus, dissiluit in manibus, atque confractum est. Inde ad suspiria & gemitus conuertebamur, & gressus, ad sequendas latas, & tritas vias sæculi.* Nimirum non omnium est, etsi bona fortunæ vellent deserere, etiam deserere vxores. Quid ergo his faciendum? an amandæ diuitiæ, detestanda paupertas? nequaquam; cùm tanta sint huius bona, vt etiam Ethnicorum plurimi eam ambierint. De quibus aliquid dicere, operæ pretium est.

S. Augustin. lib. 6. Confess. cap. 14.

CAPVT XVI.

Fuisse etiam, apud Ethnicos, amatores & laudatores paupertatis.

I. GEntiles, quamquam ad perfectam Euangelij paupertatem, quæ inducit bonorum communionem, atque vnius Dei vitæque æternæ amore suscipitur, assurgere non potuerunt; ductu tamen naturæ adeò multa viderunt, vt pacis, boni publici & priuati, ac Philosophandi, nonnulli etiam laudis caussa, diuitias contemnerent, & sponte etiam pauperes esse mallent. Atque inter hos non Philosophi dumtaxat, sed etiam Principes fuerunt; illi enim vt sapientiæ, isti vt Reipublicæ gubernaculis tantò liberiore animo vacare possent, curas sollicitudinesque pecuniarum à se abdicarunt. *Si vis vacare animo*, ait Seneca, *aut pauper*

Senec. ep. 17.

per sis, oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri, sine frugalitatis cura. Quam ob rem non dubitauit D. Chrysostomus pauperes cum opulentis regibus comparare, Diogenem cum Alexandro, Platonem cum Dionysio, Socratem cum Archelao; docuitque, illos sua paupertate, glorioſiores fuisse, quàm hos cum regnorum suorum maiestate. Laudat quoque Epaminondam Thebanum principem, qui in concionem vocatus, cùm venire non potuisset, quia vestem lauerat, nec aliam habebat, omnibus, qui eò venerant, illustribus viris spectatior illustriorque fuit. S. Chrysost. lib. 2. contr. vituperat. vitæ monasticæ.

II.

Hanc tenuitatem vsque ad mortem seruatam, etiam in Romanis principibus egregiè laudant scriptores. *Regio imperio, propter nimiam Tarquinij superbiam, finito, consulatus initium Valerius Poplicola cum Iunio Bruto auspicatus est. Idemq; postea tres consulatus acceptissimos Populo Rom: gessit: & plurimorum ac maximorum operum pratextu titulum imaginum suarum amplificauit: cùm interim factorum illud columen, patrimonio ne ad exequiarum quidem impensam sufficiente, decessit: ideoq; publica pecunia ducta sunt. Non attinet vlteriore disputatione tanti viri paupertatem scrutari; abunde enim patet, quid viuus possederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuit. Quanta amplitudinis Agrippam Menenium fuisse arbitremur, quem senatus & plebs pacis inter se faciendæ auctorem legit? Quantus scilicet esse debuit arbiter publicæ salutis? Hic, nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, vt sepulturæ honore caruisset. Verùm idcirco pernicioſa seditione diuidua ciuitas manibus Agrippæ in vnum contrahi voluit: quia eas paupores quidem sed sanctas animaduerterat: cuius vt superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita & extincti, hodieq; amplissimum est patrimonium Romana concordia. In C. verò Fabricij & Q. Æmilij Papi principum seculi sui domibus argentum fuisse confitear oportet: vterq; enim patellam deorum & salinum habuit. Sed eo lautior Fabricius, quòd patellam suam corneo pediculo sustineri voluit. Papus quoque satis animosè qui cùm hereditatis nomine ea accepisset, religionis causſa abalienanda non putauit. Illi etiam prædinites, qui ab aratro accersebantur, vt coss fierent, voluptatis causa sterile atq; æstuosissimum Pupinie solum versabant: deliciarumq; ignari vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant: immò verò quos periculo reipub. imperatores asserebant, angustiæ rei familiaris (quid cesso* Val. Maxim. lib. 4. cap. 4.

proprium nomen veritati reddere?) *bubulcos fieri cogebant. Atilium autem, qui ad eum accersendum à Senatu missi erant ad imperium Populi Rom. sucipiendum, semina spargentem viderunt: sed illa rustico opere attrita manus, salutem publicam stabilierunt; ingentes hostium copias pessumdederunt. Quaq; modò arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit ijs rubori, eburneo scipione depositio, agrestem stiuam aratri repetere. Potest paupere consolari Atilius, sed multò magis docere locupletes, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupidini nimis anxia diuitiarum comparatio. Eiusdem nominis & sanguinis Atilius Regulus primi Punici belli gloria, cladeq; maxima: cùm in Africa insolentissima Carthaginis opes crebris victorijs contunderet, ac prorogatum sibi ob benè gestas res in proximum annum imperium cognosset; consulibus scripsit: villicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemq; nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, discessisse. Ideoq; petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, vnde vxor ac liberi sui alerentur. Qua postquam senatus à coss. accepit, & agrum Atilij illico colendum locari, & alimenta coniugi eius ac liberis præberi, resq; quas amiserat, redimi publicè iussit. Tanti arario nostro virtutis Atiliana exemplum, quo omnis ætas Romana gloriabitur, stetit.*

III. En quò venerunt, apud Ethnicos, sapientes? quod alij ignominiam putant, in eo gloriantur, neque enim, vt ille piger, *mendicare erubescunt:* neque se reprehendi censent, cùm pauperes vocantur. Hinc, teste Antonio in Melissa, Aristides diuiti, sibi pauperiem obiectanti, respondit: *Mihi quidem nihil adferet mali paupertas, tibi verò diuitiæ non paucas perturbationes.* Existimarunt igitur isti, vtique beatius esse perturbationibus his carere. Quin & Democritus dictitabat, *Pauperis conditionem diuitis multò beatiorem esse. Pauperes quippe maximis malis non infestantur, vt insidijs, odio, inuidiæ, quibus diuites quotidie expositi sunt.* Vnde meritò pauperes & sapientiæ, & Reipublicæ meliùs vacare possunt, quia quietiores. Aristoteles aiebat: *paupertatem multis quidem indigere, inexplebilitatem autem omnibus.* At qui paucioribus indigent, sunt ditiores. Quare, eodem Antonio in Melissa teste, dixit Democritus cuidam de paupertate sua querenti, *Si non multa desideres, pauca tibi multa videbuntur. Desiderium enim contractum paupertatem diuitijs æqui-*

Luc. 16. 3.

Anton. in Melissa part. 1. serm. 33.

tijs æquipollentem reddit. Quid, quòd pauperes isti Mundo sunt necessarij, vt sine ijs viuere non possemus? Quis araret, si nemo indigeret? quis oues tonderet, quis boues pasceret, si omnes Midæ essent? Quis texeret; quis calceos, quis vestes sueret, quis domos, quis vrbes ædificaret, quis vllam artem mechanicam exerceret, si omnes satis haberent? Immo si non essent, qui seruirent, quis dominaretur? Quis nauta, quis auriga, quis auceps, quis piscator, quis mercator esse vellet, si quisque Prætor, si Imperator esse posset? Enim verò quis posset esse Imperator, si nemo inueniretur, qui vellet imperari? Numquam Crœsus in pistrino fuit, numquam messuit Sardanapalus. Seruus & dominus pariter ponuntur & tolluntur. *Magister artis venter est.* Multa excogitat fames. Et vt Mimus ait,

Hominem experiri multa paupertas docet.

Vel quemadmodum alius canit, *Ingenium mala sæpe mouent.* Quin Maronis testimonio, *labor omnia vincit*

Improbus, & duris vrgens in rebus egestas. Virgil. lib. 1 Georgic.

Ingeniosa ergo est paupertas, & artium mater, quibus plurimis careremus, si in Mundo paupertas deesset. Desineret industria ciborum; deficeret medicina; non haberentur vestimenta, omnis, seu ad necessitatem, seu ad elegantiam spectans, supellex tolleretur. Non essent pagi, non oppida, non commercia; non indigentia & mutuò suppeditata auxilia; non potentia, non obedientia; non vlli ordinum gradus, non magistratus; non ciues; non rustici; non Respublica: sed mirabilis quædam perturbatio; & in optimarum occupationum vicem, succederet otium, & à laboriosis operibus pigra cessatio; atque turpe quoddam chaos permistum omni genere nefandorum; hominesque pecudum more, sine industria, sine arte, sine lege, sine capite victitarent. Vnde vel Ethnici viderunt, paupertatem esse quoddam bonum Vniuersi, cui in acceptis referendum, quidquid fere est in rebus humanis, vtile, necessarium, pulchrum, quod labore constat, & sudore paratur.

IV. Lucianus in somnio, seu Gallo.

Prolixa & elegans fabula est, in qua diuitiarum mala, & paupertatis commoda à Philosophis considerata enumerantur. In compendium conferam. Micyllus pauperculus sutor gallum habebat, à quo cantante, media nocte, expergefactus, cœpit irasci,

eique fustem & necem minitari, quàm primùm diluxisset. Ibi gallus, instar Xanthi equi Achillis, apud Homerum, humana voce herum allocutus dixit, se arbitratum esse, gratum id ei fore, si, quoad posset, alta nocte, lucem anteuertisset, vt ille antelucanò surgens, quàm plurimum operis conficeret, & priusquam sol diem faceret, vel vnicam crepidam absolueret, ad laboris lucrum accessuram. Non placauit iste sutorem quamuis prodigiosus sermo, sed perrexit indignari, quòd è dulcissimo somnio, admirabili felicitate fruens excitatus esset. Aiebat enim, tantum sibi mellis ab ijs nocturnis simulachris, in memoria relictum esse, vt nullo vmquam tempore visi illius obliuionem sit admissurus: vidisse enim se multam vim auri, mirifico fulgore, pulcherrimè coruscantis; somniũ autem inde ortum, quòd in illud incidisset ab hesterno conuiuio Eucratis natalitia filiæ celebrantis redux, & ebrius. Somnium tale erat. Visus illi Eucrates ipse, cùm orbus esset liberis, nescio quo modo, è vita decedere, testamento priùs condito, quo Micyllus in solidum hæres scribebatur. Itaque somniabat, se adire facultates, & aurum argentumque ingentibus quibusdam scaphis exhaurire, perpetuò subscaturiens, & affatim affluens: tum autem vestes, mensas, pocula, ministros, & omnia sua esse. Postea videbatur sibi candido vehiculo vectari resupinus, cunctis, qui intuebantur, conspiciendus, & admirandus. Accurrebant permulti, ac circùm equitabant: complures sequebantur. Micyllus interim Eucratis indutus vestitum, & annulos gerens circiter sedecim digitis insertos, epulum quoddam splendidum iubebat adornari, quo amicos acciperet. Iamque illi ita, vt in somnio fieri consentaneum est, aderant: jam epulæ erant comportatæ: jam potus ex animi sententia ministratus. In his cùm versaretur somnians Micyllus, & aureis phialis præbiberet omnibus, qui aderant, amicis: cùm jam inferrentur bellaria, gallus penetrabili voce sutorem, ex ambrosia illa quiete excitans, perturbauit conuiuium, mensasque momento subuertit, ac diuitias illas omnes dissipauit, vt in auras euanescerent. Hac de caussa calceolarius in gallum tam intempestiuè cantantem stomachatus est: siquidem vel tres noctes perpetuas adhuc libenter somnium illud continuari voluisset. Sed somnium fuit, sicut & tota vita diuitum esse solet, qui vbi

mortui

mortui fuerint, perinde illis erit, ac si diuitias somniassent dumtaxat; tunc enim finis erit omnium istarum voluptatum, atque opes euanescent, non secus ac fugere solent à somniante; iuxta illud: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Et tamen hoc somnio tanta mortalium multitudo capitur. Quare cùm gallus ille (qui fingit se olim Pythagoram Philosophum fuisse) scire vellet, cur Micyllus auri tam cupidus esset, atque in opum possessione felicitatem esse putaret, ita sutor diuitias laudauit. Auro ornari homines, Homerus est testis, apud quem Euphorbus comas Gratijs idcirco similes gestasse scribitur, quòd auro atque argento cincinnis intexto prodiret pugnaturus cum Achiuis. Auro emi homines, Acrisij custodes confirmant, qui numquam se passi essent corrumpi, nisi aureum imbrem per tegulas illapsum excepissent. Auro homines fiunt non solùm pulchri, sed etiam potentes, sapientes, atque etiam ex obscuris & infamibus clari ac celebres. *Nam nosti vicinum mihi, & eiusdem artificij Simonem, qui paucis antè diebus apud me cœnauit, cùm legumen coquerem Saturnalibus, duasq; extorum cæsuras immitterem,* qui peracta cœna fictilem ollulam suffuratus, eamque *sub ala gestans abiit. Ei consobrinus erat vir supra modum diues, nomine Drimylus. Is quoad viuebat, ne obolum quidem donauerat Simoni, nam quì daret, cùm ne ipse quidem pecunias attingeret? At simul atque mortuus est nuper, vniuersis illis opibus iuxta leges Simon ille, qui coria putria, qui patellam circumlingebat gaudens, purpura ostroq; circumtectus: famulosq; & currus, & aurea pocula & mensas eburnis innixas dapibus possidet: ab omnibus adoratur: jamq; nos ne aspicit quidem. Etenim nuper cùm illum procedentem conspexissem: Salue, inquam, Simon ille indignè ferens: Edicitè, inquit, mendico isti, ne vocabulum meum diminuat, neque enim Simon, sed Simonides appellor.* Hæc & plura diuitum & diuitiarum emolumenta cùm enumerasset Micyllus, tandem hunc epilogum addidit: *Vides, quantas vtilitates pariat aurum? quandoquidem eos, qui sunt deformissimi, transfigurat, & amabiles reddit, non secus atque cestus ille Poëticus. Audis insuper & à Poeta dictum:*

O aurum auspicata res, & ostentum optimum.

Et rursum: *Aurum est, quod opibus imperat mortalium.*

Ad hæc in Gallum versus Pythagoras subridens dicebat, Micyllum

Psal. 75. 6.

V.

cyllum per inſcitiam ſummopere falli opinione diuitiarum, more vulgi; diuites enim longè ærumnoſiorem vitam viuere, quàm pauperes. Se enim vtrorumque expertum eſſe conditionem, & videre, quoties videat aliquem paupertatis tædio complorantem eiulantemque, ac diuitum admirantem fortunas, cùm neſciat, quantum in illis ſit malorum, quantum bonorum in paupertate. Nam pauperem non magnopere tangi cura bellorum, ſi quando rumor ſit, aduentare hoſtes: neque ſolicitum eſſe, ne in agros incurſans militum caterua populetur, neûe hortum proculcet, proteratque, aut vineas vaſtet: ſed ſimul atque tubam audierit, ſi tamen audierit, de ſe ipſo vno circumſpectare, quò deflexus ſeruari queat, ac diſcrimen effugere. Interea diuites de ſeſe ſolicitos eſſe, animoq; diſcruciari, cùm de mœnibus quidquid opum poſſidebant in agris, id omne tolli deportarique conſpiciunt. Quòd ſi in prælium exeundum ſit, vt peditum turmis, aut equitum alis præſint; exire cum tot periculis, cum quot impedimentis: pauperem vimineo clypeo expedito, & leui ad ſaluti conſulendum. Tempore autem pacis, pauperem à diuite timeri, ne det ſuffragium malum inter plebem conſtitutus, ne ſaxis degrandinet, ne facultates eius publicet: cùm ob inopiam ipſe interim neque calumniatorem metuat, neque latronem, ne tollat aurum, vel ædium conſcenſo faſtigio, vel pariete perfoſſo; neque neceſſe habeat rationibus occupari, neque exactionibus: neque illi cum ſceleratis diſpenſatoribus conflictandum ſit: neque tantas in ſolicitudines diſtrahatur. Calceolarium, ſimul atque crepidam vnam perfecerit, mercedemque retulerit ſeptem obolos, ſerò ſurgere crepuſculo; & ſi libuerit, lauari: tum emto ſaperda quopiam, aut mænide piſciculo, aut paucis ceparum capitulis, ſemet ipſum oblectare, canentem plerumque, optimaque cum paupertate philoſophantem; adeò vt eas ob res ſalubri ſit valentique corpore, obdurueritque aduerſus gelu. Siquidem labores, qui illum exacuunt muniuntque, certatorem haudquaquam contemnendum reddere aduerſum eas res, quæ compluribus inexpugnabiles eſſe videntur. Atque hinc nullum ex morbis illis grauioribus impetere illum. Quòd ſi quando leuis ceperit febricula, paulo negotio eam medicatum, protinus exilire, inedia ſemet inde excutientem. Illam porrò fugere illico, quippe

cùm

cùm metuat pauperem, quem videat etiam frigore ali, saturumque fieri, ac medicorum certis illis recursibus longùm plorare renunciantem. Firmiorem igitur esse pauperum sanitatem, difficiliùs amitti, faciliùs recuperari: diuites autem, ob intemperantiã vitæ scatere morbis, habere podagras, phtises, pulmonum exulcerationes, aquas intercutes, quæ omnia à sumptuosis illis conuiuijs oriuntur. Quamobrem quisquis horum Icari in morem (vt ferè faciunt) sese attollit, propiusque se Soli admouet, ignarus se habere alas cera agglutinatas, ingentem quidem subinde strepitum mouere, sed Icari quoque in morem cadere. Ceterùm, qui Dædali exemplo non admodum sublimia, neque excelsa appetunt, sed humilia terræq; vicina; adeò vt cera nonnumquam salis aspergine madescat, eos tutò plerumque ac citra discrimen transuolare. Aliorum naufragia fœdissima conspicit; nempe vbi Crœsus reuulsis alis risum exhibet Persis, conscenso rogo: aut Dionysius, cùm abdicatus tyrannide, Corinthiorum in vrbe ludi litterarij magistrum agit, post gestum tantum imperium, puellos compellans, vt syllabas connectant.

Addit his Pythagoricus Gallus se quoque in exemplum. VI. Nam ait se, cùm rex esset, supra modum fuisse infelicem. Etsi enim externa specie planè fortunatus esse videretur, in animo tamen innumerabilibus curis fuisse distractum. Imperasse quidem regno magno, feraci, pulchro, populoso, quod neque fluminibus nauigabilibus, neque mari portuoso caruerit: habuisse exercitum ingentem, equitatum spectatissimum atque excellentem, satellitium haud exiguum, triremes, pecuniarum vim maiorem, quàm vt posset numerari, vasorum argenteorum magnam copiam, deniq; quidquid ad apparatum illum tragœdiamque pertinet. Vnde cùm prodiret, plerosque adorasse, Deum quempiam se intueri ratos, aliosque trudentes alios concurrisse, vt regem conspicerent. Nonnullos conscensis tectis, magni faciebant, si plenè contemplari licuisset quadrigam, stragulum, diadema, tum anteambulones, & qui à tergo comitabantur. Talis fuit externa facies Pythagoræ, cùm rex esset. At intus & in cute, quid fuerit, audi ipsum loquentem. *Ego inter hæc mihi conscius, quanta me res discruciarent, versarentq;*, inquit: *illos quidem propter insciciam venia dignos iudicabam.*

dicabam, at mei ipsius miserescebat, qui pragrandibus illis Colossis videver persimilis, qualis vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fabricatus est. Etenim illorum quisque, quo ad ea quæ foris apparent, Neptunus ipse est, aut Iupiter mirificè decorus, auro eboreoq; compactus: & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuscinam dextra sustinet: ceterùm si immisso capite, quæ sunt intus, inspicias, videbis vectes quosdam, paxillos, & clauos introrsum prominentes, neq; non vimina, cuneosq;, & picem sublitam, & aliam item id genus deformitatem intrinsecus inhabitantem. Omitto recensere muscarum mustelarumq; vim, qua nonnumquam in eis mansitant. Huiusmodi quædam res nimirum regnum quoque videtur. His recensitis, petijt sibi Micyllus explicari lutum, & clauos, & vectes, quinam fuerint in imperio, & alia quæ sunt intra Colossum. Mox igitur Pythagoras gallicus ita perrexit: Quid primo loco tibi referam, Micylle, vtrum metus, curas mordaces, suspiciones, odium quo regem persequuntur ij, qui cum illo viuunt, insidias, atque eas ob res somnum rarum, & hunc ipsum pertenuem, ac plena tumultus insomnia, cogitationes perplexas, spes semper improbas: an otij penurias, & occupationes, judicia, expeditiones, edicta fœdera, consultationes? quibus rebus fit, vt ne per somnium quidem aliqua re suaui frui liceat; verùm vt omnibus de rebus solus dispiciat necesse est, milleq; negotia sustineat:

Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multigenas versantem pectore curas,

idq; cum reliqui omnes Achiui sterterent. Adde, quòd Lydum illum discruciat filius mutus: Persam verò Clearchus ad Cyrum desciscens: atq; alium quempiam Dion cum Syracusanis nonnullis ad aurem communicans. Rursum alium quemdam vrit Parmenion collaudatus. Item Perdiccam Ptolemæus: Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoque molestiam afferunt, si qui defectionem parare dicantur, aut duo quatuorue satellites inter sese consusurrantes. Porrò (quod est omnium grauissimum) amicissimi quiq; vel maximè sunt formidandi, semperq; metuendum, ne quid magni ab illis exoriatur. Nam alius à filio veneno necatus est: alius item ab amasio. Alium simile quoddam fortassis mortis genus eripuit.

VII. Ad hæc Micyllus, Atrocia miraq; sunt istæ (inquiebat) quæ narras, ô galle. Mihi igitur multò sit tutius operæ cerdonicæ pronum incumbere, quàm ex aurea bibere phiala comiter delatum hausturn, ceterum

rùm cicuta aconitoq́ temperatum. Nam mihi quidem hoc vnum est periculi, vt si paulùm aberret smilion deflectatq́ à recta incisione, summum secantis digitum exiguo sanguine tingat: at isti, quemadmodum narras, lethifera agunt conuiuia, atq; id innumerabilibus in malis constituti. Deinde, vbi conciderint, persimiles esse videntur tragœdiarum histrionibus. Nam multi, sicut videre licet, Cecropes sunt scilicet, aut Sisyphi, aut Telephi; diademata gestant, argenteisq́ capulis gladios, comamq́ ventilantem, & auro intertextam chlamydem. Quòd si quis (qualia nimirum permulta solent accidere) impulsos illos media in scena praecipites det, risum profectò moueant spectatoribus, videlicet persona vnà cum ipso diademate contrita, vero autem actoris capite luxato, cruribusq́ maxima ex parte renudatis: vt jam interioris amictus quàm miseri sint panni, fiat perspicuum: ac cothurnorum, quos pedibus induxerunt, appareat deformitas, haudquaquam ad pedis modum respondentium. Quamobrem rectè colligit Pythagoras, nullam ex omnibus vitam sibi visam tranquilliorem vita naturalibus dumtaxat cupiditatibus & vsibus circumscripta. Posthæc, ipsa adhuc nocte, reliquis mortalibus quietem concedente, circumduxit Micyllum gallus, per diuitum domos, vt eorum beatam vitam eoràm oculis, vel ad obscuram siticulosamque lucernam intueretur. Et quidem primò ad illius ipsius ædes, qui ex Simone Simonides factus, cupiditatem Micyllo à puero insitam, quam numquam dediscere potuit, videlicet vt diues euaderet, insperata felicitate sua inflammârat. Ibi ergo vidit Simonem Simonidem, ceteris dormientibus, vigilantem, ac supputantem, pallentemque admodum, atq; extenuatum, curis enim totus exaruerat. Quibus de caussis, Simon ipse indicauit, his verbis secum loquens: *Nimirum septuaginta illa talenta tutò admodum sub lectica defossa sunt, neq; quisquam alius omnino vidit? At verò sedecim illa Sosylus equiso vidit me sub praesepe occultantem. Itaque de curando stabulo non est admodum solicitus, quamquam nec aliàs admodum laboris appetens. Verisimile est autem, illum multò etiam his plura sustulisse. Nam vnde alioqui Tibius heri tam ingens salsamentum illi obsonio proposuisset? Tum autem aiunt, illum monile emisse vxori drachmis quinq;. Heu misero mihi! Hi omnia mea dissipabunt bona. Quid, quòd ne pocula quidem sat in tuto mihi recondita sunt, cùm sint multa? Vereor enim, ne quis ea, suffosso pariete*

collat. *Complures mihi insident, atque insidiæ parant. Optimum igitur fuerit, vt ipse insomnis seruem. Omnem obibo domum, in orbem obambulans. Quis iste? Video te per lonem, ô parietum perfossor. Sed es columna, bene res se habet. Pernumerabo denuo refossum argentum, ne quid fortè dudum me fugerit. En rursum obstrepuit mihi nescio quis. Nimirum obsideor, atq; insidijs appetor ab omnibus. Vbi mihi gladius, si quemquam deprehendero? Rursum aurum defodiamus.* Hæc in jam diuitis Simonis domo, & complura, in aliorum opulentorum, vsurarum rationes digitis contortis iterantium, ædibus postquam vidit Micyllus, & verò etiam in ipsius Eucratis palatio, exclamauit: *O miser, cuiusmodi vitam vitam? hostibus eueniat, ad hunc modum diuites esse. Valeat aurum & conuiuia. Duo oboli mihi potiores diuitiæ sunt, quàm si a domesticis mihi domus perfodiatur.* In hunc modum, ex Pythagoræ, immò galli Pythagorizantis admonitione, didicit Micyllus sutor philosophari; & paupertatem diuitijs anteferre.

VIII.

Suprà cap. 2. §. 8. S. Hieronym. ep. 13.

Ob quas rationes etiam alij sapientes inopiam non solùm æquo animo tulerunt, sed etiã gazis regijs prætulerunt. Illis, quos suprà recensui, accedat paulo aliter à S. Patre, quàm à Madaurensi Philosopho citatus. *Crates Thebanus*, ait S. Hieronymus, *magnum auri pondus proiecit in mare, quòd diceret, non posse se diuitem sapientis bene philosophari: Mergam*, inquit, *vos, ne mergar a vobis.* Cato quoque dicebat, honestam paupertatem impijs diuitijs, longè præferendam esse: hoc enim opprobrij, illud miserationis caussâ, fieri solere. Quin Diogenes paupertatem appellabat virtutem, αὐτοδίδακτον, id est, quæ per se discitur. Non enim multis opus est documentis, vt quis pauper fiat; aut, si pauper est, vt frugaliter viuat; diuites autem indigent multis præceptis, vt discant temperantiam, vt exerceant liberalitatem, vt abstineant à luxu, ne superbiant in vestibus, quæ omnia seipsam docet paupertas. Plutarchus scribit, Lycurgum rogatum, *Quomodo Sparta salua & inuicta contra hostes consistere posset?* respondisse: *si pauperes fuerit, nec alius alio plus requirat. Ad opulentos enim spes prædæ inuitat hostem, nec facile potest elabi, qui sarcinis & impedimentis retardatur. Ad hæc tutiores sunt ab hostium incursu, apud quos est æqualitas, & ex æqualitate concordia.* Senecæ certè generosum est dictum: *Sunt quidam extra omnem subducti cupiditatem, qui vix vllis humanis desiderijs contingantur:*

Anton. in Melissa. p. 1. serm. 33.

Stobæus ser. 95.

Plutarch in Laconicis.

Sen lib. 5. de benef. c. 44

tinguntur: quibus nihil potest præstare ipsa fortuna. Necesse est à Socrate beneficio vincar: necesse est a Diogene, qui per medias Macedonum gazas nudus incessit, calcatis regijs opibus. Nonnè ille tunc meritò, & sibi, & ceteris, quibus ad dispiciendam veritatem non erat offusa caligo, supra eum eminere visus est, infra quem omnia jacebant? Multò potentior, multò locupletior fuit, omnia tunc possidente Alexandro, plus enim erat, quod hic nollet accipere, quàm quod ille posset dare. Adeò fuit paupertas in Diogene potens.

IX. Apul. in Apologia. Ælian. lib. 11 variar. c. 9.

In compendio, apud Madaurensem Apologistam, *paupertas est, apud Græcos, in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta.* Quod compendium vt intelligatur, *omnium Græcorum,* ait Ælianus, *clarissimi præstantissimiq; Viri, per totam vitam, in extrema mendicitate versati sunt, quis igitur diuitias laudârit, cùm omnium Græcorum probatissimis Viris, sorte quadam, paupertas per vniuersam vitam adhæserit? sunt autem hæc eorum nomina, velut Aristides filius Lysimachi, qui multa præclara domi militiæq; gessit, & Græcis tributum ordinauit: At ille non tantum post obitum reliquit, vt exequijs celebrandis sumptui esset. Phocion etiam egenus erat, attamen cùm Alexander ei mitteret centum talenta, interrogauit: quam ob caussam hæc mihi donat? qui cùm responderent, quoniam te solum ex omnibus Athenienſibus bonum honestumq; virum judicat: Sinat igitur, inquit, me talem esse. Etiam Epaminondas Polymnidis filius pauper erat, cùm autem Iason ei quinquaginta aureos nummos misisset, iniuriam, inquit, mihi facere incipis, & quinquaginta drachmis à ciue fœnore acceptis, vt essent pro viatico, profectus est in Peloponnesum. Cùm verò nuncium allatum esset, armigerum eius pecuniam à captiuo quodam cepisse. Mihi, inquit, da scutum, tu verò tibi cauponam eme, in qua vives; non enim vlteriùs pericula subire voles, cùm dives sis factus. Pelopidas, cùm obiurgarent eum amici, quòd pecuniaria rei ad vitam tuendam conferentis nullam curam gereret, &, inquit, me hercule res vilis est: Verùm huic Nicomedi, intento digito in hominem claudum & mutilum. Scipio quinquaginta quatuor annorum vitæ spatium emensus, neq; emit neq; vendidit quidquam, adeò paucis fuerat contentus, cùm autem ei quidam scutum diligenter apparatum ostenderet, dixisse fertur; atqui Romanum ciuem par est in dextra spem ponere, non in sinistra. Ephialtes Sophonida filius pauperri-*

mus fuit: etsi verò amici decem talenta ipsi dono darent, non accepit: hæc, inquiens, me cogerent, reuertentem quidem vobis aliquid præter jus concedere; Sin minùs vos obseruarem, ingratissimum videri.

X. Talia dicta & alij dixerunt, vnde & eorum paupertas, & virtus eluceret. Nam nostro æuo multi audiuerunt, Henricum IV, de se iocantem antè, quàm Franciæ gubernacula illi traderentur: Quòd rex esset sine regno, & maritus sine vxore, ac dux belli sine pecunia. Sed minùs mirum est, Christianos aut Christianissimos inopiam ita suscipere, vt in ea etiam iocentur; illud paupertatis pretium magis detegit, quòd ab Ethnicis, & solo naturali lumine, tanti fuerit æstimata rerum egestas. Quare, vt Ælianus eam in Græcis, ita Valerius Maximus in Latinis ostendit. *Non magna latifundia L. Quintij Cincinnati fuerunt: septem enim iugera agri possidet: ex hisq; tria, quæ pro amico ad ærarium obsignauerat, multa nomine amisit: pœnam quoq; pro filio Cæsone, quòd ad causſam dicendam non occurrisset, huius agelli reditu soluit, & tamen ei quatuor iugera aranti, non solùm dignitas patriæ familiæ constitit, sed etiam dictatura delata est. Angustè se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Hic tantus vir pauper fuit, non quia debuit, sed quia voluit esse pauper. *Quid Ælia familia, quàm locuples? Sexdecim eo tempore Ælij fuerunt, quibus vna domuncula erat eodem loci, quo nunc sunt Mariana monimenta: & vnus in agro Veiente fundus minùs multò cultores desiderans, quàm dominos habebat. Inq; Maximo & Flaminio spectaculi locus: quæ quidem loca, ob virtutem, publicè donata possidebant.* Sed, vt luxui deditis etiam tota ditio non sufficit, ita frugales paruus ager alit. *Eadem gens nullum antè scrupulum argenti habuit, quàm Paulus, Perse rege deuicto, Qui Ælio Tuberoni genero suo quinq; pondo argenti ex præda donaret. Taceo enim quòd princeps ciuitatis filiam ei nuptum dedit, cuius penatis tam ieiunos pecunia videbat. Quin ipse quoq; adeò inops decessit, vt nisi fundus, quem vnum reliquerat vænisset; vxor eius dotem vnde reciperet, non extitisset. Animi virorum & fœminarum vigebant in ciuitate: eorumq; bonis, dignitatis æstimatio cuncta in rebus ponderabatur: Hac imperia conciliabant, hac iungebant affinitates: hac in foro, hac in curia, hac intra priuatos parietes plurimùm poterant. Patria enim rem, non suam vnusquisq; augere properabat: pauper q; in diuite, quam diues*

Val. Max. lib. 4. c. 4 n. 7.

dines in paupere imperio versari malebat. Atq; huic tam praclaro proposito illa merces reddebatur, quòd nihil eorum, qua virtuti debentur, emere pecuniâ licebat, inopiaq; illustrium virorum publice succurrebatur. Itaque cùm secundo Punctio bello Cn: Scipio ex Hispania senatui scripsisset, petens, vt sibi successor mitteretur, quia filiam Virginem adultæ jam ætatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset: senatus, ne respublica bono duce careret, patris sibi partes desumpsit; consiliiq; vxoris ac propinquorum Scipionis constituta dote, summam eius ex ærario erogauit, ac puellam nuptum dedit. Dotis modus 11. millia aris fuit. In quo non solùm humanitas Patrum conscriptorum, sed etiam habitus veterum patrimonierum cognosci potest. Namq; adeò fuerunt arcta, vt Tatia Casonis filia, maximam dotem ad virum 10. millia aris attulisse visa sit: & Megallia, quia cum quinquaginta millibus aris mariti domum intrauit, dotata cognomen inuenerit. Ideò senatus Fabricij Luscini, Scipionisq; filias ab indotatis nuptijs liberalitate sua vindicauit: quoniam paterna hæreditati, prater opimam gloriam, nihil erat, quod acceptum referrent. Magis igitur, populi Romani opinione, honorificum illis erat, patrem iustum, quàm opulentum habuisse. M. autem Scaurus quantulam à patre hæreditatem acceperit, in primo libro eorum, quos de vitâ suâ scripsit refert: ait enim sibi decem sola mancipia, totumq; censum quinq; atq; triginta millium nummorum relictũ. In hac penuria ille futurus senatûs princeps nutritus est spiritus: qui vt fruges nimijs imbribus, ita abundantia suffocatus fuisset. Hæc igitur exempla respicere, his acquiescere solatijs debemus, qui parunlos cersus nostros numquam querelis vacuos esse sinimus. Nullum autem admodum parui ponderis argentum, paucos seruos, septem iugera arida terra, indigentia domi, publicè impensa funera, inopes dotum filias; sed egregios consulatus, mirificas dictaturas, innumerabiles triumphos cernimus. Quid ergo mediam fortunam, quasi præcipuum generis humani malum, aiuturus conuitijs laceramus? qua vt non abundantibus, ita fidis vberibus Poplicolas, Ælios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hi q; paria robora virtutis allicit. Exurgamus potiùs animis, pecuniaq; affectu debilitatos spiritus pristini temporis memoria recreemus: namque per Romuli casam, perq; veteris Capitolij humilia tecta & æternos Vestæ focos fictilibus etiamnum vasis contentos juro; nullas diuitias tantis virorum paupertati posse præferri. Hæc ab Ethnico audiant,

discantque Christiani, ne vel in paupertate fiant impatientes, Deumque accusent; vel in fugitiuis diuitijs nimis confidant.

Ouid. lib. 3. de Tristib.

Nempe dat, & quodcunq; libet fortuna, rapitq;
Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.

CAPVT XVII.

S. Bernardini, de triplice genere pauperum, sententia; & Codri Crœsiq; exempla.

I. Diuitias paupertatis, paulò priùs, ostendimus Lucianum descripsisse, more, & ore Philosophorum. Nunc coronidis loco, etiam Sancti alicuius testimonio, elogia paupertatis adijciamus. Est autem is Bernardinus, Senensis, Ordinis Minorum, ac vrbis Aquilæ patronus, vir æquè sanctus ac doctus, qui tres facit seu paupertatis, seu pauperum classes: *prima dicitur voluntaria, secunda necessaria, tertia simulatoria. Prima laudabilis, secunda tolerabilis, tertia detestabilis. Prima pauperum Christi, secunda pauperum mundi, tertia pauperum diaboli. Prima cum merito, secunda sine merito, tertia cum demerito.* Hunc ordinem si inuertamus, propemodum respondebunt hæ classes ijs, quæ suprà ex Hugone attulimus; nisi quòd in prima alteraque classe aliquid variatur. Sed tertia Hugonis, quæ præcipua est, omnino eadem est, cum prima Bernardini, verùm cum magna paupertatis commendatione deducta. Omnes autem classes egregiè declarant, quid sit in hoc genere fugiendum, quid obuijs vlnis ab illis, qui perfectionem amant, aut diuinæ se se prouidentiæ accommodare student, amplectendum.

S. Bernardin. Senens. tom. 3. tractat. de 8. beatit. a. 1. cap. 1, 2. & 3.

II. Simulata ergo, detestabilis, diabolica, & inferno digna paupertas est, seu diuitis, seu egentis inuiti; hoc ipso pauperis, quia cupidus & auarus est: tantum enim illi deest, quantum cupit habere; tantumque torquetur animus eius, quantum inexplebilis auaritia suggerit esse cupiendum. *Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius.* Nimirum auri sacra fames istos extenuat; & cùm non habent, quem deuorent, inedia consumuntur. Hi quò plus habent, plus desiderant; & semper, quò plus bibunt, plus sitiunt; sicut qui salsas maris aquas hauriunt, bibendi appe-

Iob. 18. 12.

titum

citum semper magis accendunt. Etsi ergo aureos montes possideant, tamen contenti non sunt, & simulant, se etiam ijs egere, quæ recondiderunt, dum verè egent eo, quod optant, atque idcirco cruciantur. Hoc est, quod Propheta ait: *Simul in vnum, diues & pauper.* Diues in auaritia, pauper in substantia. Parum enim illi videtur esse, quod habet; multum quo caret. His Apostolus scribit, *nullius aliquid desideretis.* Addit glossa: *Nedum rogetis, vel tollatis.* Quo loco prohibet cupiditatem rei alienæ, iuxta illud: *Qui furabatur, iam non furetur. Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti.* Spectant ergo ad hanc classem pauperum, omnes fures, prædones, exactores iniqui, quia deest illis id, quod volunt clepere, rapere, prædari, aut importunissimè exigere. Spectant huc omnes auari, & ipsi etiam, qui in ponte sedent ad stipem exigendam, cùm thesauros seruent sub centonibus, & à verè indigentibus eleemosynas auertant. Quin nec illos hinc religiosos excludit D. Bernardinus, qui vt conuiuijs possint vacare, & cuticulam suam curare, nequaquam, vt pauperes decet, conuiuantur; atque ad hoc subditos suos nimiopere grauant. Horum meritò omnium vocat sanctus ille hypocriticam & falsam paupertatem; quæ execrabilis est, & diabolica, cui non promittitur *regnum cælorum*, sed caminus ignis ardentis. Nam tales cum diuite illo in inferno sepeliuntur. Psal. 48. 1. Thessal. 4. Ephes. 4.

III. Secunda paupertas, varijs de caussis, est necessaria. Neque enim ficta, sed vera est, & vel non optanti venit; quia illis hæreditaria est, aut propria culpa, aut casu, aut certè diuino consilio & prouidentia accidit. Nonnulli enim à quatuor auis sunt pauperes. Nonnullos tesseræ aut astragali, aut ludus pilæ fecit pauperes. Quibusdam diuitiæ per guttur defluxerunt. Quosdam naufragia, quosdam incendia, quosdam bella atque hostes, quosdam tutores, quosdam fures ad incitas redegerunt. Denique mille sunt scopuli, ad quos opes alliduntur. Itaque isti à D. Bernardino vocantur *pauperes huius mundi*, de quibus dicitur: *Pauperes semper habetis vobiscum.* Hæc paupertas est simplex carentia diuitiarum; malis, & malè se in ea gerentibus mala; bona bonis ac patienter eam ferentibus. Aliqui enim, ob inopiam, se domi continent, aut in ius concedunt, vitant publicum, &, sicut vespertiliones apud Ioan. 12.

Æsopum

Æsopum, interdiu videri nolunt. Præsertim autem nobiles, grauiùs sentiunt hanc calamitatem; putant enim eam sibi dedecori esse; neque stemmati suo conuenientem. Alias vestes, alium victum, aliam habitationem, aliam authoritatē maiores habuerunt. Primi in curijs, primi in aulis, primi in conuiuijs sederunt. Omnia hæc vel extinxit paupertas, vel eneruauit. Quare turbantur & fluctuant; quidam franguntur; quidam nunc in hanc, nunc in illam partem nutant; quidam ad sacram anchoram confugiunt, & spem suam in Deum figunt.

IV. Quod vt faciant, ita eos D. Bernardinus compellat. *O pauper verecunde, vis sequi consilium meum, vltro paupertati occurre; venientem lato animo patentibus valuis accipiens, atq; amplectere amplectens. Prima enim fronte rigida ac subtristis non immeritò viatori, atq; armato exæquata, eò quòd celer minaxq; sit aduentus illius. At eiùm in familiaritatem admissa fuerit, & minimè sumtuosa, & secura, ac facilis hospes erit. Crede mihi, aperi illi ocyùs antequam vectem vi subita confringat, atq; ostijs vulsis à cardine victrix introëat, vt resistentibus permolesta, si cedentibus periucunda est. Molliùs quidem diuitiæ subijssent, sed paupertas tutiùs. Nulla opes sunt, quibus non sit antepnenda securitas. Profectò vt animo inopi ac deiecto nulla non deficiunt opes: sic diuiti atq; erecto nulla non sufficit paupertas. Nempe ille alieno innititur, hic proprio fidit. Si paupertatem patienter tuleris, solito erit humilior, expeditior, atque liberior. Vacui amant incedere, qui iter arduum agunt. Carebis solitis opibus, simulq; solitis moribus, atque furibus, nec non & proteruis seruis ijsq; quibus solent abundare diuitiæ, fictis amicitijs, sequacibus ac tenacibus parasitis, totoq; illo grege domestico arridentium tibi, teq; rodentium, atque ridentium. Denique si amissas opes, cum amissis tedijs conferas, lucrum voces. Certè vt securitatem, fleam, humilitatem, sobrietatem, requiem, modestiam, paupertatis comites, si nihil boni aliud illa secum afferret (quamquam etiam fallacium gregibus adulantium, & seruorum tyrannide superborum liberet) abundè erat caussa, vt non ferenda modò esset, sed optanda, immo etiam necessaria pauperies. Profectò, vt audacter testimonium perhibeam veritati, nihil inter homines paupertate melius, nihil edibilius. Sed vir sapiens facit de necessitate virtutem, & vbi paupertatis necessitas vrget, prudentia libera voluntatis acceptet: vel potiùs, quod melius est, amplexetur.*

plexetur. Recole pauper quod Prou. 17. c. scriptum est. Melior est buccella ficca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Et 15. cap. iterum Salomon ait: Melius est parum cum timore Dei, quàm thesauri magni & insatiabiles.

Hæc sanctus ille pro solatio depauperatorum, aut pauperum. Quibus subiungit exemplum parallelum ei, quod paulo suprà, è Luciano attuli. Est autem istud. Contiguis in ædibus habitabant duo, æquè peculio ac domicilio discrepantes, viri. Vnus in magnifico palatio, tamquam draco Hesperidum pomis, ita saccis & cistis & thesauris suis incubabat. Alter in vili casa rudes lanas excolebat. Dixisses Midam & Irum in viciniam conuenisse. Dives, vt fieri plerumque solet, totas noctes insomnes traducebat: nam in molli lecto durus illi somnus erat. Saturitas enim & venter nimio cibo saburratus, identidem sudantem dormire vix vmquam aut conniuere sinebat. Accessit cura & solicitudo pecuniarum, quæ eum miris modis torquebat. Cùm interea vigilans vicinum pauperem audijt, iuxta igniculum suum, in multam noctem, æquè hilariter cantantem & lætè ludentem, ac strenuè laborantem; ac penso absoluto, repentè altum silentem, suauiterque quiscentem, donec manè ab vxore denuò excitaretur. Quàm primùm enim dormitum se recepit, in somnum solutus obticuit. Nullæ querelæ, nulli gemitus, suspiria nulla, soli ronchi audiebantur. Inuidit hanc quietem pauperi dives. Vt ergo eum sollicitudinum ac miseriarum suarum socium haberet, aliquando intempesta nocte, clam surrexit, ostiumque vicini, quod non erat multa diligentia clausum, furtim reserauit; atque marsupium nummis aureis turgidum, ponè ianuam è clauo suspendit, eoque relicto domum rediuit. Pauper prima die è lectulo exiliens, cùm ad fores aperiendas accessisset, crumenam reperit auro prægnantem; nescius quis ea nocte Nicolaus in domum suam venisset. Quid tunc illo homine lætius beatiusúe esse potuisset? Primum ergo habuit, vt laborem desineret, existimans indignum esse eo, sine necessitate sudare, quem Fortunæ riuus inauarasset. Deinde nullum ampliùs pedem domo extulit, metuens ne se absente aliquis domi thesaurum reperiret. Mox etiam animo angebatur, quòd nesciret, vndenam in suas ædes aurum esset illatum: ma-

V.

ximè verò, quia insidias metuebat. Itaque ne quis fur irrepens furripere crumenam posset, eam infra lecti sui stramen abstrusam sibi ipse subiecit. Enimverò, ne surgere cogeretur, ægrotare se finxit, elumbemque factum simulauit. Noctes igitur diesque vitello suo incubauit, quasi pullum excluſurus. Nesciebat vxor, ignorabat familia, quid misero accidisset. Et tristabantur ipsi quoque, quòd in homine alioqui tam læto insolitam viderent mœstitudinem. Ille autem totus erat in quærenda latebra, vbi tutò pecunia abscondi posset. Hæc illum cura coquebat, ista torquebat compluſculos dies cogitatio. Interea in singula inquirebat vicinus diues, qui etiam experiebatur, noctu nullos ampliùs audiri cantus, more consueto, neque inter laborem subitos iocantium risus tolli; denique perspicuè cernebat, omnes veteres Gratias lætitiasque è vicini sui domo emigrasse. Quamobrem, quasi ægrotum visitaturus, ad domum illius accessit. Obuiam prodijt vxor, accurrunt pueri, & alius hoc, alius illud narrat. Ille verò, nihil omnium est, inquit, quæ narratis; alia morbi causſa est. Ego noui incantationem, quare adsum, vt eum subitò curem. Dixit, & ad decumbentem introiuit, iussisque ceteris exesse, secretò illi in aurem hæc verba insusurrauit: *Redde mihi pecuniam meam, quam de tali accepisti loco, alioquin faciam te suspendi.* His auditis illico exilijt è lecto miser, cogitans periculosè ægrotare eum, cui morbus à lumbis ad collum ascendit: non voluit ergo medicum experiri, qui laqueum offerret, pro medicina. Mox itaque meliùs habere cœpit, postquam aurum reuomuit, quo grauabatur. Redijt quàm primùm amor laborandi; recuperata est animi serenitas; & nocte proxima denuò cœpit cantare, ac, sicut priùs solitus erat, cum pueris suis, ioculariter multa faciendo cachinnos mouere, de trisli diuite rursus hilaris pauper factus.

VI. His narratis, in hunc modum alloquitur inopes Bernardinus: *Vide ignorans pauper, quantam lætitiam habere potes, si patienter & jucundè tuleris paupertatem. Nesciunt pauperes, quot, & quantis anxietatibus & angustijs pleni sunt diuites huius mundi. Et licet, quandoq; aliquis mundanis diuitijs, delicijs, & magnificentijs ad libitum fruereturtamen breue est, quod delectat: aternum, quod cruciat. E contrà de paupere patiente.* Illi enim breue est, quod cruciat, æternum

num quod delectat. *De utroq; autem exemplum patet Luc. 16. cap. in diuite Epulone, & Lazaro paupere & patiente. De hoc enim quidã SS PP. ait: Nihil reperimus scriptum de Lazaro paupere, quòd aliquam virtutem fecerit, nisi quòd numquam aduersus diuitem murmurauit, qui nullam ei misericordiam impendebat; sed cum gratiarum actione sustinebat onus paupertatis à Domino sibi inflictum. De diuite verò dictum est: Homo quidam erat dives: in hoc diuitiæ. Qui induebatur purpura & byssо: in hoc magnificentia. Et epulabatur quotidie splendidè, & in hoc delicia demonstrantur. Ecce tria, in quibus consistit tota concupiscentia mundanorum. Hinc Abraham inquit: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc hic consolatur, tu verò cruciaris.* Talibus monitis excitati pauperes, qui ærumnam suam sponte non susceperunt, saltem æquanimiter ferre possunt. Stultus est, qui suam impatientiâ duplicat calamitatem. Sapientis est, ex necessitate facere virtutem; & malum, quod vitare non potest, fortiter tolerare.

Supereſt tertia, eaque regno cælorum digniſſima pauperum VII.
claſſis, quæ apud D. Bernardinum meritò primum locum obtinet, ſed à nobis huc dilata eſt, tamquam ſumma, perfectioque totius argumenti, quod deduximus. Eſt enim paupertas voluntaria. *Profectò non paupertas,* inquit S. Bernardinus, *ſed paupertatis amor virtus meretur dici. Voluntas enim ſicut radix eſt meriti, ſic & ſtabilem perſeuerantiam operatur. Quod neceſſitate fit, citò ſoluitur: quod voluntariè accipitur, perſeuerat. Proinde B. Franciſcus diuinitus inſpiratus in 6. cap. ſuæ regulæ de paupertate loquens ait: Cui, dilectiſſimi fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri IESV Chriſti ſub cælo in perpetuum habere velitis. Nec inquit, Nihil habeatis: ſed Nihil habere velitis, & ad nihil tranſitorium vitioſè afficiamini. Talis igitur voluntarius pauper nihil temporale ambit, aut diligit, nihil perdere metuit. Cur igitur non eſt beata voluntaria paupertas, cùm ipſa de cælo proueniat, ſit quædam natura libertas, viuendi, dormiendi, ſtandi, & prodeundi, & conuerſandi, ac quædam ſecuritas, & moriendi tranquillitas? Profectò perfectius eſt, omnia propter Chriſtum contemnere, quàm pauperibus diſtribuenda ſeruare. Expeditus viator citò peragit iter ſuum: Natator nudus liberiùs tranſit flumen. Hæc paupertas repellit æmulorum turbam: nec in manibus ſuſpectorum conſtitu-*

tus est pauper: omne ostium cum capit; & vbilibet potest reclinare cerui-cem: litigare non nouit: latronem non horrescit: in via per publicam & priuatam gradi potest: ciuitates habitare, & penetrare deserta: terre-num judicem adire non habet: aduocato in sua causa non indiget: libel-los recipere, aut porrigere, vel de calumnia iuramenta præstare non no-uit. Nam etsi auferatur tunica, dabit & pallium, vt rumor forinsecus non insurgat; & ne propter rem temporalem videatur odisse fratrem. Huiusmodi pauper nihil cum dolore animi perdit, quia nihil cum vitioso amore possedit: odium ad auferentem, ac tristitiam de amissis sustinere non potest; quia quod non diligebat, immo quod animo contemnebat, amisit: cum omnibus habet pacem, quietem in anima, gaudium in con-scientia: liber est in operibus suis, eius oratio non habet ad quod recurue-tur in terris: solicitudine nulla tenetur: non oneratur, vt libera volitet. Huiusmodi pauper omnia terrena cuiusuis possessionis existant, suo ven-dicauit in jure. Nam ab omnibus petere vitæ necessaria potest, qui nihil vendicat sibi de omnibus in proprium. Eius, qui nullam habet, omnis do-mus sua est, si capax extiterit, & omne superfluum est paupertis propriæ: non quidem jure legis scriptæ, sed creatæ naturæ. Potest enim exigere ab omnibus habentibus naturali jure, qui præter naturam nil nouit habere. Profectò Euangelica paupertas est propter Christum contemtus omnium terrenorum. Talis paupertas facit hominem dominum omnium contem-torum. Proinde 1. Cor. 3. Contemtor omnium Paulus in persona om-nium Apostolorum & Apostolicorum virorum, inquit: Omnia enim vestra sunt, &c. Qui igitur totum despicit mundum, totius mundi do-minus est, teste Domino, qui Deuter. 11. cap. ait: Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit. Pes siquidem in scripturis affectum signi-ficat. Calcare enim despicere est. Ille profectò totum mundum pedibus calcat, qui cuncta mundana contemnit. Vnde ex ore Domini omnium illorum Dominus factus est. Proinde 2. Cor. 6. Apost. ait: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.

VIII. Huc vsque S. Bernardinus conuenienter, non dictis tantùm, sed etiam factis Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ, primisque Christianis. *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pre-tia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Non solùm ob humilitatem, & reuerentiam erga Apostolos, quibus,

Act. 4. 34.

vt

vt vult Hugo, ea flexis genibus obtulerunt; verùm etiam vt ostenderent contemtum diuitiarum, quasi eæ non manibus tractandæ, sed pedibus calcandæ essent. Ita enim Arator loquitur:

Calcandumq́ docent, quod subdunt gressibus aurum,
De quo terrena veniunt ad pectora curæ.

Quamquam etiam ea re demonstrarunt, se non tam gratiam facere, quàm recipere ab Apostolis. *Maioris ducebant*, ait Chrysostomus, *quòd ab eis reciperentur, quàm quòd darentur dona. Hoc enim est potissimum contemnere opes, hoc est, pascere esurientem Christum, si absq; arrogantia & fastu id facias: sicq; des, quasi tibi ipsi plura, quàm danti beneficia dare videaris.* Das enim terram, recipis cælum, Codrus ad breue tempus, Crœsus æternùm futurus; immò Crœso incomparabiliter beatior. Finem enim æquè habuit Crœsi felicitas, ac Codri calamitas.

Notissimum enim est, quid de Crœso, in historijs memoretur, sed quia opulentos valde erudit, hîc mihi ex Herodoto recensendum est, vbi priùs paucis de Codro narrauero, quantam illic, desertis opibus, & abiecta regia purpura, Athenienſibus victoriam, sibi autem gloriam sit consecutus. *Erant inter Athenienses & Dorienses simultatem habentium veteres offensæ, quas vindicaturi bello Dorienses, de euentu prælij oracula consuluerunt: Responsum, superiores fore, si regem Athenienſium occidissent. Cùm ventum esset in bellum, militibus ante omnia custodia regis præcipitur. Athenienſibus eo tempore rex Codrus erat; qui & responso Dei, & præceptis hostium cognitis, permutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium, à milite, quem falce astu conuulnerauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienses sine prælio discedunt. Atq; ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriæ morti se offerentis, bello liberantur. Post Codrum nemo Athenis regnauit: quod memoria nominis eius tributum est.* Quare rex iste, è diuite pauper, & sibi immortale decus peperit, & patriæ suæ incolumitatem. Aptè hoc factum Christo pauperi, & crucem, velut sarmenta collo gerenti, ac pro salute humana morti se se offerenti accommodatur: sed etiam appositè comparatur ijs, qui sub schemate paupertatis multa patiuntur, atque ita multis alijs prosunt, oratione, patientia, exemplo, merito; sibi verò gloriam pariunt sempiternam. IX. Iustin. libi 2.

X.

Crœsus autem diuerso tramite ad exitium suum tetendit, luculenta sanè tragœdia ostendens, quàm non solùm illi Solon, sed
1. Tim. 6. 17. etiam nobis S. Paulus sapienter consuluerit, cùm scriberet: *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Ita igitur Herodotus loquitur de Solone, qui peregrè profectus in Ægyptum ad Hamasim se contulit, & Sardis
Herodot. Halicarn. lib. 1. ad Crœsum. *Eò cùm peruenisset, hospitaliter à Crœso exceptus est, tertioq;, aut quarto quàm venerat die, jussu Crœsi, ministri circumduxerunt hominem circa thesauros: omniaq;, quæ illic inerant magna atque beata, ostentarunt. Contemplatum eum cuncta, & vt sibi opportunum erat, intuitum, talibus percontatus est Crœsus: Hospes Athenienſis, quia multus ad nos rumor de te emanauit, ob tuam sapientiam tuamq; discursationem, qui philosophando permulta videndi gratia es peregrinatus, mihi nunc cupido incessit sciscitandi te, ecquem vidisti omnium beatissimum? sperans videlicet, se inter homines beatissimum esse, ita sciscitabatur. Solon nihil admodum assentatus, sed vt res erat respondens: Ego verò, inquit, rex vidi beatissimum Tellum Athenieuſem. Quod dictum admirans Crœsus, instat interrogare: Qua de re Tellum judicas esse beatissimum? Quòd, inquit, Tello in Repub. bene instituta filij erant honesti & boni, eorumq; singulis liberi, hiq; omnes superstites, & eùm hoc vita, quantum in nobis situm est, bene traduxisset, obitus splendidissimus obtigit. Siquidem prælio, quod Athenienses cum finitimis gessêre apud Eleusinem, hic cùm auxilio venisset, hostemq; in fugam vertisset, pulcherrimam oppetijt mortem. Quem Athenienses, quo loco occubuerat, in eo loco publicè humauerunt, magnificeq; honorarunt. Multa de Tello ac beata Solone referente, excitatus Crœsus interrogat. Quemnam secundum ab illo vidisset, putans haud dubiè secundas se partes esse laturum: Cleobin, inquit ille, & Bitonem: quippe his & genus Argiuum erat, & victus suppeditabat: ad hæc corpori robur tantum, vt & in certaminibus ambo pariter victores extiterint, & de his ista memorentur. Cùm diu festus Iunonis apud Argiuos esset, oporteretq; omnino matrem horum ad templum ferri bobus iunctis, hiq; boues ex agro eis ad horam præsto non essent: tunc iuuenes, exclusi tempore, iugum subeuntes plaustrum pertra-*

pertraxerunt, quo mater vehebatur, & quinque ac quadraginta per stadia trahentes ad templum peruenerunt. Quibus, cùm hæc fecissent, & ab omni cœtu conspecti fuissent, optimus obtigit vitæ exitus: per quæ Deus indicauit, satius homini esse mori, quàm viuere. Nam cùm circumstantes Argiui laudibus tollerent, viri quidem consilium filiorũ, famina verò eorum matrem, quòd tales filios haberet: mater gaudio perfusa cùm liberorum facto, tum forma, ante simulachrum stans precata est deam, vt Cleobi & Bitoni filijs suis daret id, quod optimum esset homini contingere. Post hanc precationem, vbi sacrificarunt, epulatiq; sunt, quiescentes in ipso delubro, non sunt amplius excitati, sed hoc vitæ exitu perfuncti. Quorum effigies, tamquam virorum, qui optimi extitissent, Argiui factas, apud Delphos collocarunt. Et his quidem Solon secundas beatitudinis partes tribuebat. Crœsus autem conturbatus inquit: Hospes Atheniensis, adeóne tibi quasi nulla contemnitur nostra felicitas, vt ne priuatis quidem viris nos æquiparandos ducas? Cui ille, Me, Crœse, gnarum, omne numen inuidum esse, & turbulentum, de rebus humanis interrogas. In diuturno enim tempore, multa videntur, quæ nemo velit videre: & tolerantur multa, quæ nolit quispiam tolerare. Proponamus enim homini terminum vitæ ad septuaginta annos, qui anni constant ex viginti quinq; millibus ac ducentis diebus, mense intercalari non posito. Quòd si velis reliquum annorum ob hunc mensem prolixius fieri, vt horæ ad id, quod deest, accedentes congruant, menses quidem intercalares supra annos septuaginta fient triginta quinq;, dies autem ex his mensibus mille quingenti. Horum dierum omnium, qui sunt in septuaginta annis numero viginti sex millia ducenti quinquaginta, nullus prorsus qualem alius rem affert. Ita igitur, Crœse, omnino calamitosus est homo. Verùm tu mihi videris & diuitijs valde pollere, & permultorum hominum esse rex; sed quod me interrogasti, nondum te appello, priùs quàm bene vitam defunctum te audiero. Neq; enim beatior est, qui magnis opibus præditus est, eo qui diurnum victum habet: nisi eidem omnibus bonis prædito, fortuna concesserit, bene vita defungi. Etenim complures homines sunt perquàm locupletes, minimè tamen beati: complures item mediocria habentes patrimonia, fortunati. Quorum is, qui diuitijs affluit, sed non beatus est, duabus tantummodo rebus antecellit fortunatum: at hic illum pluribus. Ille ad cupiditates implendas, & ad magnos casus ferendos potentior est: hic etsi illo inferior est in his duobus, quæ bene illi à

illi à fortuna denegantur, tamen excellit, quòd illorum inexpertus est, quòd prospera fruitur valetudine: quòd malorum expers, quòd bonorum liberorum parens, quòd formosus est. Qui si prater hæc diem quoq; suum rectè obierit, is est (quem quæris) dignus, qui vocetur beatus, priùs tamen, quàm ad obitum peruenerit, nequaquam beatus appellandus, sed fortunatus: quæ omnia consequi quàm diu sis homo, impossibile est. Sicut nec vna regio cuncta sibi ipsi suppeditat, sed aliud habens, alio indiget: quæ tamen habet plurima, ea est optima. Quemadmodum & hominis corpus vnum aliquod non est consummatum, quia aliud habet, alio vacat. Quisquis autem horum plurima perpetuò habuerit, dehinc placido animo è vita excesserit, hic apud me nomine hoc veluti rex donari meretur. Omnis rei oportet inspicere exitum, quò sit euasura: quoniam multos Deus, quibus fortunas suppeditauerat, radicitus euertit. Hæc Solon neq; assentando Crœso, neque vllius eum momenti faciendo locutus, dimittitur. Saneq; est visus esse indoctus, qui bonis præsentibus prætermissis, iuberet omnium rerum inspicere exitum.

XI. Ita ridentur à stultis sapientes. Ita cum Phrygibus sapiunt, quos Plutus excæcat. Sed serò tandem palinodiam cantant. Quod & Crœso accidit. Nam post abitum Solonis, inquit auctor, ingens deorum indignatio Crœsum excepit, id quod credibile est ei ideò accidisse, quoniam seipsum omnium hominum beatissimum arbitratus fuisset. Patuit enim tunc fortunam esse fugacem. Nam primò eum somnium exterruit. Dein filius in venatione aprorum, ab illo ipso occisus, cui in custodiam datus erat, contristauit. Tertiò oraculo malè intellecto deceptus est. Quartò infeliciter cum Cyro pugnauit. Quintò Sardis vrbs est expugnata. Sextò ipse Crœsus viuus captus. Itaque Persæ & Sardibus potiti sunt, & Crœso viuo, cùm regnasset annos quatuordecim, totidemq; dies fuisset obsessus, amisso magno imperio, vt ei fuerat responsum. Eum captum Persæ ad Cyrum perduxerunt, quem ille vinctum compedibus, super ingentem, quam struxerat, lignorum struem imponit, circaq; eum bis septem Lydorum filios, siue habens in animo primitias has alicui Deo offerre, siue volens votum persoluere, siue cupidus sciendi, num quis damonum liberaret Crœsum, quem religiosum esse audierat, quò minùs pyra impositus viuus concremaretur. Hæc quidem Cyrum fecisse aiunt. Crœso autem super pyram stanti, etsi in tanta calamitate posito, tamen venisse in mentem Solonis, quod

ali eo

ab eo sibi nutu Dei fuisset dictum, ex viuentibus beatum esse neminem. Quod dictum vbi subyt Crœso, ferunt eum ex vehementi defectione animi victum ingemiscentem ter Solonem nominasse; & Cyrum, cùm audisset, jußisse interpretes eum percontari. Quemnam inuocaret? illosq; accedentes fuisse percontatos, & hunc interrogatum silentium egisse. Deinde cùm loqui cogeretur, dixisse: Illum nominaui, qui vt omnes tyrannos alloqueretur, ego quam ingentem pecuniam, præoptarem. Eum non planè loquentem, rursus interrogat, quidnam esset, quod dixisset? Efflagitantibus atq; instantibus interrogatione, inquit, quemadmodum Solon, qui esset Athenienſis, ad ipsum a principio venisset, & intuitus omnes eius opes coram, pro nihilo duxisset. Adeò qua de ipso dixerat, ea omnia euenisse: neque hæc magis de seipso, quàm de omni hominum genere, & de his præsertim, qui sibi ipsis beati viderentur. Hæc Crœso referente, jam pyra incensa, ardere extrema cœpisse, & Cyrum auditis per interpretem, quæ Crœsus dixisset, pœnituisse: cùm se quoq; hominem esse cognosceret, qui alium hominem, qui inferior non fuisset opibus, vivum rogo traderet. Præterea veritum ob id pœnam, ac reputantem, nihil esse rebus humanis stabile, jußisse ignem celerrimè extingui jam incensum, Crœsumq; deponi, & quæ circa eum erant. Verùm eos, qui ignem jam conabantur extinguere, non ualuisse.

Huc vsque Crœsi, diuituméque omnium, qui in opibus beatitudinem suam constituunt, miseria. Nempe ita & ipsi loquentur, cum diuite epulone in inferno, & damnatorum flamma cruciati. Ibi frustra, quia serò, deplorabunt suam insaniam, cùm non iam Soloni, sed neque ipsi Christo crediderint, qui non dixit: *Beati diuites*, sed *Beati pauperes*, itemque: *Væ vobis diuitibus.* Sed hoc væ nondum credunt, quia nondum sentiunt, alioquin & ipsi sibi *facerent amicos de mammona iniquitatis.* Nam audi, quid de Crœso memoret Herodotus. Iusserat iam Cyrus rogum dirui, pyramq; extingui, sed indomitam. ait igitur, *ibi Crœsum, cognita per Lydos Cyri pœnitentia cùm cerneret vnumquemq; extinguendo denoluendoq; igni incumbentem nihil tamen profici, exclamando inuocasse Apollinem, vt ipsi adesset, si quod ab eo donum illi gratum fuisset oblatum, ipsumq; præsenti malo liberaret. Ita cum lachrymis Crœso deum innocante, nimbos repentè, cùm serenum ac tranquillum esset, confractos esse, imbresq; erupisse, ac vehementißima aqua pluisse, & rogum*

XII.

Matth. 5. 3.
Luc. 6. 24.
Luc. 16. 9.

extinxisse: Non disputo cuius hoc ope acciderit. Illud hinc diuiti suadeo: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et iterum, ô diuites, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in eterna tabernacula.* Nam, vt S. Gregorius Nazianzenus loquitur: *Nullus cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia erga pauperes. Nam primò, Deus vult quosdam esse pauperes, vt nos infirmitatis nostræ submoneant. Secundò pauperes iuuandi sunt: quia fratres nostri sunt, tum natura; tum imaginis Dei in Christo renouatæ; tum fidei, spei, dilectionis, & adoptionis diuinæ, tum vitæ beatæ respectu. Tertiò, quia ad Christum communem fratrem aspiramus. Quartò, quia cùm nihil sit stabile in præsenti, de opibus per pauperes in tuto collocandis est cogitandum. Quintò, ob infinita huius rei commoda, quæ ad triarenocari possunt, scilicet ex malis præseruatio, salutis certitudo, præmiorum maxima fiducia. Sextò quia Deus, qui innumera nobis contulit beneficia, iubet, vt pauca fratribus largiamur. Septimò, nihil tam Dei proprium, quam misericordia & beneficentia, ille autem nobis imitandus est. Octauò, pauperes sub speciali cura & prouidentia latent, teste Scriptura. Nonò, quia in die judicij electi ob eleemosynas factas cæli, reprobi ob eas neglectas inferno adiudicabuntur.*

Dan. 4. 24. Luc. 16. 9.

S. Gregorius Naz. orat. 16. de pauperum amore.

CAPVT XVIII.

Quid sit Honor, Laus, Gloria? quantum bonum? & æquè istud bonum improbis ac probis contingere.

I. Aristot. lib. 4. Ethic. c. 3.

INter externa atque fortuita hominis bona, *honor est maximus*, vt Philosophus testatur. Quod bonum etiam ex diuitijs sæpe consurgit, quemadmodum contemptus ex paupertate. Non tamen est ille nexus ita necessarius, vt non aliquando & opes dedecori sint, & paupertas honoretur. Quamuis vtrumque, & gloria scilicet, & ignominia alijs quoque varijs ex rebus oriatur. *Honor* quippe ex mente Aristotelis propriè *est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis*, quæ multiplex esse consueuit; seu potiùs si secundùm vulgi judicium, & latiùs loquamur, *est testificatio de excellentia alicuius*, siue is excellat virtute, cui honor præcipuè debetur; siue sanguine, siue opibus, siue indole, siue scientijs & arte, siue officijs, & dignitate, aut alijs titulis, qui

Idem 1. Ethic. cap. 5.

S. Thom 2. 2. q. 103. a. 1. in corp.

significant

significant domi belliué, corpore vel mente excellentem. Quamquam enim nihil magis honore dignum est, quàm vera virtus, qua sola homines *absolutè* boni sunt excelluntque, sunt tamen & alia, quibus *secundùm quid* excellunt, & ob quæ honorantur, vt genus, & potentia, & scientia, & quæ modò memoraui; quia & illis mortales excellunt, & de illis amant æstimari; quantumuis sæpe etiam falsa sint, & eorum laudes prorsus repudiandæ. *Tanta mentis in Deum debet esse suspensio*, ait S. Augustinus, *vt, si non meritò laudemur, corrigamus eos, quos possumus: ne arbitrentur, aut in nobis esse, quod non est; aut nostrum esse, quod Dei est; aut ea laudent, qua quamuis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, qua vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus.* Nos vniuersim loquemur, de ijs rebus, quibus homines excellunt, & ob quas nomen suum fieri honorificum gaudent. Nam & profanarum artium magistri, & opum amatores celebres volunt haberi: & paucæ sunt feminæ, quæ quantumuis deformes, tamen gloriam non captent, ex venustate, qua sese præditas arbitrantur. Subscribit nobis S. Thomas, cuius hæc sunt: *Nomen gloriæ propriè importat manifestationem alicuius de hoc, quod apud homines decorum videtur, siue illud sit bonum corporale aliquod, siue spirituale.* Itaque dum cupiunt homines honorari, testimonium suæ excellentiæ quærunt; quod vt reddatur coram Deo, qui inspector est cordium, sufficit esse testimonium conscientiæ: nequaquam autem sufficit, vt coram hominibus contingat. Vt enim homines illud intelligant, necesse est, testimonium per quædam signa externa declarari, verborum scilicet, vel factorum. Honorat enim alterum, qui eum laudat, hoc est, qui excellentiam eius ore, vel calamo explicat; itemque, qui facto, vt pilei depositione, capitis inclinatione, inflexione genuum, imaginis aut statuæ erectione, trophæis, arcu triumphali, aris, statuis, obsequijs, *accubitu*, aut sede primoué loco, vel etiam donis ac muneribus, & officijs, obuiatione, hospitij oblatione, aut alio quocumque signo externo eum à se existimari, testificatur. Est igitur *existimatio* radix honoris, quæ si coram hominibus, per externa signa, declaretur, Honor solet appellari. Idcirco enim alterum vel verbis laudamus, vel alijs signis exterioribus ornamus,

S. Augustin. ep. 64.

S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 1.

Luc. 14. 7.

honoramusue, quia testari volumus, bonam esse apud nos de eo opinionem. Ex quorum vtroque, verborum scilicet & rerum honore, tamqum effectus laudis atque honoris, *Gloria* existit. Ideò siquidem, quia alterius bonitati testimonium præbemus, clarescit bonitas illius in notitia plurimorum; atqui, vt D. Augustinus alijque docent, *Gloria, est clara cum laude notitia*, addit enim honori, velut lumen coloribus, claritatem.

S. Augustin. lib. 83. q. 33.

II. Hoc bonum autem, quamuis in existimatione ac judicio dumtaxat, quod quis de alio apud se concipit, conceptumq; quacumque testificatione euulgat, soleat consistere, adeoque quamuis & hominum erroribus, & fortunæ casibus subiectum sit, maximi tamen fieri, quotidie experimur, & opibus longè anteferri. *Melius est nomen bonum*, ait Salomon, *quàm diuitiæ multæ: super argentum & aurum gratia bona.* Itemque: *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* Latiùs enim suauiusque se se boni nominis, quàm opobalsami odor diffundit: neque potest cum eius pretio opopanax comparari. Tanti, in diuinis litteris, fit *Honor.* Perinde enim est, siue *bonum nomen*, siue *bonam famam*, siue *bonam existimationem*, siue *laudem*, siue *decus*, siue *honorem*, siue etiam *gloriam* appelles. Sæpe enim ista promiscuè vsurpantur. Quamuis autem hæc omnia sint extra nos, pertinent tamen ad nos, & sunt de nobis; cùm honor, qui est in honorante, non sit, dicaturue esse honorantis, sed honorati. Quemadmodum igitur virtus, aut alia quæcumque interna excellentia, est bonum, de quo gaudemus; ita & honor, qui est testimonium illius boni, est bonum, quo proniſſimè afficimur & delectamur. Voluit nimirum & hac homines illecebra trahere Deus ad virtutem amplectendam; vt, si honor illis placeret, ad illam accederent, cuius præmiũ est honor, & gloria, quæ vt Poëta loquitur, *immensum calcar habet.* Quod etiam Romani indicauerunt, apud quos, non nisi per ædem *Virtutis* ad ædem *Honoris* poterat peruenirj. Quoniam autem debitum est bono & pulchro, vt manifestetur, juxta illud: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt*, Deique summa est bonitas, excellentia & pulchritudo, idcirco Deo summus honor, summa laus, summa gloria debetur. Quo sensu Apostolus scripsit: *Regi sæculo-*

Prou. 22. 1. Eccl. 7. 2. Plin. lib. 20. cap. 24.

P. Victor. lib de region. vrb. Rom. Vide Panormit. l. 1. de reb. gest. Alfonsi

Matth. 5. 14.

1. Tim. 1. 17.

sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum Amen. *Soli Deo,* quia vnus & solus est Deus, & solus per se, ac suam essentiam sapiens, *bonus, laudabilis, &c.* à quo tamquam fonte sapientia in omnes & Angelos, & homines, & reliqua creata bona deriuantur. Quare, etsi soli Deo honor & gloria diuina, ac latriæ cultus, non autem dijs gentium, non idolis, non vllis Angelis aut hominibus (præter Christum Deum & hominem) debeatur; tamen alius inferior honor Angelis, & hominibus & ceteris creaturis non negatur, immo debetur, vt infrà ostendam. Prout autem maior est in ceteras res bonitas à Deo sanctitasque, aut excellentia deriuata, maioribus dignæ honoribus esse judicantur. Quemadmodum ergo Christus diuino cultu latriæ à nobis honorandus est, *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter;* vnde vox Angelorum, *& animalium, & seniorum* fuit: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem;* ita Christi Mater, ob altissimæ dignitatis suæ excellentiam, *hyperdulia;* alij autem Sancti *dulia* solent honorari. Et mortales quoque in terris, tantò quique maiore sunt amplioreq; honore digni, quantò maior in illis virtus, vel scientia, vel potestas, vel alterius cuiusque rei laudabilis excellentia agnoscitur.

Luc. 18. 19.

Coloss. 2. 9.

Apoc. 5. 12.

Est auro maius pretium; debentur honores
Maiores semper maioribus.

III.

Vt autem ea, quæ de summa honoris pretiositate disputat Chassan. p. 1. catal. consid. 2. non persequar, certè honorem inter res humanas maximum quid esse oportet, cùm bonis, in virtutis præmium, quod vtique maximum esse conuenit, exhibeatur. Hinc *honor & gloria suapte natura grata iucundaq; sunt, & ad vtilitatem quoque maximè valent,* vt ait Aristoteles. Verùm, vt Sallustius animaduertit, *gloriam & honorem, & imperium bonus & ignauus aquè sibi exoptant. Si bonus, vera via nititur; sed ignauus, quia bona artes desunt, dolis atque fallacijs contendit.* Et vtrique sæpe, quod exoptant, assequuntur, Hinc querelæ: hinc variæ in mentibus hominum existunt turbationes. Sæpe enim, vt D. Augustinus ait, *dilectionem honor sequitur, & honor maximus inuidiam suscitat,* vt apparuit in Daniele, quem rex Darius Astyagis filius honore, ceteri

Aristot. lib. 1. Rhetor. c. 6. Sallust. in Catilin.

S. Augustin. lib. 2. de mirabil. S. Scripturæ. c. 32.

ceteri autem Medorum & Persarum Principes odio atque inuidia sunt prosecuti. Sæpe videntur honorari, qui non videntur honore digni; sæpe, qui palam mali sunt, gloria abundant: vt enim illorum virtus in occulto est; ita istorum vitia in oculos omnium incurrunt. Quamobrem sunt, qui æquè mirentur illos, atque istos honoribus cumulari, cùm perinde illorum dignitas nesciatur, ac constet de horum indignitate. Antisthenes interrogatus,

Laërt. lib. 6. *Quæ res portenderet ciuitatibus exitium? Quando in his,* inquiebat, *nullum esse potest bonorum ac malorum discrimen. Sentiens eam Remp. non posse consistere, vbi nec esset honos virtuti, nec pœna sceleribus.* Quo modo ergo Mundi totius Respublica consistit, in qua improbi pariter ac probi honores, vel ignominias reportant? Si ob denarium

Matth. 20. 12. murmurarunt illi dicentes: *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus;* an non potiorem habent caussam expostulandi, qui vident, honorē malos non minùs ac bonos adipisci? Cur ista permittit mundi Gubernator? quid simius in purpura, rex in centone incedit? An non Anaximenes dicere solebat: *Qui rectè facta dictaq́, nullo neque præconio, neque honore dignantur, quem oro fructum ipsi ex suis benefactis sperare audebunt?* Et Cato, qui virtutem honore suo fraudarent, eos

Plutarch. in Apoph. dicebat, ipsam virtutem à iuuentute auferre. Quare ergo *via impiorum prosperatur?* & toties indignus ampliſſimis honoribus extollitur, dignus de gradu suo deijcitur, vel indignus esse judicatur? Ita *dum superbit impius, incenditur pauper. Quoniam laudatur*

Psalm. 9. 3. Psalm. 10. 4. *peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Iustus autem quid fecit?* His talibus querelis antè, quàm ordine occurram, dispiciendum est, num, & quomodo Honor appeti possit? Si enim eum appetere non licet, quo modo fas est, de eo cum Numine expostulare? Cùm dissonum sit, *bonus cantor, bonus cupediarius;* quàm erit absurdum, si quis *malus cantor, & bonus cupediarius* dici audiatur?

CAPVT

CAPVT XIX.

An, & quo modo vel fas, vel vanum sit, Honorem gloriámue appetere?

QVid querantur homines, si vel amittant honorem, vel numquam adipiscantur, quando etiam Ethnici phaleras istas & bullatas nugas contempserunt? Christiani autem quidam, *magni nominis vmbram*, & populi existimationem, non solùm nihili fecerunt, sed etiam honores & gloriam non sine labe appeti posse sunt arbitrati? Et quidem de Christianis innumera sunt exempla, quorum nonnulla nos inferiùs sumus allaturi. De Ethnicis hæc memorat Plutarchus. Agesilaus, cùm ei nationes, quæ id temporis Græciam incolebant, decreuissent, in clarissimis quibusque ciuitatibus, honoris caussa, statuas erigi, rescripsit illis hunc in modum: *Mei nulla sit imago, neque picta, neque ficta, neque vllo alio artificio parata. At Principum vulgus*, ait Plutarchus, *hoc honoris genere se Dijs æquiparari credebat, summumq; rerum bene gestarum præmium arbitrabatur. Agesilaus ipso honestio contentus, negligebat eiusmodi adulationes, malens insculpi prudentium ac bonorum hominum pectoribus, quàm in foro æreus aureusue stare. Eximiam virtutem sponte suum consequitur decus. Nec vlla speciosior statua, quàm honorifica bene acta vita memoria* Quare idem rex Agesilaus, cùm moraretur in portu, qui Menelai dicitur, mandauit ijs, qui aderant, ne quam statuam aut imaginem in suum honorem erigerent: *Si quod* inquiebat, *præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei: sin minùs, ne omnes quidem statuæ, cùm sint vilium ac nullius rei opificum opera.* Ita sensit Ethnicus, ob contemptum honoris, quàm alij ob cupiditatem, magis laudatus; eoque prudentior, quia iudicia, quàm testimonia hominum pluris fecit, cùm hæc sæpius soleant mentiri, quàm illa errare; qua mente oportet esse Christianum? I. Plutarch. in Apoph. Lacon.

Ipse profectò Christus Scribarum & Pharisæorum ambitionem reprehendens ait: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua; & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem* II. Matth. 23. 5.

tem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. Quòd si in *phylacteriis* non licet gloriam captare, quantò minùs in rebus profanis? *Phylacteria* enim, id est, *conseruatoria*, erant membranulæ, in quibus legis præcepta scripta fuêre, eas Scribæ & Pharisæi circum caput, & circum brachia gestabant, vt perpetuò legem Dei ante oculos haberent, quod D. Hieronymus scribit, etiam suo tempore, ab Indis, Persis & Babylonijs fuisse factitatum. *Dilatabant* ergo *phylacteria*, vt ijs plura legis præcepta inscribi possent. Sed quia id faciebant, vt longiùs conspicerentur, & ipsi legem diligentiùs, quàm ceteri Iudæi seruare viderentur, dilatatio illa erat reprehensione digna; sicut &, quòd *magnificarent*, seu maiores facerent *fimbrias*, eamdem ob caussam. *Fimbriæ* enim fuerant fila quædam non texta, quæ ex infima orâ vestis dependebant hyacinthino colore. S. Hieronymus tradit, eos fimbrias has solitos acutissimis spinis inserere, quibus & cùm ambularent, & cùm sederent compungerentur, eoque dolore diuinam legem in mentem reuocarent. Quæ res etsi alioqui non mala, mala tamen fiebat, ob inordinatum laudis appetitum. Mendacij quoddam genus est, meliorem velle videri, quàm esse; bonaque laudis caussa facere, argumentum vanitatis.

Deuter. 6. 8. Num. 15. 38. Deut. 22. 12.

III.

Magistros quoq; aut *Rabbi* non vetat absolutè vocari Seruator (cùm ipse ad Nicodemum dixerit: *Tu es Magister in Israël*) sed comparatè ad Deum & Pharisæos, de quibus loquitur. Ad Deum, vt comparatione illius neminem putemus, neque *patrem*, neque *magistrum* esse posse, & ne istos honoris, & amoris titulos illius honori amorique præferamus. Ad Pharisæos autem, ne eo modo, quo illi, id est, ambitiosè, glorioseque aut *præceptores*, aut *patres* appellemur, aliosque appellemus, vt illi appellabant, qui dicebant: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo*, vt suo quisque magistro gloriaretur: nec dubium est, quin *patrum*, & *magistrorum*, & alios honoris titulos vel dare, vel accipere hominibus fas sit, quin etiam certis de caussis appetere; sed certo modo. Sanè, si Aristoteli aliquid damus, Magnanimitas virtus est, quæ omnium virtutum opera ita exequi studet, vt præbeat magni honoris fundamentum: licet non vt directè feratur in ipsum honorem, saltem à funda-

Ioan. 3. 10. Ita Maldonat. loc. cit.

1. Cor. 3. 4.

Aristot. 4. Ethic. 3.

fundamento, & radice sua seorsim sumptũ; quia id humilitas non patitur, Philosophis Ethnicorum vel omnino ignorata, vel non nisi per nebulam & obscurè cognita: quamuis, si examinatiùs discutere velimus, re ipsa eadem sit *Humilitatis & Magnanimitatis* virtus. Humilitatem tamen S. Augustinus Ethnicis omnino incognitam fuisse arbitratur. Ita enim scribit: *Hæc aqua humiliationis cordis, aqua vita salutaris, abijcientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbè tribuentis. Hæc aqua in nullis alienigenarum libris est. Non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platonicis. Vbicumque etiam inueniuntur optima præcepta morum & disciplinæ, humilitas tamen ista non inuenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat. A Christo venit. Hæc via ab illo est, qui cùm esset altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit humiliando se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis? &c.*

S Augustin. in Psal. 31. ad illud. Verumtamen in diluuio, &c.

IV.

Quidquid igitur sit de Ethnicis, saltem Christiana humilitas docet, honorum vanitatem non esse ambiendam: immo idem docet Magnanimitas Ethnicorum, quæ ex plurimorum Theologorum sententia, vna eademque virtus est cum Humilitate. Siquidem Aristoteles magnanimitati tribuit, tenere medium in appetitione dignitatum & honorum; ac magnanimo opponit, pusillanimum, qui honorem debitum negligit, & eum qui indebita capessit, quæ sunt vitia humilitati opposita. Quin & S. Thomas ambitionem & inanem gloriam, quæ vtique Humilitati opponuntur, tamquam vitia per excessum pugnantia, opponit Magnanimitati. Cùm ergo idem sit Magnamitatis, & Humilitatis medium, eædemque vtriusque functiones, sequitur eamdem esse, sub duplici nomine virtutem, quæ doceat, quo pacto honores fugiendi sint, vel appetendi. Audi Isidorum Pelusiotam: *Ego*, ait, *etsi mirum esse videatur, quod dicturus sum, tamen μεγαλοφροσυνην* (hoc est, animi magnitudinem) *πῶ μετὰ λόγε φρόνησιν* (*id est, animi affectum, cum ratione coniunctum*) *esse statuo. Neque enim si quis ab assentatione abhorreat, hunc inter arrogantes numerare oportet. Nec rursum, si quis adulator & sordidus atque ignauus sit, modestum hunc existimare, conuenit. Verùm eum demum, qui cùm ea, quæ consentanea sunt, facit, tamen aduersus alios minimè inflatur, nec se omnibus anteponit, verùm eo gradu & ordine, qui ingenuos viros decet,*

Vasq. 1. part. disp. 235. c. 4. Theophyl. Raynaud. lib. 6. de virtutib. & vitijs sect. 2. c. 16. licet. contrarium sentiat Cajet. 2. 2. q. 161. a. 1. Less. l. 4. de Virtut. c. 4. n. 50. S. Thom 2. 2. q. 131 & 232. Isidor. Pelus. lib. 3. ep. 264.

se ipsum continet. Magnanimum enim esse oportet, non superbum & arrogantem: fortem, non temerarium: suauem ac facilem, non abiectum & seruilem: modestum, non humilitatis simulatorem: ingenuum & liberalem, non seruilem. Cuiusmodi videlicet Abraham erat, qui Persicas quidem manubias, & barbarica spolia contemnebat: in excipiendis autem hospitibus, quibusuis hominibus humiliorem se prabebat, seruilia nimirum munera exequens: atque cùm ad diuinum colloquium admitteretur, dicebat: Ego sum terra & cinis. Hoc autem verè modestiam & humilitatem, ac sublimitatem in vnum colligere est. Hoc inquam est, ingenuitatem à superbia puram ac liberam demonstrat. His Peluſiota oſtendit, idem eſſe Humilitatem & Magnanimitatem, quarum vtraque moderatur Honoris appetitum, qui non ſemper nullus eſſe debet; ne tamen extra viam excurrat, lupatis eſt temperandus. Alij enim frænis, alij calcaribus egent.

V. Magnanimus igitur circa magna verſatur, ſed in ea dumtaxat magna fertur, quæ digna ſe, ſibique ſecundùm rectam rationem conſentanea agnoſcit, nihil remittens, vel excedens. Quia verò inter res humanas maximum quid eſt honor, fit vt magnanimus præcipuè circa honores & ignominias verſetur, vt oportet; ſiue ſecundùm rectæ rationis legem, ne aut nimia ſit honoris appetitio, aut ignominiæ declinatio non ſatis ſolicita. Quamuis autem magnanimus primariò verſetur circa honorem, ſecundariò tamen etiam ſe occupat circa diuitias, potentiam, & cetera omnia, ex quibus honor obtinetur, ſemper ſpectans eam honeſtatem vt ſibi propriam, quæ magnis illis operationibus ſuperſtrui poteſt, nimirum honoris ex recto opere conuenientis dignitatem. Cùm enim honor ſit virtutis præmium & teſtimonium, fit vt congruè quidem etiam alijs rebus, attamen condignè non niſi virtuti rependatur. Hinc magnanimus propriè directeque non appetit honorem, ſed honoris dignitatem, & fundamentum, quemadmodum in regis Menelai facta ſua, aut certè interna hominum judicia, quàm externa teſtimonia, & opificum ſtatuas, magis æſtimantis exemplo vidimus. Hoc fundamentum, quod deſtinat magnanimitas, quia ſolet eſſe arduum & difficile, etiam non ſine fortitudine intenditur: non tamen eadem eſt fortitudinis & magnanimitatis honeſtas. Aliud enim eſt, operari, quia decet hominem

Argentina in 2. diſt. 42. q. vnic. art. 4.

nem non auerti à bono ob adiunctam difficultatem, quod est motiuum fortitudinis; aliud operari, quia hoc est fundamentum magni honoris debiti, quod est motiuum magnanimitatis. Hinc deducit Aristoteles, magnanimum, magnos honores, si exhibeantur, tamquam sibi accommodatos admittere, deque eis cum mediocritate gaudere: quin, etiamsi non adæquent eius meritum, si tamen à viris probis deferantur, eos non dedignari; sicut dedignatur honores à vulgo & fæce hominum, vel ob res nihili, exhibitos: quemadmodum inhonorationem quoque etsi ea se indignum agnoscit, quia est recto animo, despicit prorsus, si à vili homine, aut terræ filio, vel ob rem nullius momenti inferatur. Est enim hoc aliud nihil, quàm si musca mordeat leonem, aut auicula grauet elephantem.

VI.

Viues lib. de corruptis disciplinis. Medin. lib. 2. parænet. c. 3. S. Augustin. lib. 83. qq. cap. 36.

Hanc Aristotelis de magnanimitate doctrinam Viues & Michaël Medina, tamquam Euangelio & virtutis naturæ repugnantem carpunt. Et videtur ijs suffragari D. Augustinus his verbis: *Vbi fuerint carnalium voluptatum illecebræ superatæ, cauendum est, ne subrepat atque succedat cupiditas placendi hominibus, aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam siue patientiam: aut per aliquam largitionem, aut nomine scientiæ vel eloquentiæ. In eo genere est & cupiditas honoris, contra quæ omnia proferantur ea, quæ scriptæ sunt de laude charitatis, & de inanitate iactantiæ: doceaturq;, quàm sit pudendum eis placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt, & nihil magnum est à malis laudari: aut boni sunt, & eos oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt: virtus autem non appetit, quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem; qui malos, non dignus est laude.* Hæc Augustinus verè, sed ea, vt videbimus, neque nobis, neque Aristoteli aduersantur. Neque enim semper genius Magnanimi, quo plerique abutuntur, pro Aristotelica magnanimitatis natura accipiendus est, cùm facilè transeat in genium superbi, & fumo, vt dici solet, flamma proxima sit.

VII.

Vt ergo neque magnanimitatis virtutem exscindamus, & quo modo Honor & Gloria appeti possit, vel non possit, perspicuè ostendamus, illud discrimen tenendum est, quatuor modis appeti posse honorem. 1. Nudè, & absolutè, vt ordo ad conue-

nientia, id est honesta parandæ gloriæ media neque includatur, neque excludatur. 2. Vt ordo ille excludatur, vel in totum, vel ex parte, honorque indebitus, hoc est, vel sine meritis, vel sine tantis meritis appetatur. 3. Vt primariò gloria desideretur, quæ virtuti debita, eiusque iustum stipendium est, adeoque vt media quidem honesta non excludantur, sed præpostero ordine ad vanos honores laudesque humanas, tamquam ad finem, referantur. 4. Vt & ordo ille ad actus honestos includatur, & honor, qui exp petitur, ad diuinam gloriam, ad nostrum, vel alienum commodum, vel alium bonum finem extrinsecum referatur. Si primo modo honor, media scilicet bona neque includendo, neque excludendo, sed præcisè appetatur, appetitus ille est indifferens ex obiecto suo. Quid enim vel peccati, vel virtuti sit in alieni de nobis boni & honorifici judicij appetitu? *Appetitus gloriæ de se nom-*

S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 3. in corp. *nominat aliquid vitiosum*, ait S. Thomas. Quod si verò secundò modo, ordine ad honesta media excluso, in honorem feramur, inanis est illa, & mendax cupiditas atque vitiosa. Quis enim non videat, eum peccare, qui medijs ex parte exclusis, sibi plus honoris postulet, quàm exigant eius merita? Et longè magis illum, qui honorem appetat absque vllis prorsus meritis, adeoque illis penitus exclusis? Hinc Alexander Magnus præcipitem in Hydaspem amnem deturbare Aristobulum voluit, quòd falsas ipsius laudes recitasset: ademptum profectò ei librum in amnem demersit. Adeò vel Ethnici oderunt honores vanitate nitentes. Et vel apud Poëtam non nemo ait: *Haud equidem tali me dignor honore.* Apud Herodianum, Pertinax Rom. Imperator, cùm possessionibus imperatorijs nomen suum inscribi prohibuisset, dicere solebat, illas nequaquam imperantium proprias, sed communes Romanorum, & publicas esse, existimans vanè putari, quod falsò putatur. Sin tertio modo, eo tantùm, vel potissimùm, fine opus honestum fiat, vt honor humanus habeatur, itidem desiderium eius est vitiosum; quia virtutis honestas est ordinis altioris, quàm honor, qui est iusta quidē sed inadæquata merces, & velut connaturale dumtaxat accessorium honestatis. Vnde fit, vt præposterè honestas ad honorem, & virtus eiusque opera ad famam, tamquam ad finem suum referantur. *Vehemens*, inquit Simplicius,

Plutarch. in Alexand. Fulgos. lib. 8. cap. 15.

Virgil. lib. 1. Æneid.

Simplic. ad

gloriæ

gloriæ affectus est, & ipsi inhærens animo atque affixus, & à seipso euerti solitus. Putamus enim nos non appetere gloriam, cùm eam hoc affectu appetamus: nec animaduertimus, turpem esse morbum animi, ob res bonas velle florere gloria. Nec enim consideramus eo affectu inquinari bonum, nec bonum manere aut posse, aut inprimis expetendum, si non per sese, sed ob consequentem gloriolam amplectamur. Nam bono etiam nostro, finis gloriola proponitur, ad quam consequendam necessariò fortassis adhibetur (si ita ceciderit) justitia. Ex iustitia enim honor virtuti debetur, qui etsi appeti possit, non tamen est, tamquam finis actionum nostrarum appetendus. Cuius rei caussam hanc affert Lactantius: *quia non est in nostra potestate, vt virtus pro suis meritis honestetur. Nam quid est honestas* (non jam virtutis, sed honoris) *nisi honor perpetuus, ad aliquem secundo populi rumore delatus? Quid ergo fiet, si, errore ac prauitate hominum, mala existimatio subsequatur? abijciemusne virtutẽ, quia flagitiosa, & turpis ab insipientibus judicetur? Quæ quoniam inuidia premi ac vexari potest; vt sit ipsum proprium, ac perpetuum bonum, nullo extrinseco adiumento indigere debet, quin suis per se viribus nitatur, & constet. Itaque nec vllum ei ab homine bonum sperandum est, nec vllum malum recusandum.* Ob hanc quoque rationem non solùm S. Augustinus, sed etiam Seneca inuehitur in Epicureos, qui voluptatem, quæ physicè est per se expetibilis, etiam moraliter finem virtutis constituerunt. Etsi enim moderata & honesta voluptas, per omnes sensus, in ordine ad bonum finem, vt ad conseruandam vel recuperandam sanitatem, admitti possit, non tamen ipsa, vt finis, admitti potest, licet in omnibus sensibus, vt tamquam finis quæratur, insidiosissimè blandiatur. Bestiarum iste, non hominum finis est; illæ omnia appetunt ad voluptatem; quia id eas natura docet per se quærere, quod sensus per se quærit; non quod ratio. Ait ergo D. Augustinus idem facere eos, qui honesta opera ad gloriam, tamquam finem referunt. Quæ Augustini censura vsque adeò vera est, vt eam etiam Persius in Satyra sua non dissimulârit. Ita enim ille:

cap 48 Enchir. Epict.

Lactant. Firmian. lib. 3. diuin Instit. c. 8.

S. Augustin. lib. 5. de ciuit. cap. 20. & epist. 56 Senec. lib. 4. de benef. c. 2.

Non ego cùm scribo, si fortè quid aptius exit,
Quamquam hac rara auis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam. Neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemq́, extremumq́, esse recuso
Euge tuum & bellè,

Persius Satyr. 1.

Matth. 6. 1. Atque hoc est, quod virtutum summus Magister docet, cùm ait: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioqui mercedem non habebitis, apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Et, cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: &* Ibid. v. 16. *pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ac rursus: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem, cùm ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito; Et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hoc ipso

S. Augustin. lib. 83. qq. q. 36. sensu D. Augustinus suprà à nobis citatus ait: *Cavendum est, ne subrepat cupiditas placendi hominibus, aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam, ut olim fortasse Lucretia, sive patientiam,* vt Mutius Scævola, *aut per aliquam largitionem,* vt Gallienus Imp. Valeriani filius, qui nihil vmquam cuiquam petenti denegauit: *aut nomine scientiæ vel eloquentiæ,* vt plurimi, prô dolor, Doctores, & Concionatores. Pauci enim hunc scopulum animaduertunt. Plurimi operum suorum finem vltimum statuunt laudes humanas, & nominis sui celebritatem, de quibus diuinus Iudex dicit: *Receperunt mercedem suam;* hoc est, veram æternamque gloriam in vanam & perituram gloriam mutauerunt. *Sustineamus*

Lactant. lib. 6. Instit. c. 18. *inuicem, & labores huius vitæ mutuis adiumentis perferamus,* ait Lactantius, *nec tamen si quid boni operis fecerimus, gloriam captemus ex eo. Monet enim Deus, operatorem iustitiæ non oportere esse iactantem; ne non tam mandatis cælestibus obsequendi, quàm studio placendi, humanitatis officio functus esse videatur, habeatq; jam pretium gloriæ quod captauit, nec præmium cælestis illius ac diuinæ mercedis accipiat.*

VIII. In eumdem sensum multa differit D. Hieronymus, sed grauissimè

uissimè idem Hiponensis Antistes, dum laudis humanæ cupiditatem, meram vanitatem esse demonstrat. *Magni interest*, inquit, *cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est: vt scilicet non tantùm si bonum est, quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur, quare faciamus, quod facimus, auerti poscit (Psalmista) ne videant vanitatem: id est, ne hanc attendat, propter quam faciat, cùm boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multi magna fecerunt, qui magni in hoc seculo nominati sunt, multumq; laudati in ciuitatibus gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudentes, fortiter, temperanter, iustèq; viuentes, ad quam peruenientes perceperunt mercedem suam, vani vanam. Ab hac vanitate volens Dominus auertere oculos suorum: Attendite, inquit, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Deinde cùm ipsius iustitiæ quasdam partes exequeretur, præcipiens de eleemosynis, de orationibus, de ieiunys, vbique id admonuit, ne aliquid eorum propter gloriam hominum fiat, & vbiq; dicit, eos, qui propterea faciunt, percepisse mercedem suam: id est, non æternam, quæ Sanctis reposita est apud Patrem, sed temporalem, quam quærunt, qui contemplantur in suis operibus vanitatem. Non quia ipsa laus humana culpanda sit (nam quid tam optandum est hominibus, quàm vt eis placeant, quæ debent imitari?) sed propter ipsam laudem bene operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri.* Adstipulatur D. Thomas his verbis: *Illi, qui solùm propter honorem, vel bona faciunt, vel mala vitant, non sunt virtuosi.* Et Philosophus docet, *non esse verè fortes, qui propter honorem fortia faciunt.* Neque enim virtus, sed ambitio est, propter humanum honorem aliquid facere. Sic innumerabilis hominum multitudo perit in sua vanitate, dum non solùm nobilitatem, indolem, ingenium, vires animi & corporis, artesque & industrias suas, opesque omnes, & scientiam, & militiam, & quidquid denique apud profanos eminet, vel excellit, sed ipsas etiam virtutes & supernaturalia dona nonnumquam laudibus humanis dedicant consecrantque, amittuntque præmium diuinum, in vanam gloriam commutatum. Hinc tot, apud antiquitatem, Philosophi,

S. Hieronym. in cap. 5. ad Galat.
S. Augustin. serm. 12 in Psal. 118.

S. Thom. 2. 2. q. 131 art. 1. ad 3. & 1. 2. q. 2 art. 2. ad 1. Aristotel. Ethic. 8.

phi, tot heroës ac duces, vel sapientissimi vel fortissimi, tot præclari artifices & magistri euanuerunt in cogitationibus suis; &, si quid laude dignum fecerunt, receperunt in hac vita mercedem suam, quia laudem quæsierunt, longè meliùs secuturam, si non quæsijssent. Altiora (non nos) quærere, & *quæ sursum sunt, non quæ super terram*, Christus docuit; & tamen, omissâ verâ æternaque gloriâ, vmbras sectamur? similes ijs, qui folia legunt ex arbore fructum prætereuntes; aut ijs, *qui quia amant ipsi sibi somnia fingunt.* Quare tales Boëtius in hunc modum alloquitur: *Vos immortalitatem vobis propagare videmini, cùm futuri famam temporis cogitatu.* Nimirum sicut mendici, qui delicias principum sperare non possunt, mucido pane satiantur; ita sufficit illis honor caducus, qui æternum non sperant. Hoc videre fuit in Themistocle, qui ad Olympiæ certamen profectus, cùm in stadium processisset, omnes, neglectis certaminibus, oculos in eum coniecerunt, in eoque complexando diem totum consumpserunt, ac Themistoclem illum cum plausu & admiratione peregrinis ostenderunt. Ea re vir gloriæ omnium cupidissimus dixit amicis, se eo die laborum, quos pro Græcia suscepisset, omnium fructum amplissimum reportasse. Christianus diuersum iter ambulans ait: *Quærant Iudæi gloriam, quæ ab inuicem est: ego hanc requiram, quæ à solo Deo est. Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ tuæ comparata vanitas est, & stultitia.*

Coloss. 3. 1.

Boët. lib. 2. de Consolat. prosa. 7.

Plutarch. in Themistoc.

Thom. de Kemp lib. 3. de imit. c. 40.

IX.

Hæc non sunt aduersa ijs, quæ suprà è diuinis litteris attulimus de bonæ famæ æstimatione, cùm diximus, *melius esse nomen bonum; quàm diuitias multas.* Neque enim idcirco nomen bonum negligendum est, immò nec semper malum est, velle hominibus placere. Qua de caussa S. Augustinus suprà citatæ suæ sententiæ mox subiungit: *Si autem placere hominibus ideò vis, vt eis prosis, ad diligendum Deum, non iam hoc, sed aliud cupis. Qui autem placere cupit, necessarium adhuc habet timorem. Primùm ne occultè peccando inter hypocritas à Domino computetur. Deinde, si factis placere appetit, ne hanc mercedem aucupans, perdat, quod daturus est Deus.* Ac alibi: *Placetne'*, inquit *vt per salutem iam temporalem optent sibi ac suis honores, & potestates? Sanè, si vt per hoc consulant eis, qui viuunt sub eis, non propter hæc ipsa, sed propter aliud quod inde fit bonum,*

Prou. 22. 1.

S. Aug. lib. 83. qq q. 36.

S. Augustini ep. 121. c. 6.

Idem lib. 2. de ser. Dom. in monte c. 1. seqq & c. 5. de ciu. c. 12. seqq.

decet

decet ea velle: si autem propter inanem fastum elationis pompamq; superfluam, vel etiam noxiam vanitatis, non decet. Hæc S. Pater sæpius alibi repetit, & inculcat. Si itaque quarto modo honor, ordine debito non excluso, destinetur dirigaturque ad maiorem Dei gloriam, vel ad nostram aut aliorum vtilitatem, tum, (quemadmodum de temperata delectatione ac voluptate ad honestum finem quæsita diximus) licitè honesteque potest appeti. Siquidem hac ratione si honor & gloria nobis obijciantur, non amantur vt finis, sed vt media; nec amantur plus, quàm ferant ipsorum merita, sed seruata debita proportione, inter obiectum & appetitum rationalem; cuius est in finem veri boni collimare, non in humanæ laudis ventositatem, similiaque bona captanda insumi. Qua de causa D. Augustinus alibi, per dialogi modum animam suam, immò seipsum interrogans: *Quid si etiam illud appareat*, inquit, *& multis te persuasurum esse sapientiam, si tibi de honore authoritas creuerit, eosq; ipsos familiares tuos non posse cupiditatibus suis modum imponere, seq; totos conuertere ad quærendum Deum, nisi & ipsi fuerint honorati, idq; nisi per tuos honores dignitatemq; fieri non posse, nonnè ista etiam desideranda erunt, & vt proueniant magnopere instandum?* Respondet: *Ita est, vt dicis.* Et loco alio: *Ipsa*, ait, *ab hominibus laus, homini iusto quantacumque prouenerit, non ibi esse debet eius finis boni, sed etiam ipsa referenda est ad laudem Dei, propter quem bona faciunt verè boni, quoniam nec à se ipsis, sed ab illo fiunt boni. Denique in eodem sermone Dominus iam dixerat eis: Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Vbi finem posuit, hoc est gloriam Dei. Hoc debemus, quando aliquid boni facimus, intueri, si auertuntur à vanitate oculi nostri. Non ergo sit finis nostri boni operis in laudibus hominum: sed ipsas laudes hominum corrigamus, & ad Dei laudem omnia referamus, à quo nobis datur, quidquid in nobis sine laudantis errore laudatur.* Clarissimè idem docet suprà strictim citato loco, dum ait: *De contentione autem, & dolo quid me attinet dicere, quando ista vitia non in plebe, sed in nostro numero grauiora sunt? Horum autem morborum mater superbia est, & humanæ laudis auiditas, quæ etiam hypocrisin sæpe generat. Huic non resistitur, nisi crebris diuinorum librorum testimonijs incutiatur timor & charitas Dei. Si tamen ille qui hoc agit, se-*

S Augustin. lib. 1. Soliloquior de Cognitione Dei & Animæ c. 11.

Idem. serm. 12. in Psal. 118.

S. Augustin. ep. 64.

ipsum prabeat patientiæ atque humilitatis exemplum, minus sibi assumendo, quàm offertur, sed tamen ab eis, qui se honorant, nec totum, nec nihil accipiendo, & id, quod accipitur laudis aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, & humana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consulere non potest, si nimia deiectione vilescat. Ad hoc enim pertinet, quod dictum est: Nemo iuuentutem tuam contemnat: cùm hoc ille dixerit, qui alio loco ait: Si hominibus placere vellem, Christi seruus non essem. Magnum est, de honoribus, & laudibus hominum non latari, sed omnem pompam inanem pracidere; & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad vtilitatem honorantium, salutemq; conferre. Non enim frustra dictum est: Deus confringet ossa hominum placere volentium. Quid enim languidius, quid tam sine stabilitate ac fortitudine, quod ossa significant, quàm homo quem malè loquentium lingua debilitat, cùm sciat, falsa esse, quæ dicuntur? Cuius rei dolor nullo modo animæ viscera dilaniaret, si non amor laudis ossa eius confringeret. Præsumo de robore animi tui. Itaque ista, quæ tecum confero, mihi dico. Dignaris tamen credo, mecum considerare, quàm sint grauia, quàm difficilia? Non enim huius hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit. Quia etsi cuiquam facile est, laude carere dum denegatur, difficile est, ea non delectari, cùm offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, vt si non meritò laudamur, corrigamus eos, quos possumus, ne arbitrentur, aut in nobis esse, quod non est, aut nostrum esse, quod Dei est, aut ea laudent, quæ quamuis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam tamen sunt laudabilia: velut sunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus. Si autem meriti laudamur, propter Deum gratulemur eis, quibus placet verum bonum: non tamen pro his, quia placemus hominibus, sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credunt; & non tribuitur nobis, sed Deo, cuius dona sunt omnia, quæ verè meritoq; laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidie, vel potiùs ille, cuius salutaria præcepta sunt, quæcumque siue in diuinis lectionibus inueniuntur, siue quæ intrinsecus animo suggeruntur: & tamen vehementer cum aduersario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum. Conficitur ergo, honorum appetitionem esse bonam honestamque, & collimare in finem veri boni, si quidem illi ad consecuturum inde augmentum diuinæ gloriæ,

1. Tim. 4.
Gal. 1.
Psal. 52.

riæ, vel ad nostrum, aut etiam proximi commodum, atque ita quoque tandem ad Dei laudem referantur. Hac de caussa appetere licet titulum ac honorem Magisterij, Doctoratus, aut Magistratus &c: ad multa enim prodest authoritas inde comparata.

X.

Hæc satis explicatè de licita atque illicita honoris appetitione. Caietanus, & quidam alij arbitrantur, honorem, sine vitio, tamquam iustum virtutis præmium, & velut æquum commodum ex iusto labore debitum posse, etiam sine vlteriore relatione, exambiri. Sed id, sine prædicta limitatione, non admittendum est; qualecumque enim tandem sit præmium, tamen est in aliena potestate, & sæpissimè bene meritis, quamuis iniustè ab hominibus negatur; quin, & Aristotele teste, honor non est sufficiens virtutis præmium. Longè nobilius, & certius, & plenum præmium, multò clariorem gloriam Christus Mundo demonstrauit. Etsi enim honor sit virtutis comes, appendix & debitum ab alijs salarium, nihil tamen eius nudum desiderium, nisi vanitatem affert, si non putetur nobis, aut proximo profuturus, tandemque in Numinis gloriam redundaturus. Ob quam etiam caussam potest homo honorem suum defendere, & cogere alium ad reddendum honorem, adeoque eumdem etiam expetere, ac pro iure suo lege agere. Quod solùm ratio Angesti efficit. Atque circa honorem ad eiuscemodi vtilitatem relatum, satis versari potest virtus Magnanimitatis, Humilitatis & Modestiæ: opus est enim vtique moderatione, ne etiam in honore sic concupito excedamus, ac nos ipsos decipiamus. Si multi olim hodieque, ob solam nominis famam, statuas, & trophæa, aliosque profanos honores, fortiter fecerunt; vanitas ea fuit. *Receperunt mercedem suam. Aristoteles virtutem cum honestate summum bonum putauit: quasi vlla virtus possit esse inhonesta,* ait Lactantius, *ac non si quid habuerit turpitudinis, virtus esse desinat. Sed vidit fieri posse, vt de virtute praua judicio malè sentiatur, & ideò existimationi hominum seruiendum putauit. Quod qui facit, à recto bonoq; discedit. Quia non est in nostra potestate, vt virtus pro suis meritis honoretur.* Et alio loco. *Fit*, apud profanum vulgus, & gentiles Philosophos, *vt nihil aliud ex virtute capiatur, nisi gloria. Sed hæc aut superuacua & breuis est, aut praui hominum judicijs non sequitur. Nullus igitur ex virtute fructus est, vbi virtus mortalis*

Caiet. 2. 2. q. 131. a. 1.

Aristot. lib. 2. Ethic. c. 12. & lib. 8. c. 8.

Angelus lib. 2. de Virtut. cap. 4. art. 2. p. 3. docum. 3.

Lactant. cit. lib 3. diuinar. Institut. c. 8.

Idem lib. eod. cap. 26.

mortalis est, & caduca. Ita qui hæc locuti sunt, vmbram quamdam virtutis viderunt, ipsam virtutem non viderunt. Defixi enim fuerunt in terram; nec vultus suos in altum erigebant, vt eam possent intueri; quæ se se à cæli regionibus ostentabat. Hæc caussa est, cur præceptis eorum nullus obtemperet; quoniam aut ad vitia erudiunt, si voluptatem defendunt; aut si virtutem asserunt; neque peccato pœnam minantur, nisi solius turpitudinis; neque virtuti vllum præmium pollicentur, nisi solius honestatis & laudis; cùm dicant, non propter aliud, sed propter se ipsam expetendam esse virtutem. Beatus est igitur sapiens in tormentis, sed cùm torquetur pro fide, pro justitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum faciet. Est enim Deus, qui solus potest honorare virtutem; cuius merces immortalitas sola est. Quam qui non appetunt, nec religionem tenent, cui æterna subiacet vita, profectò neque virtutis vim sciunt, cuius præmium ignorant.

CAPVT XX.

Nonnulla, circa licitum, vel illicitum honoris appetitum, quæsita, quando scilicet is rationi conformis sit? quando honor negligi, vel non negligi possit? & quale in eo sit præmium, vel incitamentum virtutis?

I. Esse quoddam bonum honorem, & quidem inter externa hominis bona maximum, suprà fassi sumus, ecquid ergo illud bonum, nisi ob prædictas causssas, appetere non licet? Cur vitio vertatur Lysandro Lacedæmonio, quòd ductus gloriæ desiderio, Chœrilum Poëtam secum semper haberet, vt carminibus ea celebraret, quæ ipse armis atque virtute gessisset? Cur Augustus reprehendatur, quòd, cùm testamentum suum scripsisset, libellos etiam quatuor adiecerit: in quorum secundo res à se gestas ideò annotauit, vt in columnis æneis ad sepulchrum suum insculperentur? Cur M. Tullius Cicero carpitur tamquam ambitiosus, quòd longa epistola à L. Luceio ciue Romano enixè petierit, vt Catalinariæ coniurationis historiam seorsim ab alijs rebus, ad propagandam nominis sui famam, scribere vellet: neque abstinuerit, illud quoque deposcere, vt in ea etiam aliquid amicitiæ daret, ipsoque viuente, eam ederet, vt viuens gloria sua perfrui

Plutarch. in Lysandro.

Dion. Nicæus.

Fulgos. lib. 8. cap. 15.

perfrui posset? Si enim gloria quoddam bonum est, cur eam non liceat exambire? Ita quis dubitare posset. Sed profectò non omnis appetitus boni bonus est. Alioquin enim etiam fur bene appeteret marsupium alienum; & mœchus bonam alterius vxorem: & Lucifer diuinos honores rectè appetijsset. Necesse est igitur, vt appetitus boni regulæ rationis sit conformis; quam regulam si transcendat, fit vitiosus. Regulam autem hanc Ethnici difficiliùs, faciliùs intellexerunt Christiani. Quia, cùm honor sit reuerentia alicui in testimonium excellentiæ eius exhibita, duo in illa excellentia reperiuntur. Vnum est, quòd illud, quo excellit homo, non habeat à semetipso, sed sit quasi quiddam diuinum in eo. Qua de causa non debetur illi primariò honor, sed Deo. Vnde, *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Ille,* ait S. Anselmus, *in solo Domino gloriatur, qui cognoscit non suum, sed illius esse, non solùm vt sit, sed etiam vt non nisi ab illo bene sit sibi, à quo habet vt sit.* Alterum est, quòd illud, in quo excellit homo, ei à Deo detur, vt per id alijs prosit, aut etiam sibi ipsi. Quamobrem vt appetitus honoris regulæ rectæ rationis congruat, debet in primis referri in Deum; aut certè eo fine saltem homini debet placere testimonium propriæ excellentiæ, quod ei ab alijs exhibetur, vt ex eo via illi paretur ad suam, vel aliorum spiritualem vtilitatem, atque ita etiam demum honor ad diuinos honores tendat. Hoc est, quod pauci viderunt Ethnicorum; nec multi exercent Christianorum. Etsi enim titulus, potestas, vel honor ritè possit appeti, etiam ad Remp. rectè gubernandam, ipsa tamen quoque Reip. gubernatio tandem tendere debet, non tantùm ad Politicam pacem, sed etiam ad æternam hominum salutem consequendam. Huc nisi tendat honor, vanus est, & contemnendus.

S Thom. 2. 2. q 131. a. 1.

1 Cor. 1. 31. S Anselm. ibid.

II.

Cur igitur illi vituperantur, qui honorem suum non curant? Cur dicitur: *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni?* Nimirum eadem est ratio, quia hi sæpe & sibi, & proximo prodesse possent, si nomen bonum retinerent. Quod si temerè profligent, non rarò in causa sunt, vt nomen quoque ipsius Dei aut religionis blasphemetur. Sed vel maximè vituperabiles sunt isti famæ suæ decoctores, quia insuper habent honorem, quem recta ratio dictat, dum non vi-

Eccli. 41. 15.

tant ea, quæ honori è diametro aduersantur: quales sunt publici ganeones, lurcones, bibones, milites glorioſi, qui Martem in lingua, non in machæra gerunt; non manu ſtrenui cùm pugnandũ, ſed pedibus expediti, quando putant fugiendum. His talibus vtique optandum eſſet, vt ad nomen atque honorem ſuum magis attenderent, neque in tot infamias ſe ſe præcipitarent. Alexander Magnus dicere ſolebat: *Homeri ſe Therſitem eſſe, quàm Chœrili Hectorem aut Achillem, malle.* Qui etiam edicto vetuit, ne à quoquam pingeretur, præterquam ab Apelle; aut à quoquam æreſculperetur, præterquam à Lyſippo, artificibus illius ætatis præſtantiſſimis. Et L. Sylla, de bonis, in foro proſcriptorum ſub haſta venditis, quædam malo Poëtæ donari iuſſit, ea lege, *ne in poſterum de ſe ſcriberet.* Noluerunt iſti, malos artifices effigiem ſuam facere, aut de ſe loqui, ne malè bona explicarent: quantò ſecius faciunt, qui ita viuunt, vt boni & mali de illis peſſimè loqui cogantur, ſi velint proferre veritatem? Non abijcienda eſt igitur boni nominis cura, ne in vitia, quæ honori contraria ſunt, atque opprobria incurramus. Quæ monitio non gloriæ ambiendæ, ſed vitandæ contumeliæ eſt occaſio. Ita nimirum viuere oportet, non vt laudemur, ſed vt laudem mereamur; hoc virtutis eſt, illud ambitionis. Non propter ventum, ſed propter portum libenter ſecundo æſtu nauigamus.

Plutarch. in Alexandro.

Cic. pro Archia.

III.

At diximus, ex Ariſtotele, honorem eſſe debitum virtutis præmium, quod ſi ita eſt, cur id, quod nobis, tamquam juſtum præmium virtutis debetur, non fas ſit appetere? Sic olim Romani duces, Prætores, Conſules, Dictatores, Imperatores, re in bello bene geſta, & poſtea, vt lege cautum eſt, ſi quinque millia hoſtiũ vna acie cecidiſſent, triumphales honores petierunt. Sic Romulus, Acrone Cœninenſium rege ſua manu cæſo, primus, eiuſque poſtea exemplo, Tarquinius Priſcus, L. Cæcilius Metellus A. V. ıɔıɪɪ. Marcellus, an. ıɔxxxı. P. Scipio Africanus, an. ıɔxlıx. L. Æmilius Paulus, an. ıɔxxcvı. Scipio Africanus poſteriore anno ıɔcvıı. L. Mummius, an. ıɔcııx. Marius, an ıɔclxxıı. Sulla, an. ıɔclxxıı. & Pompeius tertiùm triumphauit. Qui omnes, cùm triumphum peterent, meritos honores petiuerunt. Quid igitur in ea petitione vitij latebat? Potuerunt nempe triumphum

Ariſtot. lib. 1. Ethic. c. 12. & lib. 4 c. 3.

Val. Max. lib. 2. cap. 8.

varijs

varijs de causſis desiderare. Si idcireo eum desiderârunt, vt alij quoque ad similia virtutum opera excitarentur, aut vt ipsi tantò maiorem in hostes obtinerent authoritatem, non mala fuit ea triumphi petitio: Si autem, vt virtutis suæ pretium præmiumque reportarent, quod plerumque solebant facere, *euanuerunt in cogitationibus suis*, potuitque meritò illis dici: *Filij hominum vsquequo grani corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Nequaquam enim honor est, diciturue præmium virtutis, ratione eius, qui virtute præditus est, quasi nimirum, qui ex virtute agit, honores eiuscemodi sæculares, tamquam virtutis suæ præmium debeat postulare. Verum enim præmium virtutis est beatitudo cælestis, quæ, tamquam legitimus ac genuinus, non spurius, finis virtutis, est expetenda. Quando igitur honor virtutis esse præmium affirmatur, non est id intelligendum ratione illius, qui virtutem possidet, quasi is pro virtutis suæ præmio honorem & gloriam debeat affectare; cùm, ex ipsius etiam Aristotelis sententia, nequaquam sit sufficiens præmium virtutis honor; sed intelligendum est, ratione aliorum, qui non habent aliquid maius, quàm honorem, quod virtute prædito in præmium reddant. Duo itaque hîc attentè sunt animaduertenda, vnum est, ne honorem ipsi ambiamus, quamuis nobis ex justitia ab alijs debitum; alterum, ne honorem, quem alijs, ob virtutem, vel alias excellentias debemus, impendere negligamus. Valde enim, inter miseros mortales, consuetum est, vt contrarium faciant. Nam plerique se ab alijs cupiunt honorari; ipsi autem, vt alios honorent, ægrè adducuntur. In causſa est amor sui. Aliud præscribit amor proximi. Quia *charitas non est ambitiosa: non quærit quæ sua sunt.* Inuidia autem omnia inuertit, & tamquam fallente oculo ea, quæ superiora sunt, infra; quæ autem inferiora, supra videt, sicut is qui in aqua cernit arbores radice sursum tendentes; aut qui in speculo quæ dextera sunt, siniſtro; quæ siniſtra, dextero loco stare arbitratur: ita enim liuor, quæ in se reprehensione digna sunt, laude digna, quæ in alijs laudanda, vituperanda arbitratur; & qui alijs est Momus, facilè sibi ipsi sit Suffenus.

Rom. 1. 21. Psal. 4. 3.

Aristotel. lib. 4. Ethic. c. 3.

1. Cor. 13. 5.

Supereſt alia dubitatio, quo modo malum esse possit, illud appetere, per quod homo ad bonum prouocatur, & reuocatur à malo? IV.

malo? Multi enim, ne honorem perdant, fugiunt peccata; multi, vt honorem adipiscantur, egregia solent facinora perpetrare. Quod videre fuit in Mutio Scæuola errorem manus suæ coram rege Porsenna, flammis corrigente. *Cùm autem in media parte fori, vasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumq; esset; eare illum tantummodo compleri posse, qua Pop. Rom. plurimum valeret; Curtius & animi & generis nobilissimus adolescens, interpretatus, vrbem nostram,* ait Valerius Maximus, *virtute armisq; præcipuè excellere: militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumq; vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit. Super quem vniuersi ciues honoris gratia certatim fruges iniecerunt, continuoq; terra pristinum habitum recuperauit. Magna postea decora in foro Romano fulserunt: nullum tamen hodieq; quod pietate Curtij erga patriam clarius obuersatur exemplum: cui principatum gloriæ obtinenti*, nihil æquale fuit à Romanis decantatum. Et M. Tullio teste, *omnes ad studia incenduntur gloria.* Negari non potest gloriæ cupiditatem horum facinorum caussam extitisse. Quæri tamen etiam potest, superbiusné an fortiùs, & maiorené virtute, an temeritate, vel ambitione isti egerint? Interim negari non debet, ad verum bonum aliquos fuisse prouocatos; atque à malo reuocatos per appetitum honoris, sed per hunc appetitum ipsi non fuerunt verè boni, nisi voluerint honore bene vti. *O si scires, quid sit bonum?* ait S. Augustinus, *Quod habere vis, non est valde bonum; quod esse non vis, hoc est bonum. Vis enim habere sanitatem corporis, hoc est bonum, nec tamen putes magnum bonum esse, quod habet & malus. Aurum & argentum habere vis, ecce & hoc dico bonum est, sed si bene vsus fueris; bene autem non vteris, si malus fueris, ac per hoc aurum & argentum malis malum est, bonis bonum est: non quiatos bonos aurum & argentum facit, sed quia bonos inuenit, in vnū bonum conuertitur. Honorem habere vis, bonum est, sed & hoc, si bene vteris.* Si ergo heroes illi eo honore, quem consecuti sunt, posteros suos, aut iuuentutē, ad similia, non temeritatis, aut ambitionis, sed virtutis exempla hortari voluerunt, non est carpendus ille honoris appetitus. Alia enim præterea caussa subsit, necesse est. Neq; enim illi virtute ornati sunt, qui propter solum honorē vel bona faciunt, vel mala vitant: cùm Ethnicus quoque & princeps Philoso-

Valer. Max. lib. 5, c. 6.

Cic lib 1. Tuscul. qq.

S Augustin. serm. 12 in in Matth.

Aristot. lib 3. Ethic. c. 8.

Philosophus scribat, non esse verè fortes, qui propter honorem fortia faciunt. Mutius Scævola igitur, & Curtius, & alij similes non fortes sunt appellandi, sed ambitiosi, quia inordinatè honorem appetierunt. Et multi alij quoque ad virtutum opera, ex appetitu gloriæ humanæ (quemadmodum etiam ex aliorum terrenorum bonorum appetitu) prouocantur; haud tamen is, qui ob humanam gloriam opera virtutis facit, verè atque absolutè, dicendus est virtuosus, vt D. Augustinus demonstrat. S. Augustin. lib. 5. de ciuit. cap. 12.

V.

Quid igitur? An non ipsæ diuinæ litteræ homines promissione gloriæ ad bona opera inuitant? Nonnè Dauid ait: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem?* Et Paulus: *Iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorē quærunt?* Ita sanè aiunt isti, sed loquuntur de retributione & gloria, quæ à Deo habetur, & vera est plenaq; retributio & gloria; & non vana, & inanis sicut illa, quam Ethnici alijq; sæculi homines spectauerunt. Vnde alio loco ait Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Hæc ergo vera, & à Deo profecta gloria, in diuinis litteris, bonis operibus, præmij loco, repromittitur. Quare rectè statuit Conc. Tridentinum, pium & sanctum esse, intuitu gloriæ ac mercedis æternæ, operari. Quidquid enim à Deo est, quidquid æternum est, vanum non est. Vera igitur gloria, non vana; diuina non humana nobis proponitur, quæ nos inflammet ad præclara quæque aggredienda. Illa filios Dei; hæc seruos mundi capit. Ita enim vel Ethnicus Philosophus censuit. Nam Diogenes Cynicus, cùm præconem in Olympijs ita pronuntiantē audiuisset, *Dioxippus vicit viros: correxit Diogenes: Hic*, inquiens, *mancipia potiùs vicit, ostendens* eos nequaquam esse viros, qui in his certarent spectaculis, sed mancipia potiùs gloriæ perituræ. Scitè S. Ambrosius piéque scribit: *Tantus splendor honestatis est, vt vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ & securitas innocentiæ. Et ideo sicut exortus sol, Luna globum & catera stellarū abscondit lumina, ita fulgor honestatis, vbi vero & incorrupto vibrat decore, catera qua putantur bona secundùm voluptatē corporis, aut secundùm saculum clara & illustria obumbrant. Beata planè qua non alienis æstimatur iudicijs, sed domesticis percipitur*

Psal. 118. 112.

Rom. 2. 7.

2. Cor. 10. 17.

Conc. Trid. sess. 6. c. 11.

Diog. Laërt. lib. 6. cap. 5.

S. Ambros. lib. 2. offic. cap. 2.

cipitur sensibus, tamquam sui judex. Neque enim populares opiniones pro mercede aliqua requirit, neque pro supplicio pauet. Itaq; quo minùs sequitur gloriam, eo magis super eam eminet. Nam qui gloriam requirunt, ijs ea merces præsentium, vmbra futurorum est, quæ impediat vitam æternam.

CAPVT XXI.

Gloriam Deo debitam, Deo dandam, immò Deum in gloria appetenda imitandum.

I. Hinc multa deducuntur pia corollaria. 1. Cùm gloria, inter omnia externa bona, sit summum bonum, eam meritò deberi Deo summè excellenti, ac summè bono; *ad* cuius proinde *maiorem gloriam* Sanctissimi quique omnia fece-

1. Cor. 10. 31. runt, ipso Apostolo ita suadente: *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod consilium plurimi sequuntur, qui saltem virtute, si non actu, omnia sua in Dei gloriam referunt; quamquam aliqui saltem die Dominico omnia secuturæ hebdomadis opera; aliqui singulis diebus

Tertullian. lib. de corona milit. manè, totius diei negotia; aliqui singulis horis offerant. Tertullianus, & D. Hieronymus testantur, olim, apud Christianos

S. Hieron ep. ad Eustoch. moris fuisse, vt initio operis cuiusq; se se cruce signarent, quasi dicerent: *Hoc opus fiat ad gloriam Dei, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et quidem orationes, ieiunia, eleemosynæ, aliaq; virtutũ opera facilè ad Dei gloriam fieri possunt; sed quæ-

S. Basil. in breuior. regul. 396. rit D. Basilius, quo modo quis ad gloriam Dei possit manducare & bibere? & respondet: Si beneficiorum Dei memor, ita animo & corpore sit compositus, vt non tamquã securus omnino manducet, sed vt qui inspectorem habeat Deum; & si proponat, non vt ventris mancipium, ob voluptatẽ, manducare, sed tamquã operarius Dei, vt vires habeat ad fortùs ei seruiendum, & opera atque mandata Christi exequendum; quod est comestionem & potum in Dei laudem, non ad voluptatem referre. Qua de causa

S. Basil. homil. in Iulittam martyrem. idem S. Pater alibi, recitatis illis Apostoli verbis, *Siue comeditis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite*, hæc subiungit: *Accumbens mensa, ora: esitans panem largitori gratiam rependite*

rependito: bibis vinum, memento eius, qui illud tibi dedit ad latitiam, & infirmitatum solamen; tunicam indueris, gratias agito benigno datori; suspicis in cælum, & siderum pulchritudinem, procide Deo, & cole eum, qui cuncta hæc in sapientia condidit: pari modo, oriente sole, & occidente, in somno & vigilia, Deo gratias age, qui hæc omnia ad tuum commodum creauit, & ordinauit, vt creatorem agnoscas, ames, & laudes. Ad hunc modum cætera quoque omnia possunt actu ad Dei gloriam referri, & referuntur à multis. Haud tamen ex præcepto; quamuis D. Thomas doceat, ex præcepto hominem aliquando se, & omnia in genere, ad Dei gloriam, tamquam ad vltimum finem referre debere. Sed D. Paulus non loquitur de vno aut altero actu, cùm dicat: *Omnia ad gloriam Dei facite.* Alij igitur, vt D. Anselmus & D. Ambrosius, qui præceptum putant illis verbis contineri, ea de aptitudine exponunt & habilitate, quasi dicat Apostolus: Ita manducate, bibite, omniaq; facite, vt apta & habilia sint ad gloriam Dei promouendam, seu vt nemo offendatur aut scandalizetur, sed potiùs, vt ea videntes, vel audientes ædificentur. Quod vero Deo tantò magis debetur, quia id falsis Numinibus gentes censuerunt faciendum. *Aiunt enim*, Arnobio teste, *sacra hæc honorandis esse instituta cælestibus, & ea quòd faciant, honoris ergo facere, & his numinum potentias auctitare. Quid si similiter dicant evigilare sese, atque dormire, deambulare, subsistere, conscribere aliquid & lectitare, vt honorem diis habeant, & dignitatibus eos faciant ampliores?* Quam artem Ethnici nō habuerunt, habent autem, & didicerunt à S. Paulo Christiani, quorum tota vita Deo est consecrata. Quin etiam Iudæi habuerunt. Ita enim legimus: *Iudas verò, & qui cum eo erant, innocato Deo, per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minùs triginta quinque millia, præsentia DEI magnificè delectati.*

S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2.

Arnob. lib 7. aduerſ. Gent.

2. Machab. 15. 26.

II.

2. Corollarium & illud ducitur, Deo non solùm deberi honorem ac gloriam, sed etiam Deum (etsi nostra gloria non egeat) & jure, & sine omni vitio gloriam à nobis expetere. Si enim gloria virtuti debetur, debetur ea vtique summæ virtuti. Hinc apud Malachiam ait: *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum; si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi*

Malach. 1. 6.

Psal. 28. 2. *est timor meus?* Quod & Dauid jubet: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Et humilis corde Ioan. 13. 13. Christus laudantes se laudauit cùm diceret: *Vos vocatis me, Magister & Domine, & bene dicitis.* Periculosum est quidem sibi placere, sed illi, cui cauendum est superbire, vt ait S. Augustinus, non S. Augustin. in Ioan. tract. 58. illi, cui vndequaque excellentissimo signa, vel testimonia excellentiæ debentur. Quòd autem Deus à nobis gloriam suam expetat, non est aliquid inordinatum. Ille enim, qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non extollit se. Quamquam hoc ipsum jus honoris, quod habet, non propter suum, sed propter nostrum bonum expetit. Nobis enim prodest, Deum nosse, non illi. Quis autem eum cognosceret, si non se ipsum indicasset, qui nouit? Non potest autem se ipsum indicare, nisi laudando. Est Psal. 47. 2. enim *magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Etsi ergo se laudet, & 95. 4. 144. 3. gloriam suam quærat, & postulet, non quærit tamen illam propter se, quasi ea indigeret; sed propter nos, vt nos eâ cognitâ inIsa. 43. 6. amorem illius exardescamus, eumque amantes ad veram æternamque gloriam perueniamus; juxta illud: *Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum.* Quid enim est gloria Dei externa, nisi clara eius cum laude notitia? per quam si eum vt laudabilem cognoscimus, accendimur ad eum amandum, eique seruiendum, quibus rebus finem nostrum æternamque beatitudinem voluit nos adipisci.

Vide infra cap. 27. § XIV. De Deo honorando.

III. 3. Hinc aliud corollarium sequitur, tunc scilicet in nobis quoque non fore peccatum appetitum gloriæ, si in eo appetitu Ephes 5. 1. velimus Deo assimilari, juxta illud: *Estote imitatores Dei, sicut filij* Isa. 42. 8. *charissimi.* Assimilamur autem Deo, non quando id nobis arrogamus, quod est proprium Dei, excellentiam scilicet illius appetentes, aut eius testimonium, quæ soli Deo competit dicenti: *Gloriam meam alteri non dabo*; sed si quemadmodum ille gloriam ab hominibus quærit, non propter se quasi ea indigeat, sed propter homines; ita & nos vicissim gloriam quæramus, non propter nostram, sed propter Dei gloriam, aut proximum, eiusque vtilitatem. Hinc est illud: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Itemque, *Luceat lux vestra coram hominibus,*

Matth. 5. 16. ibid.

minibus. Quapropter non peccat, si quis bonum suum cognoscat, & approbet, cùm Apostolus dicat: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Itaque non repugnat humilitati, quòd quis Dei dona in se agnoscat, inde enim se gratum illi exhibet. Vnde &, Mater Dei, quæ se ancillam Domini vocârat, sine vlla sui iactantia dixit: *Fecit mihi magna, qui potens est*; simul tam profundæ humilitatis, quàm altæ dignitatis mater: meritò æquiparanda prægrandibus obeliscis, quibus tantum ferme substernitur intra terram, quantũ extat, vt immoti consistant: siquidem & illa fabricæ magnæ celsitudinis magnum quoque & firmum posuit fundamentum humilitatis. Talibus non obest, dona Dei in se magni facere; cùm seipsos faciant parui. Neque peccat, qui vult bona opera sua ab aljis sciri & approbari, vt illi inde Deum laudent, dicantque: *Et sanctum nomen eius*; & accendantur ad gratitudinis, alteriusue virtutis imitationem. Hoc est enim lucere lucem nostram coram hominibus. Non est ergo vitium appetere gloriam, sed appetere gloriam inanem. Reprehendit enim Psalmista omnes, qui vanum aliquid appetunt, dicens: *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quale mendacium erat eorum, qui contra diuinam reuerentiam passi sunt se Deos appellari, quos Ezechiel ita alloquitur: *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cùm sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei.* Nempe ab illo hanc superbiam magistro homines didicerunt, qui, cùm ipse cupiens ascendere, & *similis esse altissimo*, deiectus sit in Acheruntem, alios quoque postea voluit eâdem illecebrâ inescare, quando dixit: *Eritis sicut Dij.* Promissio digna authore suo, & tam fidelis, quàm Locrense pactum.

1. Cor. 2. 12.

Luc. 1. 49.

Psal. 4. 3.

Ezech. 28. 2.

Isa. 14. 14.

Gen. 3. 5.

CAPVT XXII.

Quando vana gloria ab hominibus appetatur? & num liceat desiderare Episcopatum?

HInc 4. Corollarium est contra vanæ gloriæ sititores; qui triplici classe continentur. Primò enim vana gloria est, si quis honorem appetat, de re nihili, quæ per mendacium fingitur, vt quidam milites glorioſi, qui à se hostes multos occi-

I.

occisos iactitant, cùm hostem nullum viderint; aut hypocritæ nonnulli, qui de rebus gloriantur, quas numquam fecerunt. Pertinet ad hanc classem etiam illud genus, quod de ijs famam captat, quæ famam & gloriam non merentur; vt qui *gloriantur in rebus pessimis*, vt de potentia & fortitudine ad vinum bibendum, quibus dicitur: *Va qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*: &: *Numquid carnes sanctæ auferunt à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* item qui se iactant de vindicato inimico; de fraude; de corrupta virgine, vel aliena vxore; quibus dicitur, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Et sanè sunt, qui malefactis sibi famam conantur parere, ac nobilitatem, quemadmodum & vitijs corporis quidam teste Plinio, inuenêre cognomen, velut à distortis cruribus Vari: à tumidis labris Chilones: à naso prægrandi Nasones. Multò autem pronius est, venari gloriam de bonis fortunæ externis, vt de auro, argento, margaritis; contra quos est illud Persij: *nec te quæsiueris extra*: aut etiam de viribus & robore, deque firma valetudine sua, aut suorum; quæ res fragilis est, & caduca. Secundò vana gloria est, si quis ab eo gloriam quærat obtinere, cuius judicium non est certum, sed falli potest, vt est Connæ calculus, & omne judicium humanum. Laudauit te Cicero? quid tum? laudauit & Milonem. Testimonium habes à Principe? quid tum? Numquid audiuisti, *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum?* Sæpe & Principes decipiuntur, sæpe in officia alta indignissimos, immò proditores suos extulerunt, quod non erant facturi, si eos detracta larua agnouissent. De alijs hominibus, quid dicam? cùm tot vbique Chij potiùs, quàm Coi, tot occurrant adulatores, tot parasiti, qui laudes vendunt, & palpo percutiunt eos, à quibus sportulam expectant. Quis eorum laudes, atque gloriam inde promanantem, non videat esse vanissimam? Hanc diligere, est de iactura maiore periclitari; quod plurimi faciunt, *qui dilexerunt magis gloriam hominum, quàm Dei.* Et quam gloriam? sæpe fictam, sæpe fallam. Nam teste Boëtio, *Plures magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt. Quo quid turpius excogitari potest? nam qui falsò prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant.* Vt enim non quæuis corona quemuis decet victorem; ita non quæuis laus, aut quiuis honos

Isa. 5. 22.
Ierem 33. 15.
Psal. 51. 5.
Plinius lib. 7. c. 8, lib. 11. 53.
Pers. Satyr. 1.
Psal. 145. 3.
Ioan. 12. 43.
Boëtius lib. 3 de consol. prol. 6.

honos hominem quemcumque. Et sunt tamen, qui mendaci fama delectantur, & vel ipsi fingunt facinora quæ venditent, vel si alios adulantes audiant, mirificè pascuntur. Sicut enim Chamæleon non alio fertur pasci alimento, quàm aëris, & idcirco ore est semper hiante, ita quosdam aura popularis alit, neque quidquam captant, præter inanes laudes & glorias. Et verè inanes, quia vt fumus, ita & gloria falsò parta facilè euanescit. Tertiò denique vana gloria est, non jam ratione illius rei de qua gloria quæritur; neque ratione eius, à quo gloria quæritur; sed ratione ipsius hominis, qui gloriam quærit, & de suis rebus vel tragicè, vel Thrasonicè loquitur, atque appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, hoc est, ad honorem Dei, vel proximi salutem, vel etiam propriæ non famæ, sed virtutis incrementum, & occasionem. Quod non faciunt, qui de valetudine, de corporis aut animi viribus, de fortunis, de scientijs, vel etiam de ipsis virtutibus, tamquam suis, non aliunde acceptis bonis volunt laudari, quibus Apostolus ait: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* quid, vt cornicula, de alienis plumis triumphas? illi gloriam ascribe, vnde accepisti. 1. Cor. 4.

II.

5. Corollarium. Etsi D. Augustinus, & D. Thomas plerumque ita loquantur, vt honor, aut gloria, eiusque appetitus, ne sit vanus, pro scopo debeat habere vel Dei, vel proximi bonum, hoc est, vel Dei honorem, vel proximi salutem; non negandum tamen est, posse etiam appeti boni nominis existimationem, dignitates atque officiorum honores, ob proprium bonum; si scilicet illi honores propriam quoque videantur, non iam laudem, sed salutem promoturi, & meritum ac coronam cælestem aucturi. *Fidelis sermo*, ait Apostolus, *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; nomine Episcoporum, etiam Parochi, & sacerdotes intelliguntur, cùm idem sit eorum munus docendi, regendique populum, & pascendi gregem Christi, licet numero minorem. Quia igitur videmus plurimos sacerdotes parochijs, episcopatibus inhiare, atque ob eam ambitionem reprehendi, haud sanè perfunctoriè hic locus est à nobis tractandus, vt sciatur, quid licitum, in hoc genere, quidve illicitum esse, doceamus. Duo sunt in episcopatibus, parochijs, sacerdotijs, præposituris &c. Vnum est labor, 1. Tim. 3.

labor, alterum honor; isque vel temporalis, vel æternus. Qui ergo *episcopatum*, vel aliquid simile *desiderat*, vt habeat occasionem laborandi, aut patiendi pro Christo, & gloriam in cælo maiorem assequendi, *bonum opus desiderat*. Tempore D. Pauli Episcopatus non erat tam honor, quàm labor ingens, & proximus ad martyrium gradus. *Qui episcopatum desiderat*, ait Aluarus Pelagius, *bonum opus, id est martyrium desiderat. Illo tempore ab Apostolo dictum est: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quo quisquis plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta trahebatur. Tunc ergo fuit laudabile episcopatum quærere, quando per hoc non dubium erat ad supplicia grauiora peruenire.* Quemadmodum igitur Deus in primitiua Ecclesia multos excitabat, vt se offerrent martyrio, pro Christi nomine patiendo; ita etiam quosdam excitabat, ad episcopatus capessendos, vt se se & fidei, & martyrij duces alijs præberent Christianis. Quare tot, per annum, episcopi & martyres celebrantur, quorum planè honor maximus est, & gloria sempiterna. Ad hanc ergo, vt proprium etiam quoddam bonum, licitè aspirauerunt. Et sunt etiam hodie multi alij honorifici tituli, per quos, non quia honorifici, sed quia laborioſi sunt, fas est ad veram illam semperque duraturam gloriam aspirare. Existimantur tamen aspirare ad honorem, quia ad illud aspirant, quod honorem parit; quem excelsi animi despiciunt, humiles & abiecti suspiciunt. Quare optimi quique nihil pensi habent, siue laudentur, siue laude priuentur; vilissimi autem putant se præmio suo carere, si careant præconijs. Vt enim membrum scabiosum semper opus habet fricțu; ita honoris cupidus animus, numquam satiatur, quia prurit in laudes humanas: neque scit, quid interſit inter gloriam, & gloriationem; rectiùs facturus, si ad amussim lapidem, non ad lapidem amussim applicaret. Quid in Episcopatu spectandum sit, docuit S. Chrysogonus, qui Diocletiano Imperatore, Romæ inclusus in carcere, per biennium S. Anastasiæ facultatibus vixit, sed cùm Imperator Romam scripsisset, vt reliquis Christianis, qui in vinculis essent, interfectis, Chrysogonus Aquileam ad se mitteretur, eò perductus est. Cui Imperator, *Accersiui*, inquit, &c. Chrysogone, *vt honoribus augeam, si modò induxeris animum Deos colere.* At ille, *Ego eum, qui verè est Deus, mente & oratione veneror;*

Aluar. Pelag l. de planctu Eccl. c. 18.

Vide gesta S. Anastasiæ apud Sur. 25. Decemb. Niceph lib. 14. hist. Eccl. cap. 10 & Breu. Rom. 24. Nouembr.

ror; deos autem, qui nihil sunt, nisi dæmonum simulachra, odi, & execror. Quo responso excandescens Imperator ad aquas Gradatas eum securi percuti jubet. Hanc purpuram sanguinis sui, regum purpuris quicumque anteponit, licitè desiderat episcopatum; qui aliud quærit in eo, quod splendeat, ire per extentum funem quærit, vnde facilis est lapsus.

III.

Alterum itaque quod in Episcopatu, Decanatu, Parochia, aut Sacerdotio potest spectari, est honor humanus; dignitas Ecclesiastica; gradus sublimior; ampla potestas; copiosi prouentus; mensa lautior; pinguor fortuna; splendidior familia. Ob hæc talia quisquis episcopatum desiderat, ambitione, & auaritiâ periculosâ peccat. 1. Quia, teste Augustino, episcopatus est nomen operis, non honoris. Itaque *si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, ait S. Hieronymus, *opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Et author operis imperfecti, *opus*, inquit, *desiderare in se bonum est, primatum autem honoris concupiscere, vanitas est; primatus fugientem se desiderat, desiderantem se fugit & horret.* 2. Quia Episcopatus est status perfectionis: nec satis est Episcopo tendere ad perfectionem, sed oportet eum iam esse in statu perfectionis Christianæ; at quis, nisi superbus, de se præsumat, se esse iam perfectum? præsumit autem, quisquis in episcopatu, non laborem, sed gradum desiderat ac dignitatem. Non licet igitur eam desiderare dignitatem. Quamobrem, vt D. Gregorius animaduertit, *Apostolus laudans desiderium boni operis, protinus in pauorem vertit, quod laudauit, cùm subdit: oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse;* qualem quisquis se ipsum judicat, hoc ipso nomine est reprehendendus. 3. Adde, quòd, vt docet Conc. Tridentinum, Episcopatus sit onus Angelicis humeris formidabile, cùm Episcopus, & Abbas, & quilibet Prælatus, non tantùm pro sua, verùm etiam pro omnium subditarum ouium animabus Deo iudici sit rationem redditurus. Hoc enim indicat Paulus cùm ait: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pernigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quare si pro nobis ipsis rationem difficilem habituri sumus, cur volumus eam difficultatem duplicare? Nonnè temerarius

S. Aug. lib. 19. ciuit. c. 19.
S. Hieron ep. 83. ad Ocean.
Author operis imperfecti hom. 33. in Matth.
S. Gregor. 1. p. Past. c. 8.
Hebr. 13. 17.

rius est, qui cùm præ debilitate ouem humeris susceipere vix potest, cum Milone conatur gestare bouem?

IV. Agnouerunt hanc regendi alios difficultatem vel ipsi Ethnici. Socrates apud Platonem, miratur eos, qui volentes imperium suscipiunt, cùm nullus probus magistratus sibi, sed subditis eorumque commodis intendat seruiatque. Quapropter existimat, probos viros ad magistratus capessendos inuitos adigendos esse pœna, vel præmio proposito. Hodie improbi, vel per adulationes, vel per pecuniam, vel per alias occultas artes, ne dicam per Simoniam, grassantur ad magistratum, vt eò profundiùs inde in barathrum Acherontis cadant, quò altiùs ambitione ascenderunt. Vnde fit, vt cùm probi non solùm non ambiant, sed etiam fugiant hæc splendida, improbi autem omnibus neruis ad ea contendant, tam pauci probi tam multi improbi ad sceptra, aut claues euehantur. Qui rectè judicat, judicat vel summos vertices esse *seruos seruorum*. Siquidem Antigonus quoque Macedonum rex, cùm videret filium insolentiùs regere suos: *An ignoras*, inquiebat, *fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem?* Quam seruitutem quia experti, multi sponte sceptra ac purpuras deposuerunt. Quorum agmen clausit Carolus V. duxit Augustus, qui teste Suetonio, non semel cogitasse dicitur de administratione Reipublicæ populo Romano reddenda. Nec desijt, vt Seneca tradit, quietem sibi precari, & vacationem à Republica petere.

Plat. dial. 1. de legibus.

Sueton. in Augusto.

V. Quod si ita est in magistratu ciuili, quid erit in magistratu Ecclesiastico, atque spirituali? Hinc S. Chrysostomus Episcopatum tantopere fugit, vt docet ipse sex libris de sacerdotio. Ad eumdem modum D. Ambrosius, D. Augustinus, D. Gregorius, D. Fulgentius, D. Thomas, alijque complures mitram fugerunt. De Nilamone Nicephorus hæc narrat: *Theophilus vna cum Isacio monacho, hiemc ineunte, Alexandriam venit. Accidit autem vt Gerra appelleret, oppidum circiter quinquaginta stadia à Pelusio situm. Quòd autem ibi tum Episcopus mortuus esset, incolæ & ciues in locum eius Nilamonem legerunt, virum, & propter virtutem percelebrem, monasticaq; Philosophia præclarum. Degebat autem ante oppidum parua casa inclusus, cuius aditum saxis obstruxerat: & quam Episcopalem dignitatem susscipere detrectaret Theophilus ei, vt à se consecrationem susciperet.*

Nicephor. lib. 13. Eccl. hist. c. 27.

sciperet, suasit. Postquam verò eum sapius pernegantem non expugnauit: Cras, inquit, si ita placet, ô Pater, quod constitueris facito: me autem hodie res meas agere atque disponere sine. Vbi postridie Theophilus ad eum venit, pro eo atque inter eos conuenerat, & fores aperire iussit, Nilamon, Age verò, inquit, Deo primùm precationem offeramus. Approbauit hoc Theophilus, & orationem peregit. Nilamon autem inter precandum vitam finiyt: idq; tum Theophilus, & qui cum eo foris stabant, ignorabant. Atque vbi plurima diei pars praterijt, & clamorem eorum Nilamon non exaudijt, reuolutis ab ostio saxis, mortuum illum repererunt: eumq; sicuti conuenit, coopertum atque compositum magnificè sepelierunt. Super sepulchro eius ciues precatoriam domum condidère, obitumq; eius diem ad hoc vsque tempus festum lati peragunt. Ita Nilamon mortem oppetijt potiùs (si quidem mors dicenda est, quam sibi ipsi potiùs precibus votisq; exoptauit) quàm vt Episcopus fieret, indignũ se ea dignitate, propter modestiam & submissionem animi esse ratus. Consimile exemplum legitur in vita S. Goaris, qui cùm à Sigeberto Francorum rege in Treuirorum Episcopum postulatus esset, inducias petijt, atque interea Deum impensè orauit, vt nisi esset ex salute sua, Episcopatum à se auerteret. Auditus est, & mox in morbum cadens, ad mortem vsque ægrotus, Episcopatum euasit. Hoc pacto si plures orarent, plures Episcopatum, tamquam scopulum, declinarent. Sed *qui amat periculum, in illo peribit.* Nec dignus est Deo, quisquis eiuscemodi dignitatem præfert Deo, pluris faciens suum, quàm capitis sui honorem; instar eorum, qui halicacabo vtuntur, quamquam enim dentibus firmandis prosit, si eius succo colluantur; periculum tamen est, ne, si diutiùs id fiat, delirationem gignat, & plus afferat damni, quàm commodi, sernans dentes, caput perdens. Si enim sancti ipsi expertos se esse fassi sunt, quantum obstet virtutibus, officijs grandibus occupari, quid continget non sanctis? Seuerus Sulpitius scribit, beatum Martinum dixisse: *Maiorem sibi virtutem ante Episcopatum fuisse, quàm postea: cùm duos antè suscitauerit mortuos, postea solùm vnum.* Hæc Thomas Cantipratensis. Qui ibidem hunc capiti vigesimo epilogum apponit: *His narratis, non ambigo, quòd bonum opus desiderat, qui Episcopatum desiderat: sed tamen qui non præesse desiderat, sed prodesse. Et vtinam multi tales! Si ergo confusionem & opprobrium aterna pœna*

Eccles. 3. 27.

Ex Seu. Sulpit. dial. 2. de vita S. Martin. Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum. c. 20. §. 3.

Vide infra cap 28. §. 3. & seq.

na pœna effugere volueris, cum Prælatis prouidis & perfectis lassos & oberrantes prosequere, ne per tuam negligentiam, aut duritiam depereant, vel exemplum.

CAPVT XXIII.

Deum iustè beatos, in cælo, gloriâ & honore; in terris autem gratiâ & iustitiâ coronasse; nec sine magnis caussis hominibus gloriæ appetitum reliquisse.

I. REbus ita constitutis, facile cuiq; est cernere, duplex esse honoris atque gloriæ genus. Vnus enim honor cælestis, à solo Deo est; alter vel à Deo solo, vel etiam ab hominibus in terris exhibetur: ille æternus, iste cum tempore, fortunâ, vitâ fugiens. Atq; hic rursus vel verus, vel vanus; quorum iste semper illicitè, ille autem aliquando bene, aliquando contra rectæ rationis normam appetitur. Esse honorem cælestem qui à soloDeo hominibus impenditur, beatitudo demonstrat numquam desitura, quæ quia summè facit excellentes, summi quoque honoris & gloriæ est fundamentum. Nihil enim maius, aut honorificentius de homine dici potest, quàm eum esse beatum, hoc est, ad finem vltimum perfectionemq; suam peruenisse. Quamquam enim beatitudo in hoc excellentiæ testimonio non consistat, quod est in honorante, qui reuerentiam exhibet honorato, adeoq; extra honoratum, cùm beatitudo in ipso esse beato debeat; tamen beatitudinem consequitur honor, & gloria. Ob quam connexionem, in diuinis litteris, plerumq; cælestis gloriæ nomine exprimitur ipsa beatitudo, quæ à nemine, nisi à beatissimo Deo conferri potest. Et vtique summè honorat Deus, quem beatitudine dignum iudicat. De quo honore ait Psalmista: *Mihi autẽ nimis honorificati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum;* ita confortatus, vt eripi illis numquam possit. Quàm iustè Deus Sanctos suos hoc honore coronet, sæpe etiam in hac vita fit perspicuum; planè tamen ac plenè, in vltimo Mundi iudicio, omnibus innotescet. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus*, ait Apostolus, *qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuiq;*

Psal. 138. 17.

1. Cor. 4. 5.

vnicuiq; à Deo. Neque enim *amici* tantùm, aut *benedicti, seruiq; fideles* vocabuntur Sancti, sed etiam peculiariter eorum merita virtutesq; recensebuntur, quando dicetur: *Esurijui enim, & dedistis* Matth. 25. 35.
mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Quantò magis recensebuntur opera maiora fortitudinis & charitatis? vt tunc omnia vulnera & tormenta, quæ ob Dei nomen sustinuerunt martyres, coram toto Mundo glorioſissimè celebrentur. Quemadmodum & scelera impiorum omnibus patefient, vt de diuina iustitia vbique palam constet. Quamquam, sicut maxima hominis excellentia consistit in beatitudine eius, quæ est hominis bonum perfectum, ita & summus honor est, si illa innotescat. Innotescet autem, quando *Filius hominis confitebitur eum in gloria Patris sui, coram Angelis eius,* Marc. 8. 38.
non tantùm in iudicio extremo, sed etiam in cælo, per omnem æternitatem. Quæ gloria tanta est, vt meritò ad eam appetendam nos excitans Apostolus dicat: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. 18.
Sicut enim ingentes obelisci magno quidem negotio statuuntur, &, ob immensum molis pondus, difficilè collocantur; sed semel collocati infinitis durant sæculis: ita arduum est, parare sibi in cælo coronam, sed parata numquam intermorietur. Superat ergo infinitis modis laborem honor, & ærumnam omnem gloria sempiterna; quæ tantò maior est gloriâ omni humanâ, quantò pluris est Dei, quàm hominum de homine notitia atque iudicium faciendum. Vnde stultissimi sunt, qui malunt apud mortales, quàm immortalem Mundi Principem æstimari, & claresceré.

II.

Alter honor à solo item Deo, sed non æternus, tributus est homini, cùm initio conderetur, tam præstantibus naturæ & gratiæ donis ornatus, vt eum considerans rex exclamârit: *Quid est homo, quòd memor es eius? aut Filius hominis, quoniam visitas eum?* Psal. 8. 5.
Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi. &c. Quantus iste honor erat? Ex luto eum produxit; filium terræ dominum terræ fecit, & hæredem cæli; non solùm intellectu præditum,

ditum, sed etiam iustitia originali indutum, omniq́ue virtutum genere condecoratum; quondam etiam è Paradiso terreno in cælestem transferendum, atque iuxta Angelos collocandum. Verùm *homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Secutus sensum, amisit intellectum; non quidem vt nihil, sed vt minùs intelligeret; iamq́ue mentis impetu rationem obfuscante, tantum deflexit ab honore, quantum recessit à virtute. Sicur ergo iure suo Conditor, qui mali author esse non potest, opus magni mundi perfectum produxit, ita & paruum mundum voluit esse vndique in origine sua ornatum. *Hoc inueni*, ait Ecclesiastes, *quòd fecerit Deus hominem rectum:* qui si *ipse se infinitis miscuit quæstionibus*, & perturbationibus, sibi culpam, non Deo ascribat. Deus qui virtutes dedit, id dedit, vnde gloria surgeret: homo, qui vitijs se mancipauit, caussa fuit earum rerum, vnde ignominia nasceretur. Neminem itaque potest de amisso honore, aut ignominia illata, nisi se ipsum accusare, malum quod patitur suo sibi iumento accersiuit; dum voluit esse sicut dij, malè se in beatam, seu Macariam, vt dicitur abstulit.

Pſal. 48. 13.

Eccleſ. 7. 30.

III.

Quoniam autem, etiam post Adami peccatum, multæ adhuc res in homine excellentes permanserunt, neque omnes virtutes extinctæ sunt, debetur illis ex natura sua honos, tamquam testimonium excellentiæ. Et quidem illis operibus, quæ non solùm cum diuina gratia, sed etiam ab eo fiunt, qui est ipse in gratia Dei, debetur honor æternus ab eo, qui diligentibus se *coronam iustitiæ* promisit, quiq́ue *glorificantes se glorificat*, iuxta illud: *Quicumq; glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Aliquando tamen etiam in hac vita amicos suos honorat; aliquando finit etiam ab alijs honorari; aliquando hunc fugitiuum honorem illis negat, subducit, succidit, semper iustis de causis. Neque enim Deus vlli mortalium, ob quamcumque virtutem, debet honorem temporalem. Etsi enim, vt D. Augustinus ait, *illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt*, sæpe tamen, saltem ad tempus eosdem finit aliqua ignominiæ nota infamari; vt innocentem Ioseph, & castissimi nominis feminam Susannam, qui etsi illicita fugerint, tamen eos Deus passus est de adulterijs infamari, vt patientiæ laus accederet ad castitatem. Quemadmodum enim

1. Reg. 2. 30.

S. Augustin. serm. 64. de tempore.

enim aromata vehementiùs fragrant, cùm mouentur, aut teruntur; sic virtutis fama latiùs diffunditur, quando rebus aduersis exercetur. Vnde quidam, per ignominiam eunt ad famam bonam: neque est parua gloria, infamem simul patienter fuisse, & innocentem.

IV. Nascitur itaque hîc quæstio est, cur tantum voluerit Deus à natura hominibus honoris appetitum ingenerari? Cui D. Thomas respondet, omnes naturali beatitudinis suæ desiderio teneri, felicesque esse velle, si ex toto non possunt, saltem ex parte. Cùm igitur beatitudo sit excellentia quædam, & quidem maxima, neque honor aliud quid, quàm testimonium excellentiæ, sit vt homines honorem maximè desiderent, eoque vehementissimè delectentur, quia ex eo testimonio iudicioque, se se felices & excellentes esse intelligunt. Qua de causa etiam potissimè volunt à sapientibus honorari, quorum iudicia putant minùs errare, esseque veriora. Etsi autem per peccatum debilitata est hominis natura, non tamen est extirpata. Sicut igitur aliquod desiderium beatitudinis, ita & quidam amor honoris mansit, in eo tamen & ipse corruptus, quia sæpius tendit in fugitiuum, quàm permansurum honorem; neque eo semper modo, aut fine tendit, quo deberet tendere. Quamuis nonnumquam, sapienti Numinis prouidentia, sicut ex ipsa peccati permissione, ita etiam ex prauo honoris appetitu, multa bona suam sumunt occasionem. Multi etiam, dum eum vincunt, diabolum vincunt; multi dum ab eo ordinato, vel etiam inordinato reguntur, peccata horrent, ne bonum apud homines nomen amittant: multi opera quædam suscipiunt laboriosa & dura, quæ honoribus adiunctis molliuntur; multi honoribus, velut pueri crepundijs, placantur, & sinunt se se velut melimelis satiari: dum enim gloriam æternam non merentur, recipiunt in operum suorum mercedem gloriam temporalem: multi excitantur ad artes inueniendas vel exercendas; multi ad virtutes ipsas tandem recto ordine colendas; multi ad amicitias conciliandas, & gratitudinem exhibendam; multi dum alios honorant, Deum ipsum in alijs honorant. Denique per hunc honorem ad æternos honores extimulantur. Quæ omnia explicatiùs ostendam.

S. Thom. 1. 2. q. 2. a. 2. ad. 2.

V. 1. Ad captandas vanas hominum laudes quidam sibi statuas posue-

posuerunt, quæ postea in Diuorum conuersæ sunt simulachra. Vestierunt se multi & multæ auro & argento, vt coram oculis humanis splenderent, sed postea is omnis ornatus cessit in ornatum templorum. 2. Ferrum priùs calore solutum ac mollitum, postea frigidâ durescit ac solidatur aquâ; ita multi honorum spe aut adeptione deliniti; postea animum ad æternos honores, & solidas virtutes appulerunt. *Monachus quidam presbyter multorum fratrum pater existens, qui solitus erat S. Pachomium crebrò visitare, venit ad eum cum vno fratre, propter contentionem, quæ in monasterio orta fuerat, ex hac videlicet caussa: Is ipse frater, qui cum eo pervenerat, molestus erat ei nimium, clericatûs desiderans dignitatem: quem sciens indignum tali munere, diuerso modo, ne hoc ipsum fieret, differebat. Et cùm amplius importunitatem eius ferre non posset, venit ad S. Pachomium, cuncta quæ negotij erant eidem pandens, certus, quòd ipse solus contentiones huiusmodi posset absoluere. Qui cùm caussam pleniùs cognouisset, ait Presbytero: Nonnè ad hoc venisti, vt per me cognosceres Domini voluntatem? Audi ergo me, & da ei quod postulat, nihil in hac parte desperans. Fortassis enim per hoc officium liberabitur anima eius de captiuitate diaboli. Sæpe namque contingit, vt homo malis affectus beneficijs ad bonos se conferat mores. Desiderium namque meliorum, pium nouit ingenerare propositum, his dumtaxat animabus, quæ non vsque adeò negligentiæ torpore prolapsæ sunt, vt possint studere virtutibus. Nos ergo frater, hoc agere decet, quod Deo placeat. Sic enim dilectio eius in nobis esse probabitur, si compatimur alterutrum. Hoc accepto responso, senior fecit, quod sibi fuerat imperatum. Sed frater ille voti compos effectus, ad B. Pachomium reuersus est, iam mente sobrius atque compunctus, & cadens in faciem confitebatur dicens: O homo Dei, multùm sublimatus es à Deo, qui discernens ea, quæ pertinent ad salutem, malum in bono vicisti. Si ergo non fuisses erga me mitis, atq; longanimis, sed aliquid in me rigidum protulisses: ab hoc discedens habitu, à Deo prorsus alienus efficerer. Nunc autem benedictus tu Domino, per quem anima mea salua facta est. Tunc eleuans eum de terra venerabilis senex, hortabatur sedulò, vt vitam sumeret congruam dignitati, ne quando negligens perpetua in futuro tormenta sentiret. Et osculatus eum, dimisit in pace: quem etiam vsque ad fores monasterij prosecutus est.* Vtitur hac Pachomij arte sæpe Deus, dum enim ad honores

Heribert. Rosweid. lib. 1. vit. SS. PP. in vita S. Pachomij Abbatis Tabennens. c. 35.

honores admittit illos, qui in priuata vita fuissent magistri omnium petulantiarum, sæpe graues efficit atque modestos. Quia honores mutant mores: & alia officia alia exigunt facta. Quoties enim vidimus eos, qui subditi videbantur libertate maiore vtentes, postea superiores factos strictissimum vitæ genus amplexos esse? quoties Canonicos audiuimus dissolutos, mitrâ impositâ, coërcitos? Vno verbo, multi gradus altiores malè appetierunt, sed bene vsi sunt; & per ipsum errorem grassati sunt ad veritatem. Nimirum vt nutrices pueris dicunt, ne plora, & accipies; ita talibus dicendum est, ne stationem desere; ne abijce arma; dabo, & cedam tibi hac vice; vt tu quoque alia vice discas cedere.

VI.

3. Nimirum *non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*, cedit ad tempus, & concedit honores etiam illos, quorum appetitum satius esset domare. Et sanè, cùm tantum in honoribus situm esse bonum existimemus, magnam Numini victimam offerimus, & cacodæmonem vehementer mactamus, si mactemus honoris appetitum. Excelsi enim animi est, cùm præclara gesseris, gloriam contemnere. Cuius rei, in ipso Domino illustrissima exempla habemus. Nam quando eum Satan tentauit, vt ex lapidibus panes faceret; atque rursus, vt se deorsum mitteret Angelorum manibus excipiendum, & de tam claris miraculis agnoscendum; reiecit à se tentatorem, docuitque nos, ne gloriam à miraculis captaremus. quemadmodum nec ipse voluit glorioſum illud spectaculum vulgari, quo solis instar in monte Thabor explenduit, *nemini* inquiens, *dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Alia vice, *cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Atque iterum, cùm eum interrogaret Pilatus: *Tu es rex Iudæorum?* respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sic titulos abdicare, sic fugere purpuram, sic docuit nos nihili facere præsentis vitæ dignitates; & vincere diabolum; dum vincimus honoris cupiditatem, quæ tamen in illo, non fuit, qui dixit: *Ego gloriam meam non quæro.* Et didicerunt multi, de quibus supra. Et cur non didicissent Christiani, cùm, teste Suetonio. Domitianus Romanorum Imperator paucis notum esse dixerit, quàm misera & ærumnosa sit imperantium conditio,

Heb. 4. 15.

Matth. 4. 3.

Matth. 17. 9.
Ioann. 6. 15.

Ioan. 18. 33.

Cap. 21. §. 5.

Sueton. in Domitiano.

qui à tyrannidis falsa suspicione tum demum liberantur, cùm diem iam extremum claudunt. Iouianus certè in Romanorum Imperatorem electus, cùm argueretur, quòd eam dignitatem reiecisset, atque insignia Imperatoria recipere planè recusaret, respondisse fertur: *Se virum Christianum nequaquam ijs imperare posse, qui Graecissarent, superstitionesq; sectari didicissent.* Tanta vbique est hominum improborum multitudo, vt si eam imperaturi considerarent, aut perspectam haberent, prorsus cum Iouiano sensuri videantur. Sensit cum illo Otho Imperator Romanorum, qui sæpenumero dicere solebat ad suos: *Nescitis, amici, quid sit Romanorum gubernare Imperium: mihi credite iam experto, qui iam mori malo, quam imperare.*

Nicephor. Callist. lib. 12. Eccl. hist. cap. 38.

Bruso. lib 3. cap. 13.

VII.

4. Multi honoris amantes, peccata vitant, ne dedecus & infamiam incurrant. Hac enim de caussa dicitur: *Curam habe de bono nomine.* Vt enim virtuti laus debetur, ita vitijs ignominia est annexa. Quàm multi iactantiâ abstinent, ne dicantur Thrasones, aut Ardeliones esse videantur? Quàm multi deposita reddunt, ne infideles esse putentur; & quamuis auidi, manus abstinent, à pecunijs alienis, ne pro Autolycis habeantur? quia *melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Alij, tametsi ficci, vino sibi interdicunt, ne laudem amittant temperantis. Quidam casti manent, ne prole secuta, eorum libido prodatur. Nec coram viris honoratis impatienter erumpunt alij, licet graui iniuria affecti; qui, si arbitri deessent, ita insanirent, vt viderentur de potestate mentis exijsse. Nullum denique vitium est, quod ab honoris appetitu non refrænetur, aut ab ignominiæ metu non cohibeatur. Cùm aliquando diffluxisset exercitus, & non remansissent, nisi octingenti viri, Iudas *dixit his, qui residui erant: Surgamus, & eamus ad aduersarios nostros, si potuerimus pugnare aduersus eos. Et auertebant eum dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modò, & reuertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabimus aduersus eos: nos autem pauci sumus. Et ait Iudas: Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Verè generosi ducis idea erat Iudas. Alij ignaui, & ad telas potiùs quàm telanati, nihil pensi habent, quidquid fama ferat; dicantur timidi; vocentur

Eccli. 4. 15.

Prou. 22. 3.

1. Mach. 9. 8.

vocentur puellæ, & Phrygiæ, non Phryges; nominentur lepores, Endymiones; Sardanapali, strenui ad pocula; inuiti ad prœlia; nihil illos tangit; haud enim magni faciunt honorem, qui res suas sibi habere iusserunt virtutem, numquam facilè ad bonum nomen redituri. Vt enim ignis accensus sine labore seruatur, extinctus autem difficulter iterum accenditur; ita famam tueri facile est, extinctam haud facile recuperare. Quare *paucorum virtus ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id est virtute ipsa nitentium etiam à Catone laudata est. Idq; talibus potissimùm concessit hominibus ad domanda grauia mala multarum gentium, qui causſa honoris, laudis, & gloriæ consulerent patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemq; eius saluti suæ præponere non dubitarent, pro isto vno vitio, id est, amore laudis pecuniæ cupiditatem & multa alia vitia comprimentes*, ait S. Augustinus. S. Augustin. lib. 5. de ciuit. cap. 12.

VIII.

5. Labor omnibus rebus magnis annexus, honoribus mitigatur, qui si sperati non fuissent, nullum vmquam Herculem, nullum Iasonem, Theseum nullum habuissemus. Quid enim Herculem ad tot adegit labores, nisi famæ sitis? Quid Iasonem & cæteros Argonautas, vt primi fragilem committerent pelago ratem, & ad vellus aureum aspirarent, nisi gloriæ cupiditas? Hanc viderunt

Phasidis in ripa stantem iuuenesq; vocantem,

& neque sæuas maris tempestates, neque metuendas draconis vigilias timuerunt. Quamquam autem isti tales in eo errârint, quòd virtutum suarum finem mercedemq; in laude ponerent, quemadmodum &

Cùm sæuum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis: Catull. de Nupt. Peleï & Thetidos.

multi tamen sunt alij, qui tametsi altiorem negotijs suis scopum præfigunt, multum tamen etiam roboris ex honore, labores officiaq; comitante, adipiscuntur. Si enim tam multi horrent munera ac dignitates honoratas, ob onera periculaq; ijs velut Herculeo nodo affixa, quid facerent, si honores deessent? Vt ergo amaras pilulas inaurant Pharmacopolæ, ita Deus grauia atque onerosa officia honoribus ornata reddit dulciora. Et quemadmodũ nulla vmquã mater tot molestias ab infante suo pateretur, nisi

amore labores omnes temperante; ita vix quisquam sustineret incommoda regiminis, nisi accederet amor honoris, qui velut baculus sustentat senem, fulcit sarcinas magnas humeris baiulantem. Hac de caussa coniunxit Deus labores & honores, vt illi per hos dulcescerent, isti autem ignauis per illos amarescerent. *Quinim Camillus*, teste Lampridio, *antiquæ familiæ senator, homo delicatissimus, rebellionẽ moliebatur, tyrannidem affectans. Id eùm Alexandro Imperatori renuntiatum esset, statimq; probatũ, ad palatium eum rogauit, eiq; gratias egit, quòd Reip. curam, quæ bonis viris recusantibus imponi solet, sponte reciperet. Mox ad senatum processit, ac tanti sceleris conscientia trepidum, consortem Imperij appellauit, in palatium recepit, ornamentis Imperialibus, & melioribus, quàm vtebatur ipse, decorauit, profectionis comitem adhibuit. Cumq; Imperator ipse pedibus iter faceret, inuitauit & Quinium delitijs assuetum ad laborem, quem post quinque millia passuum cunctantem equo sedere iussit. Cumq; post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoque respuentem, ac Imperium tædio laborum recusantem; deniq; & mori paratum dimisit, ac militibus, à quibus Cæsar præcipuè diligebatur, commendatum, ad villas suas tutò abire iussit. Sic illi commonstrauit, quid esset, gerere Imperium.* Nimirum similis musto absinthium habenti est omnis dignitas, quæ vel est dulcis amarities, vel amara dulcedo. Hæc mixtura nisi esset, vellent omnes imperare; nunc labor multos absterret; qui rursum nisi & mel suum haberet adiunctum Imperium plerique detrectarent. Sapienter Saturninus, hortantibus militibus, vt Imperium susciperet, aiebat, *Nescitis, ô milites, quantum mali sit imperare; gladij vt appendentes ceruicibus imminent: hastæ vndique, spicula, ipsi custodes timentur; ipsi comites formidantur; non cibus pro voluntate; non iter pro authoritate; non bella pro iudicio; non arma pro studio.*

Bruf. lib. 3. cap. 13.

IX. 6. Mille sunt modi, quibus homo hominem potest offendere, inter præcipuos autem est, quo eumdem solet placare, si verbis læsum, verbis rursum sanet; loco vituperij laudes reponat. Quemadmodum enim nutrices vagientibus pueris rursum apponunt papillam; ita is, qui offensus est contumeliâ, rursus laude subleuatur, honoribus sanatur. Miserat Pilatus Christum Dominum ad Herodem, quia cognouerat, *quòd de Herodis potestate esset:* ob quem

Luc. 23. 12.

quem honorem, *facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem.* Quin & subditi honoribus deliniuntur, vt iugum subiectionis æquiùs ferant. Non enim putant se seruire, si sentiant honorari. Quamobrem interrogatus Apollonius à Babyloniæ rege, quo modo tutò regnare posset? respondit, *Si multos honorauerit.* Discunt enim vicissim regem honorare, qui, quid sit honorari, experiuntur. Neque sanè habent maiorem mercedem, quam virtuti aliorum reponant, honore, quo præclara illorum facta venerentur; præsertim apud eos, qui nebulas in pariete solent adorare.

CAPVT XXIV.

Per laudem gloriamq; humanam, multos non solùm ad artes, verùm etiam ad virtutes fuisse excitatos.

QVàm vtiles, imò quàm necessariæ sint mortalibus artes in hac vita, quotidie experimur. Atqui honor ad artes quærendas homines incitat, ad inueniendas iuuat, roborat ad amplificandas. Vetus enim è Platone dictum illud transtulit Cicero: *Honos alit artes.* Sicut igitur veterum heroum quò quisque ingeniosior erat, eò liberalium artium cognitione magis delectabatur; quæ delectatio vt cresceret, præmijs nouarum artium inuentores, vel magistros incitauerunt. Quemadmodum enim agri & horti fertiliores fiunt, si largiter irrigentur; ita bonæ artes eximiaque ingenia liberalitate, honorificentia, & benignitate magis efflorescunt, si habeant fautores. *Da Mecænates, plures habebis Marones,* inquiebat ille. Erat enim ille Pœtarum amantissimus, vt eis benefacere vellet: erat ditissimus, & Augusto ex intimis, vt benefacere posset. Et quis est mortalium omnium, qui non, si laborum suorum fructum speret, ad quiduis promtior alacriorque efficiatur? Quare mirandum non est, olim tot artes repertas esse atque studia litterarum tantopere floruisse, cùm prisci proceres tam grati, tamque munifici fuerint aduersus eos, qui doctrina, peritiaque liberalium, immò etiam mechanicarum artium excelluerunt. Olim, quando viri docti & prudentes rerum potiebantur, viros quoque doctos honorabant; nunc quia sæpe

I.

Cic. lib. 1. Tuscul.

rudes ad clauum promouentur, vel graſſantur, doctos deſpiciunt: olim eruditos fouebant; nunc eoſdem deprimunt: olim amabant, colebant, locupletabant rerum peritos; nunc vel inuidi, vel ſordidi, vel moroſi ſunt erga eoſdem; quia non intelligunt eorum labores, neque experti ſunt moleſtias, quas illi ſubierunt. Denique ars non habet oſorem, niſi ignorantem; ſi enim pretium illius apprehenderet mente, propter artem amaret artificem imperitus. Nimirum quò indoctior eſt quiſque, & imprudentior, enimuerò ſtolidior, eò ſua magis æſtimat, magisque deprimit aliena. Ab hoc errore, vt homines abducerentur, atque vt omnia ex induſtria facere aſſueſcerent, voluit diuina ſapientia, & artes, & virtutes, honoribus acui. Siquidem, vt Claudianus canit,

Cladian. in laud. Stilicon. paneg. 2. Bruſon. lib. 3.

Egregios inuitant præmia mores.

Et quamuis multi boni artifices malis ſint moribus, tamen etiam hoc ſæculo à multis honorantur, ob vtilitatem. Apud Theſſalos capitale eſt, occidere ciconiam, non ob aliud, niſi quòd ſerpentes interficiat: parcitur & apud Britannos miluis, quòd vrbem raptis extis repurgent: ita & opificibus & artificibus quibuſdam bibulis, & ganeonibus, honor, habetur, non quòd ipſi digni ſint, ſed quòd illorum opera nobis ſint vſui. Apollonius rogatus à Babyloniæ rege, quomodo tutò regnare poſſet, *Si multos* inquiebat, *honoraueris, paucis verò crediderís.*

II. Quantum ſtimulum artificibus adiecit Alexander Macedo, cùm edicto vetuit, ne quis ſe præter Lyſippum ære, Praxitelem marmore, Apellem coloribus fingeret? Titillauit & Æſchylum mirificè, quòd populus Athenienſis ſtatuerat, vt ſolius illius fabulæ poſt eius mortem referrentur. Hinc falſum illud eius dictum, *Cum Euripide ſimul mortuam tragœdiam:* quia eo mortuo, tragœdiæ illius non recitabantur, ſed ſuæ tantùm. Quamquam Euripidis tragicorum principis tanta fuit authoritas, apud Syracuſanos, vt cùm duce Gylippo Syracuſani maximam cladem Athenienſibus intuliſſent, Niciam & Demoſthenem Imperatores occidiſſent, multos captiuos duxiſſent; multi captiuorum, cùm verſus Euripidis memoria tenerent, ob eos ipſos, libertate ſint donati à Siculis hunc Poëtam ſummè admirantibus: qui poſtea Athenas reuerſi, Euripidi pro libertate data gratias agebant.

Scaliger. lib. 3. Poëtices. cap. 37.

Plutarch. in vita Niciæ.

bant. Multi per ciuitates Siciliæ dispersi ac vagi, victum sibi horum versuum recitatione comparabant. Quæ res non amorem tantùm laboris, verùm etiam enthusiasmum, aut furorem quendam in Poëta excitauit; qualem in se quoque fuisse excitatum fatetur Lucretius, qui ita canit:

Percussit thyrso laudum spes magna meum cor.

Apud Seruium legimus, Virgilium Poëtam tres suos libros Æneidos Augusto recitasse. II. III. & VI. sed sextum maximè ob Octauiam Augusti sororem, Marcelli matrem, quem Marcellum sibi Augustus adoptauerat, qui terris ereptus est, Anno XVIII suæ ætatis, morbo correptus. Hæc igitur Octauia, cùm recitationi interesset, & Virgilius ad carmina illa veniisset, circa finem VI. libri, quibus Marcelli luctum describit, animo defeciisse dicitur, quando ad illum peruentum est locum. Ita Phil. Casmer. cent. 1. Horar. subsec. c. 4.

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Ex eo animi deliquio ægrè refocillata Octauia, fertur Virgilio silentium indixisse; sed dena sestertia pro singulis versibus numerari iussisse, qui versus sunt vnus & viginti numero. Poëta igitur paucis versibus meruit supra quinque millia aureorum. Honorarunt & Homerum Cretenses, qui eum, ob illustre opus, mille numismatis dono datis condecorauerunt; idque genus honoris vt constaret etiam posteris, ac perennaret, publico loco columnæ incidendum curauerunt. Obtigit & Chærilo pöetæ hic honos, qui pro singulis versibus singulos stateres reportauit. Antilochus autem ob pauca sanè carmina à Lysandro retulit pileum argento impletum. Neque omitti debet Seuerus Cæsar, qui Oppiano, quòd piscium genera, naturam, & qua arte singuli capiendi sint, numeris descripsisset, pro quolibet versu aureum iussit persolui; illaque sua munificentia tantam hominibus excitauit admirationem, vt Oppiani carmina, ad hodiernum vsque diem, aurea nominentur. Horum omnium carmina non solùm fuerunt inaurata, quia erant pretiosa, verùm etiam pretiosa fecit spes inaurandorum. Certè vix quisquam poëta fuit, qui non cecinit, vt caneretur; & non lusit, vt ei plauderetur. Vena poëtica sine laude, est Virgil. lib. 6. Æneid.

de, est arena sine calce. Hinc in Comœdijs consueta illa addebatur clausula: PLAVDITE.

III. Quin & oratores accendit laudis amor, & historicos, & alios scriptores, quorum libri lucernam olent. Neque enim cum seruili se schemâ procedere ratus est Cicero, quando dicere potuit: *Oratores visi sumus*. Et apud alios quoque magnam vim habuit populi acclamatio. Placuit & Demosthenes sibi, quando intellexit, nomen suum ad regem vsque Persarum perlatum esse. Nam is per litteras satrapis imperauit pecuniam vt darent Demosthenis, atque consilijs eius, præ omnibus Græcis, obtemperarent, quòd tumultibus Græcorum distinere Macedonem & inuoluere valeret. Comperit hæc postea Alexander, qui epistolas quasdam Demosthenis, & Sardibus inuenit ducum regiorum monumenta, quibus exprimebatur pecuniæ ei datæ summa. Quid putemus animi fuisse illi oratori, de quo sacra pagina hæc habet: *Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis!* Prodijsset vtique sæpius ad dicendum, nisi diuina Nemesi iubente, aqua illi hæsisset. D. Hieronymus testatur, à Gadibus hominem Romam veniisse, vnius T. Liuij videndi studio, cùm facundiæ eius fama ipsos traxisset. Hi maiore admiratione Liuium intuiti sunt, qui populi Romani res gestas scripsisset, quàm vrbem illam, quæ res ipsas ediderat; multis admiratione captis, quòd in vrbe orbis terrarum principe, in qua innumerabilia erant, quæ spectare homines cupere possent, aliud esset, quod Gaditani plus, quàm vrbem ipsam cernere desiderarent. Habebat tunc Liuius caussam & stimulum plura scribendi, vt plura essent, quæ Gaditanos raperent in admirationem. Et Iosephi quoque Iudæi excitatus est calamus, quando propter libros de captiuitate Iudaica scriptos statuam Romæ obtinuit, sub Vespasianis. Denique, ne in infinitum hîc campum excurram, Ptolomæus Philadelphus Ægyptiorum Rex, qui quinto quoque die priuatorum caussas audire solebat, semel verò in mense legatos; quàm primùm septuaginta duo Iudæi interpretes venerunt, cum illis, teste Iosepho, assiduè per duodecim dies versatus est, tum vt eos honore debito exciperet; tum vt ad opus æterna memoria dignum animaret. Mechanicas quoque

Plutarch. in Demosthene.

Act. 12. 22.

Fulgos. lib. 2. cap. 5.

Ioseph lib. 12. Antiq. c. 2.

que artes, quamuis earum artifices lucrum potiùs spectent, quàm famam, tamen laus quoque sæpe produxit. Vnum de mille promam, in quo peritia nomen, nominis honor artem auxit. Demetrius Poliorcetes erat in excogitandis bellicis machinis supra modum industrius, multaque, præter architectorum artem, inueniebat. Ex quo, vt Diodorus refert, *Poliorcetes*, id est, vrbium euersor nominatus est. Hac nominis laude extimulatus, in oppugnationibus tanta vi atque impetu vtebatur, vt nullus ita firmus murus esse videretur, qui posset obsessis aduersus illum præbere præsidium. Nec sanè latet quemquam, omnes opifices esse accuratiores, si in rebus elaborandis maiorem honoris ac nominis sui, quàm pecuniæ habeant rationem. Pretium operarios, gloria Dædalos facit. Sed ad virtutes est properandum, quibus itidem honor magnò sæpe fuit incitamento; quamuis multa huic quoque loco seruientia sequenti capiti sunt reseruanda.

Diodor. lib. 20.

IV.

A Sapientia atque Philosophica prudentia incipiamus, eæ virtutes mirum est, quàm laudatæ crescant. Carolus V. Imp. in Italiam profectus Neapolim venit. Ibi erat Augustinus Niphus Suessanus, summus ea ætate Philosophus, cuius eruditi in plerosq; Aristotelis libros extant Commentarij. Fama igitur tanti viri motus Imperator, eum ad se venire iussit, comiterque salutatum ab eruditione laudauit. Niphus, ne opinionem suam, quæ apud Cæsarem erat, contaminaret, tantò attentiùs ad singula respondit. Carolo igitur, inter cetera interrogante: *Qua ratione Princeps optimè regnum administraturus sit?* Respondit Niphus: *Si tales, qualem tu me esse putas, Imperator, consiliarios & administros habuerit.* Responsi acumen admiratus Carolus, encomijs maioribus ornatum à se dimisit; fecitque laudando, vt post illa, maiores promereri laudes conaretur: Tantum calcar habet gloria. Iosephum ducem Iudæum captum Vespasianus semper inter domesticos habuit sapientissimè consulentem. Qua alia de causa, nisi, quia Iotapata Galileæ vrbe excisa, omni studio Iosephum, ob eximiam belli prudentiam, inquisiuit, vt viuum caperet? Cùmque in spelunca quadam latentem comperisset, Nicanorem tribunum misit, qui data fide eum educeret. Eductum, facta corona, milites omnes admirabantur, & circumstabant. Imprimis verò Titus Vespa-

In Cælij Secundi acroamate.

Ioseph. lib. 3. c. 14. de bell. Iud.

siani F. sapientiæ & fortitudinis ergo vitam ei apud patrem impetrauit, neue Romam ad Neronem mitteretur, effecit. Quæ beneuolentia & honoris exhibitio, ita eum cepit, vt cum Vespasiano libens maneret; & qui ei antè armis maximè repugnauerat, iam consilijs potissimùm vires suppeditaret. Addamus huic Iosepho Iosephum alterum, quem sua sapientia ita promouit, vt ex seruo empto, apud principem exercitus, ad summam eueheretur dignitatem. *Inuenitq; Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa, quæ ei tradita fuerant.* Huius honoris gratia ita valuit multùm, vt Iosephi prudentiâ, cuncta Putipharis substantia *tum in ædibus, quàm in agris* multiplicaretur. Sed & honoranti domino ita ea dignitas Iosephum gratum effecit, vt mœchæ identidem sollicitanti diceret: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quo modo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* cuius nutu hæc mihi potestas delata est. Vt enim in hominem non facilè peccamus, à quo beneficijs honorati sumus; ita multò minùs peccare debemus in Deum, ob beneficia præterita, præsentia, & futura quæ promisit, in quo viuimus, mouemur & sumus; cuius beneficium est, quidquid boni in corpore animóque possidemus. Itaque S. Augustinus, de Iosepho loquens ex S. Ambrosio hanc sententiam affert: *Amator Dei, dilectissimi, amore mulieris non vincitur, castum animum incitans adolescentia non permouet, nec diligentis auctoritas. Magnus planè vir, qui venditus seruire tunc nescivit, adamatus non redamauit, rogatus non acquieuit, apprehensu aufugit.* Cur? causlam putidissimæ mœchæ ipse indicauit: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, &c.* & ego tanto honori ingratus, illam vnam rem, quam mihi nec tradidit, nec tradere potuit, appetam? Honorem quidem illum non appetiui; sed quia mihi beneficio & heri, & Dei obuenit, indignum foret, si & in herum, & in Deum meum peccarem. Non solùm igitur prudentiæ exerendæ Iosepho, cum potestate, data est occasio, verùm etiam castitatis conseruandæ. Cuius virtutis vt custos est pudor, ita quoque insignis solet esse stimulus honor, vt videre fuit in Sulpitia

Gen. 39. 4.

S. Augustin. serm. 23.

Paterculi filia, vxore Fuluij Flacci, pudicissima femina, quæ matronarum sententiâ, ex centum præcipuis electa est, vt simulachrum quoddam ex Sibyllinis libris dedicaret; vti & Claudia, inductâ Romam deûm matre. Adeò in his creuit pudicitia honorata, vt Liuius scribat, Hispulam scortum Romæ nobile, à Sulpitia accersitam, propè exanimatam fuisse, quòd tam grauem esset feminam conuentura. Nimirum apud ingenuas mentes, etiam post pudorem amissum, adhuc pudicitia gliscit, & multùm ad reuerentiam alterius valet bonum nomen. Degeneres animas nec pudor cohibet, nec trahit honor; quia illis potior est voluptas, quàm honestas.

Plin. lib. 7. cap. 35.

Ludouic. Viues lib. 2. de Christian. femina.

V.

Multa hîc possent commemorari de liberalitate, de humanitate, de clemẽtia, de obedientia, de fidelitate, alijsq; virtutibus, per honoris illecebras auctis: sed mihi sufficiet, si de fortitudine aliquid attingam. Multos enim incendit honor, ad præclara facinora perpetranda. Hinc Dio Chrysostomus pro non immutandis antiquis statuarũ titulis perorans, cùm essent, qui suaderent, vt ijs oblitteratis adscriberentur noui, atq; hac ratione sumptibus parceretur, in hunc modum locutus est. *Homines indigent & corona, & imagine, & primo loco in consessu, & memoria ad posteros. Et iam multi propter hæc mortui sunt, vt vel statuã nanciscerentur, aut præconium, aut alium honorem, atque suis posteris relinquerent opinionem sui æquam memoriamq;. Si quis igitur à vobis sciscitetur, vniuersis his olim ablatis, nullaq; in posterum recordatione relicta, neque laude benefactorum, quotumcumq; putetis virum emersisse admirandum apud omnes, promptéq; in bello decertantem aut tyrannos expellentem, aut semetipsum liberosq; deuouentem salutis communis gratia, aut magnos exantlantem labores virtutis caussa? quemadmodum Herculem fecisse aiunt, & Theseum, aliosq; semideos & Heroas; neminem vos nominare posse puto. Nam caussam, quæ prouocet quemlibet pericula contemnere, & labores sustinere, vitamq; voluptuosam & socordem despicere faciat, haud aliam vllam apud plerosque inuenias. Hoc est, quod in pugnis facit strenuos viros ex aduerso vulnerari, neque tergo dato aufugere: tametsi nonnumquam salutis id præsidium sit. Propter hoc ait Poëta, Achillem noluisse summam consecutum senectutem domi mori: atque Hectorem solum stetisse ante ciuitatem: cumq; omnibus, si oporteret, pugnare*

Dio Chrys. orat. 30.

fuisse paratum. Hoc erat, quod Lacedæmoniorum quosdam fecit in locis angustis, in acie stare aduersus tot Persarum millia. Hoc fecit vestros maiores omnem terram & mare implere trophæis: & quum reliqua Græcia quodammodò extincta esset, solos ipsos per se defendere communẽ Græcorum auctoritatem vsque ad præsens tempus. Apud Athenæum, Macedones in more habuerunt, vt nullus inter conuiuas discumberet, nisi extra retia aprum interfeciſſet, tunc enim sedere inter conuiuantes licebat. Apud Herodotum legimus, Scythas semel quotannis singulos regionum principes vinum crateri miscuisse, de quo Scythæ omnes biberent, qui hostium quempiam occidissent; nemo autem gustaret, qui nihil præclari operis edidisset. Is enim, qui feciſſet nihil laude dignum, sine honore, seorsim sedere debebat. Quæ res apud eos maximæ erat ignominiæ. Quòd si quis complures hostium cædes poterat enumerare, illi fas erat, duobus pariter, qui aderant, calicibus potitare. Sic simul & vini, & laudis, & laboris fecerunt sitientes. Hic honoris modus ad plures transijt. Nam & apud Gothos honorificum fuit, regiæ mensæ adhiberi; & Alboinus Odouni Gothorum regis filius, interfecto hoste, ad regiam mensam est accumbere iussus: & in sacris historijs Dauid gigante Goliath confecto, apud regem Saulem id honoris est consecutus, vt nouilunij die cum rege accumberet. *Ecce calenda sunt crastino*, ait, *& ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum*, quod etsi ex æmulatione Saulis propè in exitium Dauidis cessit, tamen initio factum est, ad plura eius facinora elicienda. Quod & Xerxes Persarum rex fecit qui etsi Græci nominis acerbissimus hostis esset, Themistoclem tamen Athenienſem patria pulsum, atque ad barbaros se recipere coactum, singulari honore lætitiaque excepit, sæpiusque inter suos dixit, videri sibi, felicem se esse, quòd à fortuna Themistoclem amicum accepisset. Cuius rei tanta eum lætitia ceperat, vt sæpe noctu experrectus, ministros rogaret: *An secum Themistocles esset?* Quin vt fortitudinem eius bellicam excitaret, huiusce modi verbis congruentia addidit facta: vrbes enim opesque ingentes ei dono dedit. Et quorsum ab antiquis trophæa erecta, quorsum extructi arcus triumphales, quorsum decreti sunt triumphi, nisi vt alij quoque ad hostes profligandos debellandosque animarentur? Neque alia de causſa

Athen. lib. 1. cap. 11.

Herodot. lib. 4.

1. Reg. 20. 5.

Plutarch. in Themistocle.

Herodot. lib. 2.

causſa Seſoſtris Ægypti rex duplicis generis trophæa ſtatuit, vnum, quo hoſtes viros, alterum, quo feminas fuiſſe oſtenderet. Voluit enim docere, quo bello laus, quo dedecus ac quireretur. Quamobrem & memoria fortiter factorum, & ſtimulus, eiuſcemodi honoris monimenta fuerunt.

VI.

Qui tamen ſciebant, vnde victoriæ eſſent, Domino exercituum gloriam dabant. Ita Machabæi rebus fortiter *geſtis, in hymnis & confeſſionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Iſrael, & victoriam dedit illis.* Ita & populus Iſraëliticus canebat: *Tua eſt, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria atq; victoria: & tibi laus.* Quin & Gentiles quoque, quamuis errore veri Numinis decepti, tamen, non ſibi, ſed ſuperis eam gloriam attribuebant. Orthryades Lacodæmonius, cùm ſolus contra Argiuos fortiter pugnando euaſiſſet, ex cæſis ſcuta corripiens trophæum erexit, proprio inſcribens cruore: *Ioui, in cuius poteſtate ſunt trophæa.* Æneas de Mecentij Rutulorum regis exuuiis trophæum poſuit, cùm

2. Machab. 10. 38.

1. Paralip. 29. 11.

Chryſermus lib. 3. rer. Peloponneſiacar. & Plutarch. in Paral.

Ingentem quercum deciſis vndiq; ramis
Conſtituit tumulo: fulgentiaq; induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi, magne trophæum
Bellipotens, aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaq; trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,
Perfoſſumq; locis: clypeumq; ex ære ſiniſtræ
Subligat: atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

Virgil. lib. 11. Æneid.

Satiùs videt, inquit S. Auguſtinus, *qui & amorem laudis vitium eſſe cognoſcit, quod nec Poetam fugit Horatium qui ait: Laudis amore tumes, ſunt certa piacula, quæ te Ter purè lecto poterunt recreare libello. Idemq; in carmine Lyrico ad reprimendam dominandi libidinem ita cecinit: Latiùs regnes auidum domando Spiritum, quam ſi Libyam remotis Gadibus iungas, & vterque Pœnus Seruiat vni. Verumtamen qui libidines turpiores fide pietatis, impetrato Spiritu ſancto, & amore intelligibilis pulchritudinis non refrenant, meliùs ſaltem cupiditate humanæ laudis & gloriæ, non quidem iam ſancti, ſed minùs turpes ſunt. Etiam Tullius hoc diſſimulare non potuit, in ijſdem libris, quos de repub ſcripſit, vbi loquitur de inſtituendo principe ciuitatis: quem dicit alendum eſſe gloria, & conſequenter commemorat maiores ſuos multa mira atque præclara gloriæ cupiditate feciſſe. Huic ergo vitio non*

S. Auguſtin. lib. 5. de ciuit. c. 13.

solùm non resistebant, verùm etiam id excitandum & accendendum esse censebant: putantes hoc vtile esse reip. Quamquam nec in ipsis Philosophiæ lib. Tullius ab hac peste dissimulat, vbi eam luce clarius confitetur. Cùm enim de studijs talibus loqueretur, quæ vtiq; sectanda sunt fine veri boni, non ventositate laudis humanæ, hanc intulit vniuersalem generalemq; sententiam: Honos alit artes, omnesq; accenduntur ad studia gloriâ, iacentq; ea semper quæ apud quosque improbantur. Huic igitur cupiditati melius resistitur sine dubitatione, quàm ceditur. Tantò enim est quisque Deo similior, quantò ab hac immunditia mundior. Quæ in hac vita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animos tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ. Vt si alicubi iacent, quæ apud quosque improbantur: si bona, si recta sunt, etiam amor humanæ laudis erubescat & cedat amori veritatis. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quam Dei timor vel amor, vt Dominus diceret: Quomodo potestis credere gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam, quæ à solo Deo est non quærentes? Item de quibusdam qui in eum crediderant, & verebantur palàm confiteri, ait Euangelista: Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei. Itaque danda est opera, ne propter honorem amplectamur virtutem; tamesi, vt vmbra nos vel inuitos comitatur, ita gloria stimulus virtutis virtutem sequatur etiam fugientem; quæ quamuis rectè facientes delectat, tamen aliunde insidiatur, & plus iuuat eos, qui laudant, quàm qui laudantur. Vt enim lumen magis prodest ijs, qui vident, quàm qui videntur; sic gloria famaque virtutis magis confert ijs, qui eam admirantes ad imitationem accenduntur, quàm quibus ea contingit. Hinc multi virtutis æstimatores honorem Mundi non pluris faciunt, quàm fumi vmbram.

Ibid. cap 14.

CAPVT XXV.

Quibusnam honor, & qualis? præsertim Parentibus, Præceptoribus, & Senioribus debeatur?

I. HAnc gloriæ mercedem, etsi vanum sit sibi, vt finem virtutis, proponere; tamen iustum est alijs persoluere. Et peccat, qui quos debet non honorat. Honoramus autem

tem varijs modis alios, vt initio dixi, si scilicet non solùm bonam de illis existimationem habeamus, sed etiam eam opinionem alijs manifestemus, aut verbis, aut signis; dum illos comitamur, suscipimus, officijs muneribusue donamus; item dum ijs in quacumque necessitate assistimus, subijcimur, obsequimur, seruimus. Talem honorem præcipit Deus exhiberi. 1. Parentibus: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram*, itemq; *Maledictus, qui non honorat patrem suum & matrem.* 2. Præceptoribus. Aristoteles præfert parentibus præceptores, ab illis enim habemus, vt simus, ab his vt boni simus. 3. Senibus: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum.* 4. Coniugibus, quibus D. Petrus scribit, vt *subditæ sint viris suis, &c. sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ.* 5. Dominis: *Serui obedite Dominis carnalibus*, ait Apostolus, *cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* 6. Benefactoribus, hinc Manue dixit ad Angelum: *Quod est tibi nomen, vt si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te?* & Assuerus Mardochæum iussit, per Aman honorari. 7. Rerum peritis: *Honora medicum, propter necessitatem.* 8. Amicis: ita *erat Daniel conuiua regis, & honoratus super omnes amicos eius.* 9. Viduis: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* 10. Magistratibus: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem:* 11. Sacerdotibus & Dei ministris: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. Et, dignus est operarius mercede sua.* 12. Sanctis, sicut cùm Paulus patrem Publij saluauit: *Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur: qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt, quæ erant necessaria;* ait D. Lucas. 13. Denique omnibus; *Omnes honorate*, ait S. Petrus, *fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.* Immo plus vult S. Paulus, *vult enim nos esse charitate fraternitatis inuicem diligentes: honore inuicem præuenientes.* 14. Si omnibus, quippe ni & Deo? Cui nullus amicus est in honore anteponendus:

Exod 20 12. Deut. 27 16. Leuit. 19. 32.

1. Pet. 3. 6.

Ephes. 6. 5.

Iudic. 13. 17.

Esther 6. 6.

Eccli. 38. 1.

Daniel. 14. 5.

1. Tim. 5. 3. Rom. 13. 7.

1. Tim. 5. 17.

Act. 28. 8.

1. Pet. 2. 17.

Rom 12. 10.

ponendus: *Deus vnus, amici plures.* Et si ad comparationem ve-
1. Tim. 1. 17. nitur: *Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

II. 1. Parentes honoramus amando; reuerentiam internam
Egnat. lib. 5. cap. 4. & externam exhibendo; obediendo; iuuando & subueniendo. Patrem amauit Cardinalis Grimanus, quem Egnatius refert, pro
Fulgos. lib. 5. cap. 4. patre Antonio carceri se se obtulisse. Patri honorem & reuerentiam internam externamque exhibuit Alexius Isaaci Imper. Constantinop. filius: is enim patrem à fratre Imperio oculisque orbatū in regnum armis restituit; & quamquam omnes eum Imperatorem salutarent, ipsum tamen hoc nomen cum Imperio in patrem
Phil. 2. 8. resignauit. Patri obediuit Christus *factus obediens vsque ad mor-*
Luc. 22. 42. *tem*, cui & dixit: *non mea voluntas, sed tua fiat.* Quin & Mariæ
Luc. 2. 51. matri, & Iosepho putatitio patri obediebat, quando *descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.* Patrem iuuit, eique
Plin. lib. 7. cap. 36. subuenit *humilis in plebe, & ideò ignobilis puerpera, quæ supplicij caus. sa carceri inclusam matrem, cùm impetrasset aditum, à ianitore, semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est vberibus suis alens: qui miraculo matri donata salus filiæ pietate est, ambaq; perpetuis alimentis: & locus ille deæ Pietati consecratus est, templo Pietati extructo, in illius carceris sede, vbi nunc Marcelli theatrum est.* Idem fecit filia Cimo-
Val. Maxim. lib. 5. nis ducis; hæc enim Cimonem *consimili fortuna affectum, pariq;*
Fulgosus loc. cit. *custodiæ traditum, iam vltima senectute, velat infantem pectori suo admotum aluit*, teste Valerio. Plus fecit homo Toletanus, cuius aurarius faber à Petro primo rege Castilionis, ob falsas suspiciones, ad mortem damnatus erat, tum enim filius amore in patrem singulari, lachrymis, precibusque agere non destitit, vt, seruato patre, ipse pro eo occideretur. Quod assecutus, vitamque amittens, vitam dedit patri à quo acceperat: innocens occisus pro innocente. Videant hîc filij & filiæ, qui paternas cantiones haud canunt, sed parentes disciplinæ amantes odio prosequuntur; rident, irrident, despuunt; neque eis obsequuntur; aut succurrunt, sed eis per furta pecuniam, per detractiones bonum nomen, sæpe etiam per venena & aperta parricidia vitam subducunt; videant, inquam, quàm vita ipsi indigni sint; quamq; longè à Dei præcepto recedant, statim enim post DEVM iubentur colere parentes,

parentes, ob similitudinem quam habent cum Deo, vt D. Thomas docet, ab illis enim accipiunt vitam, escam, doctrinam, fidem. Quia igitur vita est à parentibus, sicut feudum à principibus; si fideles sunt, eius conseruationem, si infideles eius priuationem merentur. Vel ciconias imitemur, quæ parentes, cùm senuerunt, plumis suis fouent, humeris gestant; escis nutriunt, vt D. Ambrosius monet. Vno verbo, ita filios constitutos esse oportet, vt nomen antè nostrum, quàm parentis nostri obliuiscamur. S. Thom. opusc. 7.

2. Parentibus præceptores assimilat Philosophus, quibus itidem par reddere non possumus; ita enim ait: *Magistris, dijs, & parentibus non potest reddi aquiualens*, vbi parentibus magistros præponit, quia ab illis vitam, ab istis bonam vitam habemus: &, vt Cicero ait: *Iidem erant antiquitus viuendi præceptores atque dicendi.* Hinc, vt idem alio loco scribit. *Pædagogi negligendi non sunt, sed quodammodo colendi.* Nam sicut parentes filiorum corpora effigiant, ita præceptor discipulorum mentes formar. Quæ res tantò pretiosior videri solet, quantò homo interior homine est exteriore præstantior. Lacon quidam pædagogus pueri cura susceptæ, cùm interrogaretur, quid esset illum docturus? *Efficiam*, inquit, *vt honestis delectetur, turpibus offendatur.* In veteri testamento, quanti fecit magistrum suum Eliam Eliséus, quem sciens raptum iri in cælum, deserere noluit, quamuis Elias ei diceret: *Sede hîc, quia Dominus misit me vsque in Bethel. Cui ait Eliséus: viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te.* Atque ita tertiò respondit, in exemplum eorum, quibus vel vna hora graue est cum Magistro suo ambulare. Quid dicam de Apostolis, Christum, vt *Magistrum* suum ac *Præceptorem*, venerantibus? eum vbique prædicantibus, & laudantibus? atque pro eius nomine sanguinem & vitam fundentibus? Theodosius *Imperator liberis suis virtutis magistrum præficere volens, Arsenio illi, cuius gloria terram sub sole omnem peruagata est, inuento, eos commisit: quibus ille susceptis, cùm disciplina omni præceptoria, tum liberali educatione, patris illis loco fuit. Imperator enim illum, ne quem ex Imperij sublimitate conciperet metum, sed illis potiùs vt seruis vteretur, admonuerat. Tantum verò vt id ille fecerit, abest, vt insigni modestia & moderatione diuersum potiùs feceris. Et cùm derepentè Theodosius ad eos aliquando veniisset, pueros quidem* III. Aristot. lib. 9. Ethic. Cic. lib. 3. de orat. Idem in Lælio Plut. in Lacon. 4. Reg. 2. Matth. 26. 18. Luc. 22. 11. Luc. 5. 5. 8. 24. 9. 33. 23. 7. Nicephor. lib. 12. hist. Eccl. c. 23.

eum splendore magnifico considentes, Arsenium autem inter docendum eis astantem reperit. Qua de caussa Imperator indignatus, cùm illos insignibus principalibus nudauit, tum sempiterna memoria dignum, & vere imperiale illud verbum est prolocutus: Si tales se prabituri essent, vt mores vitamq; suam ad disciplinam & leges Dei componerent, propensum & illum fore, vt eis Imperium in manus tradat, ad ciuium & subditorum commodum & vtilitatem accommodatum: sin minùs, conducibilius eis esse dixit, vt sic priuatim vitam exigerent, quàm doctrina nulla cum periculo imperarent. In hunc modum Theodosius filiorum, suorum Præceptorem Arsenium honorauit. Quid autem fecerit alter discipulorum, diuina prouidentia regente, sic pergit narrare Nicephorus. *Sed grauis ea prouincia. Arsenio visa est, qui cum eiusmodi odisset, & à talibus turbis & tumultibus alienissimus esset. Proinde Deum est precatus, vt honesta praberetur causssa, qua à præsentibus liberaretur vinculis. Et Deus breui id fecit. Admisit delictum quoddam Arcadius: quod quia impunitum relinquere non potuit, ferula illum coercens Arsenius castigauit. Atque ille factum id tamquam iniuriam agrè ferens, mortem ei est molitus. Consilium id clam cœptum ubi Arsenius resciuit, insolenti illo vestitu reiecto, quàm primùm in Scetum se contulit, & celitus ad se delatam vocem audiit: Arseni, tumultus fuge, & saluabere. Et, viuente quidem Theodosio, latuit. Postquam autem Arcadius ad Imperium peruenit, Angelicam eum consectari vitam innotuit. Proinde Imperator ad eum scribens, cùm precationem benedictionemq; eius, tum peccati gratiam ab eo petijt. Eidemq;, vt Ægypti totius tributum pauperibus præberet, permisit. Sed hoc ille non recepit.* Ita Arcadius discipulus, priùs ingratus, postea, quantum Arsenio deberet, agnoscens, Præceptorem suum honorauit.

IV.

Petr. Matth lib. 1. hist. Gallic.

Magnis & alij Principes honoribus Magistros suos sunt venerati. Hadrianum Præceptorem suum Carolus V. post varia atque magna beneficia in eum collata, sua commendatione ad Pontificatum promouit. Imitatus est parentem filius rex Philippus II. qui Præceptori suo Ioanni Martini, post complures alios honores exhibitos, Ecclesiæ Hispanicæ Primatum contulit. Matthias Coruinus Vngariæ rex Ioannem Vitesium Varadiensem Episcopum, Præceptorem suum amplissimo illo ditissimoque Comitatu perpetuo donauit; ac demum etiam ad Strigoniensis Episcopatus dignitatem

Anton. Bonfin. lib. 1. Decad. 4.

tatem eum euexit. De Ioannis Damasceni erga viuum Magistrum obseruantia, in vita eius memorat Surius. De Ioannis Quirini in defunctum Benedictum Primulum Præceptorem suum sepeliendum honorificentiâ refert Egnatius. Quantùm Clotarius Gallorum Rex filio Dagoberto, ob iniuriam Sadragesillo Pædagogo suo illatam iratus fuerit, memorat Robertus Gaguinus. Quàm demissè necessariam quodammodo absentiam à concione Præceptoris sui deprecata sit S. Elisabetha Regis Vngariæ filia, narrat Iacobus Montanus. Sed his omnibus omissis, non omittam in exemplum superborum iuuenum, atque Præceptoribus suis non modò non parentium, sed etiam contraria quæque audentium, recensere factum iuuenis æterna memoria commendandi. *Balduinus Hannoniæ Comes, qui Philippi comitis Flandriæ sororem Theodorici filiam in vxorem duxit, vir fuit non minùs virtutibus, quàm maiorum nobilitate illustris. In primis enim præclara non in parentes modò, sed etiam in præceptores fuit obseruantia. Illorum siquidem mandatis, ita parebat, vt ne latum quidem (vt aiunt) vnguem ab ijs discederet, neque vel minimam aut offensionis, aut iracundiæ ansam parentibus præberet. Præceptoribus verò tantum deferebat, eosq; ceu parentes venerabatur, quòd sentiret scilicet non minùs se Præceptoribus debere, quàm parentibus: ab his siquidem bene esse, ab illis autem, vt bene viueret, acceperat. Itaque iam factus eques, accidit, vt quodam die, quo Christianis lege Ecclesiastica ab altera corporis refectione abstinendum erat, apud quosdam esset, vbi ipso inscio erat etiam præceptor eius, & orexin equitando concitasset, cùm lupum piscem mensæ appositum dentibus attigisset, mox Præceptor ad primum bolum tussim emittit, quam Balduinus agnoscens, veluti pudibundus bolum sumptum ore eiecit dicens: Haud mihi salubris est piscis iste. Sicq; inde in cubiculum recessit, vbi tam propter Ecclesiæ mandatum, quàm propter Præceptoris reuerentiam, totam insequentem noctem, licet magna fame pressus, abstinuit.* Audiant hoc discipuli illi, quos nulla Magistri authoritas è ganeis potest abstrahere, neque à comessationibus & poculis absterrere. Præceptor, quemadmodum obedientiâ honoratur; ita peruicaciâ discipuli contemnitur; atque vt, illo absente, puerum insolescere leuioris est culpæ, ita iam iam illo imminente, vel præsente, idem facere, est superbæ mentis & indomitæ argumentum. Quidam

Surius 6. Maij, in vita eius cap. 18.
Egnat. lib. 5. cap. 2.

Robert. Gaguin. lib. 3. de gestis Francis sub Clotario.
Paul. Æmil. lib. 1.
Iac. Montan. Spirensis: in vita S Elisabethæ c 6.
Ex 3. volum. Annal. Hannon. c. 30.

etsi mali, tamen oculos adhuc magistri verentur, gnari scilicet dextrum pedem in calceo, sinistrum in pelui ponere; qui nondum omnino perierunt, quia illis saltem pudor non perijt. Qui autem etiam podoniptrum non admittunt, vtroque pede manent inquinati.

V. 3. Honor debetur senectuti. Si enim parentes, si præceptores sunt honorandi, meritò & senes honorantur, qui sunt instar parentum, atque instar præceptorum. Parentum instar esse, ostendit modus loquendi, quo seniores à iunioribus, ac rursus iuniores à senioribus vel *Patres*, vel *Filij* appellantur; & apud Romanos, senatores *Patres conscripti* solebant nominari. De Essenis Philo ait: *Reuerentia erga seniores & cura talis est, qualis esse potest Germanorum liberorum erga parentes.* Apud Plutarchum Teleclus rogatus, quare Spartani iuniores senioribus assurgerent? respondit: *Eò id fieri, vt assueti hoc honoris deferre alienis, tantò magis verentur parentes.* Esse autem instar Præceptorum senes, experientia & prudentia multis annis comparata docet; *corona senum multa peritia.* itemque: *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis, dare responsum.* Itaque iuuenum est, gerere se coram senibus, tamquam discipulos coram magistris. Et quia magistrorum est, docendo in cathedra sedere, discipulorum verò eis astare, atque auscultare, quemadmodum suprà vidimus à Theodosio iussos esse filios eius Arsenio astare; idcirco, vt Aristoteles vult, *omni seniori pro ætate honor reddendus est, assurgendo, & sessum cedendo*; quod etiam fieri iussit Plato. Hunc honorem ijsdem etiam tribuendum monet sapientia eorum, magistratu digna. *In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu verò seniorum verbum. Consilium, ratio, sententia, constant in senibus*, ait ille, *quæ nisi in illis essent, summum consilium maiores nostri non appellassent senatum.* Nimirum, vt Ouidius canit,

A senibus nomen vrbi senatus habet;

quemadmodum ἀπὸ τῶν γερόντων, apud Spartanos, γερουσία, quæ erat magistratus regi assidens. Et bene agitur in omni communitate, vbi seniores in consilium adhibentur; pessimè, vbi *rex puer est*, & pueros, aut iuuenes habet consultores, qui probatos maiorum

Plutarch. in Lacon.

Eccli. 25. 8.

Eccli. 8. 11.

Aristot. lib. 9. Ethic. cap. 2.

Plato dial. de legibus.

Eccli. 9. 24.

Cic. lib. de senect.

Eccles. 10. 16.

rum mores ac consilia ignorant. Luculentum exemplum est in diuinis litteris, istis iuuenum amatoribus, & rerum innouatoribus antiquarum (quasi illi parentibus suis rectiùs saperent) communitatumque optimarum euersoribus iterum, iterumque robustissima voce inculcandum, de rege Roboam, à quo populus petijt imminui iugum, quod ei imposuerat pater eius. *Iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius, cùm adhuc viueret, & ait: Quod datis mihi consilium, vt respondeam populo huic? Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusq; fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus. Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi.* Horum consilium secutus auertit populum à se, & excitauit ingentem tempestatem, secessionemque; quæ facta non fuisset, si ille senes honorasset, qui apud omnes semper sapientes in honore fuerunt; immò naturæ monitu, apud omnes nationes. *Est adolescentis,* inquit Cicero, *maiores natu vereri.* Et Naso: 3. Reg. 12. 6. Cic. lib. 1. de offic. Ouid. 5. Fast.

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani:
Inq; suo pretio ruga senilis erat.

VI.

Honorabant autem illos modis varijs. 1. Ipsum nomen *Senioris & presbyteri* erat olim honorificum, quod & in sacra pagina licet obseruare. Nam & Abraham *seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat,* inter præcipuos numerauit. Et cùm funus duceret Ioseph patris sui Iacob, honoris ergò *ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctiq; maiores natu terræ Ægypti.* Ipse Dominus Moysi dixit: *Vade, & congrega seniores Israel, & dices ad eos, &c.* Deniq; passim honoratiores populi, *seniores populi* vocitantur. Hispanis vox *senior,* nonnihil detorta in *Sennor,* & Italis *Signore,* significat dominum. Nunc *senex, vetulus, effatus, silicernium,* nomina sunt contemnentibus senectutem in ore, & lingua. Seniores, tamquam doctiores interrogabant: *Memento dierum antiquorum, cogite generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* Et Ecclesiasticus: *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Hinc antiquitus senum consilia, iuuenum lanceæ laudabantur Gen. 24. 2. Gen. 50. 7. Exod. 3. 16. Deuter. 32. 7. Eccli. 8. 12.

bantur; atque apud Homerum quoque Nestor in curia, Achilles in pugna celebratur. Audiendi igitur à iuuenibus sunt seniores. Quo honore Christus ipse voluit afficere doctores, quem parentes inuenerunt *in templo, audientem illos, & interrogantem eos.* Neque sanè paruus est honor, pro oraculo consuli, & audiri non secus, atque si ex tripode loquaris. Quem honorem non solùm sapientiæ magistri, apud Academicos, Peripateticos, Stoicos, ceterosq; Philosophos, sed ipsi etiam diuinitatis æmuli cacodæmones affectârunt. 3. Senes surgendo honorabant. Hoc est, quod Deus iussit illis verbis: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Quod præceptum quasi ad Lacedæmones quoque peruenisset, ita sedulò in theatris omnes venienti senibus consurgebant, eosq; sessum recipiebant. Senex in Olympijs cupidus erat spectandi certaminis, quod agebatur. Sed cùm nulla vacaret sedes, ad varia loca sese conferens, ludibrio erat, ac scommatis petebatur, quòd nullus eum exciperet. Vt verò peruenit ad Lacedæmonios, ibi non solùm pueri omnes assurrexerunt, verùm etiam viri multi cesserunt illi locum; Id factum cùm ceteri Græci, quotquot aderant, plausu comprobassent, patriumque morem supra modum collaudassent, senex

Concutiens canas q; genas, & tempora cana,
Ac fusis lachrymis,

Heu miseriam! inquit, *vt omnes Græci norunt, quid sit honestum, sed soli vtuntur Lacedæmonij!* Nimirum

Improbitas illo fuit admirabilis æuo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat; & si
Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.
Tam venerabile erat, præcedere quattuor annis,
Primaq; par adeò sacra lanugo senectæ.

Ioui, apud Homerum venienti assurgunt, & occurrunt omnes dij, sicut fit cùm nos magnos hospites excipimus. 4. Non assurgebant itaque tantùm senibus, verùm etiam occurrebant, immò loco cedebant. Alexander, cùm hieme duceret exercitum, assidens igni recognoscere prætereuntes copias cœpit. Cumque videret

Luc. 2. 46.

Leuit. c. 19. 32.

Plutarch. in Lacon.

Iuuenal. Sat. 13.

Homer. 1. Iliad.

Erasm. lib. 4. Apopht.

deret senem quendam horrentem frigore, & ad ignem stantem, considere loco suo iussit, dicens: *Si in Persida natus esses, in regia sella sedere tibi capitale foret: in Macedonia nato conceditur.* D. Benedictus duo vult, à iunioribus suis, senioribus impendi, *primum, vt vbicumque sibi obuiant Fratres, Iunior à Priore,* (seu seniore) *benedictionem petat*: alterum, vt *transeunte Maiore, minor surgat, & det ei locum sedendi: nec præsumat Iunior considere, nisi ei præcipiat Senior suus, vt fiat, quod scriptum est: honore inuicem præuenientes.* Addit, vt, *vbicumque sibi obuiant Fratres, Iunior à Priore benedictionem petat:* Vel nutu & capitis inclinatione, vel etiam, vbi & quando licet, addita voce illa: *Benedicite.* Et inter casus excommunicatione dignos sextus est, apud eumdem, si quis seniorum suorum contemptor repertus fuerit. 5. Senes ad cœnas inuitabant, & locum honoratiorem illis dabant. Quin, vt Valerius Maximus testatur, inuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei conuiuio essent interfuturi? ne senioris aduentum discubitu præcurrerent: sublataque mensa priores consurgere, & abire patiebantur. Ex quibus apparet, cœnæ quoque tempore, quàm parco, & quàm modesto sermone his præsentibus soliti sint vti. 6. Iuuenes senibus aderant quasi serui. Hinc Romani adolescentes seniores in curiam deducebant, atque extra curiam præstolabantur; vt eosdem domum reducerent. Iam vix eos volunt ad templum comitari. Vix adducuntur, vt parentum gratiâ se se submittant, ad officia mediastinorum. 7. Senibus, tamquam prudentioribus non solùm officia magistratus, sed alias quoque præcipuas dignitates committebant. Fridericus Imp. vt refert Æneas Syluius, cùm in vrbe quadam præfectum, senem admodum & ætate imbecillem dedisset, non defuerunt adolescentes, qui sibi præfecturam loci committi peterent. Cùm igitur senem amouendum dicerent, fertur Fridericus dixisse: *Senem amicum oppido, non amico oppidum commendamus,* sentiens, dignum esse, vt senex iam à ciuibus ad mortem vsque foueretur. Quid mirum est, si res iam à pueris pueriliter gerantur? olim senes rebus præficiebantur, vt omnia fierent cum maturitate. Væ illi communitati de qua dici potest: *Senes defecerunt de portis,* vbi iudicia exercentur; quid enim mirum est, si à iuuenibus iuueniliter iudicetur? Matura ætas, matura con-

S. Benedict. Reg. c. 63. Valer. Max. lib. 2.

Æn. Syl. lib. 4. de reb. gestis Alphons.

Thren. 5. 14.

ra consilia parit: & plerumque idem est inter senum ac iuuenum cogitationes discrimen, quod inter excoctos & crudos fructus. Quæ tamen vtique intelligenda sunt prudenter; non enim officijs sola ætas, sed matura & cordata ætas est præficienda. Neque sine pernicioſa consuetudine inductus est in nostram militiam illemos, vt non fortior peritiorque, sed antiquior militibus ducendis præponatur, siue leo ille sit, siue lepus. Aliter ratio, aliter suadet Theologia, quæ docet, digniorem in grauibus præsertim negotijs esse ceteris præferendum, non seniorem. Miseranda res est, nos, cùm ægrotamus, à medico imperito, qui iam dicitur aliquot cœmiteria impleuisse, refugere, tametsi diutiùs medicum egerit; & optimos quosque quamuis iuniores conquirere; at quando agitur de salute Reip. de belli capite, de rerum summa, tantùm aspicere ad antiquitatem, non ad virtutem: quasi non ignauissimus quisque, qui vel simulatione ægritudinis, vel dexterrima declinatione sese subducit occasioni præliandi, vel manifestâ fugâ prodit suam trepidationem, possit diutissimè in bello versari, atque ita fieri antiquissimus. Num idcirco existimandus est, esse dignissimus, qui fiat Imperator? Si tamen & virtus adsit, & ætas maturior, vtique erit iuniori senior plus meritus præferendus. Maxima malorum pars, ob quæ malè audit senectus, à vitijs hominum proficiscitur, vt apud Ausonium Chilon pronuntiat: habet autem senectus ex se nonnulla commoda, plurimarum rerum vsum, ac memoriam, consulendi facultatem, reuerentiam & authoritatem. Hæc si adsint commoda, absintque incommoda, ea senectus optabilior est multorum iuuentute, vitijs & inertia marcente. Videas autem in nonnullis iuuenibus senilem imbecillitatem, senilem somnolentiam, senilem ignauiam, senilem morositatem. Horum iuuentus peior est senectute. Nam cùm senecta carent, senio tamen abundant. 8. Senes emeritos, ac præsertim de Rep. bene meritos publicè alebant in Prytaneo, loco Athenis in arce dignissimo, qui honos habebatur maximus, teste Cicerone. Nam ibi & curia erat, in qua iudices & magistratus consilia agitabant: & locus in quo sacra fiebant ab ijs, qui maxima in vrbe pollebant potestate; ibi ergo senibus victus quotidianus præbebatur publicè, vt omnibus palam

Cic. lib. 1 de orat.

palàm constaret, eos honestè tractari. Hodie si fieri posset, omnes senes ad Ponum & Raspinum mitterentur.

VII.

S. Thomas scripsit, senectutem esse signum virtutis ideoq; honorandam, licet in ijs virtus quandoq; deficiat. Alij, eos honore dignos aiunt, quia Deum æternum, repræsentant, talem enim eum vidit Daniel. *Aspiciebam*, inquit, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda.* Et canum senem, non ob ætatis decliuitatem, sed ob æternitatis maiestatem; quam quisq; considerare potest, si in homine venerandam canitiem intuetur, eamq; vt par est, reueretur. *Ob istam animi tui submissionem, gloria te afficiet Deus*, ait S. Basilius. Qua gloria? respondet Isychius: Faciet, vt cùm senueris, eadem reuerentia tibi à iunioribus rependatur: si negligas senes, pœna talionis te senem puniet, vt à iunioribus quasi delirus contemnaris. Quamquam hoc ipsum in contemptoribus istis & turpe est, & iniquum. Turpe, quia rectè, apud Laërtium dixit Bion, nulli exprobrandam esse senectutem, ad quam omnes optant peruenire. Absurdum enim est, alijs probro dare, quod quis optat sibi contingere. Iniquum, quia sapienter dicebat Cato, *cùm senectuti adsint multa probra, non esse addendum* aliud dedecus: sentiens, senectutē non solam venire, sed multis nominibus vulgò malè audire: veluti cùm audit deformis, edentula, luscioſa, imbecillis, obliuiosa, indocilis. Adde, & morbida, & morti atque capulo propinqua. Hæc ferre satis est, quid ætate curuo, ac gibboso pondus aliud addis? Deploratur meritò ciuitas, cuius pueri, sene conspecto, clamant: *ascende calue, ascende calue*, vrsorum dentibus digni, de qua canitur: *Facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt*: itemq;, *qui non sunt reuerite senem.* Quid illis fecit Dominus? *Adduxit super illos gentem de longinquo, gentem improbam, & alterius linguæ.* Alexander Bucephalum, iam senem ab alijs equis gestandum curare solebat, donec ad hostem ventum esset, vt integer ad pugnam veniret: ita senum vtendum opera, vt eis adimatur, quantum potest laboris, ad necessitatem vsus illorum reseruetur. Iuuenes imprudentes, inexperti, crudeles, omnia in senes reijciunt onera, quæ ipsi ne digito quidē attingunt, atq; vel ob hoc ipsi indigni, qui ad

S Basil. libr de abdic. rer. Isych. in c. 19. Leuit.

Laërt. lib. 4. cap. 7.

Plutarch. in Rom. Apoph.

4 Reg. 2. 23.

Thren. 4. 16.

Baruch. 4. 16.

senium perueniant, quod venerari nescierunt. Itaque iuxta vetus illud laudatumq; prouerbium, *maturè fiat senex, quicumq; diu vult esse senex;* quorum enim virtutem veremur, eorum etiam ætatem meremur.

CAPVT XXVI.

Coniugibus, Dominis, Benefactoribus, rerum peritis, & amicis honorem deberi.

1. HOnos debetur coniugibus. Honorantur autem, si amantur. Est enim & amor, si signis externis prodatur, testimonium excellentiæ eius, qui amatur. Qua de causa & Paulus ait: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit.* Vxoribus autem quid dicit? *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Hæc sunt officia viri & vxoris; vir enim vxori amorem, vxor viro debet timorem & reuerentiam, quasi subdita. Non imitantur Christum mariti in vxores suas truculenti; sed qui prudentia, grauitate, & patientia commune onus ferunt, quemadmodum tulit Christus peccata Ecclesiæ suæ ac sponsæ, quã sanguine suo expiauit; Neq; officium suum faciunt vxores, quæ audent procaciter, & inuerecundè maritis obloqui, quos deberent reuereri & cum reuerentia alloqui, sicut Sara reuerita est maritũ suum Abraham, quem *Dominum* vocauit: aut ficut Monica honorauit Patricium virum infidelem, de qua D. Augustinus Deum sic alloquitur. *Educata pudicè, sobriè, potiusq; à te subdita parentibus, quàm à parentibus tibi, ô Domine, vbi plenis annis nubilis facta est, tradita viro seruiuit veluti Domino, & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas & reuerenter amabilem atque mirabilem viro suo.* Secus agunt illæ vxores, quæ dominæ vocari, & esse volunt virorum suorum; atque vt dominentur, non prudentem maritum quærunt, sed vecordem & vxorium, ac stolidum, vt eum habere possint sub sua potestate, eoq; tamquam mancipio vti: cumq; aliàs mulierem ornet silentium, illæ luculentè ostem-

Ephes. 5. 25.

Gen. 18. 12.

S. Augustin. lib. 9. Confession. c. 9.

ostendunt, non deesse sibi verba, quoties vir, sine illarum nutu, pedem mouet. Vno verbo in illa domo nec obedientia est, nec reuerentia, in qua mulier & Imperator est, & miles. Hæ, quæ malunt dominari dementibus maritis, quàm sanis ac prudentibus parere, teste Plutarcho, perinde faciunt, ac si quis in itinere malit ducere cæcum, quàm sequi videntē, & viæ gnarum. Itaq; vir vxorem debet diligere, vxor virum vereri. Sic S. Pauli, & verò etiam S. Petri suprà citato præcepto fiet satis; sic coniugium erit honoratum. Vt enim corpus nihil potest absq; animo, neq; animus rectè valet, nisi corpore incolumi, ita inter vxorem & maritum, nisi sit honor & amor, non est coniugium, sed tormentum. Fusè de hoc argumento egi, in tractatu de fastis & infastis matrimonijs.

II.

5. Quemadmodum Apostolus iubet *mulieres viris suis subditas esse, sicut Domino*, ita & seruis dicit: *Serui obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, non hominibus, scientes quoniam vnusquisq; quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes, quia & illorum & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud eum.* Eadem repetit ad Colossenses scribens, Honorant ergo dominos Serui, dum eis cum timore seruiunt. D. Hieronymus tradit, sub initia fidei Christianæ, multos, cùm audirent se vocari ad libertatem Christianam, putasse per eam solui à vinculo seruitutis; sicut, priore sæculo, putarunt rustici in Germania, seruilem adhuc, vt dicitur, capillum præ se ferentes, quos tam in suam, quàm in dominorum perniciem ad rebellionem accendit & armauit Lutherus; ita vt ex eis cæsa sint centum millia. Quem errorem dudum euertit Concilium Gangrense hoc decreto: *Si quis seruum diuini cultus, aut aliquo religionis pretextu doceat contemnere dominum, & recedere a seruitute, non autem in bona voluntate & omni honore seruire dominis suis, anathema esto.* Ait autem S. Paulus *Serui obedite dominis carnalibus* (seu sæcularibus) *cum timore & tremore*, vt seruilis conditio exigit; immò quia Christus in iudicio

Ephes. 6. 5.

Colossens. 3. 22.

S Hieron. in ep. ad Ephes.

Conc. Gangrens. can. 3.

Col. 3. 22. huius obedientiæ à vobis rationem exiget; vnde ad Colossenses addit, *timentes Deum* obedite. Nec obedientiam tantùm exigit, sed obedientiam simplicem, non fraudulentam; & *sicut Christo*, non fictè, non coactè vt serui Gentiles faciunt plerumque, de quibus Plato scribit: *Nihil in animo seruiente integrum est, nec quidquam seruorum generi est credendum, quod & sapientissimus Poëta testatur, cùm sic ait: Dimidium mentis Iuppiter illis aufert, qui seruituti subiecti sunt.* Fides Christi hanc barbariem emendat; vt dici possit, quod Plato ibidem habet: *Multi iam serui sunt meliores ad omnem virtutem fratribus & filijs, qui domos, & rem dominorum omnem, ipsosq; dominos seruant.* Qualis seruus fuit Pharaonis Ioseph Patriarcha in Ægypto, venditus à fratribus, & S. Paulinus Nolanus, qui se ipsum Wandalis, pro viduæ filio, tradidit in seruitutem, pium & fortem spiritum seruili nomine includens. Ob candidos mores ac sinceritatem, Romani veste candida donabant seruum, cùm eum in libertatem assererent; tenentesque caput eius dicebant: *Hunc hominem liberum esse volo*, & mittebant eum manu sua. Tales seruos, ob mores quò minùs expectatos, hoc laudabiliores, saltem post hanc vitam, Deus quoque manu mittet. Vult itaque & alibi Apostolus *seruos dominis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes; sed in omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Vel Comicum audi:

Plato dial. 8. de legibus.

Gen. 37. & 39.

1. Tit. 2. 9.

Plaut. in Persa.

Qui hero suo seruire vult, bene seruit seruitutem,
Na adepol illum multa in pectore suo collocare oportet,
Qua hero placere censeat præsenti atque absenti.

III. Multa hîc possent exempla recensèri honoris, quem serui dominis suis obtulerunt; ego quoniã dominus domino, & seruus seruo præstat, vnicum apponã de Vrbini Panopionis seruo. *Qui cùm ad dominum proscriptum occidendum domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosset, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clam emisit, se autem in tubiculum ac lectulum recepit, & vt Panopionem occidi passus est. Brutus huius facti narratio. sed nõ parua materia laudationis. Nam si quis ante oculos ponere velit subitum militum accursum, conuulsa claustra, minacem vocem, truces vultus, fulgentia arma; rem vero æstimatione pre-*

Val. Maxim. lib. 6. c. 8.

ne prosequetur. Nec quàm citò dicitur aliquem pro alio mori voluisse, tam id ex facili etiam fieri potuisse arbitrabitur. Panopion autem quantum seruo deberet, amplum ei faciendo monimentum, ac testimonium pietatis grato titulo reddendo testatus est. Hoc est quod etiam Apostolus à dominis vicissim exigit, cùm ait: *Et vos domini eadem facite illis: remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud eum.* Itaque non est imperiosè cum illis, & sicut Lacedæmonij olim cum Messenijs egerunt, teste Iustino, agendum, non superbè, non tyrannicè, sed tamquam cum conseruis, quia vni Deo pariter seruiunt & dominus, & seruus; & talem se dominis exhibebit cælestis Dominus erga illos, qualem se terreni isti exhibent erga suos seruos, vtique dicturus: *Nonnè oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Et vel Macrobius docet, seruos ab heris benignè tractandos esse, natura ita iubente, & lege conditionis humanæ, quippe cùm ex eisdem elementis consent vtrique, & seruitus non à natura, sed à fortuna sit introducta. *Hinc nostri maiores*, inquit, *omnem dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum patrem familiæ, seruos familiares appellauerunt. Colant ergo te potiùs serui tui, quàm timeant. Cogita, quem seruũ tum vocas*, ait Seneca, *ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æquè spirare, æquè viuere, æquè mori. Nam tu illum ingenuum videre potes, ille te seruum. Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, & alijs intrantibus excludi. Mariana clade multos splendidissimè natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem cæsa fecit. Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Plato, qua Diogenes?* Vidit Demonax quemdam in seruum crudeliter verberibus sæuientem, illumque ita compellauit: *Vide, ne seruo tuo similis fias*; immò deterior. Nam Diogenes dicere solebat, inter seruos ac dominos malos, præter vocabula, aliud nihil interesse, nisi quòd mancipia seruirent dominis, domini cupiditatibus: significans vtrosque esse seruos; miseriorem seruitutem seruire dominos, quàm mancipia, si sint improbi. Nam qui ducitur affectuum arbitrio, & multos habet dominos, & turpes, & inclementes. Quamobrem rectè monuit sapiens: *Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: ne defraudes illum libertate, neque*

Ephes. 6.6.

Iustin lib 3. Vide S. Augustin. lib. 19. de ciuit. c. 16.

Matth. 18. 33.

Macrob lib. 1. Saturn. c. 11.

Senec. ep 47.

Laërt. lib. 6.

Eccles. 7. 27.

inopem derelinquas illum. M. Crassus magnam seruorum turbam domi alebat, & præcipuam eorum agebat curam, discentibus assans interdum, & docens eos; dicebatque: *Hanc oportere præcipuam esse patris familias sollicitudinem, nosse, quot sint rei familiaris animata instrumenta.* Vtinam & nostri domini ita agerent, ne dici posset, *seruis nullum otium;* sed Christianè illis inuigilarent, eosque docerent, cum doctrina sacra, bonos mores, neque à templis adeundis impedirent! haberent tunc non rei tantùm familiaris, sed etiam salutis suæ animata instrumenta, vnà enim orarent, vnà laudarent Deum; iste clementer & piè iubendo, ille libenter & sanctè obediendo. Quales fuêre SS. martyres Vitalis & Agricola, quorum martyrium describit S. Ambrosius. Nam prior horum posterioris seruus fuit, sed talis seruus, vt etiam consors & martyrij collega esse vellet; in quem persecutores omnia tormentorum genera exercuerunt, ita vt non esset in corpore eius sine vulnere locus: quæ constanter perferens, in oratione spiritum Deo reddidit. Agricola autem plurimis vndique clauis cruci immaniter affixus interemptus est. Vnà passi, vnà sepulti, vnà sunt coronati, Translationi eorum S. Ambrosius, cùm Bononiæ interesset, martyris clauos, sanguinem triumphalem, & crucis lignum se collegisse refert, ac sub sacris altaribus condidisse.

Baron. in Martyrolog. Roman. 4. Nouemb.

IV.

6. Benefactoribus iure naturæ dandus est honos: alioquin enim ingrati animi vitium incurrimus. Nam *si ea quæ vtenda accepimus, maiore mensura reddimus: quid beneficio prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multò plus adferunt, quam acceperunt?* ait Tullius. Et Poëta. *Quod bene fit bonis, haud perit.* Et potest quidem varijs modis gratia pro gratia rependi, potest par pari reddi; potest reddi pro plumbo aurum; potest quis ab auro reddendo excusari: sed ab honore reponendo nemo excusatur: omnes possunt honorare suum benefactorem; dum eius liberalitatem ac beneficia prædicant; dum ei gratias habent; dum, quod benefactum est, non obliuiscuntur; dum quocumque modo eum colunt; quo pacto non solùm Manue voluit honorare Angelum sibi apparentem, sed etiam Tobias Raphaëlem, de quo ad filium dixit pater: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Et respondens Tobias dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid*

Cic. lib. 1. de offic.

Plaut. in Rud.

Iudic. 13. 17. Tob. 12. 1.

quid dignum poterit esse beneficijs eius? Et recensuit beneficia accuratè. Abraham victoria & spolijs lætus, quo honore acceptus est à Rege Sodomorum? qua gratulatione & pompa? Ruth quantâ reuerentiâ *cadens in faciem suam, & adorans super terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos?* &c. Innumera sunt exempla sacra & profana eorum, qui benefactores suos honorauerunt. Ægyptij non Dijs tantùm, aut hominibus, sed ipsis quoque brutis animalibus grati esse voluerunt. Romulus & Remus, cùm expositi ad Tiberim essent, & à lupa nutriti, eius beneficij memores Lupæ simulachrum Romæ posuerunt. Quid miremur, Deum dixisse, eum, qui hausturn aquæ frigidæ, nomine suo, porrigeret, mercedem non perditurum? Agrippa cùm Romæ esset, atq; eum ob falsas suspiciones Tiberius catenis ante palacium ad arborem vinciri iussisset, vt inde in carcerē duceretur; eo in loco, propter solis ardorem, animiq́ue molestiam, magna siti torquebatur, vt Baptista Fulgosus narrat. Ibi ergo prætereuntem Taumastem vidit Caij seruum, aquæ prægelidæ vas ferentem; orauit, vt bibere se sineret. Quod ille amanter cùm fecisset, dixit Agrippa, se pro hac re gratiam aliquando ei relaturum. Haud multò pòst igitur Tiberio Caius in principatu successit, à quo Agrippa, qui in eius contemptum captus fuerat, liberatus, atque in Iudæa rex constitutus fuit, qui tunc à Caio impetrauit, vt eius precibus Taumastes liberaretur. Itaque postea in suorum numerum acceptum, regni procuratorem fecit: moriensq́ue testamento cauit, vt vxor atque liberi, eodem apud se loco Taumastem retinerent. Si ergo & Agrippa, & Deus ipse pro frigida aqua honorant dantem, an non pro maioribus beneficijs, maior quoque honos erit rependendus? Creditori præter sortem numeramus extra ordinem; beneficiorum vsum cur esse gratuitum iudicemus? Quia, vt Aristoteles ait, *laus & gratiarum actio debetur danti;* sicut enim mensarij non grauatim reddunt deposita pignora, vt quæ in hoc ipsum acceperint, vt restituant; sic nos, quod ab alijs accepimus. Enim verò, vti faba & lupinum non exhaurit, sed stercorat agrū, ita gratus, & refert, quod accepit, & meliorem reddit fortunam eius, à quo beneficio adiuuatur: cùm autem gratia tanta referri non potest, quanta debetur, habenda tamen tanta est, quantam maxi-

Gen. 14. 17.
Ruth. 2. 10.
Marc. 10. 42.
Aristot. lib. 4. Ethic.

Vide Senecam de beneficijs.

maximam animus capere potest. Verùm de hoc argumento, ij qui de beneficijs, & gratitudine scripsêre, prolixè disputárunt. Nobis ea cura esse debet, vt benefacta non solùm non occultemus, aut malè locata dici patiamur; verùm etiam, vt delicta ipsa aliorum in nos pensemus benefactis.

V.

7. Rerum peritis honorem deberi, inde notum est, quia honor ipse nihil est aliud, quàm testimonium excellentiæ; peritia autem rerum vtiq; est quædam excellentia. Hinc in scholis Baccalaurei, Magistri, Doctores creantur; neque ipsi opifices antè magistri vocantur, quàm peritiæ suæ specimen ediderunt. Tantò autem isti magis honore digni sunt, quia sunt saltem in certogenere sapientes. Dicitur enim belli dux sapiens miles, dicitur sapiens pictor, sapiens architectus. Cur autem dicitur: *Honora medicum, propter necessitatem*, & non potiùs propter excellentiam, aut sapientiam? ex necessitate nimirum medici monemur, ne parci in illum simus, quæ si non esset, parum illi ob sapientiam, aut excellentiam suam daremus. Nunc autem ex necessitate illius excitamur ad diuinam sapientiam excellentiamque laudandam. Quamobrem non dicitur tantùm: *Honora medicum propter necessitatem*, sed additur mox caussa illa: *etenim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela, & à rege accipiet donationem.* Qualem accepit Theombrotus medicus, seu, vt alij eum nominant, Erasistratus, ab Antiocho rege, quem talentis centum sanauit. Manilius Cornutus, prouinciæ Aquitaniæ legatus, mentagra fœdissima correptus, & sanitati restitutus, Medico, honorarij nomine, persoluit ducenta sestertia, quæ summa est nostrorum aureorum 4000. Erasistratus, ob Antiochum ab insano amore malè sanatum, à Seleuco patre eius donatus est sexaginta millibus aureorum. Recentiora sunt exempla. Thadæus Florentinus Medicus, in tanta fuit authoritate, vt extra vrbem proficiscenti sæpe in singulos dies numerarentur 50. coronati, & ad Papam Honorium IV. ab eo habuerit 100. Itaque toro, quo valetudinis illius curam gessit, tempore, fertur decem millia coronatorum collegisse. Petrus etiam Apponensis, medicus Patauinus, numquam valetudinis curandæ caussa ad ægros extra vrbem Bononiensem vocatus prodijt, quin acceperit dietim 50. coronatos. Et sunt qui dicant eumdem,

Eccli. 38. 1.

Vide Philipp. Camerar. cent. 1. Horar. subseciu. c. 4.

eumdem, ad Pontificem Honorium ægrotantem accersitum, singulis diebus, quadringentos coronatos, salarij loco, accepisse. Ludouicus quoque XI. rex galliæ, apud Cominæum, medico suo, menstruum stipendium decem aureorum millia dare solebat; sic, vt intra quintum mensem ille ab eo ad quinquaginta quatuor millia reportaret. Nec medicus iste dumtaxat, sed etiam nepos eius, atque eius ceteri vel propinqui, vel amici, eamdem ob causam fuerunt honorati. Nam nepoti rex Episcopatum Ambianensem, amicis munera publica largiebatur. Quamquam sint, qui existiment, eam liberalitatem metu potiùs, quàm reuerentia fuisse extortam. Persuaserat enim regi medicus, si ab eo discederet, regem diu superstitem viuere non posse. Non repetam hîc fabulosa illa de Apolline seu Phœbo, eiusque filio Æsculapio, de Machaone, de Podalirio; nec, veriora illa, de Hippocrate, de Galeno, de Rufino Nicaënsi, de Daphno Ephesio, de Auerrõe, qui non more anicularum morbo morbum addere solebant, sed ipsam quoque arte sua mortem ab ijs, qui depositi deploratique fuerant, & iam alterum pedem in cymba Charontis habebant, depulerunt. In his quàm verus erat versiculus ille,

Dat Galenus opes? & dat Galenus honores?

Nam in ipsis isti opibus honorabantur. Cur non Deus? *A Deo est enim omnis medela. Febricitantibus*, inquit D. Chrysostomus, *medicos conuocamus, cubiculum certum tribuimus, & medicinæ legibus parere impellimus. Quas si negligunt, iracimur, & custodes apponimus, qui eos Medicorum præceptis viuere cogant. Quòd si magni pretij medicina opus fuerit, libenter impensam subimus, & Medicis ipsis non paruam mercedem deponimus. At verò quando nos ipsi, heu, animâ ægrotamus, ne ad medicum quidem accurrere volumus, nullas pecunias impendere, nihil penitus prouidere; sed quasi publico quodam inimico & hoste nostro iacente, sic anima laborante afficimur.* Eccli. 38. 1. S. Chrys. in c. 23. Matth.

VI.

Ne autem medicis tantùm cum opibus cumulatos fuisse honores arbitremur, plenum carmen ad Iuris quoque consultos digitum intendit, est enim tale:

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores.

Possem hîc tota agmina producere eorum, qui Consiliarij, qui Prætores, qui Iudices, qui Cancellarij, qui Principum, qui Regum,

qui Imperatorum intimi fuerunt; qui legationes amplissimas obierunt; qui titulos, & dignitates maximas acceperunt; quia iurisperiti erant. Sed obuia prætereo. *De Christophoro Longolio multa praclara judicia principes viri fecêre. A rege Hispaniæ Philippo duodeviginti annos natus, sanctioribus illis reconditarum rerum notis, quibus hodie vnis omnia prope regnorum arcana committuntur, præfectus. A principibus Pannoniæ magno proposito præmio accersitus, vt regem puerum optimis artibus instituendum susciperet. A Ludouico XII. Francorum rege non vnius aut alterius suæ ditionis vrbium, sed vniuersi regni viribus vno edicto est donatus. Consilij centumuiralis Parisiensis iurati summo eum consensu in collegium suum cooptarunt, habiturum in perpetuum ius vitæ & necis, ac summam fortunarum omnium potestatem, non in plebem modò, sed in omnes regni proceres. Vicesimo octauo ætatis anno à Leone X. Papâ & Rom. pop. ciuitas ei Romana vltrò est oblata, virtutisq; & litterarum ergò ciuis factus. Quæ res quamuis initio multarum illi turbarum caussa fuit, multis clam inuidentibus, nonnullis verò nobilissimis viris eum oppugnantibus, & virtuti eius obtrectantibus, ita vt etiam perduellionis crimine accusaretur, tamen optimè cessit, nomenq; eius & gloriam magnopere auxit. Postquam enim amicorum cura defensiones eius in lucem prodiêre, ita ab omnibus sunt probatæ, vt multi dicerent, non Longolium ciuitatis donatione ornatum, sed ipsum ciuitatem illis orationibus ornasse, in quibus ciuitati vetera sua ornamenta omnia restituisse videretur. Principi verò ita placuêre, vt oblitus panè quid aduersario eius tribuisset, quem paulò antè, nulla magis re alia motus atque eius in Longolium actione, in familiarium numerum receperat, protinus iuberet, vt diplomata Longolio expedirentur, quibus ratum esset, quod S. P. Q. R. de ciue eum ascisscendo decreuisset, præterea quòd ipse de priuato ærario ad tuenda studia eius concessisset, atque ad eum vbicumque terrarum esset, deferrentur, ea tamen lege, ne sedem studiorum alibi quam in Italia poneret. Multis præterea honoribus affecit: nam in Palatina & Laterangensis aula comitatum sua sponte cooptauit, & in Romani pontificatus scribarum numero esse voluit. Eum populus Florentinus non solùm in ciuitatem suam ad instituendam bonis artibus iuuentutem inuitauit, verùm etiam vicena quina in annos singulos sestertiorum numûm millia ex ærario publico decreuit.* Tanta in existimatione fuit Christophorus Longolius,

Author vitæ Christoph. Longolij.

lius, ob litteras profanas, etiam apud non profanos. Qui neque iura, neque iustitiam curant, neque Iurisconsultos magnopere curant. Quocirca eos honore prosequi, existimant, esse oleum perdere, aut Oresti pallium texere. Boni & æqui amantes, etiam hoc æquum putant, atque ex lege fieri, vt amentur legum amatores.

VII. De ijs, qui ob peritiam scientiæ sacræ sunt ad maximas dignitates promoti, quid dicam? cùm eorum multitudo numerum superet? Quanti enim ad mitras, & tiaras, ad Episcopatus, & purpuram Cardinalitiam, denique ad Sedem Apostolicam (quæ est summa in terris dignitas) ob Theologiæ studia sunt euocati? Quis nescit, quo in honore sint SS. Patres? Composuit multa sermone Syro Efræm Edessenæ Ecclesiæ diaconus; qua ex re, teste Platina, tantam consecutus est authoritatem, vt, post lectionem Scripturæ sacræ, publicè in quibusdam Ecclesijs eius scripta legerentur. Isidorus Alexandrinus presbyter, sub Theophilo Episcopo, tantæ fuit etiam Gentilibus admirationi, vt, quemadmodum olim principis Apostolorum, ita & illius vmbram reueriti sint, sicut refert Palladius. S. Ambrosij tanta fuit opinio, vt se se illi neque ipse Imperator Theodosius auderet opponere, quamuis eum sacer Antistes Mediolani ab aditu templi repelleret, quòd, indicta caussa, Thessalonicæ, tot mortales interfici iussisset. Quod factum vsque adeò omnium, qui aderant animos permouit, vt summa illa in Ambrosio maiestas, veluti vox de cælo demissa, cunctos perterrefecerit. Itaque & ipse Theodosius cum summa animi æquitate domum redijt, conscius sibi illatæ cædis, nimis præcipitatæ. De D. Augustini, Hieronymi, Gregorij, Chrysostomi, Basilij, Athanasij, aliorumque SS. Patrum nomine & fama, extant multa in vita eorumdem; & apud ipsum D. Hieronymum, in tractatu de scriptoribus sacris. D. Bernardum sanè omnes cum timore & amore quodã venerabantur, suum sensum eius prudentiæ & sapientiæ submittentes. *Stampis in Gallijs, concilio conuocato, ad sedandum schisma inter Innocentium II. & Petrum Leonis, qui se Anacletum vocauit, caussa cognitio tota ad illum reiecta est. Persuasit toti concilio, vt reciperent Innocentium: idem Henrico Angliæ regi, qui Innocentio erat iniquior, Mediolanenses omnia illa, qua tetigisset, sancta*

Egnat. lib. 2. cap. 5.

In vita S. Bernard. lib. 1. c. 11. & l. 2. c. 1. & 2.

sancta arbitrabantur: vellicabant pilos, quos poterant, de vestimentis eius, & ad curandos morbos illis vtebantur. Itaque & ob peritiam diuinarum litterarum, & ob opinionem sanctitatis fuit Bernardus eminentissimus, per omnia immortalibus, quam mortalibus similior, cuius vim dicendi curiæ, & aulæ vbique senserunt. D. Thomam Aquinatem, ob doctrinæ sacræ maturitatem, totus pænè orbis terrarum veneratur, eiusque vestigijs insistens, quæstiones Theologicas exponit. Fuit in his talibus mira industria, excellens eruditio, sed par quoque virtus, & studium pietatis, quæ scientiarum, atque virtutum mixtura, præ alijs omnibus profanæ litteraturæ Doctoribus, illis ingentem peperit authoritatem. Et certè, nisi religio, & pietas cum scientijs etiam sacris coniungatur, præstaret ignorantem esse. Quia *ille seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Scientia itaque sola, apud Deum, homini pœnam, non gloriam auget. Semper cohorresco, quando recordor, Origenem & Tertullianum in hæresin lapsos perijsse. Quid prodest, scientiam alicuius, apud homines laudari, & animam illius apud inferos cruciari? Interim tamen non Theologis solùm, verùm & Philosophis suus est, apud homines honos.

Luc. 12. 47.

VIII. De Hieronymo Fracastorio, scribit author vitæ illius, eum, cùm non solùm medicus, verùm etiam Philosophus & Poëta excellentissimus esset, in tanta fuisse existimatione, vt, cùm Carolus V. Imp. Pescaria in Algeriam transiret, & Fracastorius è Caphijs villa sua proxima spectatum quoque descendisset, Madrutius Tridentinus princeps solum ipsum in numerosa hominum turba Cæsari digito demonstrârit; *Hic est Fracastorius ille,* inquiens. Romani oraculo iussi, vt sapientissimo & fortissimo, inter Græcos, apud se statuas locarent, duas æneas in foro posuêre, vnam Alcibiadi, alteram Pythagoræ. Neque hi solùm Philosophi vel digitis, vel statuis fuêre honorati; sed, vt idem Plutarchus refert, Mithridates Platonis gloria motus, eidem statuam dicauit, egregium Sylonis opus, quam hoc modo inscripsit: *Mithridates Rhodoræ filius, hanc Platonis imaginem Musis dicatam erexit.* Iouianus Pontanus scribit, Captum ab Æginetis Platonem ab Anicere Cyrenæo

Plutarch. in Numa.

Cyrenæo pecunia redemptum, & liberum abire permissum. Pythagoræ quoque atque Gorgiæ, ob magnam in Philosophia præstantiam, præclaros datos honores legimus. Nam *Pythagoræ tanta veneratio ab auditoribus tributa est; vt quæ ab eo acceperant, in disputationem deducere nefas existimarent. Quin etiam interpellati ad reddendam causam; hoc solùm respondebant, ipsum dixisse.* * *Magnus honos, sed schola tenus. Illa vrbium suffragijs tributa est. Enixo Crotoniata studio ab eo petierunt, vt senatum ipsorum, qui mille hominum numero constabat, consilijs suis vti pateretur. Opulentissimaq; ciuitas tam frequenter venerata post mortem domum, Cereris sacrarium fecit: quantumq; illa vrbs viguit, & dea in hominis memoria, & homo in deæ religione cultus est. Gorgiæ verò Leontini studijs litterarum ætatis suæ cunctos præstantis, adeò vt primus in conuentu poscere, qua de re quisq; audire vellet, ausus sit, vniuersa Græcia in Templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit; cùm ceterorum ad id tempus auratæ collocasset.* Oraculorum societatem dedêre Chiloni Lacedæmonio homines, tria præcepta eius Delphis consecrando aureis litteris, quæ sunt hæc: *Nosse se quemque:* &: *Nihil nimium cupere, Comitem q; æris alieni atque litis, esse miseriam.* Quin & funus eius, cùm victore filio Olympiæ expirasset gaudio, tota Græcia prosecuta est. Atq; hic Philosophus, vti & Plato, ad Ethicam pertinet. Ad Mathematicum spectat ea res, quam in Euangelio legimus. Siquidem Magis, qui Iudæorum regem ex Oriente adoraturi venerant, tantum fidei, ob disciplinam astronomicam datum fuit, vt & Herodes, & tota Hierosolymorum vrbs commoueretur, regemque nouum ceruicibus suis imminere expauesceret. Quamuis vicissim Magi, quia principum religionis Iudaicæ sapientiæ plurimum tribuebant, illorum authoritatem secuti, in Bethlehem peruenerunt, Christumque Deum, quem quæsierant, inuenerunt. Ad Physicum referendum est illud, quod de Aristotele memoratur, eum ab Alexandro Magno, pro descriptis animalium naturis, subministratis omnibus sumptibus, præmium insuper laborum accepisse octoginta talenta, hoc est, secundùm quorumdam calculum, coronatorum aureorum millia quadringenta octoginta: quemadmodum & Xenocratem Philosophum quinquaginta per legatos talenta, aureorum videlicet millia triginta. Illo autem recusante,

Valer. Max. lib. 8. c. 15. Et Cæl. Rhod. lib. 19. Antiq. lect. c. 7.

* ἀνὴρ ἔφη.

Plin. lib. 7. cap. 32.

Matth. 2. 1.

quòd tanta pecunia diceret sibi opus non esse, legatis reuersis dixit Alexander: *Quid? nullosné habet amicos, quibus benefaciat?* ostendens diuitibus optimum vsum pecuniarum, si quidem ijs bene erogandis, quàm malè defodiendis vti malint.

IX. De oratoribus, & Pœtis magnificè honoratis, præcedente capite etiam multa dixi. Hîc tantùm adijcio, Dionem historicum, ob insignem facundiam, *Chrysostomum* fuisse appellatum: quod nomen etiam Ioanni episcopo Constantinopolitano, inter Ecclesiæ Patres, eloquentissimo est attributum. Cuius aureo ab ore, aureum orationis flumen manabat; & quoties è cathedra loquebatur, rosas loqui videbatur. Sine numero sunt talia. Vt enim Pericles, propter summam eloquentiam, qua fulgurare & tonitrua ciere videbatur, *Olympij* cognomen meruit; vt Sophocles, propter sermonis dulcedinem, μέλιτλα, seu apis nominabatur; ita & alij ab eloquentia nomen honorificum acceperunt. Nam, vt Plutarchus scribit, Æmyliorum genus à dulci facundia lepòreque est nominatum: αἰμυλία enim lepiditas dicitur. Vnde etiam *Lepidi* cognomen assumpsêre; à quo procul absunt, qui ore & sale carent, & rore pascuntur, more cicadarum.

Plutarch. in Themistocle. Gyrald. lib. 7. hist. Poët.

Vide Plin. lib. 11. c. 36.

X. 8. Amicos honore dignos quisque censet, qui ipse vult expectatque ab amicis honorari. Eos colendos esse, docet Deus, qui ipse amicos suos honorat. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Docet ratio; vt enim nauis diligenter compingitur, quæ sit in tempestatibus præsidio futura; ita amicus fouendus est, qui & ipse in aduersis debet fouere. *Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt: verùm amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide parantur.* Id ipsum docet prouerbium, *Amicus magis necessarius, quàm ignis & aqua.* Colendus est igitur, ne perdatur. Quia amico amici sumus, & non sunt amici, qui degunt procul; & vultu sæpe læditur pietas. De amicis honorandis multa Aristoteles, multa Cicero, multa alij. In diuinis mirifica Ionathæ erga Dauidem, & Dauidis erga Ionatham, amicitia describitur, qualis non fuit inter Theseum & Pirithoum, inter Damonem & Pythiam, aut si qui alij ab antiquis celebrantur. Sed abrumpo, quia complura extant volumina de hoc argumento; quod vel solum vno volumine non potuit comprehendi.

Psal. 138. 17.

Sallust. in Iugurt.

Aristot. lib 8. Ethic. Cic. lib. de Amicitia.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Viduas quoque, & Magistratus, & sacerdotes Deoq; consecratos, itemq; sanctos, immò & omnes Christianos, præcipuè autem Deum esse summo honore prosequendum.

HOnorandæ sunt & viduæ: idque duas ob causſas, quia scilicet à viro liberatæ iam Deo magis seruiunt, & quia viro defensore destitutæ, vbique premuntur, quamobrem auxilio solatioq; egent. De virtute earum multa memorant diuinæ historiæ. Qualis enim fuit Iudith, honestate, pietate, oratione, confidentia in Deum, castitate, fortitudine denique? Vt meritò populus dixerit: *Tu gloria Ierusalem, tu latitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Iudith. 15. Qualis erat Anna Prophetissa Luc. 2. 37. filia Phanuel, *quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens die ac nocte.* Qualis illa, de qua legimus: *Vidit autem (Dominus) & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit &c.* Luc. 21. 2. Maximus honor est à summa laudari veritate. Nonnè viduas voluit esse honorandas, qui in parabola dixit, viduam fuisse Luc. 18. 4. exauditam à iudice quoque, *qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur?* Immò viduam ipse honorauit obuiam, dum eius filium, ad sepulchrum elatum, ad vitam reuocauit; *quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.* Luc. 7. 13. Deuter. 10. 18. Immò iam ab antiquo *facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & ei victum & vestitum* procurat Deus; qui ibidem nos quoque similia facere iubet. Alio autem in loco ait: *Viduæ & pupillo* Exod. 22. 22. *non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* Qua de causſa & Timotheo scribit Apostolus: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt:* 1. Tim. 5. 3. quia id virtus earum meretur, necessitas exigit. Dixi multa de viduis, in Tractatu de fauſtis & infauſtis matrimonijs, Hîc sufficiet vel è poëta apponere laudatam à pudicitia viduam Didonem, ita enim loquitur:

Sed

Virgil. lib. 4. Aeneid,

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam:
Ante, pudor, quam te violem; aut tua iura resoluam,
Ille meos primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit: ille habeat secum: seruetq; sepulchro.

II. 10. Quia *ars gubernandi ciuitates principatum tenet in omnibus artibus*, meritò, ob hanc excellentiam, præcipuè honorandus est magistratus, qui est, vt Cic. ait, *lex loquens*, & loco Dei, *Ego dixi, Dij estis*: certè *minister Dei* est magistratus, atque tum ob virtutem, tum ob laborem, tum etiam ob periculum suum, & commodum communitatis honore dignus. Equidem & istud magnum est virtutis in principe argumentum, si subditi libenter ipsum sequantur. Et sine illius prudentia ac diligentia ciuitas esse non potest. *Omnino qui Reip. praesunt*, ait Tullius, *duo praecipue teneant: vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum vt totum corpus Reip. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio Reipub. ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.* Quam ad rem non solùm prudentia, sed & iustitia, & vigilantia, animusq; sibi à nimia cupiditate temperans requiritur. Quin & fortitudo, quia *sudandum est ijs, qui magistratum gerunt, pro communibus commodis, adeunda inimicitiae, subeunda saepe pro Rep. tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonnumquam etiam potentibus dimicandum.* Est itaq; magistratûs, erga rebellantes constantiâ, erga subiectos beneuolentia vti. Quae omnia ferè complexus est Apostolus illis verbis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus*, hoc est, Principibus, & magistratibus (idem enim est *potestatibus*, quod potestatibus praeditis) *subdita sit*; in temporalibus potestati ciuili; in spiritualibus, Praelato, Episcopo, Pontifici. *Non est enim potestas, nisi à Deo*; ciusq; diuina ordinatione; non à diabolo, quamuis ille mentiendo dicat: *Haec omnia tibi dabo:* nec à solo homine; sed ab eo, qui dicit, *Per me reges regnant.* Est autem potestas Ecclesiastica quidem immediatè à Deo instituta, cùm Christus ipse Petrum & Apostolos Ecclesiae praefecerit; ciuilis autem saltem mediatè, cùm

Aristot. lib. 1. Ethic.
Psal. 81. 1.
Rom. 13. 4. & 6
Cic. lib. 3. de legib.
Cic. lib. 1. de offic.
Cic. pro Sest.
Rom. 13. 1.
Matth. 4. 9.
Prou. 8. 15.

cùm natura rectaq; ratio, quæ à solo DEO est, dictet, & hominibus suggerat, vt Reip. magistratus præficiant, à quibus regantur. Addit: *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*, vt homines à peccatis retrahant, atque ad iustitiam pacemq; colendam impellant. Neque verò ordinatæ sunt tantùm aptèq; institutæ, verùm etiam præceptæ; vt eis resistere nefas sit. Vnde sequitur: *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; tum ab ipsa potestate temporariam, tum à DEO æternam, vt S. Chrysostomus exponit. E quibus deducit D. Augustinus, esse peccatum mortale etiam ciuili resistere potestati, si nimirum res grauis, & sub graui interminatione præcipiatur. Hac enim de caussa subiungit: *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram* (seu pœnam, ob quam *gladium portat*) *sed etiam propter conscientiam*, ne ea inobedientiæ rea fiat. Honorandus est igitur magistratus timore, reuerentia, obedientia, vectigalibus & tributis; denique titulis, sceptris, purpuris, prout cuiusq; gradus exigit.

S. Augustin. ep. 50.

III.

Vt autem intelligamus, quorsum hunc honorem adeò inculcet D. Paulus, in memoriam reuocandum est, quod Clemens Alexandrinus, alijque scribunt, tempore Christi & D. Pauli, ob Iudæ, & Galilæorum sectam, quæ diu inter Iudæos viguit, docuitque, pro libertate tuenda omne dominium Cæsaris & vectigal, etiam morte proposita, abnuendum esse (de qua non solùm Iosephus, sed etiam Acta Apostolorum meminerunt,) rumorem quoq; & suspicionem ad Christum & Apostolos transijsse, eò quòd ipsi quoq; Galilæi & nouarum rerum præcones essent; quasi per Euangelium politias humanas, regna, & Resp. sæculares euerterent; quemadmodum Iudæi omnes Iudam & Galilæos secuti, qui quòd dicerent, populum DEI liberum non debere subijci, & infidelibus Romanis seruire, Romanis de facto rebellarunt. Qua de caussa à Tito excisi sunt. Itaque tunc, cùm Christi Ecclesia inciperet innotescere, eadem calumnia, in Christianos, qui origine erant, & habebantur pro Iudæis, deriuata est. Eam calumniam vt abstergeret Christus, iussit dari *Cæsari, quæ Cæsaris sunt*, & Petro mandauit, vt didrachma solueret; ac ne apud Romanos, alioqui magistratus Christiana religio in odium vocaretur, Paulus, Apostoliq;

Clem. Alex. lib. 4. strom. S. Augustin. in Psal. 118. conc. 31. Ioseph lib 18. Antiq. cap. 1. Act. 5. 37.

Matth. 22. 21.

stoliq́ue, Principibus dandum esse honorem & tributum, sæpius docuerunt. Qua de caussa etiam princeps Apostolorum scripsit:

1. Petr. 2. 17. *Omnes honorate: fraternitatem diligite; Deum timete: regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* Quoniam igitur & Nero, & Diocletianus, & Domitianus alijq́; eiusdem ingenij principes legitimè creati sunt Imperatores, etsi tyrannicè imperârint, haud tamen tyranni fuerunt, sed veri Imperatores; eaq́ue propter potestatem à Deo acceperunt. Igitur Christiani omnes illis, in conscientia obedire debuerunt; quàm diu Deo nihil aduersum iusserunt, cui vtiq; semper *magis obedire oportet, quàm hominibus,* qui subinde potestate accepta abutuntur. *Non tribuamus,* inquit S. Augustinus, *dandi regni atque Imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum solis pijs, regnum verò terrenum & pijs, & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet.* Ac postea: *Qui dedit Mario, ipse & Cæsari; qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasiano vel patri, vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit; qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Iuliano.* Omnibus igitur Principibus honor & obedientia tribuenda est, quia hæc est ordinatio & præceptum Dei, illiq́ue sunt ministri & vicarij illius, qui gladium portant, vt inobedientes plectant; immò quia conscientia id dictat, ne coram Deo peccemus, qui refractarijs minatur damnationem longè aliam, quàm magistratus ciuilis. *Habuerunt,* ait idem S. Pater, *Principes sua verba, Occide, Proscribo, in exilium mitto, sed hæc non possunt comparari huic: Hic potest corpus & animam mittere in gehennam, ob id à verbis tuis formidauit cor meum.* Hanc subiectionem & obedientiam indicant tributa, quæ subditi pendunt magistratibus, vt testentur, se eis esse subiectos. Quod Ioseph, quod Maria, immò Christus nondum natus fecit. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describetur vniuersus orbis. Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, &c. vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante,* & Christum in vtero ferente; qui & ipse voluit profiteri, nobisq́ue ostendere modum obediendi magistratibus, qui est optimus modus eumdem honorandi.

Act. 5. 29.

S. Augustin. lib. 5. Ciuit. cap 21.

S. Augustin. in illud Psal. 118. à verbis tuis formidauit cor meũ. Luc. 2. 1.

Quamuis

IV.

Quamuis & alij sint, de quibus passim historiæ meminerunt. Honorantur autem magistratu digni ipsa electione, ipso munere & officio, ipsa solennitate, vt coronatione, iniectione, pepli, diadematis, reuerentia, obedientia, donis. Et quamuis sæpe aliquis ampliore dignus esset officio; tamen hoc ipso magis laudatur, si ipse officium honoret. Epaminondæ, per inuidiam, & contumelię gratia, sordidus quidam & contemptibilis magistratus à populo Thebano delegatus est. Eum non aspernatus dixit: *Non solùm magistratum ostendere virum, sed virum vicissim ostendere magistratum.* Itaq; se gessit, vt idem officium deinceps, tamq; honestum munus, à multis ambiretur, cùm id nihil fuerit aliud, quàm eura sordes & stercora ex angiportis ejciendi. Inde ergo laudatus est tantò impensiùs, quia etiam vile officium fecit virtute sua diligentiaq; pretiosum. Sæpe autem ad tribunal, aut fasces euectus debet muneris sui conseruare dignitatem. Fabio Maximo jam sene, filius illius consul factus est, qui cùm publicitus multis audientibus habuisset orationem: Fabius conscenso equo præcedebat. Cùm autem iuuenis lictorem misisset, qui patrem iuberet equo descendere, alij quidem factum hoc auersati sunt; at Fabius ab equo desiliens, non habita ætatis ratione, accurrit, ac filium complexus: *Euge,* inquit, *fili, sapis: qui intelligas, quibus imperes, & quàm magnum magistratum susceperis.* Honorantur denique, præter innumeros alios modos, ij qui in magistratu sunt oblatis donis. De regibus Persarum constat, eos sine munerum oblatione non fuisse salutatos, ac vel aquam caua manu haustam, vel pomum eis fuisse donatum. Salomoni quæ cimelia attulerit regina Saba, historia regum narrat. Et in nouo testamento de Christo Magi aiunt: *Venimus cum muneribus adorare eum.* Digni omnino sunt & donis, & titulis, & obseruatione, & obedientia, quicumque digni sunt magistratu. Vt autem aliquis dignus sit, dicere solebat Agathon, magistratum trium debere meminisse: primùm, *Quòd imperet hominibus:* deinde, *Quòd secundùm leges:* tertiò, *Quòd non semper imperet.* Addo ego quartum, *quòd locum Dei teneat;* ita enim & ipse se rectè erga subditos, & subditi se rectè erga illum gerent; cùm ob hanc rationem etiam dyscoli sint venerandi. *Principes, & prælati honorantur,* ait S. Thomas, *etiam si*

3. Reg. 10. 10.

Matth. 2. 11.

Stobæus serm. 43.

S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 3.

sint mali, in quantum gerunt personam Dei, & communitatis, cui præficiuntur, secundùm illud Prouerb. Sicut qui mittit lapidem, &c. Quia enim gentiles ratiocinationem attribuebant Mercurio, acervus Mercurij dicitur cumulus ratiocinij, in quo mercator aliquando mittit vnum lapillum loco centum Marcarum: ita etiam honoratur Prælatus, qui ponitur loco Dei, & loco totius communitatis, etiamsi improbus forsasse sit.

V.

Heb. 5. 6.

11. Debetur honos sacerdotibus, religiosis, & omnibus hominibus Deo consecratis. Quia sacerdotes Christum repræsentant; & religiosi hoc ipso honore sunt digni, quia sunt aliquid Deo consecratum; quia ad virtutis perfectionem aspirant; quia honorem fugiunt, sequitur autem honor fugientes; quia pro populo orant; quia ab his benedictio; quia sacrificant; quia Dei sunt familiares; quia de reliquis sunt electi; quia à Deo ipso honorantur. *Facies quodcumq; dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius; sequerisq; sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.*

Leuit. 7. 9. Num. 6. 24. Deuter. 17. 10.

1. Tim. 5. 17.

In noua etiam lege ait Apostolus: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè, qui laborant in verbo & doctrina.* Vbi nomine honoris, non tantùm reuerentia, verùm etiam alimonia est intelligenda; quia mox ipse Paulus exponit, de quo honore loquatur: *Non infrænabis os boni trituranti, & dignus est operarius mercede sua.* Ait autem, *duplici honore*, vel quia & reuerentia, & alimonia digni sunt, vt vult D. Ambrosius; vel quia, vt exponit D. Chrysostomus, *duplici*, hoc est, multiplici copiosoq; honore digni habentur. Ita enim alibi dicitur: *duplici contrione contere eos: omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*, hoc est, multas & copiosas habent vestes. Atq; in primis magnus est honor, Deo sacrari. Sunt huius rei apud sacros & profanos exempla. Nam, teste Sorano, Herculem & Hippocratem Coum Athenienses, ob præclara merita, publicè Eleusinijs sacris initiarunt, quod decus nulli ante illos contigit. Demetrius quoque, vt Diodorus refert, Poliorcetes dictus, Athenis commorans initiari cupiebat, & Eleusinijs sacris imbui. Cùmq; abesset satis diu legitima dies,

Ierem. 17. 18. Prou. 31. 21.

Soran. in vita Hippocratis.

Diodorus lib. 20.

ma dies, in qua soliti erant Athenienses sacra illa celebrare, persuasit populo, vt propter beneficia sua, patrium morem mutarent. Igitur se ipsum inermem sacerdotibus tradidit, & ante statum diem initiatus est. Quod quidem, vt Suidas scribit, peculiare ei, præter ceteros, contigit, vt solus & initiaretur simul, & arcana intueretur, & præfinitum tempus à maioribus non obseruaret. In veteri testamento capita familiarum earumdem erant sacerdotes. Ius enim sacerdotii tunc per ordinē nascentium ad posteros, nimirum in primogenitos & in capita familiarum deuoluebatur. Vnde & Abraham, tamquam totius familiæ suæ omniumq; duodecim tribuum pater & patriarcha, earumdem simul summus sacerdos & pontifex fuit. Itaq; omne sacerdotium Hebræorum descendit ab Abrahamo. Quamuis autem singuli filij Iacob poterant esse tribuum suarum sacerdotes; voluit tamen Deus, vt ex omnibus vnus conflaretur populus, & vna Ecclesia fieret: vnde & statuit, vt vna familia, scilicet Leui & Aaronis, pro reliquis omnibus hoc sacerdotio fungeretur. Quantum autem honorata fuerit præ reliquis familia Leui, cōstat è diuinis litteris.

VI.

Primùm ornabantur veste & insignibus sacerdotalibus. Quod etiam apud profanas gentes in more positum, testatur Herodotus. Ægyptij sacerdotes lineis vestibus induebantur, *non solùm intrinsecus, sed etiam extrinsecus*, ait S. Hieronymus. Apud Romanos virgines Vestales, alba quidem veste, more communi, sed discriminis caussa, limbo punicante vtebantur, qui ornatus etiam sacerdotis & magistratus erat, vt docet Lipsius. Peculiaris quoque habitus erat ijs, qui sacris præfuerunt, tam apud Indos orientales, quàm occidentales. Sed præcipuè eminebat amictus Aaronis; & asper cultus Eliæ, Ioannis Baptistæ & reliquorum Prophetarum. Integro quoque libro descripsit monachorum vestimenta Cassianus, vbi *Zonas, cucullos, colobia, rebrachiatoria, Mafortes, Melotes, & calceamenta* oculis subijcit. Deinde hominum Deo sacratorum habitus *venerandus* & erat, & à Patribus vocabatur; quin & *Angelicus*. Quin tertiò & Athenæus affirmat, sollenne olim Græcis fuisse, vestes eorum tangere, præ reuerentia, quos proximè Deo venerabantur. Quartò, vt olim S. Petri vmbra, & S. Pauli sudaria ægris sanitatem contulerunt, & ipsa quoq; fimbria

Herodot lib. 5. S. Hieron. ad cap 48. Ezech.

Lipsius Syntag. de Vestalib. c. 12.

Cassian.

Act. 5. 15. Act. 19. 12. Matth 9. 20.

bria Christi sanguinem mulieri stitit; ita quoq; sæpe aliorum etiam Deo dedicatorum vestimenta honorata prodigijs claruerunt. Theodosius Imperator Maximo Tyranno bellum moturus Senuphij Monachi superhumerali caput, baculoque illius manum muniuit, Deo in vota vocato, hostibus iam in vicino stantibus, ipse primus in acie exercitum duxit. Quàm primum eum aspexére barbari, haud secus atq; è cælestibus vnum admirati, in fugam conuersi sunt. Ita Imperator tectus & sine sanguine, & sine labore potitus est victoria. Quintò, adeò vestes Deo seruientium in honore debent esse, vt si quid contumeliosiùs tractentur, vel diuinitus adsit vindicta. Qua de caussa Saluianus Massilienſis scribit Africanam prouinciam à barbaris affligi commeruisse, quòd Religiosorum habitum ludibrijs ac sannis insectati fuissent. Sextò, si vestes horum hominum honorandæ, quantò magis ipsi? itaque vel coronam etiam in capite gerunt sacerdotes, ex ordinatione Apostolorum, ad exemplum S. Petri, non solùm, vt præsentent coronam spineam Christi, & opprobrium S. Petri, aliorumque Apostolorum; verùm etiam, vt regius illorum honor, & cælestis gloriæ corona, quam expectant, significetur. Septimò, muneribus & decimis honorandi sunt sacerdotes, quippe & Melchisedeco regi Salem, sacerdoti Dei summi, *decimas omnium diuisit Abraham. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.* Postea *de filijs Leui sacerdotium accipientes mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem, id est, à fratribus suis*, ceteris Iudæis, ex eodem Abraham & Iacob genitis, in signum eminentiæ. Populus proinde à sacerdotibus, quibus decimas dat, benedictionem accipit, quemadmodum & Melchisedec Abrahamo *benedixit*: vti & illi accipiunt maledictionem, qui sacratis Deo hominibus, non modò non dant, sed auferunt, quod habent. Hinc Abraham fuit victoriosus, qui ita erat constitutus, vt vellet Melchisedecum prædæ quoque suæ facere participem. Octauò mulieres iubentur caput velare, seu obnubere, *propter Angelos*, hoc est viros bonos, vt vult Clemens, aut propter sacerdotes & episcopos, vt vult S. Anselmus & S. Thomas, qui in Apocalypsi Angeli vocantur; ne scilicet eos formâ suâ offendant. Quare putat Clemens præcipi, non tantùm vt caput tegant

Saluian. lib. 8. de vero judicio.

Beda lib. 5. hist. Angl. cap. 22. Greg. Turon. lib. de gloria confessor. cap. 28.

Hebr. 7. 1. & 4.

Hebr 7. 7.

1. Cor. 11. 10. Clem lib. 2. Hypotyp. S. Anselm. & S Thom. ib. Apoc. 2.

tegant in templo mulieres, sed vt etiam frontem & vultum velamine inumbrent. Cui prorsus contrarium faciunt nostrates puellæ, vtinam non & matronæ, quæ & vultum, & pectus, fere etiam vbera denudant, vt in templo oculos papillis venari, ac se se mammis ipsis prostituere videantur. Nonò ipsis & barbaris & hostibus venerabiles fuerunt, Sacerdotes, & Pontifices, qui vel precibus, vel authoritate eos à direptione vrbium, & nece populorum absterruerunt. Exempla aliquot ascribam.

VII.

Leo III. p.p. Attilam Gothorum Regem, ad vrbis direptionem properantem, cum altero consulum & parte senatus non modica ei occurrens ita flexit, vt prater omnium expectationem, & exercitus sui voluntatem, Vrbi parceret. Idem post Vandalorum regem Gensericum crudelissimum Tyrannum ad Vrbem vocatum ab Eudoxia, in vltionem perempti coniugis Valentiniani, ita demulsit, vt spoliis & direptionibus contentus, à cædibus & incendijs abstineret. Seuerinus monachus Afer, qui apud Noricos & Vindelicos Christum prædicauit, post mortem Attilæ, cùm Hibuldus Alemannorum Rex cum exercitu Batauiam properaret, specie visendi Seuerini, reuera autem occupandæ vrbis, obuiam Regi processit: eumq; authoritate sua permouit, vt ab incepto desisteret. Paruit ei Rex barbarus, & captiuos omnes Romanis remisit. Ad eum quoque Odacer Rugorum regulus venerabundus venit, cui Italiæ regnum prædixit, & Roma excidium. Epiphanius episcopus Ticinensis tanta fuit authoritate apud hostes, vt cùm Theodoricus Gothorum rex, capto Ticino, præsidium imposuisset, barbari milites eum patris loco venerarentur: & vrbe egredientes ei cum lachrymis valedicerent. Præterea capto ab Odoacro rege Herulorum Ticino, à victore rege ciuibus suis fiscalium tributorum immunitatem impetrauit ad annos quinque. A Theodorico durissima legis in omnes, quotquot sponte se hostibus Herulis coniunxerant, latæ relaxationem impetrauit. Ad Gundebaudum regem Galliæ Lugdunum à Theodorico missus pro captiuis redimendis, sex millia Ligurum sine pretio, precibus tantùm & pietate sibi donatos, patriæ restituit. Diui Remigij Rhemensis Episcopi tanta fuit etiam apud hostes authoritas, vt Alaricus Gothus rex Arianus apud eum pro puella cuiusdam sui aulici dæmoniaca intercederet: & Clodoueus Rex Gallorum adhuc paganus cum toto exercitu eum veneraretur. Nam cùm miles quidam vrnam ex Rhemensi Ecclesia abstulisset, ad preces Remigij Rex

Platina in Leone & Sab. lib. 1. En. 8.

Frisingensis lib. 4. c. 30. & Eugypius.

Eudius in eius vita.

Hincmarus in vita Remigij.

Rex eam reddi iussit: cumq; alter non statim paruisset, supplicium propria manu de eo sumpsit. Tantus honos habetur pietati, apud barbaros: vt proinde ipsos barbarie barbaros vincant, qui Dei seruos nesciunt honorare; immò audent digitis, & velut Apula canis, linguis quoque, ciconijsque ridendos propinare.

VIII. 12. Honor, veneratio & cultus debetur etiam Sanctis vitâ seu fruentibus, seu functis. Si viuunt adhuc, multa, immò ferè pleraque illis conueniunt, cum hominibus Deo sacratis. Quo pacto Melitenses magnis obseruantiæ signis titulisque Paulum cum socijs prosecuti sunt, quin & muneribus eum, & propter eum, comites quoque eius honorauerunt. *Qui multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus imposuerunt, quæ necessaria erant,* ait. Vbi *honorum*, & *honorandi* verbum, pro diuitijs ac ditando, phrasi Scripturæ, accipitur, sicut cùm dicitur, *Ne des alienis honorem tuum*, hoc est, facultates tuas. Mirum est autem, Paulum eum honorem, hoc est, commeatum admisisse. Sed non admisit mercedis loco, qui adeò abhorrebat à necessario quoque victu, quem alij deferrent, malens manibus ipse suis, quin & labore ac sudore comparare. Cur igitur admisit? Vincto & in itinere maritimo non licuit laborare. Cur admisit? Melitensium liberalitas & gratitudo adeò erat vehemens, importuna, & quodammodo violenta, vt non posset eum honorem repudiare. Cur admisit? itineris comites, quibus in eius gratiam benignè fiebat à Melitensibus, noluit fraudare hoc emolumento. Cur admisit? quia, sicut aliàs, vidit in se Christum honorari, & Euangelium, vti quando *super languidos* deferebantur *à corpore eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Vsque adeò reliquiæ etiam tum magni fiebant, vt vel sudariola, quibus sudorem abstergebat, vel semicinctia, seu perizomata, quibus se medium cingebat, ad cauendas & arcendas è vestibus sordes, cùm in opificio versaretur scenofactoriam exercens. Ad quem modum caligula Honorati cadaueri admota, illud ad vitã excitauit, teste S. Gregorio, eam enim Libertinus, qui admouit, ob tanti Abbatis reuerentiam gestabat semper in sinu. Quia igitur Deus in sanctorum suorum honoribus honoratur, promisit Christus, discipulos suos operibus suis maiora facturos. Itaque prodit

Act. 28. 10.

Prou. 5. 9.

Act. 19. 12.

S. Greg. lib. 1. Dial. c. 2.

Ioan. 14. 12.

S. Augu-

S. Augustinus ipsorum languentium atq; mortuorum relata post sanctarum contactum reliquiarum vestimenta, sanitatem vtramque attulisse; immò & flores. De puluere, ac situ sepulchrorum, de oleo lampadarum, & lychnorum ad illa suspensorum, de manuali aqua, pedumque ablutorum, & similibus, tam multa sunt in historijs & Patrum scriptis testimonia, vt qui dubitet, meritò nihil omnino credere videatur, & pertinacior sit spiritibus nequam, qui Apostoli semicinctia & sudaria ferre non valentes, eorum potentiam experti, ab obsessis vel inuiti egressi sunt. Rectè igitur hinc cultus Sanctorum, & sanctarum reliquiarum deducitur. Quòd si enim Deus ipse Sanctos suos, eorumque Reliquias miraculis honorat, quis tam superbus erit, vt non & ipse eos velit honorare?

S. Augustin. lib. 22. de ciuit. c. 8.

Vide Bellarm. lib. 2. de adorat. Gabr. Vasques lib. 3. de adorat; Baron. in Notis Martyrol. 15. Iunij.

IX.

Et quidem in viuis adhuc degentes fuisse æstimatos atque honoribus ornatos etiam nomina ostendunt, quæ eis, ob pietatem, homines imposuerunt. Mirum est, quod de Iacobo minore Christi discipulo proditur memoriæ, quia puer adhuc incredibili, ac supra ætatem magna sanctitatis opinione imbuit omnium mentes, vnde *Sanctus* vulgò appellatus est. Auxit opinionem hanc de eo receptam summa vitæ austeritas. Enimuerò neque vinum bibit vmquam, neque vllum carnis nouit vsum; intonsus vixit, vnguenti & balnei expers: adeò precando Numini deditus, vt eius genua in camelorum speciem occalluerint. Sic Gallus adhuc vivus *Sancti* cognomen meruit, ob pietatem. Et Bonfinius est author, D. Germano à Gallis nõ solùm in morte, verùm etiam in vita velut sancto magnos honores exhibitos: quòd sanctissimam vitam duxisset,, hæreses extirpasset, & miserrimis Hunnorum temporibus consilio & precibus Gallis & Britannis mirabili adiumento fuisset. Sic prisci Patres, vt videre est in epistolis S. Augustini, cùm ad se se mutuò epistolas missitarent, non solùm, ob officium, verùm etiam, ob mores se se mutuò *Sanctos* appellauerunt. Quod & tempore Apostoli factum est, ita enim scribit: *Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis sunt Sanctos.* Christianos enim quasi sanctos & recipi, & salutari oportere iudicabat. Ita salutabat, recipiebat, consulebat *Sanctos* prisca ætas, in exemplum sæculi deterioris; ab ijs, qui

Sabellicus lib. 6. c. 3.

Bonfinius lib. 4. dec. 1.

Rom. 16. 15.

Fulgos. lib. 2. cap. 5. veritatem dicere audent, abhorrentis. *Franciscus Paulæ Eremita, vir natione Calaber, à decimo tertio anno vsque ad sexagesimum Eremiticam egit vitam, obsonio nullo cibos suos molliente. Missis igitur à Ludouico vndecimo Gallorum rege, ad Ferdinandum senierem Neapolitanum regem oratoribus, qui precibus multis hoc peterent: vix tandem Sixto IV. Papa ita iubente, adduci Franciscus potuit, vt in Galliam ad Ludouicum se conferret: à quo per omne regnum, quò iter habuit, præmissis sacris, ceu si Cardinalis cum legationis honore illuc tenderet, exceptus fuit: quamquam litterarum expers esset, ab eo Rege eiusq; filio Carolo VIII. consilys de magnis rebus adhibebatur, sententiaq; eius præferebatur: Alexandroq; VI. Pontifice hoc præbente, Princeps quinta regula factus fuit, qua postea ab eo nomen accepit.* Hieremias Prophe-

Ioseph. lib. 10. c. 9. Antiq. ta in tanta fuit existimatione etiam apud hostes Babylonios, vt ex regis Nabuchodonosoris iussu Nabuzardan magister equitum eum magnis præmijs Babylonem pellicere voluerit, quem alioquin tamquam captiuum abducere poterat. At cùm apud reliquias Iudæorum manere vellet, liberum hoc ei permisit, eíque Baruch scribam discipulum adiunxit, & amplis muneribus ornauit.

Sab. lib. 3. Enc. 3. Esdras inter homines Hebraici sanguinis in Assyria agentes prudentissimus, qui Mosaicas leges vel hominum incuriâ, vel iniuria temporum propemodum deperditas, quia omnia memoria teneret, litterarũ monumentis restituit, ob celebrem sapientiæ & sanctitatis famam, regi Xerxi non ignotus, facilè ab eo impetrauit, vt ex Babylone populares suos secum migrare volentes in Palæstinam deduceret.

X. Longè autem maior honoris gradus debetur ijs, qui post mortem in numerum Sanctorum sunt relati, neque ampliùs excidere possunt. Non quòd eos vt Deos adoremus, sed vt tamquam amicos Dei debito cultu, quem duliam vocamus, veneremur.

Plin. lib. 2. cap. 7. Apud Plinium, vt mortales bene meriti inter deos referantur, mos est adeò vetus, vt pænè nihil sit eo antiquius. *Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos*, inquit, *vt tales numinibus ascribantur.* Ad hunc errorem corrigendum, atque in ritum meliorem mutandũ, ab Ecclesia instituta est *canonizatio Sanctorum.* Hinc Pontifices Romani, ad memoriam martyrum, annua festa & sacra instituerunt, quod aliud non fuit, nisi testari, eos fuisse sanctos.

sanctos. *Verùm postremò, vt ne vnusquisq; arbitratu suo hunc vel illum pro diuo haberet, coleretúe, Alexander III. statuit, vt nulli mortalium talis in terris honor haberetur publicè, nisi illi, qui priùs ex edicto Apostolico in diuorum esset catalogum ascriptus. Hoc decretum inter decretales epistolas, in titulo de reliquijs Sanctorum scriptum leges.* Ad hunc modum, inquisitione diligenter facta in vitam & miracula, relati sunt in numerum Sanctorum Dominicus An. 53. Imperij Alphonsi: Franciscus à Gregorio IX. vti & Elisabetha regis Hungariæ filia: Clara ab Alexandro IV. Stephanus & Ladislaus Vngariæ reges, Staniſlaus Cracouiensis Episcopus, & alij ab alijs. A Ioanne XXIII. Thomas Herfordensis Episcopus, & Thomas de Aquino: Bonauentura à Sixto IV. Bernardinus Senensis à Nicolao V. Vincentius à Calliſto III. vti & Edmundus Anglicus: Nicolaus Tolentinas ab Eugenio IV. Benno ab Hadriano VI. &, ne numerus fiat sine numero, Ignatius Loyola, & Franciscus Xauerius, cum Philippo Nerio, Isidoro, & Theresia, à Gregorio XV. Quæ consecratio Pontificis totius Ecclesiæ approbatione facta, tantò pluris facienda est, quia neque Pontifex tamquam caput Ecclesiæ, publica authoritate aliquid decernens, neque tota Ecclesia aliquid credens, aut credendum proponens, errare potest.

Ritius lib. 3. Platina. Bonfin. l. 1. Dec. 2.

Hanc consecrationem alij deinde, atque alij sequuntur honores, imagines, aræ, oratoria, sacella, templa, festi & solennes dies, ieiunia, vigiliæ, & omnifariã factæ ceremoniæ, quas Christo regi, & sacratissimę eius militiæ decernit humana pietas; quę tantò sunt ceteris honoribus, qui in terris decernuntur, maiores sanctioresque, quantò sanctior illorum fuit vita, quàm reliquorum hominum, qui omni æuo floruerunt. Templa Sanctis erecta, testantur Romæ Basilica D. Petro in Vaticano & Ostiensi via, & altera D. Paulo, vtraque immani amplitudine & apparatu visendo consecrata; itemq; tertia Lateranensis Ioanni Baptistæ; & quarta Pantheon antea dicta, postea DEI Matri Mariæ, aliæq; alijs Diuis, & Romæ, & vbiq; gentium & terrarũ dedicatæ. Neq; sanè festa Sanctorũ aliò respiciunt, quàm vt ijs diebus præcipua quadam veneratione colantur, enimuerò, vt tamquã patroni & aduocati nostri inuocentur. Quod à nobis faciendũ esse, antiqui PP. Nectarius, Ephræm, Nazianzęnus, Nyssenus, Ambrosius, Chrysosto-

XI.

Sabelli lib. 10. cap. 14.

mus, Augustinus, & posteri omnes suo exemplo docuerunt; quem cultum Ecclesia & vsu, & doctrina semper approbauit; nec sine insigni fructu. Quot enim & quanti, per huius, aut illius Sancti inuocationem & patrocinium iam morbos corporis; iam animi molestias ac tentationes; iam lumen intellectus; iam donum sobrietatis vel castitatis impetrauerunt? Pendent in templis anathemata; loquuntur tabellæ; nos ipsi quot vidimus, audiuimus, Sanctorum ope, è flammis & fluminibus, è peste, è carcere ereptos? vt negare experientias tam claras, sit lumen solis meridiani velle extinguere. Certè inuocari Sanctos in hac vita existentes & piè, & vtiliter, ostendit D. Paulus, quando scripsit: *Orationi instate, orantes simul & pro nobis*: iterumq;: *Fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* Quod si Sanctos licet inuocare in hac vita existentes, idq; & pium, & vtile est, & fit exemplo Pauli, cur non liceat, & vtile sit, inuocare item & Sanctos cum Christo regnantes? aut cur eorum oratio sit minùs efficax, quàm eorum, qui adhuc in hac vita peccare, & Deum offendere possunt? Orare autem & defunctos pro vitiis, ostensum est Machabæo. *Erat autem huiusce modi visus: Oniam qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum: Post hoc apparuisse & alium virum, ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei. Extendisse autem Ieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israël.* Potuit Onias, potuit Ieremias orare pro populo, cur alij non possunt? Hanc opinionem communem fuisse, apud Iudæos, etiam Christi tempore, illa confirmant, quòd, cùm Seruator noster in cruce clamaret: *Eli, Eli, lamma Sabactani, quidam illic stantes & audientes*, vtique ex consuetudine inuocandi sanctos, dicerent: *Eliam vocat iste*, itemq;: *sine, videamus an veniat Elias liberans eum.* Non dixerunt, quid Eliam vocat? Elias non audit, gratis ergo eum vocat: nec dixerunt, Elias non

Coloss. 4. 2.
2. Thess. 3. 1.
2. Machab. 15. 12.
Matth. 27. 46.

potest eum liberare; sed, *videamus, an veniat Elias, & liberet eum.* Crediderunt ergo, eum, si vellet, posse; an autem liberaturus esset, dubij fuerunt. Inuocemus igitur & nos quotidie Sanctos in cælo existentes, dicamusq; *S. Maria, ora pro nobis: S. Michael, ora pro nobis: S. Ioannes Baptista, ora pro nobis: S. Petre, ora pro nobis: omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis &c:* Ita honoramus, quos inuocamus, tamquam potentes succurrere.

Neque sanè hic honor Sanctis exhibitus, est Deo iniuriosus. XII.
Si enim S. Paulus Deo non intulit iniuriam, quando Sanctis in terra scripsit: *orationi instantes, orantes simul & pro nobis;* cur iniu- Coloss. 4. 2.
riam inferat is, qui Sanctis in cælo existentibus dicit: *orate pro nobis?* At Deus vult solus adorari? quid tum? an inde conficitur: Ergo non licet inuocare Sanctos in cælo? Si hoc rectè colligitur, rectè etiam colligetur: Ergo non licet inuocare Sanctos in terra. Atqui hos licet cum Paulo, ergo & illos licet inuocare. Neq; rectiùs argumentantur, qui sic argumentantur: Solus Christus est Mediator; Ergo non licet inuocare Sanctos in cælo: quàm qui sic inferunt: Solus Christus est Mediator; Ergo non licet inuocare Sanctos in terra. Quicumque ergo hoc telum esse infirmum, dicunt, ne Paulum videantur velle sauciare; fateantur etiam prius esse infirmum, quia ex eodem modulo prodit. Pari pacto, si signũ est, nos diffidere Deo & Christo, quando confugimus ad Sanctos in cælo triumphantes, erit etiam signum diffidentiæ in Paulo, & in alijs, quando inuocant Sanctos in terra militantes, & dicunt: *Fratres orate pro nobis.* Neque putare debet quisquam Sanctos fru- 2. Thessal. 3. 1.
stra inuocari atque sine fructu, quasi illi, qui in cælo sunt, non audiant preces nostras, neque sciant, quid hîc apud nos geratur. Si enim Sancti adhuc in hac vita possunt, Deo reuelante, cognoscere arcana aliorum consilia & molitiones, quemadmodum Samuel cognouit omnia, quæ erant in corde Saulis; & Elisæus sciuit omnia, quæ à famulo absente erant perpetrata, itemq; omnia secreta consilia regis Syriæ; ac Daniel occultum somnium Nabuchodonosoris atque interpretationem illius: Petrus quoque 1. Reg. 9. 19.
occultam fraudem Ananiæ & Saphiræ; & quicumque Spiritu 4. Reg. 5. 26.
Prophetico abscondita & futura prædixerant; cur non in cælo, 4 Reg. 6. 9.
immò & in Limbo SS.PP. posset idem Deus beatis animabus simi- Dan. 2. 26.
Act. 5. 1.

lia reuelare? Hoc tamen discrimen esse facilè credo, quòd beati plus videant, eaq; maximè, quæ ad illos pertinent, aut quæ desiderant scire & videre; quàm Patres, qui olim adhuc in Limbo, & vmbra mortis extiterunt; multoq; minùs sciunt illi, qui in inferno etiam hac ignorantia cruciantur. Atque de his intelliguntur illa, quæ malè intelligunt, qui Sanctos habere patronos nolunt; vt cùm dicitur: *Viuentes sciunt, se esse morituros: mortui verò nihil nouerunt amplius*: item: *siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget*, de nostris scilicet rebus, quæ apud nos aguntur; &, nisi illis reueletur: nam vtique animæ damnatorum sciunt, se esse damnatas; & animæ beatorum sciunt, se esse beatas; animæ autem in Limbo PP. existentes, sciuerunt Messiam venturum; & anima Abrahami insuper sciuit, quid diues in inferno peteret; quin & ipsa damnata diuitis epulonis anima sciuit adhuc se habere in viuis quinq; fratres, pro quibus orauit. Quod autem dicitur: *Abraham nescivit nos, & Israel ignoranit nos*, intelligitur de Abrahamo, tempore veteris testamenti, adhuc existente in Limbo PP. vbi sine peculiari reuelatione vtique nihil scire potuit eorum, quæ in terris gererentur; alia ratio est nunc, tempore noui testamenti, de eodem iam inter beatos in cælo degente, & de alijs Sanctis, qui in beatifica visione, & Deo, omnia vident, quæ desiderant videre. Itaque sine formidine eos possumus inuocare, facilè intelligent, etsi à nobis procul distent, quæ ad eos vel loquendo, vel cogitando mittimus. Sic eos, & in illis Deum honoramus: est enim, vt S. Thomas docet, inuocare nihil aliud, quàm aliquem in se vocare, per affectum, & denotum cultum: quod vt fieret, voluit Deus, qui voluit Sanctis etiam hunc honorem tribuere, vt sineret eos secundarios apud se esse aduocatos; non quasi Christus non sufficeret, sed quòd Christo ipsi quoque honorificum esset, si ad eum, eiusq; Patrem tales legatos mitteremus, quibus ipse vim impetrandi & meruisset, & honoris caussa contulisset.

Eccles. 9. 5. Iob. 14. 21. Isa. 63. 16. S. Thom. in ep. ad Rom. cap. 10. lect. 2.

XIII. 13. D. Petrus deniq; quasi in compendio scribit: *Omnes honorate*; & S. Paulus iubet nos esse *honore inuicem præuenientes*; sed præmittit, *charitate fraternitatis inuicem diligentes*, hoc est, φιλαδελφία, seu charitate fraterna. Quia omnes vnum patrem habemus

1 Petr. 2. 17. Rom. 12. 10.

DEVM,

DEVM, omnes in Christo fratres sumus; omnibus ergo honorem, & charitatem fraternam debemus, tantoque magis, quantò fraternitas spiritualis perfectior est carnali, ait S. Ambrosius. Ad hunc honorem & amorem promouendum primitiuæ Ecclesiæ Christiani se se omnes vocabant mutuò *fratres*, tamquam ex eodem patre Christo, atq; eadem matre Ecclesia oriundi. Nec satis est honorare fratres, sed honore etiam præueniendi sunt, vt quodammodo, dum certamus, quis alterum anteuertat, amorem tantò maiorem excitemus; sic subditus debet superiorem præuenire; & non est indecens, vt etiam superior præueniat inferiorem, tantoque se magis demittat, exemplo Christi, quantò ipse maior est; enimuerò potest & debet superior ipsum quoq; inferiorem suum tamquam superiorem honorare, si in eo Christum agnoscat; & non sua, sed alterius bona consideret. Vnde Apostolus ait: *in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. Ne, dum alter alteri se humiliat,* inquit S. Gregorius, *humiliatio iret alteri in elationem, bene vtramque partem admonuit dicens: Superiores sibi inuicem arbitrantes, vt in cogitationibus cordis, & ego mihi illum præferam, & vicissim ille me sibi: vt cùm vtraque parte cor inferiùs premitur, nullus ex impenso honore subleuetur.* Hinc intelligitur, quàm indignum sit facinus, contemnere illum, quem obligatus es honorare. Meritoq; par pari refertur, & qui malè dicit, malè audit; vt eamdem mensuram recipiat, qui mala mensura est vsus. *Va, qui spernis, nonne & ipse spernêris? cùm fatigatus desieris contemnere, contemnêris.* Ita factum est ancillæ Agar, quæ, quia *concepisse se videns despexit dominam suam,* postea *humiliata est sub manu illius.* Ita *Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo. Ideò Michol filiæ Saul non est natus filius vsque ad diem mortis suæ,* Ita Rabsaces dux militiæ regis Assyriorum, qui primùm de populo Dei, deinde de ipso DEO contemptim locutus ita punitus est, vt vna nocte in castris eius *Assyriorum centum octoginta millia* occiderentur ab Angelo. Ita Aman Mardochæum despiciens, in ipso patibulo suspensus est, quod Mardochæo exædificauit. Ita Pharisæus præ se humilem Publicanum, cæteroscque homines contemnens, tantum à Deo infra Publicanum

S Ambros. serm. 6.

Philip. 2. 3.

S. Greg. l. 34. Moral. c. 17.

Isa. 33. 1.

Gen. 16. 4.

2. Reg 6. 16.

4 Reg. 18. 19.

Esther. 3. 4.

Luc. 18. 9.

num deiectus est, quantum supra eum se se extulit. Adeò neminem decet aspernari, & omnes, suo modo conuenit honorare, etsi non reuereri: etsi enim superiores inferiores, immò & Deus homines honoret; non tamē eos reueretur, cùm nomine reuerentiæ submissio erga alterum, & agnitio tamquam maioris intelligatur.

XIV.

14. Quod si omnes honorare oportet, ergo & DEVM, & quidem ante, ac supra omnes. Ille enim est parens, ille præceptor & doctor, ille senior quia æternus, ille animæ nostræ sponsus, ille dominus, ille benefactor; omnium rerum gnarus, ille nos vocat amicos suos, ille magistratus supremus, ille cui omnia sacra consecrantur, ille Sanctus Sanctorum. Habet ergo omnes titulos & causas honoris illi exhibendi, & gloriæ in illum referendæ. Quod quidem Angeli in cælo faciunt, perpetim clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Neque Angeli tantùm, ait enim Ioannes: *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Hoc omnes beati in cælo facient in omnem æternitatem. Quod se quoque sperant facturos, quicumque, in hac vitâ, omnia ad maiorem Dei gloriam negotia incipiunt, continuant, finiunt. Ille enim vt principium est, ita & finis debet esse omnium bonarum nostrarum actionum: *Ego sum, α. & ω. principium & finis, dicit Dominus.* Hinc meritò dicitur: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius,* hoc est, in terrâ, quæ est atrium, è quo Sancti in aulam cælestem intrant. In hoc atrio identidem cantandum est:

O veritas mea, & misericordia mea, Deus meus, Trinitas beata, tibi soli laus, honor, virtus, & gloria, per infinita sæculorum sæcula.

Isa. 6. 3.

Apoc. 5. 11.

Vide supra. cap. 19. §. 9.

Apoc. 1. 8.

Psal. 28. 2.

Thom. de Kemp. l. 3 de imit. cap. 40. Vide suprà cap. 21. de gloria Deo danda.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Cur non solùm malis, sed etiam sæpe bonis honores negari, vel auferri diuina prouidentia patiatur?

FAcilè quisquis honoratur, quiescit, siue dignus sit eo honore, siue indignus: haud ita facilè, cui honor negatur. *Itaq; non inscitè Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quæ apud Homerum Achilles queritur, hoc, vt opinor, modo.* I.

Cic. lib. 3. Tuscul qq.

Corq; meum penitus turgescit tristibus iris,
Cùm decore atque omni me orbatum laude recordor.

Num manus affecta rectè est, cùm in tumore est? aut num quodpiam membrum tumidum ac turgidum non vitiosè se habet? Sic igitur plerumque ægritudine laborant, qui se se vident honore destitutos. Itaque sanandi sunt. Quamquam non solùm ægrotant, qui se se vident esse sine honore, sed etiam in vitio est ille animus, qui *tristibus iris* idcirco tumet, quia alios videt honorari. De illis priùs dicamus. Nam vel indigni sunt honoribus, qui eis non conferuntur, aut auferuntur; vel digni. Si indigni, nulla eis fit iniuria, quid ergo conqueruntur? Quàm ridiculus esset agricola, qui indignaretur, quòd non electus esset in Imperatorem? Quàm stolidus latro, aut prædo, qui pro laqueo speraret, aut postularet diadema? aut qui gladio dignus se se sceptro dignum iudicaret? *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij; sic qui tribuit insipienti honorem.* Si enim testæ fragmentum in lapidum aceruum mittatur, impactum in minutissimas particulas confringitur; vt nullis postea vsibus sit aptum: ita etiam honor insipienti perperam impensus, perit prorsus, & frustra impenditur. *Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione præualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aqua de fouea.* Quo modo honor insipienti, aut impio oblatus perit? quia Æthiopem lauat, siquidem non facit eum sapientem aut probum; & ipse vilescit, vt postquam viderint eum deferri indigno, contemnant sapientes, & digni, qui non æstimant id, quod etiam stultis & sceleratis obtingit. Vidi audiuiq; sæpe officia quædam, alioquin honorifica, repudiari à sapientibus, eo solo nomine quòd vidissent ea, ante se habuisse insipientes. Prou. 26. 8. Isa. 30.

Sellà in curuli Struma Nonius sedet.
Ego nolo Consul esse.

nolunt enim mentes generosæ fasces contaminatos tangere; aut id præstare, quod videntur ineptissimi quique præstare posse. Itaque honores indignis collati & ipsi putiscunt, & eos, quibus conferuntur, ludibrio exponunt; sunt enim velut lucerna admota vesti maculatæ, quæ non tam vestem illuminat, quàm maculas detegit. Lapides pretiosos proijcere in aceruum & congeriem rudium saxorum, est non illa ornare, sed proprium pretium perdere; ita honores indignis tribuere, est illos deformare, ipsosq; honores dehonestare; immò & ipsos indignos in exitium promouere, non secus, ac si quis fundâ lapidē in altum eijciat; quò eum altiùs impellit, eò altiùs cadit. Enimuerò haud rarò seipsum sauciat, quisquis indignum honorat. *Libertas*, inquit S. Ambrosius *sapienti, non insipienti conuenit, quoniam* (iuxta versionem septuaginta) *qui deligat lapidem in fundibulo, similis est ei, qui dat insipienti claritatem, se ipsum vulnerat, atque sibi potiùs cùm intorquet iaculum, affert periculum. Deinde sicut tormento acerbatur & geminatur malum saxi ruina, sic insipientis in libertate ruina vehementior est.* Nostra tamen versio est: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, sic qui tribuit insipienti honorem.*

S. Ambros. ep. 7. ad Simplician.

M. Veteres Mercurium suum pedibus & brachijs truncum formare solebant; hinc homines inutiles, stolidos, mente captos, & rerum imperitos *ligneos Mercurios* vulgò appellabant: *at tu*

Iuuen. sat. 8.

Nil nisi Cecropides, truncoq; simillimus Herma.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.

Itaque qui bardum hominem honore afficit, similis est illi, qui aliquod Mercurij simulachrum vndequaque truncum reueretur. Et sunt profectò quidam idolo magis trunci; quos proinde honorare, est colere idolum, quod qui faciunt, in saxis seminant, nec rarò & ipsi stulteſcunt. Vt quid enim magistratum, regnum, imperium, exercitum, væcordi, imperito, stupido committunt? Naufragij causſa est, qui nauem puero regendam concredidit. Insipiens autem est, & plus quàm puer etiam qui improbus est, aut ad officium aliquod ineptus, illudq; appetit. Fit tamen plerumq;,

vt

vt quantò quisque est ineptior indigniorq; ad aliquam dignitatem, tantò se ipsum aptiorem dignioremq; arbitretur. Vt igitur non oportet titillare eum, qui natura procliuis est ad risum, sic non oportet laudare illum, qui gloriæ suapte sponte est appetentior. *Qui cùm sit indignus, dignum se magnis putat, inflatus est*, ait Aristoteles. Minuendus, non augendus est inflatis tumor. *Rhegium Italiæ tyrannus Syracusanorum Dionysius solo æquauit, commotus*, vt refert Strabo, *quòd cùm ex ea ciuitate puellam in matrimoniũ petiisset, Rhegini lictoris filiam ei obtulerint.* Quid isti merentur, qui rudes, bardi, stolidi, & stolones, & vix digni sunt, vt lictores fiant, tamen fieri consules volunt, aut in aliis muneribus Rerumpublicarum euersores, non conseruatores? Multæ itaque causæ sunt, ob quas honor vel negetur, vel auferatur ab indignis, quarum vel hæc prima sufficit. Itaque 1. hoc ipso, quia indigni sunt, ægrè ferre non possunt, si honorem non capiant, quem non merentur. Quid porco balsamum? quid crocomagma vpupæ? 2. Quid *quærunt vanitatem & diligunt mendacium?* Non excellunt, neque virtute, neque arte, & volunt dici Excellentes? sunt flagitiosi, & cupiunt à virtute laudari? sunt indocti, & ambiunt titulum eruditionis? Fridericus II. Imp. à Veronensibus indignè acceptus, iniecto igne, vrbem incendio deformauit, studiumque illinc generale Patauium transtulit. A talibus candidatis auferendus esset titulus Doctoris, non autem illis conferendus. 3. Hoc titulo honor vilescit; quid enim magni est, quod apud indignos, & vilissimos reperitur? Memorat Ægidius Corrozetus, Bertrandum Geiquinatem Magistrum equitum, sub Carolo V. Gallorum rege, morem introduxisse, vt quicumque nobilitate, & conditione sua aliquid indignum commisisset, in publico conuiuio, dedecoris caussa, mappa coram illo præcideretur, & hoc ipso indignus conuictu nobilium iudicaretur. Tantò igitur pluris fiebat inter nobiles assidere, quantò pluribus constabat, indignum nullum admitti. 4. Vt honor bonos iuuat, ad multa bona promouenda; ita malis, tamquam furiosis, arma ministrat, ad exercendam, & promouendam impietatem. Quis enim tyrannidem exerceret, si non esset in solio, aut potentiâ emineret? 5. Iniustum est, honorare indignos; iustum, malis honorem negare, immò etiam auferre,

Strabo lib. 6

Psal. 4. 3.

Ægid. Corroz. de dictis & factis mem.

Matth. 13. 12. ferre, & in virum dignum transferre: *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Sic & Iudæis dictum est: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Nec regnum, sed etiam honor ab illis ablatus est, postquam Messiam suum tanta ignominia affecerunt. Qua de causa, vt scribit Paulus Diaconus, *exclusi sunt olim Iudæi ab omnibus dignitatibus, honoribus, functionibus, & congressibus Christianorum: fuitq; lege vetitum, ne quis Christianus munera à Iudæo acciperet. Ad alloquium etiam Pontificum numquam sunt admissi, neque concessum, vt in scamnis sederent, sed in pauimento merces suas exponere cogebantur. Si quis etiam Christianum læderet, aut religionem violaret, grauissimè puniebatur.* 6. Sic in viam reducuntur, vt cupiant facere honoranda, qui nihil honore dignum præstiterunt, & tamen sunt honoris appetentes. 7. Honoribus indigni sæpe multas alias habent causas suæ damnationis, fortè igitur magis peccarent, maioremq; mererentur damnationem, si peccarent cum authoritate. *Discant ergo fideles,* ait ille, *culmina reuereri, & nequaquam cathedras impudenter ascendant: quia quantò gradu altior, tantò casus grauior.* Hi tales ipsum DEVM non honorant, qua igitur fronte volunt à Deo honorari? Si mica salis in eiusce modi prensatore esset, diceret: *Vnde possum gloriari? aut appeto reputari? Numquid de nihilo? & hoc vanissimum est. Verè inanis gloria, mala pestis, vanitas maxima: quia à vera trahit gloria, & cælesti spoliat gratia. Dum enim homo complacet sibi, displicet tibi: dum inhiat laudibus humanis, priuatur veris virtutibus.*

Thom. Cantipr. lib. 1. Apum. c. 20. § 7.

Thom. de Kemp lib. 3. de imit. c. 40.

III. At, licet perspicuum sit cur indignis honor nec debeatur, nec relinquatur, nonnè multi indole, arte, ingenio, scientijs, aude & virtutibus præstantes passim negliguntur, & latent inter obscuros, qui clauo, sceptro, regno digni essent? Est ita, sed id non fit sine Numine, neque sine singulari prouidentia ac beneuolentia diuina. Primùm cui se se obligauit Deus, vt eum debeat, in terris,

2. Tim. 2. 20. facere honoratum? *In magna domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Facit figulus ex limo quod vult, & Deo non liceat hunc regem facere, illum ad gregem destinare? Deinde, sæpe, quos maximè amat DEVS, in terris minimè honorat, immò

facit

facit ab honoribus vehementer abhorrere. *Apud Sanctum Victorem Parisijs, referentibus Canonicis audiui;* inquit Thomas Cantipratensis, *quòd quidam Canonicus regularis erat, vita, genere, & litteris pollens. Electus autem in Episcopum, renuit, & pertinaci constantiâ contra plurimorum & maiorum consilium, se subtraxit. Moriturum autem post multos annos socius quidam eius, qui eum multùm dilexerat, adiurauit eum, quatenus ad se, si Deus permitteret, resolutus morte rediret. Annuit ille statimq; defunctus est. Nec dies multi, post mortem eius effluxerant, cùm ecce anima, secundùm quod promiserat, rediens, eminus in pariete crucis signum impressit, dicens: Ne dubites, nec vacilles in visu. Sed quare, quod vis, & me sinas ad patriam redire. Mox socius ad visionem exultans: sollicitus, inquit, valde fui, ne grauissimam ad minus pœnam in purgatorio sustineres: quia refutasti contra maiorum consilium tam pertinaciter Prælatum, in quo ad salutem animarũ, tot, & tanta bona facere potuisses. Cui anima. In me, ait, hoc ordinauit clementissima bonitas Saluatoris, quia ex tunc timui, & nunc scio, quòd si Episcopatus cathedrã ascendissem, perpetuæ damnationis periculũ incidissem. Et hoc dicens; quasi cum ingenti coruscationis lumine pertransiuit.* Thom. Cantip. lib. 1. cap. 20. §. 4.

Nimirum verè dixit D. Augustinus: *Quàm multis honor occasio exitij fuit?* Nemo altiùs cadit, quàm qui altiùs ascendit. Quidquid in terris sublime est, ruinæ obnoxium est. Humilia minùs periclitantur. Itaque non malè volentis, sed diligentis est Dei, si quem collocat in loco securiore. *Quantò plus honoramur, tantò plus periclitamur,* ait idem S. Pater. Ac rursus alibi, si idem est: *Crescit vana potentia, crescit & pœna. Potentes potentiora tormenta patientur. Quantò maior honor datur, tantò maius periculum comparatur. Isti tales sunt elati, superbi, vanitate pleni, luxuriosi, guloſi, & hominibus magis placentes quàm Deo. Hi sunt se ipsos amantes, gulæ seruientes magis, quàm spiritualibus intendentes, corpus ornantes, & animam fœdantes, carnalibus consentientes, spiritualia negligentes.* S. Augustin. serm. 32. in S. Matth. S. Augustin. in Psal. 106. Idem serm. 61 ad Fratres in eremo.

Domitianus Imp. conditionem Principum miserrimam aiebat, quibus de coniuratione comperta non crederetur, nisi occisis. Sueton in Domitian.

Multò miserior est conditio talium Prælatorum, qui antè non agnoscunt suam calamitatem, quàm in id barathrum inciderunt, vnde vix datur emergendi potestas. Quomodo enim emergerent, *elati, superbi, vanitate pleni, luxuriosi, guloſi, & hominibus magis placentes,*

sentes, quàm Deo? Quibus tantum plumbi ad alas est appensum, non possunt de profundis in altum euolare.

IV. Thom. Cantipr. lib 1. Apum. c. 20. §. 8. & 9.

Hæc talia dicta credibilem faciunt tremendam illam historiã, quam idem suprà dictus author his verbis enarrat. *Sed & illud solemne miraculũ ad terrorem omnium prælatorum enarrabo. Clericus quidam in Synodo Episcoporum prædicare compulsus, angustiabatur non modicum, quidnam dignè posset coram tot prælatis Ecclesiæ prædicare. At vbi accessurus in oratione iaceret, venit ad eum diabolus, & dixit ei. Quid angustiaris istis clericis prædicare: Dicas eis istud, & non aliud: Principes infernalium tenebrarum, principes Ecclesiæ salutant. Tui omnes nos gratias eisdem referimus, quia cum ipsis, eorum nobis afferuntur subditi, & per eorum negligentiam ad nos deuoluitur tam pariter ferè mundus. Inuitus quidem tibi dico, quod dico, sed Altissimi iussione coactus. Respondit Clericus: Mihi quidem, si hæc eis referam, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam eius: Ecce, ait, signum, nigredo insolita faciei. Hanc antequam prædices, non contingas, quia frustra: post prædicationem verò aqua benedicta delebis. Præcessit ergo Clericus in Synodo prædicaturus: & admirantibus cunctis in signo indito faciei, tantùm illa, quæ sibi iussa sunt, indicauit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permouit. Hac anno ab incarnatione Domini M.CC. XLVIII. fuerunt Parisijs coram omni clero & populo solemniter recitata. Quàm vera sint ista, status procul dubio demonstrat Ecclesiæ: qui nullam superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, in clericis & prælatis recipit comparationem. Vidi moderatores orbis & Reges magnos, vidi Duces, & Comites, Barones; nihil tamen vidi in eorum cultu vestium tam singulariter exquisitum. Eorum auaritiam si attendas: nulla mercatorum, nulla ciuium talis. Qui tamen hæredes legitimi si haberent, tolerabilior insania videretur. De luxuria verò eorum nil definire præsumo, nisi quòd illam solus omnipotens nouerit, qui renum & cordium scrutator est Deus. Si quis clericorum culpabilis, de duritia verborum dictorum conqueritur, corrigat se: & contra se prolata non audiet. Si quis verò legentium se à reprehensis mordaciter vitijs inuenerit innocentem, non irascatur, non indigneturmihi, sed gaudeat, vitijs de quibus conscius non est, in cõscijs reprehendi. Si quis verò indignè dicta verba tulerit, notabilem se reddet in dictis, & veritatis planissimæ detractorem.* Hæc ille

Psal. 7.

His

His tantis periculis caret, quisquis honoribus patienter ca- V.
ret. Quare beneficij loco est habendum, si quis sit à periculis immunis. Quid quòd ipse despectus honorum, atque etiam iniuriarum patientia multis est via ad honorem? S. Spiridonis ad Constantium Imperatorem euocati vilissimus erat habitus, Toga detrita & decotis. Pro cingulo funis. Vas fictile pependit è collo. In manu, loco hastæ, aut spiculi, virgam ex palma tenebat. In compendio dicam, à vertice vsque ad calcem contempti hominis speciem præ se ferebat. Talis regiam ingrediebatur. Quod vbi vidit colax quidam, quo hominum genere plenæ solent esse aulæ, indignum ratus, vt homo tam abiecta specie intraret in palatium Imperatoris, non veritus est sacræ eius maxillæ colaphum infringere, quo longè lateque exsonante, affatim riserunt, qui audierant, aut viderant. At quid sanctissimus vir tantâ contumeliâ affectus fecit? Christi doctrinam secutus, non modò tulit eam iniuriam patienter, verùm etiam genarum alteram, prompto patiendi animo exhibuit percussori. Quasi repercussisset verberantem, ita erubuit alter. Nam tantæ patientiæ modestia insolentem illum tanto pudore affecit, vt repentè ei supplex fieret, atque subitæ inconsideratæque suæ audaciæ veniam flagitaret. Quam quidem Sanctus ille libens concessit; sed hominem paternè instruxit, vt posthac ab inferendis iniurijs se se contineret. Eo tam generoso facto spectantes in stuporem dedit, adeò, vt qui antea illum clarissimè sonantibus cachinnis exceperant, iam de virtute admirarentur. Itaque à viris principibus magno in honore habebatur, qui eum summa cum reuerentia ad Imperatorem deduxerunt. Si impatiens fuisset, si honorem suum defendisset, si de iniuria sibi facta expostulasset, si colaphum colapho reposuisset; nemo illum ad Imperatorem, sed ad carcerem duxisset. Irritati enim crabrones crudeliùs sæuiunt. Irritatus fuisset Spiridon quoque, si de genere crabronum fuisset: nunc igitur in ipsa contumelia perferenda apparuit, non contumelia eum, sed gloria dignum extitisse.

Surius 24. Decemb.

Matth. 5. 39.

Infertur sanè sæpenumero grauis iniuria, & atrox plaga vi- VI.
ris præstantissimis, si eis, ob egregias animi ingenijque dotes debitus honor, debita laus, debitum officium negetur, vel adimatur; vt is illud habeat, qui blanditijs, calumnijs in alios excogitatis, adula-

adulatione, aut inani iactatione id extorsit; aut, ne perdat, veritatem tegit, neque vnquam liberè audet effari, quæ vtilia sunt; metuens gratiæ pariter & honoris iacturam. Sed virtuti datur, per iniurias, occasio. Patiens, fortis, magnanimus, nullâ sibi fit iniuriâ virtutem eripi; sed adeò est prouidus, vt ex ipsis iniurijs sumat occasionem patientiæ, & fortitudinis exercendæ. Itaq; etsi alij inuitis auribus audiant veritatem, oculisq; indignantibus aspiciant fieri, quæ iusta sunt, apertè tamen odit, quos odio dignos existimat, & amat, quos viderit odio prosequendos, professus illud Ennianum: *Eo ego ingenio natus sum, vt iram atque amicitiam in fronte promptam geram.* Oderint homines, dummodo amet Deus; despiciant homines, dummodo honoret Deus. Infra istos est gloria & fauor humanus, non supra: numquam eum adorant; & calcare possunt, si sit necesse. *Magni animi est,* inquit Seneca, *iniurias despicere. Vltionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias, altiùs sibi demisêre dum vindicant. Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ, latratus minutorũ canum securus exaudit.* Rursus, *Proprium est magnitudinis veræ, non se sentire percussum. Sic immanis fera, ad latratum canum lenta respexit. Sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat.*

Seneca lib. 2. de ira, c. 32.

Hæc Philosophus Ethnicus; multò efficaciùs Episcopus Christianus, *Magnum,* ait, *nobis diuina pietas largita est beneficium, cùm delictis nostris fieri præcepit de remissione refugium, si negligentibus ignoscamus, si indulgeamus ladentibus, si odientibus nos è contrario commodum benedictionis impertiamus, dicente D. N. IESV Christo; Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos &c. Ecce remissio iniuriarum filium te Dei patris facit, coheredem Christi adscribit, cœlestibus regnis habitatorem statuit. Vnde manifestum est oblita delicta eum in cælo, qui delinquenti beneficium venia impertitur in sæculo,* testante *Domino: si, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum &c. Cùm verò supplices famulis docet orare, ait: sic dicetis ad patrem; Dimitte nobis peccata nostra &c. cui sententiæ Martius abbas sanctitate præclarus, at diuinis eruditus litteris, vim corde retinuit, vt libenter dimitteret delinquenti, nec solùm ignouit noxam, verùm etiam munere prabuit gratiam.*

Greg. Turon. de vitis PP. c. 8. apud Sur. 23. April.

Matth. 6.

VII.

Qui iniurias didicit non curare, facilè etiam nihil aget peruersè,

versè, ob honorem, quem sensit esse fugitiuum, etsi sine sua sibi culpa ablatum; immò in animæ suæ salutem ablatum. Ita enim scribit ad Maximinum Augustinus: *Transit honor huius sæculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, vbi cœperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter iudicare. Quæ hîc honorant, ibi onerant, quæ hîc releuant, ibi grauant. Ista quæ pro tempore propter Ecclesiæ vtilitatem honori nostro exhibentur, defendentur fortè bona conscientia, defendere autem non poterunt malam.* Quod cùm agnosceret Clodoueus Francorum rex, primus ex regibus Franciæ ad Christum conuersus per sanè libenter ac patienter se B. Remigio Archiepiscopo Rhemensi submisit. Quando enim, post superatos Alemannos, erat baptismo tingendus, ei deponenti ornamenta regalia & ad sacrum se lauacrum humilianti, coram procerum frequentia, cunctisque audientibus dixit Remigius: *Mitis depone colla Sicamber; adora, quod incendisti; incende, quod adorasti:* hoc est, Christum adora, cuius Ecclesias incendisti paganus; incende idola, quæ tunc adorasti. Ita baptismo pariter, & aceto eum Sanctus Antistes, sed vtiliter, perfudit. Et passus est rex, quia hanc humiliationem vidit esse viam ad veram gloriam; ad quam peruenturus non erat, nisi pristina præsepia contempsisset. Quin & multi, qui honore in futurum nihil ad salutem collaturo destituuntur, assuescunt opera sua ad verum honorem æternamque gloriam destinare. Quemadmodum enim alij fluxis honoribus, tamquam viliore esca saturi, nauseant æterni decoris immortalitatē; ita qui terrenis titulis non saginantur, famem integram afferunt ad delicias cæli; & tantò cupidiùs esuriunt sitiuntque iustitiam, numquam, apud beatos, morituram. Qua de caussa ita hominem alloquitur Deus, per pij authoris calamum: *Fili, noli tibi atttrahere, si videas alios honorari, & eleuari, te autem despici & humiliari. Erige cor tuũ ad me in cælum, & non contristabit te contemptus hominum in terris. Domine in cæcitate sumus, & vanitate citò seducimur. Si rectè me inspicio, numquam mihi facta est iniuria ab aliqua creatura, vnde nec iustè habeo conqueri aduersum te. Quia autem frequenter & grauiter peccaui tibi, meritò armatur contra me omnis creatura. Mihi igitur*

S. Augustin. ep. 203.

Ioan. Trithem. lib. 1. compend. Annal. t. 8. & lib. de origine Francor.

Thom. de Kemp. lib. 3. de imit. c. 41.

iustè debetur confusio & contemptus, tibi autem laus, honor, & gloria. Et nisi me ad hoc præparauero, quòd velim libenter ab omni creatura despici & relinqui, atq; penitus nihil videri, non possum interiùs pacificari, & stabiliri, nec spiritualiter illuminari, neque plenè tibi uniri. Quòd si mirificè sibi hominum animos obstringit is, qui nouit iniurias sibi impactas tolerare, immò obliuiſci, aut, quod maius est, etiam beneficijs compensare; quid apud patientiæ remuneratorem Deum merebitur, is, qui despectoribus, immò persecutoribus suis mala pro bonis reponit? Huic ergo tali merito vt occasio fiat, permittit diuina prouidentia, vt multi despiciantur, honoribus, dignitate, principatu exuantur. Cui rei confirmandæ inferam hîc siue fictum, siue verum, de Hercule Ferrariensi, exemplum, ea fide, qua ex Ioan. Baptistæ Gyraldi Cynthij Italico idiomate translatum à curioso ingenio accepi.

VIII. Ioan. Baptista Gyrald. Cynthius Hecathomithorũ Decade 6. Nouell. X. Italica fol 95. part 2. Venet. Anno 1584. apud Fabium & Augin Zoppinos Fratres.

Leonellus & Borsus Spurij, legitimum filium Herculem Ferrariensem, Imperio ad se rapto, paternâ hæreditate spoliauerant: Noluit tamen ex hisce Borsus vxorem ducere, ne, vti animo destinauerat, natis sibi liberis, reddere principatum per vim ablatum Herculi non posset. Leonello vxor sua peperit filium Nicolaum, quem, cùm ipse IX. dumtaxat annos imperitâsset, cælibi Borso fratri educandum moriens commendauit, vt, si ipse quoq; Borsus vita excederet, Nicolaus capesseret fasces, id quod sanè perfacilè accidere poterat, si, vt Hercules, generosâ indole iam à puero vtilibus, honestis, ac nobilitante cum virtute coniunctis, strenuam operam nauare, vti decebat, voluisset, Nunc secutus perditæ luxu adolescentiæ mores, vanissimis, quin pernicioſis deditus, gulæ dumtaxat, lusibus & amoribus obscœnis, inuentæ florem indignissimè corrupit, cum asotis sanguine, & viuendi ritu sibi coniunctis. Certè signum de se præbuit nullum, quod trahi posset in omen, præclarum illum aliquando, & patriæ commodum principem extiturum, cùm in alia interim omnia ferretur Hercules, & pulcherrimâ contentione paulatim Heroum exempla imitatus ad celsissimæ dignitatis fastigium grassaretur. Hæc habebant sanè Borsum pessimè, verentem, ne à morte suâ intertrimentosâ Nicolai segnitie respublica grauissimè concuteretur: ac quamquam nihil inexpertum intentatumq; relinqueret, vt ad bonam frugem ex Fratre nepotem

nepotem extimularet, propositò, vt modò dixi, Hercule, & quæ incommoda consecutura essent, nî in alium migraret, hilum tamen eheu! non profecit, nec pilo ille melior se ipso est factus, ita prauæ eum sodalitatis in sequiora abripuit commercium. Nempe communi vitio iuuentutis, quam illecebræ plerumq; à salutaribus maiorum monitis abducunt. Abijt ad plures tandem Borsius. Hercules verò, Deo Duce, virtute & fortunâ Comite, septus validâ clientum manu Ferrariam Princeps est ingressus, cùm Nicolaus rebus suis diffidens aliò abscessit, serâ nimirum pœnitudine dementiam suam deplorans ac detestans, quâ benè nuper Patruo monenti non obsecundâsset, & quò tandem corruptela euasura esset, seriùs expendisset. Hercule interim plausu publico triumphante, nisi, quòd cirratuli, qui incentiua vitiorum Nicolao subministrarunt, ægrescentibus animis gloriam eius spectare, & inuiti perferre cogebantur. Cæterùm, ad hoc potissimum cura & industria Herculis incubuit: vt nihil non iustè exequeretur & prudenter, vnde omnium sibi mentibus meritò obstrictis mirificè amari meruit & obseruari, vt cælitum dono Patrem patriæ concessum publicâ contestatione confiterentur, quam quidē ille de se tam præclaram existimationem generosâ liberalitate, & heroicæ indolis magnitudine magnificè fouit, & conseruauit. Quæ cùm ita se haberent, Nicolaus, occurrentibus identidem Borsi salutaribus monitis, accedentibus stimulis ab matris suæ consanguineis, & iuuenum cohortationibus, qui ab Hercule licentiam suam compescì concoquere non poterant, & verò sperabant, Nicolao Principe quiduis sibi impunè liciturum, ad arma capienda, & vi sibi principatum vendicandum, animum aduertit. Aliquando igitur, cùm per coniuratos didicisset Ferrariâ Herculem abesse, complures in ditione Mantuani Ducis naues milite compleuit; & fœnum ijs vehi mentitus, secundo flumine in Pado Ferrariam festinatò deduxit, vsus præterea, ad hoc strategema, obscuræ noctis beneficio. Iamque appulsus ex 5000. quos secum habebat, priùs quàm dilucularet, numerosam manum misit, quæ mœnia Theobaldinæ Arcis pontem vbi infirmissima ea esse didicerat, perfringerent, vt succedentibus cæteris copijs liber pateret ingressus. Et sanè tam strenuè rem illi perfecerunt, vt decem vndecimúe

armati per ruinas ingredi non prohiberentur. Non desunt, qui aiunt, proditione coniuratæ nobilitatis hanc muri stragem fuisse editam. Iamque diluculante paulatim cælo admissus totus exercitus producebatur in forum personante horrificâ vociferatione symbolo, ac belli tesserâ: *Viuat velum! pereat Hercules! & quot. quot Herculei Adamantis factioni sunt addicti, pereant!* dici non potest quantum terroris ac consternationis ciuibus, nondum somno excusso, hæ feralium nouorum comminationes attulerint. Erat in vrbe fortè Sigismundus Herculis frater, quo cum concorditer hactenus vixerat. Hic percepto tumultu, fratris vxorem, filiúmque cùm permunitam semouisset in arcem, prosilijt in publicum: cúmque, qui pro præsidio vrbi erant, milites partiúmque Herculis ciues armatos contraxisset, infesto agmine procurrit in Nicolaum, & diuina Nemesi tyrannidem affectantem prosequente, in fugam factâ pugnâ multis interemptis coniecit. Cumque is è palude captus ad Bundenum retractus esset, sententiâ in ipsum, ceu perduellem, latâ vitam scelerate perfido abrogauit.

Venit interim Ferrariam Hercules, cui vt Nicolai rebellio cordolium, ita fida & animosa Sigismundi fratris felicitas lætitiam peperit, quâ quidem perfectum esset, vt illustrissimæ suæ familiæ metus & periculi omnis caussa ab æmulis tolleretur. Ac quamquam non ignoraret, quot, quales, ac quanti improbos Nicolai conatus promouissent, id tamen sapienter sic dissimulauit, ac si de eis, ad se verbum nullum emanâsset; quin ijsdem ita se beneuolum, benignumque exhibuit, ac si in se non modò peccassent nihil, sed & meriti fuissent benè. Sciuerat nimirum, etiam Dauidem ijs, qui regno eius obstiterant, aut insidiati fuerant, pro maleficio, beneficia reposuisse.

Erat ex eorum ordine, qui, quòd ad arduorum, & secretorum consiliorum consultationes admittuntur, *Oculi*, atque *Aures* magnatum appellitantur, hic cùm Domini sui beneficentiam in hostes suos capere non posset, ratus nihil ipsi de eorum nominibus prorsus constare, volensque suis, & illius commodis inseruire, dementi consilio, improba tamen industriâ, clam Hercule, anquirere in ciues cœpit, Ecqui eorum armorum societate vitæ Principis sui cum Nicolao insidias tendere non perhorruissent; ac deprehendit,

hendit, prope tertium quemque è nobilioribus adolescentibus affinem esse tam nefariæ proditionis. Horum omnium syllabum cùm confeciſſet, ipsis nascentis Christi ferijs, felicia ineuntis lucis auspicia Principi apprecaturus, (*Bonum manè* Lombardi vocant) hilarus in aulam se contulit, atque vbi admissus est ad Herculem, exporrectâ fronte gestiens, fert quidem, aiebat, antiquus mos, vti clientibus suis magnates *Bonum manè*, seu Xenia impertiant. Ego verò vertam equidem nunc stylum, & te lautijs, atque apprimè faustis, Domine, beabo. Hercules, qui alia omnia dicturum putaret, quàm quæ in medium erat allaturus (nempe quem non par erat solicitâ exploratione angi, vt ea inuestigaret, quæ benigni principis prudentia, quòd id ita boni publici rationes exposcerent, sepulta penitus voluit, & ex hominum memoriâ deleta) Hercules, inquam, Ecquem igitur tam faustum adferret nuncium, disertiùs iussit explicare, cùm hic sapientum octauus, Enimuerò habebis, excepit, ex me, quod cùm iuuerit te multis alijs de causis, tum ab hostium tuorum te metu liberabit. En tibi syllabum sedulitate mea, quoad eius fieri potuit, maximâ confectum, in quem nominatim retuli eos omnes, qui fide, & iureiurando, quo tibi adstricti iure fuerant, insuper habitis, cum Nicolao conspirantes, per summum nefas, arma corripere in excidium tuum, ac tuorum non cohorruerunt, & id hactenus tulêre impunè: cùm ergo quadringentos excedant, &, vti ego quidem calculum posui, bona eorum auri myriadem superent, si ijs, vt merentur, contrucidatis in fiscum ea retuleris, vides ipse quanto ærarium tuum locupletius sis redditurus. Hercules animo haud parùm commotus, quòd, qui apud se iustitiæ conseruandæ, pacisq; ac concordiæ stabiliendæ stipendia mereret, tam acerbi funestique consilij sibi esset auctor, vnde tot nobilissimis adolescentibus, eâ quidem ætate væcordibus, sine missione mittendus esset sanguis, quo innumeri innocentes multis ijs titulis deuincti, ægrescentem darentur in luctum. Statuit igitur vt nemini non constaret de generosissimi animi sui magnitudine, ita sontes plectere, vt supplicium omne intra verecundiam consisteret. Accepit itaq; codicillum, &, priusquã inspexisset, Hoscè, inquiebat, meo imperio omnes carnificis ferro perire fasque piumq; arbitraris? Fasque piumq; est ô princeps,

subiecit alter, vt qui pessimè fecêre pereant non minùs pessimè. Ergo & mihi sedet, ait Hercules, hos omnes tolli è medio cum bonis suis; simul illectum nomenclatorem in propter ardentem focum coniecit, moriantur ergo hi, inquiens, cum omnibus bonis suis huic pytacio inscriptis: Et cum eis comburatur memoria eorum omnium, quæ animo apud se contra me agitarunt, quæ linguâ, manuq; peccarunt. O facinus illustrissimum, summoque dignum Principe! quod sceptris, & regum aureis coronis inscribatur, vt maximi quique dynastæ intelligant, non vindictâ, non honoris sui læsi memoriâ, sed solâ se clementiâ ad immortalis Dei Maiestatem æternabili gloriâ subleuari.

Attonitus insolentiâ spectaculi delator, &, quî igitur tutò prouiues, ait, ô Princeps, inter tot coniuratos in caput tuû hostes? Quid aureos hos montes Gazophylacio tuo inferre superfedere cogitas, quos citra iniuriam tutè tibi potes vendicare? Et potin' tu hoc optare, suscepit Hercules, vt, me Duce, tot, ac tanti parentes, fratres, sorores, innumeriq́ue consanguinei, qui omnes mei ciues sunt, in summum luctum ac calamitatem adducantur, si pœnas mihi coniurati pendant? procul abest hæc Tyrannis ab Herculis indole: proin sic habeas velim, nolle me, vt aduersarij mei occidantur, & bonis excutiantur, sed vt tranquilli alacresq́ue & sibi imperari, & erroris aduersum me veniam obtigisse gaudeant: facultatumq́ue suarum copiâ beati, se amicos mihi plaudant iucundam vitam ducere. Nam quod ad bona ipsorum attinet, ego haud minùs in meis numero, cùm sint ciuium meorum, ac si in ærarij domestici arculis conclusa possiderem.

Et quia malo ab ijs considerari atque expendî, quid sint meriti, & quàm iure in eos ego potuerim seuerè animaduertens lege agere, quàm vt reapsè vindictam experiantur; itemq́ue cùm ipsi inhumanæ feritatis suæ barbariem perspexerint, nec possint nonac debeant confiteri, Patrem me Patriæ vindictam exercere noluisse; iam nunc tibi interminor, capite te luiturum, si verbulum super his ampliùs effutiueris; viuáque contentus *Hoc bono manè*, quod attulisti, quod profectò candido notandum arbitror calculo, cùm facultatem eo præbueris, eorum extinguendi nomina, quos tu in aduersaria hæc tua velut hostes meos coniecisti. Et vt

æternùm

æternùm nulla ampliùs apud posteros superet memoria, volo, imperoque tibi, vt siquid domi supereſt chartularum, quo propagari tragœdiæ, quâ perfuncti sumus feliciter, possit cataſtrophe, id omne actutum flammis, si tua tibi salus cordi est, aboleas: Ac caue deinceps interpellandum me putes, nisi si quæ suggeres, quæ cum ciuium meorum commodis coniuncta fuerint, quæque à te ad me delata esse sibi iucunda ac grata exiſtere gratulabundi conteſtentur. His dictis exautoratum officio à se dimisit, spe suâ nimiopere falsum, quâ, vt vultures prædæ partem captant ex cadaueribus, confidebat si peremptorum bona fiscō addixisset princeps, non contemnendâ eorum parte se quoque aspersum iri. Plerumque enim spe aliqua lactantur delatores. At verò vbi per vrbem increbuit pulcherrimum istud Principis facinus, adeò reorum animos, qui vel suâ sententia capite se plectendos negare non poterant, inexpectata clementia permouit, vt neminiam quàm Herculi vellent meliùs, atque adeò parum se gratos, & obsequioſos interpretarentur futuros, si vel sanguinem in eius gratiam profundere non dubitarent. Quòd si dux se pestilentis illius susurronis hortatibus ad sæuitiem siuisset exacerbari, quâ re nisi lugubri vlulatu, auersis à se cæterorum mentibus & sexcentis alijs vrbem calamitatibus impleuisset? cùm nunc vniuersos summam dederit in lætitiam, beneuolentiâ sibi adiunxerit singulari, vt eum vnicè diligerent, & inconuulsam præstarent fidem, nec Herculi modò Patri obtingeret hæc felicitas, sed in nepotibus quoque hodie perseueret, ac perennet.

IX.

Hunc patientia, mansuetudo, & clementia fructum protulit apud mortales, vt non tantùm Herculis nomine dignus esset Princeps, qui hæreditate, patriaque sede & dignitate, per summam iniuriam priuatus, ac postea etiam armis appetitus, veniam dedit rebellibus; sed etiam mirè sibi omnium animos conciliaret, atque ex hostibus amicos, ex seditioſis pacatos, ex immorigeris homines frugi, & quales esse oportet ciues, faceret. Numquam ita floruisset, si de honore, deque potestate deiectus non fuisset. Vtiliter iactatus est, vt per magna pericula peruenirent ad magnam securitatem. Longè autem maior securitas fuit alterius, de quo Anastasius Episcopus Antiocheaus cognomento Sinaita in oratione

tione de sacra synaxi, quam Achilles Statius Lusitanus in Latinum à se conuersam sermonem obtulit Gregorio XIII. Pontifici Maximo Anno Christi 1579. in qua oratione hanc historiam his verbis refert. *Vir vnus ex ijs qui monachali insigniti sunt schemate, cùm negligentissime per summum otium vitam suam omnem egisset; ea quæ esset ad mortem, infirmitate cœpit infirmari. Cumq; iam vltimum spiritum duceret, suam ipsius mortem nequaquam perhorrescens, summâ voluntate, magnaq; cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus: Frater, inquit, persuasum tibi habeto, & putasse nos, & vidisse summâ negligentiâ, animiq; remissione vixisse te vtiq; ad hoc vsque tempus: & vnde hac tibi nunc tanta securitas, id verò omnes nescimus. Cui respondit Frater: Est ita omnino, Patres, vitam per summam negligentiam duxi: sed Angeli Dei eádem hac ipsâ horâ peccatorum meorum ad me chirographon attulerunt, cumq; ea quæ fecissem postquam sæculo renuntiassem peccata legissent, numquid agnoscerem, rogauerunt. Quibus ego: Maximè verò, inquam, agnosco: sed idem ex quo renuntiaui sæculo, vitamq; institui monasticam, nec iudicaui quemquam, nec ab vllo mihi factam iniuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoq; pertinere opto & oro, qui dixit: Nolite iudicare, & non iudicabimini: & dimittite, & dimittetur vobis. Quæ postquam Angelis dixi, chirographon peccatorum meorum consiederunt: & inde nunc summâ cum lætitiâ & securitate proficiscor ad Dominum. Hæc vbi frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit, magnaq; astantibus ædificationis vtilitatisq; caussa & auctor extitit.* Eat nunc aliquis, & conqueratur de Deo permittente, vt homines spernantur, iniurijs, contumelijs, sexcentis despectibus obruantur; hæc omnia leges sunt patientiæ, gloriæ, & coronæ cælestis metendæ.

Ex Anastasio eandem ex scripsit Card. Baron. tom. 8. An. Christi 599.

CAPVT XXIX.

Cur non solùm bonos, sed etiam malos sinat honorari Deus?

I. BOnos honoribus afficiendos esse, omnes leges iubent, omnes historiæ clamant, ipsa ratio & natura suggerit. De legibus id constat ex dictis suprà. Diuinæ enim leges sunt: *Honora patrem tuum, & matrem tuam. Honora personam seni-*

Exod. 20. 12. Leuit. 19. 32. 1. Tim. 5. 3.

senis. Viduas honora, &c. Historiæ pænè nullæ sunt, quæ non narrent, honores dignis decretos, aut collatos esse; aut accusent eos, à quibus illi bene meritis negati ablatiúe fuerunt. Ratio autem atque natura dictat, vt verè, hoc est, id quod res est, iudicemus, bonamq; de bonis opinionem concipiamus; eiq; coram alijs testimonium impertiamur; quod est eos laudare, atq; honorare. Quod sanè facere, non tantùm veritatis amore, sed etiã virtutis iure obligamur; vsque adeò, vt qui tacet, vbi alter laudandus est, iniustus esse, alteriq; iniuriam facere censeatur. Qua in re multi grauiter delinquunt, & silendo detrahunt de laude aliorum. Perinde enim est, siue laudanda celes, siue celanda diuulges; & par malitia, siue vitia alterius prodantur, siue virtutes supprimantur, quando nulla, quæ excuset, causa subest, siue in silentio, siue in manifestatione. Si exempla quærimus, ipse *Deus illos honorat, & diligit, qui illicita fugiunt;* aitque: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Et de bene certantibus ait insignis ille heros:

S. Augustin. Dominic 1. in 40. serm. 1. 1. Reg. 2. 30. Virgil. 5. Æneid.

Nullus in hoc numero mihi non donatus abibit.

II.

Illud solùm hîc monendum est, ne ordinem honoris præteramus, præsertim in rebus, quæ sunt alicuius momenti. Vt enim, etsi omnes in necessitate, qui volunt facere, quod facit Ecclesia, baptizare possint, haud tamen decet laicum id officium facere, si adest clericus; nec subdiaconum, si adest diaconus; neque diaconum, si adest sacerdos; ita in alijs quoque officijs ac dignitatibus demandandis, aut honoribus distribuendis, semper attendendum est, ne indignior digniori præferatur. Væ illis, qui in gradibus, ac muneribus dandis iniustè iudicant, quia iustè damnabuntur. Siquidem *pondus & pondus, mensura & mensura: vtrumq; est abominabile apud Deum.* Duplex enim pondus quàm plurimi habent; vnum, quod eos inclinat ac trahit, quò fauor & affectus inclinat ac trahit, vnde ijs dignior est, qui charior est;

Prou. 20. 10.

Tutatur fauor Euryalum, lachrymæq; decora:

Virgil. lib. 5.

alterum, quo appenso, parum momenti obtinent, qui vel adulatione, vel munerum largitione, vel affinitate, alijsúe artibus parum gratiæ acquisiuerunt. Qui iustus est, erga omnes eadem mensura vtitur, remque suis momentis expendit, neque alia mensura vtitur domi, alia foris; alia erga Titum, alia erga Sempronium,

Rex Iuppiter omnibus idem. Agebatur aliquando de successore in magnæ tiaræ Principem eligendo. Ibi duo fratres erant, quibus inter ceteros ius eligendi competebat. Cùm itaque diu non conuenirent suffragia, & alij quemdam de senioribus, sed haud castæ famæ; alij iuniorem, doctiorem, sobrium, castum, pudicum vellent euehere, vota in ambiguo nutauerunt. Postquam igitur intellexi, illos quoque ipsos fratres magno sanguine & stemmate oriundos, calculo dissensisse; qui si conspirassent, facilè potuissent controuersiæ finem imponere: interrogaui eorum alterum mihi familiariorem, vtri ipse suffragium dedisset? Seniori, inquiebat. Institi quærendo, An nihil de publica illius fama audijsset? Audisse se respondit. Quæsiui tertiò, Num eum putasset esse digniorem? Nequaquam, dicebat, sed alia mihi caussa fuit huius eligendi. Nam sciebam à fratre meo suffragando faueri iuniori, idcirco mihi pro seniore eligendo fuit laborandum. Quàm diu enim vota in æquilibrio fluctuarunt, incertum erat, quisnam tandem futurus esset Princeps. Ita igitur apud me statuebam: si vterque nostrûm accesserit voto ad iuniorem, eligatur autem senior, vterque semper pessimo erit apud Principem loco. Iam verò hoc pacto, siue senior iuniori, siue iunior præferatur seniori, semper vnus fratrum bonam habebit gratiam, poteritque alterum excusare, ac Principi conciliare. Hic nunc stilus est, hæc Mundi consuetudo, ita dexterè nauem agere, vt in vtramque possit ripam applicari. Hæc ille ipse, qui fecit, cùm mihi retulisset, steti, obstupui, & aliquando tacitus mecum quibus verbis rei indignitas explicanda esset, cogitaui. Vbi animum satis collegi, Quæso, Domine, dixi, fictáne hæc esse, credere debeo, ad simplicitatem meam ludificandam, an reuera hoc ingenio vsi estis ambo fratres? Nihil fingo, inquit, rem, vt gesta est, narraui ipsissimam. Ita nunc viuitur; hæc Politia est nostra, sine qua, qui vult in aulis, & inter homines Politicos degere, numquam æstimabitur, numquam in numero, aut loco erit. Tum ego: At quid Deus dicet? Deus, inquit, bonus est, facilè se nouit moribus hominum accommodare. Itáne ergo, inquam, Deus se se nobis, non nos Deo debemus accommodare? ita quisquis ius habet suffragij, in eligendo Principe, non Rempub. sed semetipsum, suaque, non communi-

communitatis commoda debet spectare? Ita Ecclesiæ Dei prospicitur, vt ei non qui omnibus, sed qui vni prosit, præficiatur? ita nulla bonæ famæ, nulla morum, nulla eruditionis ratio habetur? vbi iustitia? vbi publici boni amor? vbi veritas? Qui enim aliquē elegit, ipso suo suffragio dicit, illum eligo, quem judico digniorē. Si ergo illum eligit, quem scit esse indigniorem, mentitur. Quin & totam communitatem exponit periculo pereundi. Idem enim facit, atque ille, qui nauem vectoribus plenam committit nauclero imperito; aut qui exercitum credit duci vecordi; vno verbo, qui ouium gregi lupum constituit custodem. Deniq; cùm ab vno sæpe pastore tali multa millia pendeant animarum, quanti exitij caussa est, qui caussa est, vt malus pastor eligatur? Et ad hoc nihil dicet Deus? tacebit Christus, si videat Ecclesiæ suæ non dari sponsum, sed mœchum? Hæc vbi pluribus explicaui, subiecit ille: Mi Pater, non venit nobis in mentem ista considerare: omnis nostra cogitatio est, *Quid in rem sit nostram.* Ah, *nolite confidere,* inquiebam ego, *in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.* Non rarò contigisse memini, vt, diuina Nemesi ita agente, isti tales suis ipsis promotoribus fiant infensissimi. Rectè igitur & sapiunt, & faciunt, qui in honoribus dispensandis iustitiæ normam seruant. Psal. 145. 3.

III.

Ante omnia tamen tenendus est ordo is, qui inter Deum & homines intercedit. Ad quem attendens *Petrus & Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Ergo etiam hominibus, quando Deo non aduersantur: nam illi à Deo authoritatē acceperunt. Vnde, teste D. Bernardo, *siue Deus, siue homo Vicarius Dei mandatum quodcumq; tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen contraria non præcipit homo.* Quod ostendit D. Basilius alijque ex humanis negotijs, in quibus obedientia inferiori magistratui negatur, quando contraria est superiori. Hinc serui dominos suos debent honorare, atq; audire, sed tam diu, quàm diu nihil contra diuinum honorem præcipiunt. Ita & coniuges, & amici, vsque aras debent esse amici. Ita Balaam, non quod regi placuisset, sed quod Deus iubebat, locutus est, benedixitque ijs, quibus Deus voluit benedici. Nec Machabæi tyranno, sed Deo obedierunt. Quin vbi de Dei honore agebatur, Act. 5. 29. S. Bern. de præcept. & dispens. S. Basil. Reg. 7. ex breuior. & 114. Num. 22. 18. 38. & cap. 23. 8. 12. 26. 1. Machab. 2. 19.

agebatur, palàm Principibus restiterunt Ambrosius, Basilius, Hilarius, Chrysostomus, Martinus, Thomas Cantuariensis, & apud Theodoretum Beroœensis quidam Christianus princeps Apostatæ Iuliano. Quin & aulici illi, Ioannes & Paulus *à Iuliano in numerum familiarium inuitati, liberè negauerunt, se apud eum esse velle, qui à IESV Christo defeciſſet:* & Terentiano dixerunt: *Si tuus est dominus Iulianus, habeto pacem cum illo: nobis alius non est, nisi Dominus IESVS Christus.* Gregorius quoque Magnus restitit Mauritio leges ferenti, cum Ecclesiastica potestate pugnantes. Eumdem ordinem seruauerunt, vt Deo magis obedirent, quàm hominibus, omnes Martyres, qui tyrannis impia exigentibus non solùm non paruerunt, sed etiam fortissimè restiterunt. *Valde peruersum est,* ait S. Bernardus, *profiteri te obedientem, in quo nosceris superiorem, propter inferiorem, id est, diuinam, propter humanam, soluere obedientiam. Quid enim? quod iubet homo, prohibet Deus, & ego audiam hominem, surdus Deo? Non sic Apostoli, clamant quippe dicentes: Melius est obedire Deo, quàm hominibus.* Quàm displiceat vehementer Deo, si ipso contempto, iussa hominum faciamus, ostendit in Adamo, cui dixit: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, &c.* Inde labor, inde sudor, inde spinæ & tribuli, inde mors, & peccatum in omnes posteros eius propagatum.

Theodoret. lib. 3. hist. cap 22.

S. Bern. ep. 7.

Gen. 3. 17.

IV.

Quid ergo fiet illis, qui idcirco Deum non honorant, quia parentes contrarium iubentes nolunt offendere? Stat hinc Christus, & annuit tibi, ô iuuenis; inde mater, & retrahit te? Cui sinis matrem Deo esse fortiorem? Veniam, ais, & dabo Deo gloriam, seruiámque illi, sed ne offendam senem parentem, sinam illum priùs emori, tunc liber euolabo ad Crucem Christi. Quid tibi dixit, ô iuuenis, patrem tuum, aut matrem ante te moriturum? Nonnè audiuisti vnum è discipulis eius dicentem: *Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum?* quid illi Iesus respondit? *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Fides cordis eius Domino se ostendebat,* ait S. Augustinus, *sed pietas differebat. Dominus autem Christus quando parat homines Euangelio, nullã excusationem vult interponi carnalis huius temporalisq; pietatis. Equidem, & lex Dei habet, & ipse Dominus arguit Iudæos, quia destruebant*

Matth. 8. 21.

S. Augustin. serm. 7. in Euang. secundũ Matth.

bant ipsum mandatum DEI. Et Paulus Apostolus in epistola sua posuit & dixit: Hoc est mandatum primum in repromissione: Honora patrem tuum & matrem tuam; Deus vtique dixit. Volebat enim iste iuuenis obtemperare Deo & sepelire patrem suum: sed est locus, & est tempus, & est res, quæ huic rei, huic tempori, huic loco seruiat. Honorandus est pater, sed obediendum Deo est. Amandus est generator, sed præponendus est Creator. Ego (inquit) ad Euangelium te voco, ad aliud opus mihi necessarius es. Maius est hoc, quàm quod vis facere. Sine mortuos sepelire mortuos suos. Pater tuus mortuus est, sunt alij mortui, qui sepeliant mortuos. Mortui sepelientes mortuos qui sunt? Potestne mortuus à mortuis sepeliri? Quomodo inuoluunt, si mortui sunt? Quomodo portant, si mortui sunt? Quomodo plangunt si mortui sunt? Et inuoluunt, & portant, & plangunt, & mortui sunt, quia infideles sunt. Docuit nos quod scriptum est in Cantico Canticorum, dicente Ecclesia: Ordinate in me charitatem. Quid est, ordinate in me charitatem? Facite gradus, & cuicumque debetur restituite. Nolite anteriora posterioribus subdere. Amate parentes, sed præponite Deum parentibus. Attendite matrem Machabæorum. Filij, inquit, nescio quomodo apparuistis in ventre. Concipere vos potui, parere potui, formare vos non potui. Illum ergo audite, illum mihi præponite. Nolite attendere ne sine vobis remaneam. Præcepit, & secuti sunt. Quod docuit mater filios, hoc docebat Dominus IEVS Christus istum cui dicebat, Sequere me. Ephes. 6. Cant. 2. 2. Mach 7.

V.

Par est vtique Christianos Numini magis addictos esse, atq; illius honori plus tribuere, quàm Gentiles; qui tamen nec ipsi sæpe, licet alioqui subditi, si quid contra leges & rationem præceptum esset, Principibus suis obedire; immò nec Principes sibi obtemperari voluerunt. Celebratur meritò illud Antigoni regis Macedonum, adulatori, *omnia regibus honesta iustaq; esse*, dicenti, responsum: *Sunt (per Iouem) barbarorum dumtaxat regibus: at nobis ea dumtaxat honesta sunt, quæ honesta sunt: & ea tantùm iusta, quæ iusta sunt.* Sicut ergo barbari nullo discrimine habent, honestumne, an inhonestum sit aliquid; ita qui sapiunt ad sobrietatem, ad id maximè attendunt, quis sit, qui iubet, & cui primi, cui secundi honores debeantur. Quòd si parentes, si cognati, si domini aliquid imperent, quod Deo sit aduersum, illicò cum Petro & Ioanne dicunt: *Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm* Manut. in Apopht. Act. 4. 19.

Deum, indicate. Enimuerò etiam ipse magistratus, qui rectè sentit, nequaquam vult se magis, quàm Deum honorari, aut sibi obediri, contra leges Dei. Legimus Antiochum III. ciuitatibus

Manut. loc. cit.

scripsisse: *Si quid per litteras iuberet legibus repugnans, ne curarent, perinde quasi ipso nescio scriptum esset.* Quoties igitur duo, vel plures concurrunt, qui simul eiusdem officij, aut honoris non sunt capaces, vtique iustitia distributiua exigit, vt dignior præferatur. Maximè autem, quando de Religione agitur. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Semper autem quando inter Deum & hominem honoris trutina agitur, ita loquitur cultor pietatis:

Thom. de Kemp. lib. 3. de imit. Christi cap. 40.

Est vera gloria, & exultatio sancta, gloriari in te, & non in se: gaudere in nomine tuo, non in propria virtute, nec in aliqua creatura delectari, nisi propter te. Laudetur nomen tuum, non meum: magnificetur opus tuum, non meum: benedicatur nomen sanctum tuum, nihil mihi autem attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei: In te gloriabor & exultabo tota die, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis.

VI. Maior quæstio est, cur indignis immeritisque Deus permittat honorem obtingere, & verò ipse honorem offerat? cuius rei multæ sunt causæ iustissimæ, quarum nonnullas, suprà iam perstrinximus. Nam. 1. Ex parte hominum. 2. ex parte dæmonum. 3. ex parte Dei causæ possunt assignari. Ex parte hominum, ignorantiâ, malitiâ, fortunâ, indigni honore honestantur. Ignorantia enim multos euehit, qui putantur pij, prudentes, docti, cùm sint sceleribus pleni, bardi, rudes; quod si constaret, vtique non extollerentur; & si tam facile esset eos de gradu deijcere, quàm est illis gratum poni in alto, non vtique multi soles occiderent, ijs sceptra, aut quemcunque clauum tenentibus. Cumulantur alijs honores, quorum improbitas non est occulta, quorum stoliditas, quorum ruditas est satis cognita; malitia mortalium est adeò proiecta, vt mandare honorem vel indignissimis non vereantur. Dummodo sit charus, dummodo fauorem, vel suffragium emerit aliquis; dummodo sanguine vel amicitia sit iunctus, iam magistratu, iam solio dignus perhibetur. Atqui libero hominem arbitrio esse par est; potest igitur vel malitiâ vti, vel iustitiâ in officijs titulisque largiendis. Cuius rei vbique se se offerunt agminatim exempla.

Adeò,

Adeò, vt plures passim, qui immeriti, quàm meriti ascenderint ad honorem, reperiantur. Vnum strictim dabo exemplum, in quo malitia humana, contra suam voluntatem, alterum extulit. *Prior quidam Ordinis nostri,* ait Cæsarius, *defuncto Abbate suo ad abbatiam aspirans, cùm tempore electionis à Visitatore, sicut cæteri seniores, de persona idonea interrogaretur, non corde columbino, monachum quemdam de domo eadem ob infamiam electum nominauit; sciebat enim Prioris auctoritatem non esse modicam, & si aliquem de Conuentu nominaret, per hoc suam electionem posse infirmari, & se in suo desiderio impediri. Factum est, nutu, vt creditur, diuino, vt cæteri, eius exemplo, eamdem personam eligerent, dicentes intra se; Prior oculus noster nec talem personam nominasset, si ei de illius innocentia non constaret. Fortè si idem Prior simpliciter ambulasset, factus esset Abbas. Et satis puto, quantum ex verbis cuiusdam Abbatis, qui mihi retulit coniecio, quòd tantum fuerit cruciatus in eiusdem monachi promotione, quantum ille tribulatus extiterat in sua electione. Ecce si astutos & dolosos punit etiam in præsenti Deus, de tribulatione, confusione, & deiectione Prælatorum Ecclesiæ, hodie magis quàm ante nostra tempora abundant exempla. Et hoc fortè ideò, quia DEI voluntas in illorum promotione non fuit. Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui. Verba sunt Dei per os Oseæ prophetæ.* Denique si quidquam sortes, si fortuna, si casus in hominibus potest, etiam hac via ad dignitates gradiuntur.

Cæsarius. lib. 6. Illustr. mirac. cap. 20.

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul:
Si volet hac eadem, fies de Consule Rhetor.

VII.

Dæmon quoque sæpenumerò est author, vt boni non succedant, & eorum loco mali honoribus floreant, occupentque & nomen, in Republica, & dignitatem. Sic alios à virtute auocat; alios illicit in vitia; alios, ne veritatem videant, inescat vanitate. Henricus Teutonicus, vir æquè pius, ac doctus, in Ordine Patrum Dominicanorum, prouinciæ Transmarinæ præerat. Visitabat igitur de more aliquando Ptolemaidem, quæ alio nomine Aco, & Accon solet appellari. Ea in ciuitate, cùm apud Fratres suos esset, à cœna, eos pia adhortatione reficiendos extra cœnobium duxit, in amœnum quemdam locum, ad occiduam vrbis partem propter mare situm. Iam in orbem omnes humi consederant, cùm à littore

Thom. Cantipr. lib. 2 Apum. c. 57. §. 29.

tore cœpit quædam exoriri nebula, quæ sese longè lateque super mare diffundebat. Sed mox iterum, cælo serenato, dissipata est. Ea dispulsa, visendum apparuit spectaculum. Mons enim eximiæ altitudinis è fluctibus videbatur emersisse. Super montem, per gyrum, admirabilis quædam erat structura, in modum castri murorum ambitu, turribus, ac palatijs decentissima dispositione circumposita. Ab hoc castro, vsque ad littus pons ingens porrigebatur, quem equites, pediteſque, diuerso ornatu atque figura, ascendere, atque descendere putabantur. Potuit tale spectaculum, non solùm oculos tenere, verùm etiam pedes allicere intuentium. Quamobrem etiam Fratres eius montis aspectu attoniti hærebant. Henricus igitur, *Surgamus, Fratres, inquit, eamus ad orationem, illudit enim diabolus oculis nostris, vt curiositate nos teneat, & à Dei opere torpeamus.* Quidam illico secedebant, quidam curiositate ducti, inibi permanserunt euentum rei expectantes. Tam diu ea res visa est, donec inter diem & noctem cælum crepusculascceret. Tum igitur rursum nebula de littore propagata & montem & maretexit; moxque iterum disiecta est. Ea disiectâ etiam mons, & muri, & palatia, & omnis pompa vmbratilis videri desierunt. Talibus illecebris fallere homines Orcus solet, & à diuinis rebus auocare. Tales nebulas, tales vmbras, tales arces, & muros, & palatia in aëre ædificare, & nescio quos non montes aureos, & coronas aureas, aut torques aureos hominibus promittere; vt ijs ineſcati muneris & virtutis suæ obliuiscantur. Nec desunt illi modi. Nam & promouentium iudicia corrumpit; & quædam etiam Stygiâ subinde arte largitur promouendis, vt fascinet promotores. Quo pacto Loysio Gaufredi, omnium magorum antesignano, authoritatem maximam apud Gallos conciliauit, sed tandem in fumũ, & ignem, & infernum desituram. Cuius plus quàm tragica facinora, & miserandum interitum alibi recensui. Vix aliquid simile vidit orbis.

VIII. Deus autem multas & æquas causſas habet, ob quas impios, & ineptos, & immeritos, & prorsus indignos vel ipse ad honores promouet, vel ab alijs finit promoueri. 1. Ne homines, in hac vita, iudicentur ex honoribus, sed ex virtutibus. Si enim etiam indigni sciuntur honoribus atque opibus peruigere; & dignijs carere;

rere; nemo idcirco malus debet existimari, quia gloria, aut officio honorifico caret; neque idcirco bonus, quia gloria aut dignitate floret. 2. Grauissima Dei pœna est, qua plectit populum, si ei det præficiatque malum ducem; sæpe enim vnum exaltat, vt alterum humiliet. *Omnes pastores tuos pascet ventus, & amatores tui in captiuitatem ibunt: & tunc confunderis, & erubesces ab omni malitia tua.* Quidam episcopantur in cunis, hoc est, mitra honestantur, quia grex alium pastorem non meretur; nec populus alium regem. *Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt.* Sicut grauissimus dolor est, quando caput ægrotat, ita grauissimum pœnæ genus est, si in honores ascendant summos, non digni, multa enim committunt indigna; tantoque maior est clades, quantò altior gloria malè gubernantis. 3. Sinit Deus quosdam fulgere honoribus, vt in eis mutet mores. Multi enim antea priuati, haud magna sanè vel fecerunt, vel promiserunt, qui postea, ad officia magna admissi magna præstiterunt; videbant enim, alium statum aliam vitam exigere. Et experti sumus, non solùm multos, potestate factos insolentes, sed etiam non rarò alios ipsis titulis maioribus emendatos. Mirati sunt multi, aliquos non præter propter honestatem viuere in Episcopatu, qui cùm Canonici essent ita vitulabantur, vt omnibus lachrymis deflendi essent. 4. Honestas adhibetur inhonestis, vt, sicut in corpore humano membra tantò abundantiùs, quantò magis inhonesta sunt, à velamine honestentur. *Eorum quippe honestas & honor est velamentum.* Multi mali, ignaui, nihil boni haberent, si officio nudarentur. Sic ergo munere, quo funguntur, eorum tegitur turpitudo. Et sæpe fit, vt saltem minùs sint mali, aut aliquid de improbitate remittant. Quemadmodum & *pueris dant crustula blandi*

Doctores, elementa velint vt discere prima.

Ierem. 22. 22

Eccles. 10. 16.

S. Augustini lib. 4. contr. Pelag. c. 16.

IX.

5. Ad beatitudinem omnes nati sumus, ad quam & aspiramus; sed non omnes ad veram. Hinc qui vel ignorant, vel non curant veram; falsa contenti sunt, ad quam auidissimè anhelant. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quàm stul-

Rom. 1. 24. Ibid. v. 21.

Plin. lib. 3. ep. 5. ti? vt scriberent: *Alius alium, ego beatissimum existimo, qui bona manſuraq; fama præſumptione perfruitur, certuq; posteritatis cum futura gloria viuit, ac nihil nisi præmiũ æternitatis ante oculos, pingue illud altumq; otium placet. Etenim omnes homines arbitror oportere aut immortalitatem ſuam, aut mortalitatem cogitare. Et illos quidem contendere, & non remitti. Tum hos quieſcere, nec breuem vitam caduca laboribus fatigare (vt video multos) miſera ſimul & ingrata imagine induſtriæ ad mortalitatem ſui peruenire.* Et. *Omnes ego qui magnum aliquod memorandumq; fecerunt, non modò venia, verùm etiam laude dignißimos iudico, ſi immortalitatem quam meruêre ſectantur: viſturiq; nominis famam, ſupremus etiam titulus prorogare nituntur.*

Ibid. ep. 19.

X. Ita loquitur Gentilis, atque ij, qui quodam veluti rudimento delirij tenentur, & vel gentilitia inſignia, vel nomina ſua vbiq; aut affigunt, aut aſcribunt, ad honorificam operis à ſe facti recordationem. Quod etſi ſubinde neceſſe ſit, vt in libris præſertim ad cauendas impoſturas (quamuis etiam doctißimus author, qui ſe *Idiotam* præ modeſtia vocat, nomen ſuum ſuppreſſit) aut etiam in quibuſdam alijs rebus, quibus artificis nomen addit pretium & authoritatem; tamen planè plurimorum nimia eſt ſitis, ſtudiumque omne (vt in Traianum iocabatur Conſtantinus Magnus, apud Aurelium Victorem) in eo locatur, vt quaſi parietariæ muris omnibus adhæreſcant; adeò, vt ſi aliter non poſſint, vel creta, vel carbone, vel rubrica nomen ſuum omnibus muris impingant. Et fui in vico, vbi mihi magnæ dignitatis Dominus patibulum oſtendit ligneum recens erectum, in quod ruſtici ſenatores omnes cultris ſua nomina incîdi voluerunt, vt non ſolùm pro quibus, ſed etiam à quibus ea crux ædificata eſſet, palàm omnibus, etiam poſteris conſtaret. Hanc vanitatem vitio vertit; & in diuitibus deplorans Dauid ait: *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* In quem locum Baſilius ita diſſerit: *Nonne vides eos, qui fora & gymnaſia in ciuitatibus ædificarunt, muros excitarunt, aquæductus adornarunt, quo pacto eorum nomina hiſce ſint indita ædificijs terrenis? Iam verò & ſua ipſorum nomina inuſſerunt equorum armentis; commenti modum quo in longum vita ſua tempus, ſui memoriam nominis prorogarent. Quin & in ſepulchris inſcripſerunt ſua ipſorum nomina, monumentis ad propria oſtentationem magnificentiæ. Hi ſunt, qui terrena, præſertimq; gloriam*

Pſal. 48. 12.

riam temporis ſapiunt, ac per hominum ora volitare tantùm ſtudent, atque iſta ſatis eſſe ad felicitatem putant.

XI.

Cuius animi etiam fuit Soſtratus Gnidius architectus, qui, teſte Æliano, Ptolomæo regi frabricatus maximam illam pulcherrimamque in Pharo Ægypti turrim, vnde nautis nocturna lumina oſtenderentur, ſuum quidem nomen in lapide muri ipſius clam incîdit: calcem deinde ſuperinducens, Regis nomen inſcripſit; foreid, quod accidit, auguratus, vt non multò pòſt litteræ illæ cum lorica ſua defluerent, atque inſculptum ſaxo nomen ſuum appareret. Hæc autem erat inſcriptio: *Soſtratus Dexiphanis Gnidius dijs ſalutaribus, ob nauigantes.* Ad hunc modum multi, qui ſacra quoque docent, qui concionantur, qui pia ſcribunt, ad ſpeciem quidem, honorem Dei præ ſe ferunt, re autem ipſa ſemet quærunt, nam ſi ijs laruam detrahas, inuenies eos, non Dei, ſed ſuum honorem quæſiuiſſe. Quod tum demum apparebit, quando omnia, quæ geſſimus in vita, totius Mundi oculis nuda & aperta erunt. Quid de his aliud dicas, quàm *receperunt mercedem ſuam?* quam ſcilicet quæſiuerunt. Neque conqueri poſſunt, ſi habent, quod quærunt. Quibus illud Iſaiæ dici poteſt: *Poſt oſtium, & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum.* Et quam diu perennabit nomen muro inſcriptum, aut inſignia per parietem vndique depicta? donec calx iniecta decidat, donec ſaxa putredine exeſa fatiſcant. Non eſt hæc perennis memoria. Fortaſſe neque memoria eſt ad laudem. Quicumque enim vel columnam, vel ſtatuam, vel pyramidem, vel domum magnificam, vel aliud ſplendidum monumentum aſpicient, ex rapinis, vel alijs iniuſtis pecunijs ædificatum, admonebuntur, & indignabuntur auaritiæ eius, qui nomen ſuum inſcripſit, aut inſignia ſua appoſuit. Audi S. Chryſoſtomum: *Homo*, ait, *qui noſti vitam futuram, & bona illa ineffabilia, & quòd ex dicto Euangelico iuſti tunc fulgebunt ſicut ſol, quamnam veniam aſſequeris, quomodo te defendes; quod non ſupplicium patieris, qui hîc omnia conſumas in puluere, in cinere, in monimentis, in hoſtibus, in inimicis? Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. Ecce aliud genus amentiæ, ædificijs, agris & balneis ſua nomina inſcribere, putare, ſe magnam conſolationem ex eo accipere, & vmbram pro rei veritate perſequi. Si enim perpetuam memoriam deſideras, ne nomen, ô homo ædificijs inſcribas,*

Matth. 6. 3.

Iſa. 57. Vide Menoch. lib. 1. Inſtitut. œconom. c. 22.

S. Chryſoſt. in Pſal. 48. v. 12.

bas, sed trophæa rectè factorum erigas, quæ & in præsenti vita nomen tibi conseruant, & in futura vita immortalem tibi requiem comparant. Si sis memoriæ cupidus, ego te doceo viam veram & apertißimam: virtutis curam gere. Nihil enim facit nomen adeò immortale, vt natura virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum reliquiæ, ostendit memoria eorum, qui rectè & ex virtute vixerunt. Quot Reges vrbes euerterunt, portas extruxerunt, & nominibus suis inscriptis decesserunt, nec tamen eis quicquam profuit, sed silentio & obliuioni mandati sunt? Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est prosecutus, & ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam post mortem resplendet Sole clarius. Quod tu autem facis, est ridiculum, & plenum ignominiâ. Hæc enim monimenta, non solùm non te clarum reddent, sed etiam facient ridiculum, & ora omnium aperient. Ædificia enim non sinunt tuam auaritiam, quæ obliuioni tradi poterat, temporis excursu extingui, & stant veluti columnæ & trophæa erecta aduersus auaritiam. Sunt enim ex aliena pecunia, è pupillorum censu, è decimis Ecclesiæ subductis, è defraudati amici ærario, è furtis, è rapinis extructa. Hæc omnia in memoriam reuocabunt, qui posthac palatium à te extructum intuebuntur.

XII. Quod de ædificijs dixit Chrysostomus, dici potest & de picturis, de cimelijs, de anaglyphis, imò de omnibus rebus pulchris laudemque humanam merentibus, vti & de præclarè gestis, si propter plausum vanumque honorem facta sunt. Quemadmodum enim nulla laus est, esse vanum, ita, apud Christianè prudenter, quicumque illa vel fecerunt, vel gesserunt ad inanes glorias captandas, censentur non præconium, sed vituperium meruisse. Sed ante Christi doctrinam, velut lumen, mundo illatam, cùm Ethnici meliorem virtutis vel laboris laude humana mercedem ignorarent, ad honores tantopere aspirauerunt. *Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam,* ait S. Augustinus, *cum sanctis Angelis suis, in ciuitate sua cælesti, ad cuius societatem pietas vera perducit, quæ non exhibet seruitutem religionis, quam latriam Græci vocant, nisi vni vero Deo, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentißimi Imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, vt glorificentur ab hominibus,*

S. Augustin. lib 5. de ciuit. c. 15.

bus, etiam Dominus ait: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Sic & isti priuatas res suas pro re communi, hoc est, republica, & pro eius ærario contempserunt, auaritiæ restiterunt, consuluerunt patriæ consilio libero: neque delicto secundùm suas leges, neque libidini obnoxij: his omnibus artibus tamquam vera via nisi sunt ad honores, imperium, gloriam: honorati sunt in omnibus ferè gentibus: imperij sui leges imposuerunt multis gentibus: hodieq; litteris & historia glorioſi sunt panè in omnibus gentibus. Non est quod de summi & veri Dei iustitia conquerantur: perceperunt mercedem suam. Merces autem sanctorum longè Ibid. cap. 16.
alia est etiam hîc opprobria sustinentium pro ciuitate Dei, quæ mundi huius dilectoribus odiosa est. Illa ciuitas sempiterna. Vbi nullus oritur, quia nullus moritur. Vbi est vera & plena felicitas, non dea, sed donum Dei. Inde fidei pignus accipimus quamdiu peregrinantes eius pulchritudini suspiramus. Ibi non oritur sol super bonos & malos, sed sol iustitiæ solos protegit bonos. Ibi non erit magna industria ditare ærarium publicum priuatis rebus angustis, vbi thesaurus communis est veritatis. Proinde non solùm vt talis merces talibus hominibus redderetur, Romanum Imperium ad humanam gloriam dilatum est, verùm etiam vt ciues æternæ illius ciuitatis, quàm diu hîc peregrinantur, diligenter & sobriè illa intueantur exempla, & videant, quanta dilectio debeatur supernæ patriæ propter vitam æternam, si tantum à suis ciuibus terrena dilecta est propter hominum gloriam. Atque hoc præcipuum est argumentum, ob quod omnes honorati meritò metuere debent, ne hîc *recipiant mercedem suam*; cùm & Gentibus Deus honores terrenos contulerit in mercedem, *quibus non erat daturus vitam æternam.* Enimuerò, quotiescumque aliquid feliciter succedit, prouidæ mentis homo formidat, ne per huius vitæ felicitatem, æternam amittat felicitatem, dicaturque illi aliquando, *recepisti mercedem tuam.* Videant igitur, qui propter opera sua laudari cupiunt, quam mercedem cupiant, quam omittant.

CAPVT XXX.

Superbos, Calumniatores, Detractores, & omnes iniustos atq; impios, meritò infamari, & aliquando etiam vtiliter rideri.

I. LAudari non cupio, inquies, neque correptionem fugio, si peccaui. Sunt, qui differant nomen innocentis: sunt, qui crimina mihi affingant, de quibus numquam somniaui: sunt, qui, quæ optimâ mente gessi, pessima suspicione interpretentur, virtutibusque nomen imponant vitiorum. Hoc me vrit, hoc tolerare non possum; hoc, apud Deum, mihi non videor promeruisse. Ferrem, si vera dicerent: si mihi conscius essem, libenter me emendarem. Bene facere, & malè audire, hoc excedit vires meas; hoc captum meum superat. Nec enim video, quid Deus mecum velit. Quò melior sum, eò me peiùs tractat; vt propemodum satius sit, non esse nimis pium. Probos obtrectatio & calumniæ sequuntur; felicitas audaces. Talia impatienter iactant diuinorum iudiciorum imperiti; atque idcirco etiam illa desperatissima addunt: Malo nocens esse, si perinde est, siue nocentem affligi, siue innocentem. Ægroti vox est ista: medico eget. Atque inprimis multi periculosè habent, qui se sanos iudicant: sic plurimi sibi videntur innocentes, qui vitijs scatent. Quis scit igitur, si tibi homines maledicunt, an non tu ipsis maledixerit priùs? aut si his non recordaris te maledixisse, fortasse aliorum nomen & famam sæpe aggressus es. Quid ergo mirum, si Deus permittat vnum alterumúe laudes tuas contrahere, cùm tu fortè decem aut viginti honestissimorum virorum honorem sis depopulatus? Aut, si linguam in fræno habes, fortasse manibus, fortasse oculis peccauisti, quod meritò luas. Crates certè Thebanus dicebat, non inueniri, cuius facta omnia sint, qualia esse oportet, quemadmodum etiam in malo Punico granum aliquod putridum reperitur. Quid gemis ergo, si luis? quid quiritaris, si castigaris? Quis est, qui *in verbo non offendit?* Quid ergo mirum, si linguæ te flagellant? iam sentis, quo dolore alios affeceris, cùm & tu eos aculeatissimis dictis flagellares. In summa, quisquis malè viuit, se ipsum infamat, aut fundamentum ponit, vt possit infamari.

De hoc Plutarch. in Apophtheg. & Diogen. Laërt. in Crat. Iacob. 3. 1.

Siue

Siue igitur linguâ, siue manu alios inuadas, dignus es, qui lege talionis puniaris. Veteres calumniatoribus, infami stigmate, calumniæ litteram in frontem inusserunt. Quali etiam signo furti reos notarunt, vt obuij oculis legerent, cuius vel lingua, vel digiti cauendi essent. Samij captiuos Athenienses, quos seruorum loco habebant, noctuæ figurâ signabant. Vicissim Athenienses Samiorum frontibus stigmata inusserunt, vnde iactatum vulgò, *Samijs neminem esse litteratiorem.* Nec quidquam tam fuit infame, quàm inscripti vultus; nam apud solos Thracas signum nobilitatis erat, frontem punctis notatam prætulisse, vt Herodotus scribit, vnde *Threïciæ notæ* in prouerbium venerunt. A quibus Istriani non longè, vt loco, ita nec moribus recesserunt. Lysander, ignominiæ caussa, ab Agesilao rege carnium diuendendarum muneri præfectus est. Eadem de caussa Brutij lorarij facti sunt. Calpurnius Piso Consul, & Octauius Augustus milites ignauos & timidos tunicatos discinctosque, per totum diem, cum decempedis plerumque cespitem portantes, ante prætorium stare, vel obsoleta toga, & tunica discincta, nudisque pedibus, ante principia adesse iubebant; vel fossam fodere discinctos cogebant; vt eo habitu & specie deformi in omnium conspectu præ se ferrent insignem memoriam flagitij ignominiæque acceptæ. Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus contra Hermannum Comitem Palatinum, bello gesto sub Friderico I. Imp. fulmine excommunicationis victos hostes, canes, per ignominiam portare coëgit, atque ita in gratiam recepit Anno 1155. Equi à L. Quintio Cincinnato Dictatore inclusi, cùm se dedidissent, inermes sub iugum missi sunt. Tribus hastis iugum fiebat, duabus humi defixis, superque eas vna transuersa deligata. Alij asinis retrorsum insidentes, & caudam manibus tenentes, per vrbem circumducti sunt, quod Andronico tyranno contigit à Constantinopolitanis. Nudati alij, verberati, cum ignominia occisi; immò & occisi contumeliosè tractati, quo pacto, teste Plutarcho, Ptolomæus rex Cleomenem mortuum pelle nudauit, & cruci affixit. Ita in pœnam multi honore sepulchri caruerunt; multi sub patibulo tumulati, multi refossi cremati sunt. Denique quid non excogitauit humanum genus, vt hostes, inimici, & qui malum meruerunt, infamiâ plecterentur?

II.

Alex. lib. 2. cap. 13.

In appendice Mariani.

Sab. lib. 3. En. 3.

Plexit

III. Plexit summus iudex æternâ infamiâ superbum Spiritum,
Isa. 14. 13. Luciferum, qui est fratrũ suorum calumniator. Cecidit in imum, qui summus esse voluit; vestitus est ignominia, qui ornatus erat omni lapide pretioso. Adam, qui voluit esse, *sicut Dij*, humiliatus est, cumq; ipse, & vxor eius, tunicis pelliceis indutus, instar ægroti incederet lugens, audire coactus est illa amari risus verba: *Ecce*
Gen. 3. 22. *Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Extructores turris Babel quàm altas habuerunt cogitationes? *Venite,*
Gen. 11. 4. inquiebant, *faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum.* Opere interrupto destiterunt, in ruborem dati, vnde nomen quæsiuerunt: vt tam de architecto, quàm de operario per ludibrium dici posset: *Hic*
Luc 14. 30. *homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Core, Dathan, &
Num. 16. 4. Abiron contra Moysen & Aaron superbi calumniatores, nonne iustissimo judicio vsque ad infernum humiliati sunt? Saul, cùm vellet magis sapere quàm Samuel, neque Deo obediret, nonne au-
1. Reg. 15. 23. diuit: *Pro eo, quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne*
Isa. 27. 38. *sis rex?* Sennacherib rex Assyriorum, quàm superbus, & quàm contumelioſus fuit in Iudæos, & Deum Iudæorum? quàm autem citò subuersus est cum omni exercitu suo? itaq; nihili habitus est, vt eum proprij filij Adramelech, & Sarasar in templo Nesroch
Dan. 4. 7. crudelissimè contrucidarent. Nabuchodonosor ex fastuoso homine propemodum in bestiam, certè in bestiæ ignobilitatem de-
Iudith. 14. 16. generauit. Holofernem alterum gradiuum Martem femineæ manus quantùm deiecit? Ipse hostis dicere coactus est: *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor, ecce enim*
Esther. 4. 9. *Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo.* Aman supernubes gradiens, seq; ipsum, præ magnitudine, non capiens, quàm ignominiosè sublimatus est? qui cum rege & regina solus in mensa accubuerat, quantum postea gentis suæ dedecus in patibulo pe-
2. Machab. 9. pendit, exemplum superborum? Quid Antiocho insolentius, quid
9. miserius? quò altiùs se se extulit, eò grauiùs à diuina vindicta percussus est, *ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur, & qui paulò antè sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum*
Act. 12. 21. *nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Herodes quoq;

vter-

vterque, quàm infami morte perijt? illum pediculi, hunc illius nepotem repentina similis percussio, & subitum de cælo exitium sustulerunt. Quare in illum sic iuuenes lusimus.

Es Dux, es Imperator, esq; legatus.
Optare quid vis amplius? Negas isthac?
Indusium inspice, copias tuas cernes.

Alter autem Herodes vestitus veste regia, cùm sedens pro tribunali, summa lubentia audiuisset populum acclamantem: *Dei voces & non hominis*, itidem de sede graduq; deiectus superbiam condignè luit: nam *confestim percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus expirauit.* Ita minutissima animalia in grandes illos vel Dei simios, vel persecutores immissa sunt, vt supercilium ponere, & cristas vel inuiti demittere cogerentur, si à vilissimis bestijs deuorarentur, qui se ipsos Deos facere conabantur. Hoc superbiæ remedium etiam D. Chrysostomus dedit, cùm dixit: *Pensa naturam nostram, ex quibus constat, & quò desinit. Cogita, cùm dormis, quo sis dignus: nonne vel minima bestia te posset interimere?* Act. 12. 23. S. Chrysost. hom. 49. ad pop. Antiochen.

IV.

Diocletianus Imp. post triumphum de Persis actum, hanc tantam felicitatem, tamq; prosperum fortunæ obsequium capere animo non potuit; siquidem moderatione prorsus in superbiam versâ eo vsque insolentiæ prodijt, vt se posthac, mortalitatis oblitus, tamquam Deum adorari voluerit. Nam proijcere se homines venerabundos, atque osculum pedibus figere pati cœpit, & gemmas vestibus calceisq; inseruit; cùm ante ipsum omnes Imperatores consulari tantùm salutatione contenti fuissent, solam chlamydem purpuream priuato habitui adiecissent. Is autem, vt ait Nicephorus, diuinis expetitus plagis, toto primùm corpore tumorem ingentem concepit, quo deinde varie disrupto, lentè ita emarcuit, vt blasphema eius & impia lingua, quæ iniquitatem in altum euomuerat, intra fauces ipsas vermium vim proferret, qui ex ore illius prorepentes fœtore pessimo locum habitationis omnem replebant. Postremò autem, more canis, quàm maximè latrans, sceleratam & nefariam cum violentia quadam exhalauit animam. Carol. Sigon. lib. 1. de occid. Imp. An. Dom. 297. ex Niceph. l. 7. cap. 20.

V.

Ne quisquam sceptra adoret, aut reges Deo æquet, ecce vel Imperatores viui à vermibus cruciantur, & purpurati Principes facti sunt pediculosi, vt non solùm despiciantur, verùm etiam ve-

lut cadauera, ob infamem pædorem, execrabiles nauseentur. An illis iniuria irrogatur? Nequaquam. Nam quia *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper,* & fœtet ante te, Domine, iustissimè fœtorem fœtore plectis. *Nullum malum par elationi,* ait S. Chrysostomus, *Hominem reddit dæmonem, blasphemum, contumeliosum, periurum, cupidum cadium & homicidiorum. Elatus semper in doloribus viuit, semper indignatur; semper mœret, nihil est, quod eius explere possit libidinem. Sicut enim auari quantò plura acceperint, tantò pluribus egent: sic superbi quantò maiori funguntur honore, tantò plus concupiscunt.* An non, ob hoc ipsum, deprimendi? vituperandi? mille contumelijs afficiendi? Quemadmodum Deus irascitur illis, qui fulmen ac tonitru imitantur, eosque in Tartara præcipitat, vt Salmoneum, sic superbis & elatis indignatur, qui magnitudinem æmulantur, non exprimunt bonitatem. Cuius rei insigne exemplum recitat Siffridus Presbyter, in hunc modum. *Anno tertio Heraclij Imperatoris qui fuit LXI. à Cæsare Augusto, permittente DEO flagellari populum suum per sæuitiam paganorum, Cosrhoes Persarum Rex, omnia ferè regna terrarum suo imperio subiugauit. Ierusalem veniens à sepulchro Domini territus rediit, sed tamen partẽ Crucis sanctæ, quam Helena ibidem reliquerat, asportauit. Volens coli ab omnibus vt Deus. In currum ex auro, inter subtiles etiam & occultos ductus, quasi Deus, desuper aquam infundebat, & in specu subterraneo equi quadrigas trahentes in circuitu, vt quasi currum mouerent, & tonitru simularent. Filio igitur suo regno tradito, in tali fano profanus residet, & iuxta se Crucem Domini collocans appellari se ab omnibus Deum volebat, & sicut legitur in libro de naturali officio, ipse Cosrhoes in throno residens, tamquam Pater lignum Crucis a dextris posuit loco Filij, & gallum à sinistris loco Spiritus sancti; se verò Patrem iussit nominari. Tunc Heraclius Imperator exercitum copiosum collegit, & contra filium Cosrhois iuxta Danubium fluuium dimicaturus aduenit. Tandem vtriusq; principibus placuit, vtipsi super pontem lapideum confligerent, & qui victor existeret, ipse sine damno vtriusq; exercitus Imperium vsurparet. Decretum etiam exijt, vt quicumq; principem suum iuuare præsumeret, cruribus & brachijs abscissis, continuò in flumine mergeretur. Et Heraclius totum se Deo obtulit, & sanctæ Cruci se deuotionis, qua potuit, commendauit. Ambobus itaque in conflictu durantibus, Heraclio*

Pſal. 37. 23.

S. Chryſoſt. hom. 43.

Siffrid. Presb. lib. 1. Epitomes Anno Dom. 612. Baron. tom. 8. An. 614.

Heraclio victoriam Deus tribuit, & cunctum exercitum suo Imperio subiugauit, adeò vt vniuersus populus Cosrhoæ fidei Christianæ se subdiderit, & sacrum baptisma susceperit. Cosrhoes autem ignorabat exitum belli, quia cùm omnibus odio esset, id à nemine ei intimabatur. Heraclius improuisò ad eum peruenit, & in throno aureo eum sedere reperiens, eidem dixit: Quia lignum S. Crucis secundùm modum tuum honorasti, si baptismum & fidem Christi susceperis, adhuc vitam & regnum à patris obsidibus obtinebis: sin verò implere contempseris, gladio meo te feriã, & caput tuum præcidam. Cùm ille acquiescere nollet, extracto gladio protinus eum decollauit. Sic Siffridus, Breuiarium Rom. 14. Sept. à Sinochio proprio filio occisum ait. Ita theatralis Deus, Deus pariter & homo esse desijt, vitam simul & personam exuens. An non meritò? Iam dudum diuina æquitas *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Luc. 1. 52.

VI.

In plerisq; vrbibus catasta est, in qua rei ludibrio exponuntur; & vulgaris pœna est, vt adulteri, vel adulteræ, cum cereo, vel virgis, in ignominiam, ante fores aditusq; templorum statuantur. Ita iudex quoq; diuinus peccatores infamiâ punit, in exemplum & emendationem aliorum, vt si erubescere nolint, non faciant erubescenda. De tali dicitur: *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius. Auertisti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello. Destruxisti eum ab emundatione: & sedem eius in terram collisisti. Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione.* Quid miratur is se diripi, qui pauperes diripuit, vt ditaretur? quid queritur, se esse opprobrium vicinis suis, qui ipse despexit vniuersos? quid de iustitia Dei dubitat, quando videt se desertum in bello, & hostes suos triumphare, qui abusus est potentia, itaque subditos contra ius & fas pressit, vt ipse loco hostis haberetur? Pauperes, egeni, religiosi, quos auari deglubunt, cùm alioqui pro eis vota ad Superos facere deberent, iniuria prouocati hac oratione vtuntur: *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur, sicut diploide, confusione sua.* An non debet iniquissimè pressos exaudire Deus? & prementes premere vicissim? An non mulier, seu anima potiùs in ruborem danda est, *quæ confusione res dignas gerit?* Numquid, *Qui priùs respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum?* Denique Psal. 88. 42. Psal. 108. 29. Prou. 12. 4. Prou. 18. 13.

Eccli. 5. 15. que sicut *honor & gloria in sermone sensati*, ita *lingua imprudentis subuersio est ipsius. Non appellerus susurro*, ait idem, *& lingua tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Hæc talia, isti tales merentur. Atque vtinã ichi saperent, ne *operiantur, sicut diploide, confusione sua*, & non solùm in hac vita, sed etiam in altera, æterna confusione induantur.

VII. *Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam:* tum scilicet, si admoniti de errore resipiscant. Eccli. 4. 25. Psal. 82. 17. Hinc ait Psalmista: *Imple facies eorum ignominia, & quarent nomen tuum, Domine.* Potest enim contemptus & ignominia aperire homini oculos, vt & suam videat miseriam, & mundi agnoscat vanitatẽ. Qualem historiam ex PP. Dominicanorum Annalibus recitat Hieronymus Platus, in hunc ferè modum: Hieron. Platus lib 3. de bono stat. Relig. c. 38. *In eodem quoque Ordine* (Dominicano) *eodem etiam ferè tempore, illustris fuit omni item sanctitatis & doctrinæ laude Petrus Consaluus, cuius conuersioni causam dedit res leuis in speciem, sed quæ mundi vanitatem ei planè ostendit. Nam cùm Episcopo Valentino nepos esset, & ab eo opima beneficia adolescentulus adhuc ante legitimam ætatem consequutus esset, quibus ille ad delicias, & inanem fastum fruebatur, ita contigit, vt quadam die, dum in equo vnà cum aliquot æqualibus tota vrbe, hìc, illìc, lasciuiret, in profundum lutum caderet; ex quo cùm totus madidus accenosus extractus esset, accidit insuper vt à puerorum manu, quæ fortè circumstabat, cum risu & scommate multo procaciter exciperetur. Quare pudore suffusus, sibiq; ipsi iratus, ita secum loqui cœpit; quandoquidem sic à mundo, cui seruierat, tractaretur, se quoque vicissim eum tractaturum, vt decebat. Itaq; eodem momento constituit se Deo famulaturum, quod etiam paulò pòst cum magna ciuium omnium admiratione aggressus est in ea, quam dixi, familia.* Quin & regum superbia domita est confusione. Canutus Daniæ rex & Angliæ, aliquando sedili in littore posito dixisse fertur: *Mare regni mei parses, itaq; mihi obtemperes:* volebet nimirum, vt homines dicerent: *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Sed aliter res euenit, nam protinus contrarium factum est: mox enim mare impetu facto sinum eius liberaliter irrigauit. Quare territus rex vuidis vestibus de solio surrexit, & tam lautè habitus, *Vana est*, dixit, *omnium*

Polydor. Virgil circa finẽ lib. 7. ex Chron. German. Matth. 8. 27.

regum

regum potestas: solus Deus omnipotens. Itaque coronâ Cruci impositâ, post illa, pietatis cultor, & modestiæ exemplum fuit. Mare igitur, *Dum non pareret, docuit parere;* & regem, quem voluit docere, cuius potentiæ esset, pudefecit.

CAPVT XXXI.

Hypocritas detectos iustissimè, proquæsita laude, ignominijs omnibus appeti & concidi.

I. Diogenes cuidam sibi placenti, quòd leonis exuuio tectus ingrederetur: *Non tu desines*, inquiebat, *virtutis stragulas pudefacere?* scilicet indecens esse existimabat, quòd homo mollis Herculis amictum sibi vendicaret. Plurimi sunt in Dei Ecclesia in speciem boni, moribus mali; qui, more Pharisæorum & falsorum Prophetarum, *veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Verbis profitentur se Catholicos, re ipsa sunt multis hæreticis deteriores. Confitentur sæpe, saeram Synaxin adeunt frequenter, *exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes;* sed similes sunt Antipatro, cuius frugalitatem nonnullis laudantibus, quòd alienam ab omnibus delicijs austeramq; vitam ageret: *Foris*, aiebat Alexander, *albo vtitur pallio, intus verò totus est purpureus*, notans fictam illius parsimoniam. A talibus Ecclesia obsidetur, premitur, contaminatur; ob hos contemnitur, quòd tales habeat, tamquam scabiosas oues. Sed sunt in grege, vt Vlysses quondam. In agro Dominico creuerunt, sed lolia sunt; miscentur frugibus, sed ventus paleas esse conuincit. Reti includuntur, sed maris retrimenta sunt, & hydri, non pisces. Quillum est vellus, lupinum ingenium, vno verbo, hypocritæ, fictores, simulatores, irrisores pietatis, insidiatores religionis. Atque vtinam sæcularium dumtaxat multi tales existerent, & non etiam aliquammulti Ecclesiasticorum, qui inani fidei professione gregem Dominicum agnoscunt, quem vitæ libertate vitijsq; infamant. Non accuso hîc eos, qui non sunt tales, ne sibi arripiant irascendo, quod reis dicitur, vt à se amoueant dolendo. Sunt certè qui cum Antipatro foris *albo pallio* vtuntur, vt emergant, vt gratiam Principum venentur, intus *toti sunt purpurei*, & conspersi sanguine innocentum. Qua de causa eos meritò

Laërt. lib. 6 cap. 2.

Matth. 7. 15.

Matth. 6. 16. Plutarch. in Reg. & Imp. Apoph.

Matth. 23. 27. ritò Christus in hunc modum alloquitur: *Va vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos aforis quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate*, iram Dei in vos, & alios vobiscum prouocantes, *multorum caussa malorum.*

II. An non talibus exuuiæ Herculis detrahendæ? an non exuendum pallium album? An non in apricum proferendi, & de ipsa laudis ambitione in ruborem dandi sunt? Et facit hoc scrutator cordium Deus, ne diutiùs lateant, & plus noceant. Nam, vel Aristotele teste, *qui fingit se amicum, & non est, peior est eo, qui facit falsam monetam.* Percuti ergo meretur, vt si corrigi non vult, saltem innotescat, atque ipsa plaga adactus se separet à bonis. Vt enim motu & calore, ea quæ diuersæ naturæ sunt, verùm confusa, seiunguntur; vt butyrum à lacte agitatio secernit; vt paleas à tritico diuidit turbo, aut ventilabrum; vt metalla omnia calor ab alijs disiungit; ita concussio & ignis tribulationis diuersos animos commouet; latentium cogitationum discrimina detegit; & suo quemque ordini remittit. *Nemo potest personam fictam diu ferre, ficta in naturam suam citò recidunt.* Sed tum maximè, cùm tanguntur, mouentur, vruntur. *Tutò serpens pest. fer tractatur, dum rigt frigore, non desunt tamen illi venena, sed torpent.* Ignem illi adhibe, & serpentem experieris. Tales vt detegat Deus, vrit, & in fornace tentationis probat, ac turbine persecutionis de area sua euentilat. Fulgent vt aurum; si lapidem admoueas Lydium, aut prunas, mox scoriam suam loquuntur: forma videtur, sed fucus est, quem diluens tempestas lutum facit. Rident, quàm diu fauor fortunæ adest; in tranquillo petræ, in turbido spongiæ. *Fronti nulla fides.* Is, qui Cato videbatur, cùm sol fulgeret, totus contrahit se se, quàm primùm cælum nubibus obducitur, vt dicere possis;

Aristot. lib. 9. Ethic.

Iuuen. Sat. 2

Senec. in Hippol.

Vbi vultus ille, & victa maiestas viri:
Atque habitus horrens, prisca & antiqua appetens,
Morumq́, senium triste, & adspectu graue?
O vita fallax! abditos sensus gerus,
Animusq́, pulchram turbidus faciem induis.

Pudor

Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulanti q; molles dura.

Sed tam diu simulant, quàm diu prodest fictio. Alio tempore, vel apud alios sunt alij. S. Basilium audi: *Non silebo polypi dolos ac furacitatem. Is cuicumque saxo adhaserit, illius colorem subit, atque adeò, vt piscium complures ad ipsum de improuiso nantes, tamquam ad saxum appellant, paratamq; se predam illi offerant. Tales sunt hypocritæ, qui sobrietatem cum sobrijs laudant: intemperantes sunt cum intemperantibus, atque ad id, quod cuiq; placet, suam omnino sententiam vertunt. Quos euitare facilè nemo potest, propterea quòd pietatis pratextu prauitas eorum fucata & adornata profundè latet.* S. Basil. hom. 7. in Hexæm.

Hos ergo extrahit Deus, & despiciendos proponit; vt, vbi laudem fauoremque quærunt, ibi despectum & ignominiam reperiant. *Spes hypocritæ peribit. Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius*: quia, vt in eodem Iob legimus, *Simulatores & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt, cùm vincti fuerint.* Et apud Ieremiam: *Pacem cum amico suo loquitur, & occultè ei ponit insidias. Numquid super his non visitabo? dicit Dominus.* Visitabo, ferro rimabor, gladijs euiscerabo; flammis illustrabo, vt detegatur malitia eorum. Iob. 8 13. Iob 36. 13. Ierem. 9. 8.

Eodem loco sacrificabat Cain & Abel; parentes vtriusque pietas oblectabat: tentatio simulationem Caini ad summa prouexit. Contemptâ diuinitus hostiâ suâ, fratri inuidet, innocuum occidit: cædem à Deo ignorari existimat. Hypocrita erat, fratrem oderat, Deum omniscium negabat: *Nescio*, inquit, *Num custos fratris mei ego sum?* Idcirco Deus illum eiecit à facie sua, vt esset vagus, & tremens in terra, nec, datâ etiam securitate vitæ, pudore atq; anxietate leuaretur. Ad eumdem modum aliorum etiam hypocritarum caussâ clades fiunt, vt puniantur, & detegantur, atq; à verisChristianis separentur, quos fallacijs suis seducere voluerunt. Gen. 4. 9.

Et erunt, inquit Isaias, *qui beatificant populum istum, seducentes: & qui beatificantur, præcipitati. Propter hoc super adolescentulis eius non lætabitur Dominus: & pupillorum eius, & viduarum non miserebitur: quia omnis hypocrita est, & nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam.* Isa. 9. 16.

Ante annos plus centum, vna religio Catholica totâ ferè Europâ III.

Europâ celebrabatur; eam vix hæresis vlla infestabat; plena erant templa, monasteriaque, & consensu simul habitabant. Vbi autem libertatem carnis, & noua dogmata tonsus Apostata vulgauit, excisi sunt rami, folia leuia variarum doctrinarum ventis rapta sunt, quia tenui vinculo tenebantur, pedunculos pruina suo frigore adusserat, matura erant naufragio Fidei pectora, refrigeratâ charitate. Sæculares sibi videbantur legibus soluti, quia eas calcabant; licentiam amplexabantur, quia se numquam perituros stolidâ confidentiâ imaginabantur. Clerici plurimi, & religiosi tamquam ad Berecynthiæ tibiam, abiectâ pietate, violatis votis, magnis agminibus, ad Veneris idolîa conuolabant. Vnde tam subita mutatio? *Erant in nobis, non erant ex nobis.* Hypocritæ erant, id erant, quod se fuisse fatetur Lutherus, scortatores, sacrilegi. Vitia celerrimum sectæ incrementum attulerunt; captâ occasione, citò fecerunt, quæ dudum meditabantur. Vitia ad patrocinium suum profugerunt, non mirum placuisse hypocritis auctorem, qui metum peccatis demeret & pudorem. Errant, qui subitam apostasiam veritati & virtuti tribuunt: tentatio prostrauit, sed ruina suæ amantes. Licentiosa doctrina, blandus error, vitiorum prorigo calcaria addidit, sed currentibus, & sua sponte ad libidines adhinnientibus. Hos candidatos hæreseon, è Dei populo tentatio euomuit, & confusionis principes, principumque adiutores fecit satan: modica vexatio, quid lateret, aperuit: paruo sectum vulnere vlcus effudit saniem purulentam. *Lupus tectus pelle ouina, per vocem cognoscitur*, ait S. Chrysostomus, *& per agrum ouis bala inclinata deorsum; lupus vlulat contra cælum; hoc superbia, illud humilitatis signum: ouis herbam manducat, lupus carnem.* Ita, quæ oues putabantur, cum pudore se esse lupos prodiderunt, exigua oblata occasione. Adhuc honorarentur, si se se vt oues gererent, si vitia laterent; quæ vbi professi sunt, palàm ostenderunt, se antea quoque ignominia dignos fuisse, sed instrumenta nequitiæ suæ explicandæ defuisse. *Hi oues sunt habitu*, inquit S. Bernardus, *ista vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi sunt qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali: mali videri timent, ne parum sint mali.* Aliquos, nostra quoque ætate latitare inter nos tales, valde credibile est, qui vt fortunas

S. Chrysost. in cap. 7. Matthæi. vel quis alius.

S. Bernard. serm. 66. in Cantica.

tunas teneant, nouos dominos demereantur, mutaturi religionem, vendituti fidem, castra hostium, & suam iniquitatem, posità laruâ, completuri sunt. Nobiscum versantur, ieiunant, orant, conciones adeunt, Sacramentis vtuntur; aliud hominum oculis dant; aliud in cordibus videt cuncta intuens Iudex. Vbi hostis floruerit; vbi Mars noster vacillauerit, vbi se aliqua species periculorum obiecerit; vbi veritas in angustum venerit; mox ignominam desinet simulata virtus; quia mox possidebit tremor hypocritas, & fidem lucris suis damnosam, sine conscientia, cum perfidia quæstuosa commutabunt; & perdet honorem suum scoria ab auro separata. Igitur his prætextu dumtaxat opus est, vt tales se ostendant, quales sunt. *Corpora peccatorum sepulchra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Sicut ergo sepulchrum, quàm diu clausum est*, ait os aureum, *pulchrum videtur foris: si autem apertum fuerit, horribile est: sic & simulatores bonorum, quàm diu non cognoscuntur, laudabiles sunt, cùm autem cogniti fuerint, abominabiles.* Quis faciet vt cognoscantur? Tecta vulpes est hypocrita, *Quis reuelabit faciem indumenti eius? portas vultus eius quis aperiet?* Dominus, qui est scrutator cordium, & tribulationis ventilabro purgat aream suam; tunc enim grana manent, stipulæ auolant.

S. Chrysost. hom. 45. in Matth.

Iob. 41. 4.

Sunt alij, qui verbum Domini cum gaudio receperunt, in quibus vera fides, spes, charitasque studio virtutum, felici germine pietatis, expectationem perfectionis mouent; attamen radicem perseuerantiæ non habent, idcirco primo persecutionis exortu ardore tentationis exarescunt. Ad tempus credunt, quàm diu sine cruce Euangelio fruuntur; vbi raptor arcas expilat, tortor instrumenta sæuitiæ explicat, ad primum impetũ expallescunt, & concidunt. Petrum ancillulæ vox post magnificas pollicitationes exanimauit. In tranquillo bene nauigant; cùm procella incubuit, brachia remittunt, clauum deserunt: sic tota structura virtutum corruit. Vidua est virtus, quam nulla perseuerantia firmat. Persecutio igitur est constantiæ exercitium, leuitatis redargutio. Tot millibus Martyrum cessêre tortores, millia quoque lapsorum tortoribus succubuêre. Discrimen Christianorum persecutio ostendit; ignauum militem à strenuo acies discernit. Inter ligna

IV.

ter ligna siluarum alia sub dio putrescunt, alia in laquearibus regum inaurantur, ascia & dolabra probata perficiunt, reiecula vligo consumit. Hi quidem non fingunt, neque falsa est, aut ficta eorum pietas; ob inconstantiam tamen fallunt, & falluntur, nam post optimum florem desinunt in fungum. Neque refert quo vino vappa fiat. Si vappa est, sine honore est; neque laudatur, quidquid fugit.

V.

S. Chrysost. in cap. 7. Matth. hom. 19.

Quamquam omnino peior est ignominia, dignior, quae religionem simulauit, quàm qui amisit. Quia *nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum; nam manifestum malum quasi malum fugitur, & cauetur; malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cauetur; sed quasi bonum suscipitur. Sic seruidoli tunc pessimè Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos.* In adagio est, *Malus vbi se bonum simulat, tunc est pessimus.* Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, monstrum est, velut quædam bestia ex hirco & ceruo compacta. Quapropter etiam *Hypocrita, id est, histrio vocatur is, qui in theatro alienam faciem sumit, vt seruus existens, sæpenumero Domini, & priuatus regis: sic & in hac vita ad suos mores orchestras atque theatrum, exercentur, qui alia corde gerentes, alia extrinsecus hominibus præ se ferunt.* Ob quod mendacium fallaciamque non solùm coram toto mundo, in die nouissimo pudefient; sed etiam in hac vita plerumque deprehensi, tantò vehementiùs erubescunt, quantò diutiùs doctiusque hominum oculos deceperunt. Vxorem quidam duxerat, & forma captus, & vestium fragrantia; quam deinde tantò peiùs odit, quia comperit, eam moscho ac peregrinis odoribus vsam, quòd illi anima fœteret; ne autem rugæ, & luror apparerent, fucum fecisse. Ita fœdiùs sordent, quos intelligimus pietatis specie turpitudinem condiuisse; aut criminum suorum maculas stibio virtutum pinxisse. Bellè S. Gregorius Nazianzenus hypocritam comparat *meretrici, quæ sicut cùm natiua pulchritudine destituta est, ad colores, pigmenta, & fucos, confugere solet; ita hypocrita, cùm specie solida perfectaq; virtutis careat, adumbrationem quamdam pietatis externam simulat, qua eorum oculos retinet, qui adumbrata virtutis simulatione capiuntur.* Fucata nemo amat. *Cùm vestieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra compones te ornatu.*

S. Basilius hom. 1.

S. Greg. in orat. de morte patris sui

Ierem. 4. 30.

Ierem. 4. 30.

contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent. Ad reliqua flagitia Iezabel accessit, quòd *depinxerit stibio oculos*, & alia voluerit videri, quàm esset; itaque repentè de fenestra iussa est præcipitari. Numquam lepra notatus fuisset Giezi, nisi auaritiam suam mendacio tegere voluisset. *Vnde venis Giezi?* ait Elisæus. respondet ille: *Non iuit seruus tuus quoquam.* Ob quam falsissimam excusationem, lepra coopertus est; quam & ad posteros transmisit in monimentum dissimulationis; pulchrior futurus, si non melior videri, quàm esse cupiuisset. Quis Herodem pediculis, & longè maiore ignominia non iudicat dignum, qui fallacissimo corde hospitibus Magis dixit; *Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum?* Alia mens, alia verba erant. Sicut stannum, quod est candidum, sed nigras pingit imagines, simulabat hypocrita, se adoraturum, quem decreuerat occisurum. Pudefactisunt sæpius etiam Scribæ & Pharisæi, quibus hoc scelus identidem obiecit Christus. Sed maximè ad hanc classem pertinet Iudas, infamis Apostolus, qui amicitiam simulans, hostem egit, immò proditorem. Nec censuit mitissimus IESVS tantam rei indignitatem dissimulandam, sed inconuenientissimam rem opprobrans dixit: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Hæc hypocrisis laqueo, immò & inferno digna fuit, & ignominia sempiterna. Quia etsi *abominatio Domini est omnis illusor*, maxima tamen abominatio est is, qui non solùm hominibus, verùm etiam ipsi Deo voluit illudere; quasi scilicet non vidisset, aut sciuisset, quo animo impurum illud osculum afferret.

4 Reg. 9. 30.

4. Reg. 5. 25.

Matth. 2. 8.

Luc. 22. 49.

Prou 3. 32.

VI.

Sunt quædam vitia, quæ in hac vita occulta, ad alterius vitæ tribunal reseruantur; sed hypocrysis, quæ vult videri, quod non est, præcipuè meretur etiam in terris detegi, & in confusionem suam manifestari. Aliquando vitium, quod clam alitur, se ipsum prodit. *Numquam*, ait Seneca, *bona fide vitia mansuescunt: tigres & leones numquam feritatem exuunt; aliquando submittunt, & cùm minimè expectaueris exasperatur ferocitas mitigata.* Aliquando, & sæpissimè diuinus Iudex simulata manifestat fuisse simulata. Quo pacto Gabaonitæ mentientes in fraude deprehensi à Iosue puniti sunt; qui *multauit eos vilioris obsequij ministerio. Clementior sententia, sed diuturnior*, ait S. Ambrosius. *Quid euidentius*, inquit idem

Senec. ep. 87.

Iosue 3. 6. 9. S. Ambros. lib. 3. de offic. cap. 10.

Act. 5. 3. Idem Ambr. lib 3 de offic. cap. 11.

idem, *eo, quod Ananias, quia fraudauit de pretio agri sui, quem ipse vendiderat, & portionem pretij tamquam summa totius numerum ante pedes posuit Apostolorum, sicut reus fraudis interijt? licuit vtique illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset: sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportauit, sed fallaciæ pœnam exoluit.*

Anton. Panormitanus lib. 2. cap. 9. de reb. gestis Alphonsi, & Æneas Sylnius de eius dictis.

Apud Panormitanum: *Cùm Alphonsius Rex Aragoniæ & Neapolis esset apud Ænariam, in quam vnà cum victoria Aphricanum morbum intulerat, & inaudito genere pestis laboraret exercitus, renuntiatur ei inter cæteros Antonium Picentem Ordinis Eremitarum, nobilitatum post mortem hypocritam, per summos cruciatus animam exhalasse, iactando plurima in Christum Dominum & Virginem eius matrem conuitia atq; blasphemias. Hic est ille Antonius, qui quadraginta dies & noctes perpetuò ieiunare ferebatur, qui Italiam, Siciliam, atque Hispanias compleuerat nomine sanctitatis & abstinentiæ; pluribus locis cella præclusus, & à custodibus obseruatus nihil edens aut bibens, quoniam in prauisa ac patenta cella, in qua nihil, quod vel obseruare liceret, inesse videretur. Cæterùm Angelos ei quotidie ministrare, ac confabulari solitos opinabatur. Verùm ipsi intus in cella erant candela crassiores, exteriùs quidem & superfusoriè cerata: sed in quibusdam fistula cannarum concludebantur farina infarta, quæ ex contritis phasianorum & caponum carnibus saccharo ac aromatibus immixtis condiebantur. Aiunt & cingulum gestasse fistulatum, plenum nectare, quod hypocraticum vocant. His epulis clanculum vescebatur, vir habitus aquè sanctus, & mortalium omnium, qui vmquam fuerant aut essent, vulgi opinione abstinentissimus. Is igitur cùm renuntiaretur Regi vermiculis & acerbissimo genere mortis absumptus, dixisse fertur; Propterea Deum in hypocritas tantoperè sæuire, quòd dum homines decipiunt, interponant Deum ipsum tamquam sceleris mediatorem: ideoq; vt plurimùm viuentes adhuc plecti in oculis hominum, quos Dei nomine fefellissent; vt intelligant mortales, à tali monstro maximè sibi cauendum esse, quòd Deum ipsum, ne dum post mortem, sed etiam in vita ipsa, haberent indubitatum vltorem.* Par est enim vt iustissima Veritas pudefaciat simulatores. Quo pacto & mendicus ille, qui, vt à S. Epiphanio stipem impetraret, mortuum se simulans, verè à socio mortuus est repertus, teste Cassiodoro; vti & alter ille, qui simili fraude conatus est S. Gregorium Thaumaturgum decipere. Terribile

Cassiodor. in hist. Tripart. lib. 9. cap 48. S. Gregorius Thaumat.

est,

est, & verè dictum ostendit: *Non veniet in conspectum Dei omnis hypocrita*, quod D. Gregorius his verbis enarrat. *Est apud nos nunc Anastasius ex Isauria presbyter, qui in diebus suis Iconij rem terribilem narrat euenisse. Ibi namque, vt ait, quoddam monasterium Thongolatom dicitur, in quo quidam monachus magnæ æstimationis habebatur. Bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni sua actione compositus, sed sicut ex fine res patuit, longè aliter, quàm apparebat, fuit. Nam cùm ieiunare se cum fratribus demonstraret, occultè manducare consueuerat. Quod eius vitium fratres omninò nesciebant. Sed corporis superueniente molestia, ad vitæ extrema perductus est. Qui cùm esset in fine, fratres ad se omnes, qui monasterio inerant, congregari fecit. At illi tali, vt putabant viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderant. Quibus ipse afflictus, & tremens compulsus est prodere, cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit: Quando me vobiscum credebatis ieiunare, occultè comedebam, & ecce nunc ad deuorandum draconi traditus sum, qui caudâ mea genua pedesq; colligauit: caput verò suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atq; vt pœnitendo se liberare potuisset, à dracone, quem viderat, expectatus non est. Quod nimirum constat, quia ad solam vtilitatem audientium viderit, qui eum hostem, cui traditus fuerat, & innotuit, & non euasit.* Iob 13. 16. S. Gregor. lib 4. Dial. cap 38.

VII.

Hoc tandem fine laudes suas euertunt hyocritæ, qui, dum coram hominibus bonam existimationem aucupantur, de ipsa existimatione per fraudem rapta; & à Deo, & ab hominibus damnati erubescunt; honorisq; loco duplicem contemptum ignominiamq; reportant, sicut meretrix, quæ pro casta vult haberi; nam & libidinis, & mendacij sustinet reprehensionem. *Quid dicturi sumus*, ait S. Gregorius, *qui iniqua operibus docemus; & sola voce ea, quæ sunt iusta pratendimus? ossa ieiunijs atteruntur, & mente turgemus: corpus despectis vestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus; iacemus in cinere, & excelsa non aspicimus; doctores humilium, duces superbiæ, ouina facie lupinos dentes abscondimus.* An non tales prodi merentur? De Euthymio magnæ sanctitatis viro, inter cetera narrat Nicephorus sequentem historiam: *Cùm Monachus quidam moreretur, qui egregiam virtutis & castitatis famam obtineret, impudicus autem prorsus esset, sanctum hunc virum angelum horrenda* S. Greg. in reg. Niceph lib. 14. hist Eccl. cap. 52.

horrenda specie tridente graui animam ipsius, crudelem in modum, à corpore extrahentem vidisse, & vocem simul calitùs, occulta turpitudinis facinora apertè reuelantem, audisse. Alium quoque pauperem quemdam nudum in solo iacentem ab eo aspectum esse, lacerum prorsus & pannis vilibus obsitum, cuius animam, qui multi ei præsto aderant, Angeli reuerenter enocârint. Cui Dauid quoque cum summi concentus citharâ suâ assuerit, carminibus illam veluti demulcens atque producens. Vbi vides diuersa facie, diuersas animas rectas latuisse. Sub vili aspectu erat mens pretiosa; & sub fama castitatis summa

Iob. 20. 27. turpitudo. De tali diuina est sententia: *Reuelabunt cæli iniquitatem eius*; hoc est, per Angelos, & reliquos Diuos, & apparitiones deregent, quid sub ouina pelle occultârit.

VIII. Pauci sunt fortasse ex hoc numero mortales? Enimuerò plurimi. Fridericus III. Imperator, cùm audiret quemdam dicentem, abiturum se aliquando in ea loca, in quibus nulli planè hypocritæ essent, respondit: *Vltra Sauromatas ergo, & glacialem Oceanum tibi eundum est. Sed cùm eò veneris, non omnino carebit hypocrisi locus, si modò & tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatusq; sit.* Quis enim vitia sua non tegit? quàm pauci virtutes suas non cupiunt sciri & laudari? aut magis laudari, quàm merentur? Quotquot rei cùm sint, vbi fatenda est veritas, ibi se se excusant, hypocritæ sunt. Quot sub nomine amicitiæ hostem abscondunt? *Apertè enim odisse, vel amare, & magis ingenui, quàm fronte occultare sententiã.* Quot adulterant veritatem? &, sicut Troianus equus fallunt sub specie pietatis? Quot adeunt templa, qui conspici volunt? quot ieiunijs se affligunt, vt appareant ieiunantes? quot flagellis corpus castigant, vt sub ipso sacci tegumento vel ignoti laudentur, atque seueri in seipsos videantur? Quot peculiaria & vitæ notabilia sectantur, vt emineant? Mirifica res est, & monstro similis, quòd etiam inter Philosophos, immò Religiosos inueniantur, qui, quia toga non splendet, immò quia sordet & lacera est, laudem captant, voluntq; de ipsa humilitate superbire. *Asperum cultum, & vitiosum caput, & negligentiorem barbam, & indictũ argento odium, cubile humi positum, & quidquid ad laudem peruersa vita sequitur, euita,* ait Ethnicus. Vult ergo frontem populo nostram conuenire, non quòd ista asperita-

Cic. lib. de amicit.

Senec ep. 13.

tis

tis opera sint carpenda, sed quòd carpenda sint, si ideò fiant, vt inde laudemur, vnde nos non extollere, sed demittere velle videmur. Hypocrisis quippe est, virtutum simulatione clausum vitium abscondere, & arte palliare. Iraq; *quid in cunctis suis operibus hypocrita speret, nisi reuerentiam honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari?* ait D. Gregorius. Hic morbus quàm longè lateq; vagetur, docet S. Hieronymus dum scribit, *Quamuis aliis vitijs carere posſimus, hypocriseos tamen maculam habere non posse, aut paucorum est, aut nullorum.* Quid multis opus est, vt quanta sit copia hypocritarum constet? Christus ipse, vt seruum negligentem damnandum indicaret, ait eum hypocritis accensendum: *Diuidet eum,* inquit (Dominus) *partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.* Cum quibus hypocritis? cum diabolo, qui cùm sit princeps tenebrarũ, tamen ad fallendos homines *transfigurat se in Angelum lucis;* item cum hominibus diaboli imitatoribus, qui & ipsi, cùm intus sint, & in cute pleni immunditia & iniquitate, tamen secundùm externam speciem, venditant se, tamquam probos & sanctos. Et quod mirum est, quemadmodum sanctissimi virtutes suas tegunt, atque ad honorem à se amouendum, peccata defectusque suos & ipsi propalant, vt videre fuit in Confessionibus S. Augustini, epistolis S. Hieronymi, lachrymis Petri & Magdalenæ, psalmis regij Prophetæ, alijsq; : ita grauissimi quique peccatores, qui facere assueuerunt

S Gregor. lib. 8. moral.

S. Hieron. lib. 2. contra Pelagian.

Matth. 24 51.

2. Cor. 11. 14.

Candida de nigris, & de candentibus atra,

Ouid. lib. 11. Metam.

occultatis nefandis criminibus, ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostendunt. Adeò vt magi, & sagi, & venefici, & qui suo se sanguine orco manciparunt, templa adeant, manus, oculosq; in cælum tollant; ceruicem torqueant, suspirent, lachrymentur ficto fletu; confiteantur, communicent, dent eleemosynas; immò & miracula se patrare fingant, aut certè conentur. Hoc videre fuit in Simone mago, qui *videns etiam ab Apostolis, signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur; item cùm vidisset, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam &c.* Sed mox audijt: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo.* Et

Act. 8. 13.

hæc

hæc quidem Petrus dicebat; Paulus autem ad Elymam alterum
Act. 13 8. magum, *O plene*, inquiebat, *omni dolo, omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas?* Multi
Matth 23. 33. eiuscemodi sunt, qui *ex patre diabolo* vias Domini rectas subuertunt, pleni dolo, pleni fallacia, digni ignominiâ. Quamquam Deus non omnes dignos ignominiâ, in ignominiam manifestat peccatores. Quem in finem aliquot exempla apponam, à me pro concione recensita, & sitienter excepta.

CAPVT XXXII.

An, & quibus, & quo pœnitentiæ fructu, Deus hominum quorumdam peccata, absque eorum infamia, manifestet, ad clementiam suam manifestandam?

I. NVllum esse hominem arbitror, qui non auidè cuperet scire, quàm diu tandem Germaniam, ac totam pæne Europam bellis sit afflicturus? quando pacem, pro qua oramus, redditurus? quid circa hunc, aut illum Principem, circa hanc & illam Remp. circa se ipsum fit futurum? Sed hæc omnia pendent à Deo, qui solus est scrutator cordium, & cognitor futurorum. *Quis consiliarius eius fuit? Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua, in terra obliuionis?* ait Psalmista. Ecclesiastes autem: *Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minùs inueniat: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Hinc falluntur & fallunt toties Astrologi & fastorum conditores, qui iam per aliquot annos, vanissimis vaticinationibus pacem, mortes Principum, & nescio quæ prædixerunt. *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt;* Rom. 1. 21. dum diuini sibi aliquid arrogant isti diuinatores, ad artes diabolicas delabuntur. *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine*, ait Psal. 91. 6. Rex, *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* De aliorum autem arcanis, deque conscientijs iudicare & pronuntiare vsq; adeò temerarium est, vt nemo etiam de se ipso sit certus. *Nihil mihi conscius sum, sed*
1. Cor. 4. 4. *non*

non in hoc iustificatus sum, ait Apostolus. Et Ecclesiastes: *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa aquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat.* Eccl. 9. 6.

II. Ita sanè est, nemo scire potest, quid alter cogitet, aut in pectore clausum gerat. Quanto autem minùs quis scire potest ea, quæ sibi Deus reseruauit, aut in consilio suo statuit? Nihilominus sicut Princeps nonnumquam fido sibi homini secreta animi sui pandit, ita & Deus subinde amicis suis futura occultaque reuelauit. Quàm multis antè annis Noë diluuium prædixit? Quàm clarè Abrahamo patefecit interitum Sodomitarum? *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* ait. Quàm disertè Elisæus dixit ad Giezi: *Vnde venis Giezi? Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui?* Quàm seuerè Petrus sacrilegum manifestauit illis verbis: *Anania cur tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?* Prophetis & Patriarchis in veteri testamento, Apostolis & Sanctis in nouo testamento, quot futura Deus, quàm occultas res non aperuit? Nimirum sciebat eos non curiositate gauisuros, aut triumphaturos vanitate, sed scientia illa reuerenter, atque ad hominum vtilitatem vsuros. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis*, ait Seruator. Talem paruulum, cui Deus multa reuelauit, non superbè ea iactanti, sed ostendenti, *cum simplicibus esse sermocinationem eius*, adducam, vt ab eo discamus, quo pacto bellum sit finiendum, & pax impetranda, orando potiùs, quàm dimicando: maior enim spes est in votis, quàm in armis. Gen. 6. 13. Gen. 18. 17. 4. Reg. 5. 25. Act. 5. 3. Matth. 11. 25. Prou. 3. 32.

III. Tempore Constantini Imperatoris habuit S. Antonius Magnus discipulum, in Thebaide, *Paulum* nomine, qui ob animi sinceritatem & candidos mores, *Paulus Simplex* fuit appellatus. De quo Græci in Menologio, & Cardinalis Cæsar Baronius, in Martyrologio die 7. Martij, Abbas autem Anhusanus die 20. Iulij, meminerunt, & in vitis Patrum p. 1. plura referuntur. Hic *Paulus Simplex*, post diuturnam vitam asceticam, post ieiunia grauissima, Abbas Anhusan. part. 2. Stemmatis

Christi die 20. Iulij ex lib. doctr. PP, num. 15.

Martin. Delrio. Comment. in Medeam. v. 233. & lib. 1. Disq. cap. 3. q. 4.

sima, post assiduas orationes, vigilias, corporis asperitates, sub S. Antonio Magno, ita profecit, vt *Angelis & hominibus spectaculum*, & velut continuum quoddam miraculum esset. Est in Hispania quoddam genus hominum, quod *Zahuris* vocant, *Lynceos* recte diceres. Nam ex hac gente fuit Anno 1575. Madriti puer, qui totius familiæ ritu in penitis terræ visceribus abdita, venarum aquarum, metallorum thesauros, sub sarcophagis sita cadauera potuit videre; immò & quid quisque comedisset, clarè in stomacho viuentium aspiciebat. Sed isto vel coniecturis id, vel dæmonis arte assequebantur. *Paulo Simplici* Deus eam gratiam diuinitus dedit, vt cuiusque obuij cor, & conscientiam, æquè ac vultum, dignosceret. Indicta erat aliquando vel festi, vel alterius necessitatis caussa publica oratio, ad quam cùm magna vndique multitudo Christianorum confluueret, sedit ille ad limen templi, vt videret, quo quisque animo, aut qua conscientiâ præditus templum adiret? Hîc rem audite mirandam. Plerosque videbat vultu radiante, iubarque maius aut minus, prout cuiusque precandi ardor maior, minorue erat, stellæ instar, diffundente. Quin & Angelum custodem vniuscuiusque hilari ac iucunda facie comitantem cernebat. Inter mediam autem turmam, vnum conspiciebat, vulgò dignum fortasse, in quem, ob vestium splendorem, ac officij, generisque dignitatem, ceteri omnes oculum conijcerent, digitoque, velut Hesperum, ostenderent. Sed ô quàm alij sunt oculi diuini ab humanis? Vestis potest homines fallere, *Deus* autem *cor intuetur*, & talem vnumquemque videt, qualis est, non qualis apparet. Quo pacto & *Paulus Simplex* hunc conspexit in templũ ingredientem, Deo illi virtutem largiente interiora eius intuendi. Itaque alij aspiciebant illum candida fronte, roseis genis, dependuli capillis acu crispatis, compta barba, cristato pileo, pallio purpurato, veste fimbriata, ocreis candidis, chirotheculis odoratis, & sine dubio, magno famulorum comitatu pomposum, cui ceteri de via cedebant, pileum deponebant, genu flectebant, & quem non pauci felicem beatumque prædicabant. Talis erat ille in oculis vulgi. At qualis in conspectu Dei esset, videbat *Paulus Simplex*. Non enim perinde huius illi facies exsplendescere, vt ceterorum, videbatur, sed vultu totus ater ceterisque omnibus membris

bris niger & squallidus Maurum referebat. Circa illum fremebant ouantes cacodæmonum cateruæ, catenis vinctum tenentes, quorum vnus ceteris immanior, illum capistro per nares traiecto frænabat, atque in templum more iumenti, agebat. Ceterùm Angelus custos illius, non eum, vt reliquos, læto vultu, ponè comitabatur, sed longo interuallo, decussatis in crucis formam Brachijs, oculisque in cælum tendentibus gemebundo similis sequebatur.

IV. O fallax munde, quoties ipse falleris? quàm longè alia judicia sunt Numinis, & alia hominis! Isti quos populus metuit, quos palpat, quos pænè adorat, quantis sæpe vinculis constricti circumducuntur? Quàm grauiter decipiunt aspicientes? immò quàm se ipsos crudeliter decipiunt? Eant; ansati, gladiati, purpurati incedant, & hominibus glorioſi videantur; longè tamen alij sunt in conspectu Angeli sui, in oculis Sanctorum, ante Dei tribunal. Nempe tales, qualem Ioannes vidit, qui vidit *mulierem* Act. 17. 3. *sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem*, dum septem peccatis capitalibus se contra Deum erigit, & decem illius præcepta arietat. Talis anima est *mulier* quæ *erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Talem Deus Ioanni, talem Paulo Simplici, tales quotidie Angelis ostendit peccatores. Ab alijs quidem scelera illorum possunt nesciri, à Deo occultari non possunt, qui est vbique, in quo ipsi viuunt, mouentur, & sunt. Homines in facie, Deus videt in corde. Nihil eum latet, nulla creatura est in oculis eius inuisibilis. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Non videt te pater tuus, non videt magister, non superior, non magistratus tuus, qui si te videret, non peccares: at videt te Creator, videt Redemptor, videt te Angelus, videt te tota curia cælestis, vident illi qui te, coram toto mundo, iudicabunt, & peccare audes? & non erubescis? Quin vel coram Confessario, vno, homine, peccatore, qui nihil audet vulgare, erubescis confiteri fœditates tuas; at facere fœda, vidente Angelo custode & ingemiscente; mancipare te diabolo, mille catenas inijcienti, tibi nullus est pudor? Quia homines nes-

ciunt, putas nescire & Deum? qui videt tuas cogitationes, non videbit tuas operationes? qui scit quid velis, nesciet, quid facias? Quò ibis, miser, vt eum lateas? In Italiam, in Galliam, trans Alpes ibis, nescient tui parentes, quid facias; at sciet Deus, etiamsi ad extremos vsque Indos proficiscaris. Nulla te larua teget, nulla nox abscondet, nullus occultabit Angulus. Quære cum Adamo latebras, non te abscondes Deo, sed Deum tibi; & culpam duplicabis, more puerorum, qui sæpe plagas euitarent, si culpam fatentur, ac veritatem dicerent; quia verò delicta sua mendacijs volunt purgare, & propter delicta, & propter mendacia puniuntur. Fuit, qui vxorem suam repudiaret eam solam ob caussam, quia foras proditura se comebat, & mutuò acceptis vestibus volebat alijs placere, domi autem in sciſſili tunica aut pellibus fuligine vnctis, inconcinnis crinibus, Canidiæ instar, incedebat. Tales sunt multi mortales domi, & in conscientia sua, & coram Deo ac Diuis, sordidi, maculati, contaminati, qui mundo se expoliunt. O si nunc adesset *Paulus Simplex*, & homines obseruaret ad templum confluentes? quantum videret eorum discrimen? Quod ille vidit, nos possumus, non debemus imaginari.

V. Cur enim Diuina bonitas non omnibus, sed tantùm sanctis, & quidem paucis, ita oculos aperuit, sicut aperuit *Paulo simplici*? Quia plurimi despicerent eiuscemodi peccatores, eosq; execrarentur, &, si possent, discerperent. At Sancti non vindictę, sed misericordiæ oculis aspiciunt eiuscemodi vulneratos. Agnoscunt enim, in quantis miserijs sint constituti. Siquidem *& Paulus simplex*, postquam calamitosum illum hominem, velut in triumpho, à Tartareis Spiritibus, vidit ductum, cœpit cum eiulatu lamentabili totus in lachrymas effundi, & identidem pectus palmis plangere. Et quia de sanctitate certa notus erat omnibus, circumstetit eum mortalium multitudo, tanti luctus tantæq; lamentationis caussam scire cupientium. Metuebant enim, ne vir sanctus, Deo reuelante, aliquid vidisset, quod in omnibus ad templum euntibus, reprehensione dignum esset, orationesq; eorum ingratas efficeret; idq, eò magis, quòd ab eo multis precibus impetrare non possent, vt cum ceteris etiam ipse oraturus in Ecclesiam intraret. Quali cogitatione vtinam etiam vnusquisque nostrûm se examinaret,

naret, quoties ad diuinia officia est accessurus. Dolemus durare bella, sentimus difficultates, timemus pericula, instituimus orationes, & non cogitamus quales ipsi simus, qui sumus oraturi. Eodem ore petimus à Deo nobis pacem dare, & bellum eidem indicimus. Quo pacto enim illa lingua in templo Deum flecter, quæ illum paulo priùs, ante templum blasphemauit? Ita homines illi non sine caussa solliciti fuerunt, ne inidonei ad orationem accederent. Inimicus ab inimico nihil potest fidenter, nisi veniam rogare.

VI. Iussi igitur illi in templum ingressi sunt ad Missam audiendam, *S. Paulo simplici* præ foribus templi relicto, ac indesinenter plorante, ob miseri illius viri lachrymabilem statum, & tot catenas, quibus erat illigatus. Officijs diuinis, intra breue tempus, finitis, populoq; è templo regrediente, *Paulus* denuo singulos obseruauit, præcipuè verò attendit ad illum, quem priùs viderat freno vinculisq; constrictum in ædem sacram introduci. Sed hîc nouum se se illius oculis spectaculum obtulit. Vix enim potuit illum virum amplius agnoscere, quasi repentè alium factum. Sed diuina rursum lux illi, qualis iam esset, detexit. Non enim iam Æthiops videbatur, neque nigra in toto illius corpore macula apparebat, sed in contrarium, omnia erant candida & mirificè lucebant. Neque iam cacodæmonum caterua stipabat, aut vinculis ligatum tenebat, neque nares perforatus ducebatur; sed maligni spiritus, cum multis diruptarum catenarum fragmentis tristes, & caput vncis vnguibus scalpentes, multis demum passibus ab illo repulsi sequebantur. Ad latus autem illius iam bonus Angelus lætitijs & exultatione plenus adambulabat, & sublatis subinde in cælum manibus Deo gratias dicere videbatur. Quàm verè tunc cani potuit: *Hæc mutatio dextera Excelsi!* item: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erant.* Deniq; apparuit gaudium Angelorum, quod habent etiam *super vno peccatore pœnitentiam agente.* Psal. 76. 11. Isa. 1. 18. Luc. 15. 7. & 10.

VII. *Paulus simplex* certè, aspecta hac viri tam subita, tamq; magna mutatione, præ gaudio exilijt, & tamquam sui oblitus, altissima lætitiæ voce exclamare, & Deum laudare cœpit dicens: *O in-*

effabilem Dei bonitatem & misericordiam! ô immensas Dei omnipotentis miserationes! Stitit isthæc inusitata vociferatio totam exeuntium multitudinem, quæ & Paulum sæpiùs eadem clamantem atq; in templum currentem è vestigio est secuta, viro quoque illo, quid circa se factum esset nesciente, cum turba in templum regresso. Confertum erat iam templum, cùm Paulus, supremo altaris gradu conscenso, in hunc modum, voce contentissima, cœpit proœmiari. *Venite, & videte opera Domini, quàm mirabilia & terribilia sint; Venite, & videte illum, qui vult omnes homines salvos fieri, & venire ad agnitionem veritatis. Venite, adoremus, & procidamus ante Deum, & dicamus, quoniam potens est peccata remittere.* Ad hoc exordium facta est ingens attentio, & compressio populi, dum voluit quisque proximus esse dicenti. Quiete silentioque data, ordine recensuit, quid ingredientibus & egredientibus illis in domum sacram, sibi Deus revelârit. His narratis, digito virum designauit, cuius tam admirandam mutationem vidisset, obtestatusque illum est vt, ad Dei gloriam, & totius populi vtilitatem, caussam tantæ mutationis manifestaret.

Psal. 45. 9. Psal 138 14. Psal. 65. 3. Psal. 94.

VIII. Hîc ille partim oratione Pauli, partim interno Spiritus impulsu incensus & commotus, attonitis omnibus, hæc palam recensuit: *Peccator ego sum, heu miserrimus ego sum peccator! Nec peccator tantùm, sed diu, prô dolor, in peccatis hæsi. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. In luxuria vixi, de impuris rebus audire, musica fuit mea; de spurcitijs loqui hymni mei; seduci & seducere, mihi perinde fuit; & quid multis aures vestras contaminabo? quasi equus ad omnes feminas adhinniebam, neque secus ad templum ipsum festinaui, ac si frano ductus ab insidente calcaribus vrgerer. Neque mens mea fuit, in templo orare, more ceterorum: sed illuc properaui, non secus ac ad locum chorearum, vt puellarum & reliquarum feminarum formas & vultus contemplarer. Hinc non, quæ mihi debebantur, prima subsellia, sed media, vel odea, vel etiam postrema occupaui, vnde scilicet prospectum, ad muliebrem sexum è regione stantem, habiturum me commodiorem arbitrabar. Et talis quidem fui etiam hodie, quando hoc templum subiui. Sed, ô Dei infinitam bonitatem! talis è templo non exiui. Qui enim fulmine, & morte, & igne æterno dignus eram, ecce audiui cantari verba Isaiæ Prophetæ, immò*

Psal. 37. 6.

Isa. 1. 16.

mò ipsius Dei: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite bene facere: quarite iudicium; subuenite oppresso, iudicate pupillo; defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur &c. Hac voce ego impurissimus mortalium ita perculsus sum, vt magno cum animi mei dolore, ac pœnitentia, in conscientia mea, ad Deum clamauerim: Tu es Deus, qui in terram venisti ad liberandos peccatores; & qui hoc quoq; quod nunc lectum est, per Prophetam tuum promisisti; imple igitur hoc opere in me gratia tua, indignissimo peccatore. Ex hoc enim temporis momento promitto voueoq; tibi, me mala illa non amplius patraturum, quibus ex animi mei sententia renuntio, tibi mundo corde & corpore seruiturus; Hoc igitur die atque hac hora, ô mi Deus, suscipe petitionem precesq; meas. Tali animo propositoq; vita mea emendanda è templo exiui. Hæc vbi dixit, ab omni vndique populo ad Deum est, vnanimi magnaque voce, conclamatum: O Deus, *quàm magnificata sunt opera tua! omnia in bonitate fecisti, misericordia tua plena est terra.* Psal 31. 6.

IX.

Vtinam & nos omnes, qui ad orandum conuenimus, sic possemus exclamare! Non dubito enim, si *Paulus simplex* hîc esset, eum visurum alios quidem ardentes & lucentes, & lætum Angelum secum habentes; alios autem vndique contaminatos, quos plures dæmones catenis vinctos trahunt, & ducunt quocumque volunt: qui si Spiritum S. ipsum contristant, cur luctu Angelum suum non afficiant à se longè remotum? Quibus hos non lachrymis prosequi par est, cum *S. Paulo Simplici?* cùm & ipsi sint calamitosi, & illorum peccata in Ecclesiam excitent tot calamitates? Quas cùm deberent tollere, solent multiplicare. Quid enim hi precibus suis impetrent? Bias Philosophus videns impium, in sua naui, inter maris procellas orantem, iussit eum cessare; ne si Iupiter audiret, illum inibi esse, sæuiorem immitteret tempestatem. Quid, ô impure, tu tua te oratione speras à Deo impetraturum? qui cùm oras, illa linguâ vteris, quâ paulò priùs abominanda es locutus; quâ Deum blasphemasti? quâ fratris tui animam occidisti? illud os aperis, quo heri osculatus es meretricem? Illas manus ad cælum tendis, quibus contra Deum, contra honestatem, contra naturam, contra te ipsum peccasti? Sanctus est Deus, sanctis

ctis manibus est colendus. Verùm hoc exemplo moueor, vt neque peccatores quidem hinc arceam, sed inuitem, vt nullum templi officium, nullam exhortationem prætermittant. Et, quamuis alio fine præsentiam suam contaminent, quamuis dicant: Veni frater, audiamus aliquid curiosi, tamen potest illis contingere, quod contigit huic peccatori, vt vno verbo, vna sententia perculsi audiant, quod tota vita non possint obliuisci. Multi cum Publicano templum adierunt peccatores, & recesserunt iustificati, digni pace & diuina benedictione. Ad hoc ego, cum Paulo Simplici, Deum irritantes non cessabo deplorare, & ad ploratum adducere. Ad hoc ipse Deus immittit calamitates, vt cum filio prodigo inopia inediaque coacti ad Patrem reuertantur. Ita & pueruli longiùs euagati, qui blanditijs reuocantem matrem spernunt, territi aut offensi illico ad maternum gremium recurrunt. Nemo putet hoc animo à me fieri inimico, si crimina detegam, si vlcera tangam, si tacerem, inimicus essem, sicut, si vulnus lethale tibi inflictum, sciens chirurgo non indicarem. Deus bone! barbarum censetur, si quis amico ægrotanti non succurrit, si scit & dissimulat medici. nam. Quid erit, si alterum conspiciam, in omni flagitio volutari, Catenis Acherunticis ligari, & iam, velut reum, ad supplicium æternum duci, eiusque peccatis toti patriæ exitium parari, & non succurram? non clamem, ne & ipse aliquando clamare debeam: *Væ mihi, quia tacui?* Non tacuit *Paulus simplex*, lachrymis clamauit, clamauit verbis, & totum populum ad diuinas laudes excitauit. Quin & hodie per hoc exemplum clamat: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, &c.* Pessimum autem malum cogitationum est, iudicium temerarium, de quo alterum exemplum accipitote.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Quantopere iudicia hominum, in aliorum factis censendis, errare possint?

AD pietatem, in Ecclesia, excitandam, excitauit benignus Dominus nouam quamdam feminarum religionem. Nomen est feminarum Deo dicatarum, *Cælestinæ Annuntiatæ;* illud ab habitu, incedunt enim togâ candidâ & pallio cæruleo, seu cælestis coloris, tectæ: istud habent à fine Fundatricis, cuius mens fuit, honorem Matris Dei, ab Angelo annuntiatæ propagare. Ordinis huius Fundatrix fuit, Genuensis illa matrona *Maria Victoria*, quæ primùm An. Christi 1617. die 15. Decembr. viuere desijt. Vitam eius, Italico idiomate, copiosè descripsit quidam Pater Societatis nostræ, qui & confessarius illius fuit, *Ferdinandus Meltio* dictus, cuius librum Archiepiscopus Genuensis, mirabilium Sanctæ illius feminæ gestorum conscius approbauit: placuitque is ita, & tantos passim fructus tulit, vt non ita pridem in linguam Germanicam fuerit translatus, Coloniæ impressus, & Sereniss. Annæ Catharinæ Constantiæ Neoburgicæ Ducissæ dedicatus. Fuit illa Maria Victoria non tantùm nouæ Religionis institutrix, sed etiam eum Ordinem condidit, in quo absolutissima humanæ perfectionis imago reluceret. Sanctitatem huius feminæ Deus grandibus miraculis claram fecit; sed ad sanctitatem, illam, per vias varias, rectas tamen duxit. I.

Primùm cùm esset abineunte ætate incitata, ad Deo, in religioso Ordine, seruiendum, inscia Angelo Stratæ nobili iuueni est à parentibus desponsa, cùm adhuc 17. annorum puella esset; cui proinde magis parentum, quàm sua voluntate, nupsit. Quid ibi sanctè egerit, aut aduersi sit passa, longum esset enarrare. Neque quidquam dicam eorum, quæ postea sacrarum mulierum antistita, in cœnobio, vel mirabiliter, vel laudabiliter egit. Viduas facta, & coniugatas, & viduas docuit, & omnis generis homines, qua via ad cælum sit tendendum. Non enim satis habuit, non vagari per domos, non serere discordias in vrbe, non otiari, aut subducere se à consortio virorum; sed illud secum seriò perpendit, quod Christus viuorum ac mortuorum futurus iudex, ad pios impioſque II.

piosque dicturus, & in æterni præmij, aut perpetuæ damnationis causſam allaturus, à pauciſſimis rectè perpenditur. Dicturus eſt autem *his qui à ſiniſtris erunt*; quid? conſiderate diligenter, & obſtupeſcite: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Terribile eſt: ſed non tam hoc obſtupeſco (cùm peccatoris malitia æternam pœnam planè mereatur) quàm id quod ſequitur; quodque pauciſſimi expendunt. Nam cur ait ſe dicturum: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum?* ſi diceret, quia in Deum non credidiſtis; quia de miſericordia mea deſperaſtis, quia nomen meum negaſtis, quia diabolo homagium præſtitiſtis; quia idola coluiſtis; quia nomen meum blaſphemaſtis; quia idem vobis fuit ſacer, quod profanus dies; quia homicidia, adulteria, furta perpetraſtis; quia falſa teſtimonia dediſtis; quia in cubilibus & impudicitijs fuiſtis; quia ſuperbi, ebrioſi, inuerecundioſi fuiſtis; ſi, inquam talia diceret, non miraret, *quoniam qui talia agunt, utique regnum Dei non conſequentur.* Nunc verò audite, quas cauſſas damnationis allegaturum ſe proteſtetur; audite, & obſtupeſcite, & videte an non has ipſas cauſſas in vobis inueniatis: cùm enim formulam illam indicaſſet: *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum;* cauſſas has ſubnectit: *Eſurijui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me: infirmus, & incarcere, & non viſitaſtis me.* Quo pacto autem hæc fieri poſſint, explicat, dicens: *quàm diu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Propter hæc ſe, ait, maledictos in ignem æternum eſſe miſſurum: quòd ſi autem non omittantur, ob eadem præſtita benedictos in æternam vitam atque regnum recepturum. *Non increpat, quia in eum non crediderunt*, ait S. Auguſtinus, *ſed quia bona opera non fecerunt; ne ſibi ſcilicet quiſquam de fide, quæ ſine operibus mortua eſt, promittat æternam vitam.* Nec tantùm medicis, aut parochis infirmos negligentibus, ſed omnibus hoc dicit. Quid ergo, prò dolor, fiet delicatis, magnatibus, & mundo immerſis, qui erubeſcerent, ſi infirmum, aut in carcere poſitum viſitare cogerentur; ſi pauperem hoſpitio exciperent, &c. Benedicti ad Dei tribunal, per Angelos, videbunt cibos, potum, veſtes, quas pauperibus dederunt, & ipſos hoſpitio exceptos, infirmos, captos, recreatos, exhiberi-

Matth. 25. 41.

Gal 5. 21.

S. Auguſtin. lib. de fide & operibus c. 15.

hiberi. Quid exhibebunt homines mundani? in vulgo eminentes? Si nihil exhibebunt, habent sententiam: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Non opus est, vt malum fructum gignat; sufficit, si non facit fructum bonum; iam igne digna est. Quid ergo isti afferent? ea, quibus ætatem omnem triuerunt: crumenas, arcas, saccos auro plenos; vestes & pallia pretiosa; cheles, testudines, citharas; chartas lusorias, astragalos, fritillos; canes venaticos, aquaticos; gladios & pugiones; cantharos, pocula & dolia. Feminæ autem torques, annulos, stibium, chirotheculas, capillos volantes, collaria noui generis, specula, catellos Melitenses, & omnis generis vanitates. *Amen dico vobis, nescio vos*, dicet; non enim hæc signa, sed spinas, flagella, clauos, cruces, charitatem exercendam, suis reliquit. Matth. 3. 10. Matth. 25. 12.

Hæc talia cùm perpenderet Maria Victoria, marito libera amorem iam omnem in Deum & proximum, ob Deum diligendum impendit: eleemosynis dedita, cibum, potum, vestes, pecunias pauperibus suppeditauit; præcipuè tamen in ægrotos fuit admodum misericors, cumque ipsa esset viribus debilitatis, tamen vbique occasionem quæsiuit, qua ægrotis alijs posset succurrere. Et obtulit ei occasionem Deus. Nam domi illi filium & matrem ægrotos dedit; præter sociam *Petronillam du Passage*, præter aliàs postea, in cœnobio, quæ eius patientiam & charitatem mirificè exercuerunt. Et filium quidem, toto quinquennio ægrotantem: quo defuncto vehementer doluit, non quòd *Angelum*, ob innocentiam, æstimatum, sed quòd charitatis erga eum exercendæ ansam amisit. Quod diligenter expendant patres, vel matres familiarum, qui illicò fiunt impatientes, quando vxor, aut maritus, vel filius aut filia, & maximè quando seruus, aut ancilla vel ad tres dies ægrotant. Nec enim iam hebdomades, sed dies, sed horas, sed omnes sumptus in pharmacopolio factos, omnes interea labores neglectos numerant. Stulte, nescis tuum lucrum. Negligitur quidem labor, sed interea dat tibi Deus occasionem cælum lucrandi. Nam quod ægroto coniugi, vxori, filio, seruo facis, ipsi Christo facis; dicturo olim, *infirmus eram, & visitasti me.* Hoc intuentes benedicti, nulli sumptui, nulli labori parcunt, quando miseris est succurrendum; immò gaudent, sicut agricola messe; sicut

opifex labore oblato. In anthologia Græci dicunt, medicum tristari, quando nemo ægrotat, gaudere morbis inualescentibus; non quòd alijs optet esse malè, sed quia, nemine ægrotante, nihil potest lucrari. Ita Sancti, vt quondam audiant, *Venite benedicti, quia infirmus* eram, *& visitastis me;* optant se habere occasionem lucri spiritualis.

Quare Maria Victoria non contenta opitulari & seruire ægrotis, quos domi habebat, excurrit in alias quoque domos, vbi morbis afflictos iacere audiebat. Et quia passim audiebat, *ægrotorum consolatrix & mater*, etiam ad ægrotos accersebatur. Immò & vltro etiam veniebat, cùm non accerseretur. Apud quos multa sanè diuinitus & prodigiosè patrabat, inter quæ est istud stupendum, quod Ferdinandus Meltio lib. 1. c. 5. vitæ illius, narrat.

Accidit aliquando, vt intelligeret, mulierem quamdam de corporis & mentis sanitate desperatam, vtrique morti vicinam, decumbere. Aduolauit ergo, & inuenit spectaculum prorsus miserandũ. Quarta iam die durauerat desperationis extremæ, & gestu insanientis scena; & circumstantium comploratio; & vt fit, variæ de ea hominum coniecturæ. Et alij quidem dicebant, eam de mentis exijsse potestate; alij autem non dubitabant, ab intemperijs illam & conscientiæ stimulis Furijsque exagitari. Itaque palàm iactabant, illam quidem sæpe, sed vtique numquam rectè candideque peccata confessam, odia, ac libidines suas Confessario celauisse, vt casta & sancta haberetur; proinde illi iustè contingere, vt iam in extremis vti non posset remedio sacramentorum, quibus in vita abusa, pro diuina gratia atque amore, iram meruisset. Itaque mirum non esse, si spem iam nullam habeat, desperare eam vtiq; assueuisse, quæ diuina seriò non tractauisset. Auxit hæc iudicia vehementer tam diuturna insaniæ duratio; quartus enim iam dies erat, vt dixi, cùm iam nulla vel corpori medicina, vel animæ exhortatio profuisset. Siue sacerdotes, siue amici, siue sociæ aliquid pium in aures clamauissent, semper visa est indignari. Vultis plus audire? Dicam plus, sed, ne vos offendat licentia peccatorum, moneo, vt cogitetis, omnia in Deo esse infinita atque immensa; adeoq; etiam in illo infinitam esse patientiam & bonitatem, qua, cùm in terris esset, ille ipse Christus, qui, vt cæcum

cum sanaret, *fecit lutum ex sputo*, pro gratiarum actione, omnem ignominiam retulit. *Et percutiebant caput eius arundine, & conspuebant eum*, ait Marcus. Hanc igitur patientiam, etiam in hac muliere ostendit; quæ, vt ad spem erigeretur, omnibus modis est excitata. Inter cetera, exhibebatur miseræ, misericordiæ fons Christus Seruator in cruce appensus; sed auersabatur illa Seruatorem, quem neque oculis quidem benignis intueri sustinebat; nam, quasi noctua lucis impatiens, à sole vultum auertebat. Iubebant illam, in ea effigie, Saluatorem suum saltem osculo venerari; sed os illa oculosque pertinaciter claudebat. Quin, vt hinc patientiam Numinis, inde malitiam hominis clarissimè cognoscamus, quod dictu, auditúque horrendum est, in Sacrosanctam Christi crucifixi effigiem, cum ingenti circumstantium atque attonitis animis impietatem istam detestantium scandalo, millies, millieſq; phlegmata fœdissima expuebat. Denique nutu gestuque omni indicabat, se extremè odisse illum, qui extrema pro illa passus, vt eam sanguine suo, ex inferni faucibus liberaret. Ioan. 9. 6. Marc. 15. 19.

Inter omnes, qui tam diro spectaculo adfuerunt, nemo magis sacrilegam hanc desperationem abominatus est, quàm Maria Victoria; quæ quantò Christum ardentiùs amauit, tantò grauiùs doluit, hominem sanguine illius redemptum, baptismo ablutum & consecratum, vultum illum conspuere, in quem desiderant Angeli prospicere. Itaque altùm ingemiscens in se descendit, cogitans, an non & ipsa sæpe eumdem despueret? qui in pauperibus & miseris vtique despuitur: immò an non, in illa ipsa desperata femina, Christi sanguine redempta, peccare posset, si de ea desperaret, eamque, sine ope, relinqueret. Nimirum, quò quisq; magis credit & agnoscit diuinæ misericordiæ infinitatem, eò magis de ea sperat, & de nullo etiam maximo peccatore desperat. Itaq; charitatis, & diuinæ potentiæ memor ad lectum propiùs accedens, verbis, precibusq; cœpit iacentem ærumnosæ mulieris animum excitare, inducereque in spem cogitationemque meliorem. Mirum dictu, quò propiùs Victoria ad furentem adijt, eò recessit insania longiùs. Vnà autem illam solantibus verbis, & Deum precantibus votis adiuit. Per vices nunc ad cælum, nunc ad ægrã conuersa: vt æstuantis animi procellas cælesti pariter atque humana

mana ope tranquillaret. Videte, quid possit præsentia hominum piorum! vt, lumine admoto, tenebræ fugantur; eoque subducto, rursum illico adsunt, ita Victoria vicina orante, ægra quieuit; cessante autem ab oratione cœpit denuò inquieta esse, atque in diras & execrationes erumpens rursus, vt antè, furere. Quod vbi animaduerterunt mœstissimi insanientis parentes, Victoriam etiam atq; etiam rogauerunt, ne à filia sua discederet, sed eam, velut olim Dauid cithara Saulem, ita ipsa precibus placatam retineret. Facile fuit id impetrare ab illa, cuius viscera miseratione, suapte

1. Ioan. 2. sponte, tangebantur. Siquidem memor illius: *Nos debemus alterutrum diligere*, grauissimè dolebat, feminam cum præsentissimo æternæ damnationis periculo tantopere iactari. Mansit igitur ibi, & crescente misericordia, crescebat etiam ardor pro ea Deum rogandi. Neque sanè ab oratione ampliùs destitit, donec vidit ægrotam menti restitutam, & à turbelis intemperijsq; illis quiescentē.

III.

1. Cor 4. S. Augustin. tract 90. in Ioan.

Retracta hîc, ô bone Lector, cogitationes, quas huc vsque, in perlegenda hac historia, admisisti, & disce, non *ante tempus iudicare. Amemus iustitiam*, ait S. Augustinus, *& iniustitiam detestemur, &c. vt cùm de ipsis rebus quod appetendum est, appetimus, quod deuitandum est, deuitamus, ignoscatur nobis; quòd de occultis hominum aliquando, immò assiduè, non vera sentimus. Hoc ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita: ita vt Apostolus*

1 Cor. 10. *diceret: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Quid enim tam humanum, quàm non posse aspicere cor humanum, & ideò non eius latebras perscrutari, sed plerumq; aliud, quàm ibi agitur, suspicari? Quamquã & in his rerum tenebris humanarum, etsi suspicionus vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitiuas firmasq; sententias continere debemus.* Tametsi enim iudicare malum de altero, quando causæ sufficientes ad id ipsum suppetunt, non est illicitum; tamen quando adsunt vel leues tantùm coniecturæ, vel moraliter incertæ, vel quando de rebus occultis iudicatur, non est eiuscemodi iudicium conforme regulis prudentiæ, sed est temerarium. Quàm verè dixit Christus: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate?* Quis non dixisset hîc astantes *rectum iudicium iudicasse?* & tamen errarunt, quia secundùm faciē iudicauerunt. Nam illa ipsa femina, cuius animum desperatio

Ioan. 7. 24.

ac ægri-

ac ægritudo, sine vlla rerum expectatione meliorum, occupare videbatur, Victoriæ in precando perseuerantiâ, à furore ad mentem; à gestu insano ad quietem, à discrimine maximo ad salutem reuocata, cùm interrogaretur, cur ab authore salutis, atque ab ipsa Christi crucifixi imagine, paulò priùs adeò abhorruerit vehementer? respondit, se nequaquam à Christo, aut eius effigie, sed ab ipso cacodæmone tantopere abhorruisse. Præsentem enim adfuisse Alastorem metuenda larua visibilem, qui se se, identidem intra Crucem & ipsam interponens, omni vi efficere voluerit, vt, loco Crucifixi infernale monstrum oscularetur. In quam tam impiam suggestionem, cùm ipsa nollet consentire, omni se vicissim conatu reluctatam, cacodæmoni in faciem spuisse, osculum sacrilegum execratam, & suasioni tentationiq́ue impurissimæ obstitisse: neque tranquillam se fieri potuisse, donec tentator Victoriæ precibus abigeretur.

Duo hinc documenta sumo. 1. est, fortissimos in vltimo agone athletas & bene exercitatos requiri. Si ita casti, si, qui sæpe peccata detestari, & cacodæmonẽ vincere assueuerunt; adeò debent pugnare, cùm tam vehementer tententur: quid illis eueniet, quibus peccata allubescunt, qui impuris osculis sunt innutriti? qui agunt, quod nuperrimè de quodam Imperij Comite moriente retulit alius Comes oculatus testis, eum cùm Caluinista esset, & alioqui imagines nõ curaret sacras, moribundum sibi amicæ suæ effigiem voluisse afferri, eamq́; contemplando, animam efflauisse, licet alter ei Comes diceret: quàm longè satius esset, vt Crucifixi imaginem intuereris! Audite hoc & diligenter cordi vestro imprimite, quicumque vos quotidie fœdis animi imaginibus, aut cogitationibus soletis oblectare. Hæ imagines faciliùs possunt ac solent exhiberi: & exhibebuntur tunc vobis, ne dubitate. Neque erit opus tanto labore, non enim assuefacitis vos, vt in faciem his talibus spuatis: sed eas in mente vestra ipsi pingitis. Alterum documentum est: *Nolite iudicare secundùm faciem.* Ipsi sæpe medici errant, cùm secundùm faciem aliquem sanum iudicant, qui est morti proximus; aut cùm ægrum censent, qui omni morbo caret. Ita homines errant, nam vt sæpe pessimos pro bonis habent, ita frequenter malos esse censent, quos deberent inter optimos IV.

optimos numerare. Neque excusamur illico, si argumenta non habere existimamus. Quid clarius, quàm audire blasphemantem? quid manifestius, quàm videre hominem in extremis constitutum, qui Crucem, qui Christum auersatur, qui illi millies in faciem spuit? & tamen huic argumento potuit error inesse. Quid credis detrahenti, aut cur auri fidem habes, si te oculi possunt fallere? Quanti decepti sunt secundùm faciem iudicantes? Harpyiæ vultu virgines, effectu fuerunt dracones. Medusa venusto ore, aspicientes in lapidem durauit. Sirenes & vultu, & cantu nauigantes deceperunt. Nimirum, vt Tullius dixit: Mentiuntur persæpe frons, oculi, vultus: oratio verò sæpissimè. Vnde multi se sinunt capi, qui vel vnico aspectu vxores sibi eligunt; vel secundùm auditum aurium iudicant de aliorum moribus & probitate. Atque vtinam homines tantùm errarent bona judicando quæ mala sunt, in quo nulli fit iniuria, & iudicij speculatiui error est, sine culpa! immò bonarum mentium est, mala bene explicare; præsertim in hominibus, qui non pertinent ad nostrum tribunal, sed ad Dei, cuius iurisdictionem inuadit, qui occulta cordium temerè iudicat, iuxta illud: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit.* Sed bona iudicare de alijs, vt dixi, bonum est: at si bonos, si innocentes, si sanctos suspicamur, immò arbitramur impios esse, tunc iniuria est intolerabilis. Si enim quædam, quæ faciem externam malam habent, intus tamen bona sunt, atque ideireo error inest, si mala iudicentur; quantò magis, quæ bonam habent faciem, non debent mala iudicari?

Cic. 1. ad Q. Fra. 11.

Rom. 14.

V. Nemo nucem, nemo amygdalam emeret, si eam de corticis duritie aut deformitate æstimaret. De nucleo, de medullares censete, qui vultis *iustum iudicium iudicare.* Nemo sibi plaudat de euidentia argumenti. Quid euidentius fuerat, quàm cernere feminam furentem? & à Christo se se auertentem? immò in eum oris phlegmata millies & millies iaculantem? Et tamen spuita illa non in Christum, sed in stygium hostem destinabantur. Virtus, fortitudo, constantia maxima fuit, quod à circumstantibus crimen detestabile iudicabatur. Et si vultis sacrum & certius exemplum, numquid ipsa Sacratissima Virgo Dei Mater, *cùm esset desponsata Ioseph, antè quàm conuenirent, inuenta est in utero habens*

Matth. 1, 18.

habens de Spiritu sancto. Quas tunc non potuisset excitare tempestates Ioseph, nisi iustus fuisset, atque eapropter illam traducere noluisset? Atque hæc quidem speciem habere videbantur, si quis secundùm faciem duntaxat iudicare voluisset. Sunt, qui quæ reuera bona atque laude digna sunt, iudcij temeritate non verentur contaminare. Atque in primis talis est Satan fratrum suorũ calumiator: qui audiens Dominum dicentem: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum?* Ad quæ hostis inuerecundè (nam quem Deus laudauerat, laudari ab omnibus conueniebat) *Numquid*, ait, *Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamq; substantiam per circuitum? extende paululũ manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Vides iudicium temerarium? *quem Deus iustificat, quis est qui condemnet?* diabolus est talis, qui cùm opera Iob improbare non possit, intentionem nititur vitiosam ostendere; eumq; non filiali, sed seruili timore dumtaxat, ob bona temporalia timere calumniatur. Iob. 1. 8.

VI.

Heli sacerdote sedente super sellam, ante postes templi Domini, cùm esset Anna amaro animo, erauit ante Dominum flens largiter, & votum vouit, &c. Quid sanctius? *Factum est autem, cùm illa multiplicaret preces, coram Domino, vt Heli obseruaret os eius. Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumq; labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam, dixitq; ei: Vsquequò ebria eris? digere paulisper vinum, quo madet.* Erat non solùm falsum hoc, sed graue, de femina præsertim, & femina Deum colente, iudicium. Plus enim erat, quàm suspicio, quæ *est opinio mali ex leuibus signis.* Etsi enim leuia signa sunt ebrietatis, labia alicuius moueri, tamen non quasi opinans, sed vt iudicans dixit: *Vsquequò ebria eris?* Quale etiam iudicium tulerunt, qui Apostolis, varijs linguis miraculosissimè loquentibus, cùm Dei virtutem agnoscere debuissent, *irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.* Et qui videntes viperam pendentem de manu Pauli ad inuicem dicebant: *Vtique homicida est homo hic, qui cùm euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere.* Ac, ne in longum eam, ipsi Christo quoties id accidit, vt, qui eum è miraculis Filium Dei agnoscere debuissent, cùm eum viderent dæmonia eijcientem, dicerent: *In* 1. Reg. 1. 9. S. Thom. 2. 2. q. 6. a. 4. Act. 2. 13. Act. 28. 4.

Luc. 11. 15. *principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Nequam homines, qui opus manifestum damnare non potuerunt, potestati detraxerunt, eumque iudicauerunt, diabolica arte, dæmones, per dæmonem pellere. Quotidianus hic error est, & plerumq; mortale peccatum, quod à paucis animaduertitur, ob consuetudinem temerè iudicandi. Vix audis aliquid de altero, veritatis caussa, interrogante, circa fidei articulos, & statim hæreticum credis. Vix aspicis fæminam paulò comptiùs incedentem, & censes esse meretricem. Ægriùs quispiam incedit, ebrius putatur. Ardentiùs de Deo loquitur, musto, non Spiritu sancto plenus dicitur. Contingit alicui infortunium, mox dicitur id vtique apud Deum meruisse. Denique; quid iam in publico boni fieri potest, quod non ex hypocrisi fieri censeatur? Paulò pòst, nemo in via eleemosynam dare, nemo in templo confiteri, aut SS. Eucharistiam crebriùs sumere; immò nemo rosarium, aut in libello orare audebit. Hæc sunt iudicia humana: ista est famæ violatio. Cùm enim fama consistat in existimatione ac iudicio, quod quis de alio apud se concipit, & conceptum euulgat; fama læditur, si quis malam de alio existimationem concipit sine fundamento; ac pleniùs, si peruersum illud judicium apud alios proferat. Primum in mente solùm consistens, est iudicium temerarium; alterum est detractio, aut infamatio, quæ grauiter sentiunt homines sæculo dediti, & famam magni facientes. Sed vos, ô filij Dei, ea contemnite, & alia esse iudicia diuina existimate; neque idcirco, malè vos agere putate, quia mali vos judicant. Isaac filium suum Iacob, quem palpando explorauerat, pro Esau habuit: ita multi malos putant, qui probi sunt, cùm eos de pellibus & exteriore forma, non de virtute æstiment. Nihil tu illos morare, si Iacob es, errant etiam in ijs, quæ se autumant palpando deprehendisse. Et est Deus, qui innocentiam tuam mundo manifestabit. Denique, sicut magnanimus non extollitur, neq; superbit honoribus, quia, cùm virtus non possit sufficienter honorari ab homine, cui debetur honor à Deo, non reputat vllos humanos honores supra se, sed eos potiùs contemnit: ita neque frangitur contumelijs, aut infamatione falsa, sed eam nihili facit: quia videt eas sibi indignè inferri. Et monet vel Epictetus, vnicuiq; debere satis esse, vt sibi ipsi appareat vir bonus, neglectis

Gen. 27.

S. Thom. 2. 2. q. 179. a. 1. ad 3.

Epictet. in Enchirid. cap. 30.

neglectis aliorum de se iudicijs. Miraturque Antoninus, qua ratione homines, cùm se præ omnibus diligant, suum tamen de seipsis iudicium, præ alieno tam parui æstiment. Qui sibi conscius est bene, non debet curare, si alij iudicent malè. Vile enim iudicium est, quod erroneum est; & illum ipsum, quem heri laudauit, hodie depretiat adulator. S. Antonin. lib. 12. n. 4. §. 5.

CAPVT XXXIV.

Quantis iniurijs à temerè iudicantibus; quantis beneficijs à Deo temerè iudicati innocentes afficiantur?

I. Derisa olim Anna, & ab Heli, pro ebria, habita, cum postea filium suum Samuelem Domino offerret, ex sterili fœcunda, atque ex contempta honorata facta, in gaudio cecinit: *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Nempe ille est, qui nos sinit hominum iudicijs affligi, atque ab ijsdem nos denuò eripit; sicut eripuit Susannam iam, ob falsa senum testimonia, damnatam; quæ, dum ducebatur, ad iudicium retracta inuenta est castimoniæ speculum, quæ fuerat de adulterio infamata. Hæc enim est ars Dei, vnde mundus pios humiliat, inde ille eos exaltat; sicut etiam plerumq; , qui se exaltant, per ipsam exaltationem humiliantur. Igitur *Helcias & vxor eius laudauerunt Deum pro filia sua Susanna, cum Ioachim marito eius & cognatis omnibus: quia non esset inuenta in ea res turpis.* Hæc omnia *ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Quin etiam vt à facinoribus suis mali deterreantur, si illis manifesta fiat enormitas iniuriarum, quas alijs intulerunt. 1. Reg. 2. 6. Daniel. 13. 63. Rom. 15. 4.

II. Inter eiusmodi scripta, censeo etiam meritò habendam vitam S. Vdalrici celeberrimi Augustani Episcopi, quæ è vetustissimis codicibus, ante Martini Lutheri tempora, Augustæ in lucem edita est, fide vtique antiqua. In qua legimus, D. Vdalricum ex itinere aliquando ad Rhenum perlatum incidisse in Comitem, qui fama sanctitatis illius permotus, magni fauoris loco habendum existimauit, si impetrare posset, vt eum in arce sua hospitem susciperet. Quemadmodum etiam hodie DEVM amantes gaudent, si

PP. Franciscanos, Cappuccinos, aut alios Dei seruos, ad hospitiũ suum trahere possint, Existimant enim, se Deum ipsum, in illis
3. Reg. 17. 14. excipere, & cum Deo diuinam benedictionem. Qualis, cum Elias ingressa est, in Sareptha Sidoniorum, in domum viduæ, cuius *hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei minutus est, vsque ad diem, in qua Dominus dedit pluuiam super faciem terræ.* Quæ mulier vtique hanc benedictionem meruit admirando genere hospitalitatis. Nam cùm vbique fames esset; cùm ipsa & filius omnia iam consumpsissent, nec illi quidquam supereſſet, *nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho*, quo absumpto, iam se morituram cum filio, præ fame, ominabatur; tamen ausus est ab ea petere Elias, ac dicere: *mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me. Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ.* Quæ jam hoc mater faceret, quæ non diceret; *Quisq; sibi proximus*, aut, *Tunica pallio propior est:* Ego priùs, cum filio meo, comedam; si nobis ipsis non sufficit, cur daremus tibi? Nihil horum dixit; sed Eliæ primùm dedit, prodigioso quodam hospitalitatis exemplo. Quo non solùm nihil amisit, sed lucrata est plurimùm. Nam *& comedit ipse, & illa, & domus eius: & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminuta.* Quin & aliud beneficium illi Elias contulit, vt defunctum posset filium eius à mortuis resuscitaret.

III. Parem hospitalitem prædictus Comes, vtpote opulentus & omnibus rebus abundans S. Vdalrico non exhibuit, maius tamen beneficium reportauit. Nam postquam summis precibus obtinuit, vt pius Antistes apud eum diuerteret, res prorsus nouæ atq; stupendæ acciderunt. Iusserat Comes epulum splendidissimum apparari; iamq; accubuerant, & tot missus in mensam inferebantur, vt eorum ne numerandi quidem, ne dum edundi copia esset. Ac, vt cum ventre etiam oculos liceret satiare, stabant, inter cibos, picturæ ad elegantiam dapes, vernabant horti; germinabant de ferculis herbæ & gramina; saliebant in altum è sacchareis rupibus fontes; explicabant in orbem oculos & gemmatam caudam pauones. Denique quidquid tanto hospiti honorando cocorum industria atque cupediariorum artes poterant elaborare, apponebatur. In sæculo ista magna videntur, & hominibus, corpori saginando deditis

ditis placent. D. Vdalrico omnia frustra fuerunt apparata. Nihil illi sapuit, nihil omnium pretiosorum attigit. Nempe alium illi cibum misit Deus, quem vulgus nesciebat. Siquidem, vbi cœptum est epulari, sub ipsa conuiuij initia, introducta est, in triclinium, miserandi vultus femina, emaciata, pallida, ossea; de cuius collo humanum caput, idque tabidum catena reuinctum pependit. Hoc tam triste mulieris spectrum, in extremo triclinij angulo cum canibus prandere atque hordeaceo pane & aqua contentũ esse cogebatur, ad mortem potiùs, quàm ad famem arcendã. Quod tam miserabile spectaculũ non solùm exterruit S. Antistitẽ, sed etiam à ferculis ad se totum rapuit occupauitque. Omnibus igitur alijs rebus omissis; dominum domus interrogauit, quænam esset ærumnosa illa, & quæ tantæ immanitatis caussa? Conticuerunt omnes initio ad hanc interrogationem, neque ipse loci Comes statim erupit in responsa; sed aliquamdiu cogitabundus hæsit. Vbi autem visus est sibi satis iræ & verborum collegisse; magno sermonis pondere sic cœpit loqui. *Venerande Præsul, Femina hæc, quam, inter canes hos, coram intueris, aliter quidem est à primis incunabulis enutrita, sed nempe è prima nobilitatis domo oriunda aliter vixit, quàm eam optimi parentes docuerunt. Siquidem è castissima educatione in putidam mœcham degenerauit. Atque, vt me clariùs intelligas; hæc vxor mea fuit, sed per adulterium mea esse desijt. Eapropter eam anno iam solido, in hunc, quem vides modum, castigo, facinusq; hoc sanguine indignum, vindico; vt alię illius exemplo discant fidem tori habere sanctiorem. Porrò cuculus meus fuit Equestris ordinis homo, cetera nobilis, hoc autem crimine & stemmatis sui infamia, & domus meæ ignominia factus. Cuius proinde sceleratum à ceruice caput resectum, ferroq; vinctum, è collo amasiæ noctes diesq; pendulum feci, vt etiam mortuum in oculis haberet, quem solebat viuum in sinu gestare. Ob hoc flagitium, hoc meruit ornamentum. Atque hoc clementiæ meæ est, torquatam feci, quam oportuit esse crematam. Beneficio meo viuit, per quam si stetisset, Ægisthum meum iam dudum habuissem.*

Hæc contentiùs perorantem, quo sensu generosæ indolis femina audierit, vos cogitate; certè, morte ipsa illi grauius fuit, in catenis produci, &, coram tanto hospite, in angulo, cum canibus, bestiæ instar, pasci. D. Vdalricus, postquam audiuit, IV.

aulæ Dominam illam esse, Deoq; suggerente, intellexit, innocentem tam miseris modis discruciari, rogauit primùm Comitem, vt, quæ apposita erant, omnia iuberet auferi, mensasq; remoueri; non enim sibi quidquam sapere, aut famem esse ad mortales cibos, vbi animarum posset negotijs satiari. Postquam ergo Comitis mandato ablata fuerunt omnia, cœpit diuinus Antistes eiusce modi sermonem. *Magno me, Domine Comes, hospitij & conuiuij honore excepisti, maiore beneficio afficies, si, vt adium tuarum portas mihi aperuisti, ita & aurium ostia pandas; sinasq; gratiam mihi præstitam verbis salutaribus compensare.* Sic Præfatus, cùm Comitē attentum animaduerteret, immò loqui, quæcumq; vellet, iubentem audiret; in hunc modum orationem pertexuit. *Fœdum est adulterij facinus, & perfidia supplicijs digna. Neq; quidquam accidere potest, quod in coniuge iustiorem iram prouocet, quàm si thalami iura, quæ sanctissima esse debent, violentur.* Ad hoc Præsulis exordium, fœmina in catenis habita pænè exanimis concidit. Sed paulò pòst fuit generositati suæ reddita, vbi ærumnæ suæ patronum audiuit sic perorantem. *Ignis tamen vehemens est coniugij zelus, in grauia incendia erumpit. Sed videndum est etiam atque etiam, qua materia ignis ille incendatur. Cùm enim nihil facilius sit, quàm errare in iudicando, ibi maximè erratur, vbi cæcus amor præcipitat iudicantem. Quid enim? esto, rea sit, num idcirco nos decet misericordiæ obliuisci, quia illa peccauit? Numquid, quando adduxerunt* Scribæ & Pharisæi mulierē in adulterio deprehensam & statuerunt eam in medio, *Dominus IESVS* dixit eis, *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat? Nostra vellemus peccata clementer iudicari; immò mala, quæ facimus, indignamur, si alij non iudicant esse bona; & in aliorum culpis tam sumus seueri exactores? Accedit, nos sæpissime in iudicijs decipi. Nam, si nescis, sanctissimi quiq; viri, & innocentissimæ fœminæ temeritate iudiciorum condemnati sunt. Et vt non longiùs, per exempla excurram, cui iniuria hæc non potest irrogari, ipse Dei Filius fuit iniustissimè morti adiudicatus? Sed indica mihi, obsecro, vnde tibi tam diræ suspicionis origo in mentem venit? Annè miseram istam tu in flagranti crimine deprehendisti? aut quo argumento inductus es, vt adulterij ream damnares?*

Tom. 8. 3.

V. Ad hæc Comes, omnem vim probationis promens, deprehendisse

hendisse se eos dixit, aliquando vnà colloquentes. Hoc totum crimen erat, quod censebatur adeò atrox supplicium commeruisse. Quare denuò exhortari orsus Antistes, *Nescis*, inquit, *peccatum esse, dubitare de proximi virtute, etiam quando quis neutram in partem per assensum propendet, sed eum prudens & sciens cohibet, & anceps haret, si quidem non nitatur sufficienti caussa; cùm iniquè illum bona existimatione priuet, ad quam vtiq; ius habet is, qui priuatur. Quantò igitur iniquius erit, iudicare plenè, ac deliberatè, & pro certo, aliquid mali de altero, sine sufficienti caussa; & quidem tam funestum malum? nec iudicare tantùm, sed etiam ad pœnam procedere? Numquid audi-* Psal. 57. 2.
uisti? Si verè vtique iustitiam loquimini, recta iudicate filij hominum: *Et illud?* Nolite iudicare, vt non iudicemini, in quo enim Matth 7. 1.
iudicio iudicaueritis, iudicabimini: *& istud?* Propter quod inex- Rom. 2. 1.
cusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas. *Quid enim? num caussam tibi fuisse sufficientem arbitraris, vt adulteros iudicares, qui deprehensi sunt à te colloquentes? Caussa sufficiens à viro prudente existimatur, quæ, consi-* Sot. lib. 3. de
derata condicione materiæ, & personæ & alijs circumstantijs mouere po- iustitia q. 4.
test prudentem ad malum aliquod iudicandum. Quis vmquam vir pru- art. 3.
dens, statim de adulterio iudicat, quem cum femina videt sermocinantem? Nonne prudentes erant Apostoli? & tamen nihil tale de Christo Ioan 4. 27.
sunt suspicati, quantumuis mirabantur, quia cum muliere loquebatur, nempe Samaritana. Teipsum appello, num quid enim sæpius es cum femina collocutus? igiturne te debuit vxor tua, vt adulterum repudiare, nedum tam exquisitis tormentis exagitare? Nonne lex naturalis præcipit, quod ab alio oderis tibi fieri, ne tu alteri facias? *Nolles tu* Tob. 4. 16.
hac alios in te regula collocutionis iudicari, cur igitur ipse lege tam praua iudicas vxorem tuam? non sineres tu hoc testimonio te de adulterij crimine vinci: Cur igitur in coniugem tuam eiuscemodi & testis & iudex extitisti? Si vita hominis à tam leui coniectura pendet, millies occi- S Thom. 2. 2.
di meruisti. Præterquam, quòd, ad aliquem in iudicio condemnandum q. 60. art. 3.
ad pœnam, certitudo requiratur, per idoneorum testium probationem. & Caiet. ib.
Quod quia tu neglexisti, reum innocentem damnauisti, neque iam illa est adultera, sed tu homicida. Itaque vxorem à pœna absolue, tu pœnitentiam age.

Non facilè in contrarium mouentur magni domini, & magni pec- VI.

ni peccatores: illi ob superbiam, qua se putant errare non posse; isti ob contumaciam, qua obdurverunt. Quare cùm Vdalricus Comitem verbis non posset corrigere, prodigio rem transegit. Ita igitur silentem est allocutus: *Quandoquidem sermonibus nihil profecimus, visne errorem tuum agnoscere, si hoc, toto iam anno, emortuum atque effœtum caput, quod vxori tuæ catenis,* tamquam infame adulterij monimentum, & horrendum monile, ad collum *alligasti, innocentiam suam loquendo reddiderit testatam?* Quid hîc excipieret Comes? spopondit. Sponsione facta, D. Vdalricus sacellanos aliosque sacerdotes comites hortatus est, vt Deum ardentissimis votis rogarent, ne ad honorem nominis sui, ac populi circumstantis bonum (erant quadraginta in loco præsentes) antiqua renouare miracula dedignaretur. Itum est in preces. Nec diu distulit exaudire seruum suum Deus, sed per amputati capitis putrem iam linguam eiuscemodi vocem edidit. *Ego cum hac femina non peccaui.* Quasi tonitru audiuissent, ita attoniti omnes steterunt. Sed D. Vdalricus etiam cadauer occisi iussit afferri, quod sub patibulo sepultum exhumatum est, & asseri impositum in triclinium illatum, tum caput à muliere demptum ad trunci corporis pedes, de more proiectum est. Sed ô potentiam Dei? nemine manus adhibente, sponte sua à pedibus ad ceruicem accessit, illiqúe ita repente coaluit, vt homo, duodecim menses mortuus, illico reuiuiscens surrexerit, Comitemque in hæc verba compellârit: *Domine comes, innocentissimam & integerrimam Coniugem tuam iniustè iudicasti, & indigno supplicio crudeliter afflixisti; nihil illa in te vnquam peccauit, sed tu in illam.* Dici non potest, quis tunc in omnium animis motus, quæ vox, qui gratulantium atque Deum laudantium exorti sint clamores. Alij innocentium vindicem, alij patientium coronam; alij derelictorum defensorem Deum celebrarunt, qui *deducit ad inferos, & reducit,* alij deinde Vdalricum ipsum laudibus extulerunt; alij denique diuinæ proiudentiæ gratias egerunt, qui talem hospitem adduxisset. Redijt tunc afflictissimæ dominæ color, redijt animus, & decus, quam vberrimè lachrymans, & ad genua eius accidens Comes, veniâ suppliciter petitâ, tanto in thalamum honore recepit; quanta priùs ignominia iniuriaq; à se se repulit ad canes, & repudiauit. Habita est postea non solùm in ve-

in veneratione, ob innocentiam, sed etiam pro sancta, ob patientiam. Siluit enim toto anno, tam diriter tractata, neque vmquam innocentiam suam obtendit, neque viri iniurias accusauit; vt hoc ipsum pro maiore miraculo sit existimatum, quòd femina illustri sanguine oriunda tantum dedecus; mulier delicatè enutrita tam asperum vitæ genus potuerit æquanimiter tolerare; quàm quod alter sit ad vitam reuocatus. Etsi enim hoc contra naturæ est leges; illud tamen plus quàm fæmineam exigit virtutem. Et vxorem quidem suam Comes recepit; Nobilem autem illum numquam de iniuria sibi illata questum (quòd in altera vita iusti iudicij diuini arcana inspexerit, & nouerit, cur Deus eam sibi necem parari permiserit) D. Vdalricus secum Augustam perduxit, vbi in æde summâ B. Mariæ dictâ consecrataque, Numini eiusque Matri, gratijs agendis seruiuit, eo officij genere, quod Germani quidem die Stüelbrüeder appellant, nos autem custodes templi possumus nuncupare. Post obitum autem S. Pontificis Vdalrici, ad sepulchrum illius, reliquum vitæ adhuc viginti septem annis prolongatæ, & in omni genere pietatis exercitæ dedicauit. Ita hospitio receptus D. Vdalricus, matrem familias in gratiam mariti, maritum ad pœnitentiam, Nobilem iniustè occisum ad vitam reduxit, ignominiâ iniuriaque omni in maximam Dei ac innocentum gloriam conuersâ.

VII.

Possem hîc in encomia patientiæ, in diuini arcani consilia, in Dei artes ex ipsa ignominia gloriam illustrantes excurrere, & exclamare: *Iustitia Domini recta, lætificantes corda;* sed magnitudo iniuriæ, quam Comes iste innocentissimę mulieri intulit, quamque Deus tam inaudito prodigio mundo detexit, me omnia alia agere volentem, velut iniecta manu, ad se trahit, nec finit tacere tantam immanitatem, quæ non in hoc solo Comite ad cælum clamauit; sed adhuc quotidie patratur. Nam in primis nihil est frequentius, quàm inter coniuges zelotypia, & ex hac suspiciones, iudicia temerariè lata; odia, insidiæ, homicidia, & omnis generis mala. Itaque *lubet addere, mantissæ loco, nihil inter coniuges existere posse grauius, quàm mutuæ fidei diffidentiam, ex qua nascitur coniugum pestis suspicio, è suspicione obseruatio dictorum, factorum, nutuum omnium, è dubijs falsisq; signis persuasio; ex hac cades & parricidia.*

Pſal. 18. 9.

Matth. Rader. part. 2. Bauariæ S. pag 309.

Nihil ago, nisi documentis ostendo, quibus erudiri possit orbis. Theodosius minor Arcadij F. Theodosij M. nepos Eudociam Augustam coniugem, ob pomum Paulino donatum, ab societate tori seiunxit; Paulinum, vt alij tradunt, eâdem nocte occidit, vel in exilium deportari mandauit. S. Itta ex rupe praceps in altam voraginem deturbata. Extat vita Ittæ singulari libello edito ab Fischingensi Abbate vulgata.

Baronius in Otthone III. *Ottho III. Imperator falsò delatum Comitem occidit. Henricus S. Kunegundis innocentiam ferro igniq; explorauit.* Alij priuatorum casus quotidiani & sine numero occurrunt.

VIII. Neque inter coniuges dumtaxat eiuscemodi iniusta atq; temeraria iudicia feruntur. Seruus conseruum, immò Dominum; filius patrem; filia matrem; maritus vxorem; vxor maritum; subditi Principem & magistratum; sæcularis Religiosum, Religiosus sæcularem, immò & Religiosum, filius confessionis Confessarium ad iudicij sui tribunal vocat. Vnde S. Bernardus ait: *Si is, qui de*

S. Bernard. Serm. 12. *claustro est, eum qui versatur in populo, interdum minùs districtè, minusq; circumspectè se se agere deprehenderit; verbi gratia in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio; non ad iudicandum confestim prosiliat; sed meminerit scriptum:* Melior est iniquitas viri, quàm

Eccli. 42. 14. benefaciens mulier. *Nam tu quidem in tui custodia vigilans benefacis, sed qui iuuat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere*

Iac. 5. 20. *non sufficit, absq; aliqua* iniquitate, *id est, absque aliqua inæqualitate vitæ & conuersationis suæ, memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta sint contra geminam tentationem, qua sæpe viri Religiosi Episcoporum vel ambire gloriam, vel excessus temerè iudicare diabolicis suggestionibus incitantur.* Vitali Monacho de prostibulo egredienti, quidam, qui temerè iudicabat, eum libidinis exercendæ caussa, in illo fuisse putans, colaphum infregit, & illico à dæmone insessus est. Adibat enim Vitalis prostibula, vt meretrices à turpi corporis quæstu auocaret, pecuniaq; paciscebatur vel vnius noctis continentiam. Quæ res clariùs patuit, cùm percussorem suum à dæmone liberauit. Ostendit ea liberatio, sanctum fuisse, qui temerè est iudicatus; iniustum, qui temerè iudicauit. Eiuscemodi iudicia, non tantùm quotidie, in vna ciuitate contingunt millies, sed sæpe in vna domo, sæpe in vno homine. Quidam enim vel naturæ tristis, vel amaræ mentis vitio, neminẽ aspiciunt, quem non iudicent damnentque.

Puta-

Putabit quis ea iudicia non esse magni momenti, cùm intra cogitationem orta, intra cogitationem illicò occidant; aut certè, si pertinaciùs hærent, vltra cogitationes non progrediantur. Verùm res secus euenit. Siquidem & alterum sua priuant existimatione, & iudicantem obligant ad opinionem temerè iudicato restituendam, suamque retractandam; quod cùm & rarò fiat, & difficilè sit exequi, quia opinionem semel conceptam humani ingenij pertinacia non libenter mutat, fit vt is, qui ita iudicauit, iudicium suum ad iudicium & tribunal Dei secum, ex hac vita, plerumque auferat, cum periculo æternæ damnationis. Et, ne quis putet, Comitis quidem iudicium quod innocentem coniugem catenis oneratam, ad canes damnauit, grande quid patrasse; suum autē iudicium innoxium esse, neq; ad tam crudeles pœnas decernendas procedere, sciat, quicumque, apud se se, alterum cum temeritate iudicat mortaliter peccauisse (quo pacto homines creberrimè iudicant) illum, quantum in se est, non ad catenas, aut canes alterum, sed ad longè atrociora supplicia, nempe ad æternum carcerem, & æternos ignes damnare. Quid enim aliud facit, qui alterum iudicat lethale peccatum commisisse, quàm vt iudicet, eum æternis supplicijs dignum esse? & non ad Caucasum, sed ad rogum damnandum esse, caminumque ignis, qui numquam extinguetur?

IX.

Quod iudicium cùm ad solum Dei tribunal pertineat, cuius est scrutari corda & renes, & illuminare abscondita tenebrarum; consequens est, vt Dei iudicium vsurpet, qui de corde, seu voluntate, & occultis alterius iudicat. Sicut ergo magnam Iudici sæculari, aut Ecclesiastico iniuriam irrogaret, qui, eo de tribunali suo deiecto, se ipsum, per vim ingereret, atque sedens in illo iudicaret; ita in vniuersalem viuorum & mortuorum Iudicem Christum iniurius est, qui fratrem, aut proximum suum iudicat gehenna dignum. Prima iusti iudicis conditio est, *Authoritas legitima*; qualem habent iudices ordinarij, aut delegati, aut etiam arbitri (iure gentium) quibus se, & quorum iudicio nonnulli vltro subijciunt. Qui sine eiusmodi potestate alterum iudicat, inuasor est, tyrannus est. Hinc illud ei dicitur: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Et istud: *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere, & liberare. Tu autem*

X.

S. Thom 2. 2. q. 60. a. 6.

Sot. lib. 3. de iustit. q. 4. a. 6.

Rom 14. 4. Iac. 4. 12.

autem quis es, qui iudicas proximum? Quænam ista impudentia est, vt *faciem Dei accipias, & pro eo iudicare nitaris?* Et iterum Iacobus: *Qui iudicat fratrem, iudicat legem.* Legis enim sibi partes vsurpat, cuius iudicio suum iudicium anteponit, cùm velit alterum, non secundùm legem, sed secundùm suum iudicium, immò somnium iudicari. *Si autem iudicas legem,* ait, *non iam legis factor es, sed iudex.* Denique *noluit Deus hominem ab homine iudicari, ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio; sed potiùs ex lege Dei, secundùm ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum.*

Iob. 33. 8. Iacob. 4 11. S. Augustin. hom. 50. ex 50

XI.

Caussæ, cur hoc iudicium vetuerit Deus, sunt istæ. 1. Qui iudicat alterum, debet de crimine eius certus esse antè, quàm eum ad supplicium damnet. Atqui, sine peculiari Dei reuelatione (qualis S. Vdalrico de iniusta Comitis damnatione erga coniugem & Nobilem facta est) nemo scit alterius mentem, aut intentionem, aut occultum crimen. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Immò sæpissime adeò latet amor proprius, adeò in propria caussa mali iudices & excæcati sumus, vt nesciamus de nobis ipsis rectè iudicare. 2. Hanc ipsam ob caussam, frequenter erratur, non solùm quia nescimus occulta cordis alterius, sed etiam, quia sæpe quis hodie alius est, quàm heri; & cras alius erit, quàm hodie: de futuris autem contingentibus, quid mortales scimus? hodie quis peccator est, cras pœnitentiam aget, & erit iustus. Quantus autem error, hominem iustum iudicare, tamquam peccatorem? Narrat S. Dorotheus, monachum audiuisse de altero, quòd in fornicationis peccatum inciderit, atque idcirco, sine vlteriore examine, eum damnauisse. Quia autem paulò pòst peccator ille è vita decessit, apparuit monacho Angelus defuncti animam secum adducens, iubensque vt animam illam iudicaret, & sententiam vltimam in eam pronuntiaret, quandoquidem iam antè illam iudicare cœpisset. Quo audito, perterritus monachus, grauem suum errorem animaduertit; & sine dubio dixit, quod apud Climacum alius dixisse legitur: *Non iudicare veni, sed iudicari.* Promittit quidem Christus ijs, qui eum, relictis omnibus, sequuntur, *sedes duodecim,* & iudicandi potestatem, sed in altera primùm vita. Hinc Paulus ait: *Nolite ante*

1. Cor. 2. 11. S. Dorotheus serm. 6. Climac. c. 2. Matth. 19. 28. 1. Cor. 4 5.

tempus

tempus iudicare. 3. Qui in altera vita reuelaturus est secreta cordium, noluit ea in hac vita esse manifesta, vt in bonis humilitatem, erga malos conseruaret charitatem. Bonum diligimus, malum odio prosequimur. Superbirent boni, si certatim ab omnibus diligerentur. Placerent enim etiam sibiipsis. Nunc, quando pro eo, vt diligantur, odio habentur, continentur in timore & humilitate: verentur enim, ne fortè iustam alijs dederint auersionis causam. At malos si cognosceremus, cùm eorum sit infinitus numerus, quo pacto eos amaremus, cùm vix diligamus, quos bonos esse existimare debemus? Deus bone, quæ esset ab hominibus vbiq; auersio, si sciremus, eos Deo tam abominabiles esse? Itaque, vt S. Augustinus docet, *contra hoc malum, quo quisq; libenter de homine malum, quod non profecit, suspicatur, charitas habenda est, quæ non æmulatur;* immò quæ omnia dubia & incerta aliorum dicta & facta, de quibus non constat, quo animo fiant, semper in partem meliorem interpretatur. Quare in illa verba: *Nolite iudicare, hoc loco,* inquit S. Augustinus, *nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant; in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, Ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, sicut sunt stupra, vel blasphemia, vel furta, vel ebrietas, & si quæ sunt alia, de quibus nobis iudicare permittitur, dicente Apostolo: Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis?* Immò etsi certò constet facta aliorum esse mala, licet ea iudicare ac corrigere possimus, tamen consilium charitatis suggerit S. Bernardus istud: *Cane alienæ conuersationis esse, aut curiosus explorator, aut temerarius iudex. Et si perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum; magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam; puta subreptionem; puta casum. Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio: Quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem?*

S. Augustin. in Psal. 118. Matth. 7. 1. S. Augustin. cap. 30. in Matth. Matth. 7. 20. 1. Cor. 5. 12. S. Bernard. in Cantic. serm. 4.

XII. Atq; hoc est optimum, contra iudicia temeraria remedium, vt, si iudicare volumus, in nostrum sinum inspiciamus. Ibi nulla committetur temeritas. certa & nota ibi sumus iudicaturi. Ita Christus Pharisæos repressit, adulterij accusantes feminam, cùm

Ioan 8. 6. ipsi pleni essent spurcitijs & impuritate. Dixit enim: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Et alibi, post Matth. 7. 3. verba illa: *Nolite iudicare, vt non iudicemini*, subiunxit: *Quid vides festucam, in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* In prat. spir. cap. 134. *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo.* Apud antiquos PP. *senex quidam à fratre rogatus, quid causse esset, cur assiduè iudicaret fratres monachos? respondit: Quia necdum te ipsum cognouisti. Nam* S. Aug. lib. 2. de ser. Dom. in Monte cap. 30. *qui se ipsum nouit, fratrum vitia non aspicit.* Itaque monet alius S. Pater: *Piè cautè, vigilandum est, vt cùm aliquem reprehendere vel obiurgare nos necessitas coëgerit, primùm cogitemus, vtrum tale sit vitium, quod numquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et, si numquam habuimus, cogitemus, & nos homines esse, & habere potuisse, &c. Iudicet de alterius errore*, ait S. Ambrosius, *qui non habet, quod* S. Ambros serm 20. in Psal. 118. *in semet ipso condemnet. Iudicet ille, qui non agat eadem, quæ in alio putauerit punienda: ne dum de alio iudicat, in se ferat sententiam.* Si- S. Chrysost. hom 24 in Matth. milia habet S. Chrysostomus, & S. Gregorius. Quàm stultus es- S. Greg. Mor. cap. 15. set chirurgiam profitens, si alteri vellet festucam ex oculo extrahere, cùm ipse trabem in suo gestaret? medicus qui pustulam sanare alterius conaretur, ipse vlceribus scatens, quibus remedium nullum adhiberet? Nonne audiret, *Medice, cura teipsum?*

XIII. Tales sunt, qui temerè iudicant. Nam Comes memoratus, de colloquio vnico duos iudicauit seueriſſimè, puniuit atrociſſimè, quasi adulterium commisissent, cùm interea homicidium quod est vtique adulterio grauius, & iudicium temerarium commisisset. Sic plerumq; qui alios solent iudicare, ipsi sunt deteriores: quia id de alijs iudicant, quod in se experiuntur. Vt enim is, quem vertigo ebrietatis rotat, etiam alia circa se putat rotari; sic malus mala sua etiam alijs attribuit. Sic hæretici, cùm ipsi castitatem non seruent, à nemine putant alio posse seruari. Nempe Eccles 10. 3. quales sumus, taliter & iudicamus. *In via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Quemadmodum enim boni, in alijs bona, in se mala aspiciunt; ita viciſſim mali in se bona, in S. Bernard. serm 3 de resurrect. alijs mala intuentur & mirantur. *Mitto vos ad Sanctum illum senem*, ait S. Bernardus, *qui cùm audisset, peccasse vnum ex fratribus, amarissimè flebat, inquiens: Ille hodie, & ego cras. Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri?* Erat autē ille senex ana-

choreta,

choreta, de quo Dorotheus historiam memorat. Bonus fuit hic, ideò de bono thesauro protulit bona; sicut malus de malo thesauro profert mala. Nam et de alio refert S. Bernardus, qui ad ipsum D. Bernardum, licet laicus dumtaxat monachus esset, veniens ad pedes illius prostratus dixit: *Va mihi, ô pater, qui monachum vidi, in quo triginta virtutes considerani, quarum nec vnam in me inuenio.* Ita in contrarium Pharisæus ille, in templo, in se tantùm vidit, quòd bis in Sabbatho ieiunaret, quòd decimas omnium daret, quæ possederat; quòd non esset *sicut ceteri hominum; raptores, iniusti; adulteri;* in publicano autem nihil nisi peccata illius considerabat. Contrarium debuisset agere; in se superbiã, hypocrysin, iactantiam, contemptum aliorum potuisset inuenire; in publicano, humilitatem, demissionẽ, modestiam oculos ad cælum attollere non audentis, denique pœnitentiam pectus suum verberantis, & Deum deprecantis, ac dicentis, *propitius esto mihi peccatori.* Ita muscis comparantur mali isti iudices, quæ relictis omnibus sanis partibus pomi, aut animalis, omnes ad eam partem aduolant, quæ labem contraxit: Sic enim isti nihil pensi habent eorum, quæ sancta sunt in proximo; sed minutias quærunt, in illis hærent, ibi se pascunt, vbi aliquid mali aduertunt. Quod & sanguisugæ faciunt, quæ ad venam hominis applicatæ, tantùm sugunt eum sanguinem, qui in corpore corruptus est, sano ac bono sanguine prætermisso. Exemplum clarissimum est, in Pharisæis ad Christum, plus, quàm quadraginta leucarum spatio distantem abierunt, ab Ierosolymis, vt discipulos eius coràm accusarent, dicentes: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Quale non scelus arbitremur? Quale autem? *Non lauant manus, cùm panem manducant.* Hem scelus! Et tamen ad has ineptias accusandas, Pharisæi, viri Ecclesiastici, religiosi, primates populi, aliorum Duces, tam longum iter suscipiunt, & coram tanto iudice caussam leuissimam agunt; & quidem contra Apostolos, in quibus spiritûs paupertatem, continentiam, modestiam, honestatem, zelum animarum, diuini nominis atque honoris propagationem, & mille virtutes admirari potuissent. Sic & Pharisæorum imitatores, quotidie iam in hoc, iam in illo aliquid reperiunt, quod censeant, & damnent; omissis omnibus laude dignis eorum virtutibus:

S. Doroth. doctrin. 6.

S. Bernard. serm. 1 ad fratres de monte Dei.

Luc. 18. 11.

Matth. 15. 2.

bus: cùm tamen ipsi, si nullo alio vitio laborarent, solis his iudicijs mille gehennas mereantur.

XIV. Et quod omnium deterrimum est, nihil vmquam cogitant se delinquere, & fortasse etiam sibi plaudunt, quasi de iudicij acumine ac subtilitate, & velut de iustitia, quasi obsequium Deo præstent; sicut Comes ille Rhenanus; qui toto anno numquam agnouit, se iniustum iudicem, malum zelotypum & homicidam esse, sed potiùs, vt se iustitiæ, & castitatis amantem esse gloriaretur, vxorem cum catena, & occisi capite pallentem, inter canes, produci iussit, vt aduenis & hospitibus iustitiam suam ostentaret, quæ reuera summa iniquitas fuit. Sed magna pars hominum damnabitur, quòd rerum spiritualium imperitia, & proprio amore excæcata *malum bonum, & bonum malum iudicet.* Quamquam tanta est Numinis bonitas, vt sicut, ob hospitalitatem, qua Comes S. Vdalricum tamquam seruum Dei suscepit, eidem oculos, per D. Vdalricum aperuit; ita & multis, ob paruum opus bonum, lucem immittat, qua videant, se in tot falsis iudicijs ignoranter hæsisse, & bene retractent, quod malè iudicauerunt. Quod vtinam etiam contingat illis, qui hanc historiam non solùm animi, verùm etiam animæ caussâ legent: vtinam illis contingat, vt mille iudicia temeraria, quibus fortasse, cùm proximum damnare voluerunt, se ipsos perditum iuêre, tandem aliquando omnia, apud Confessarium retractent, & expungant; discantque non se, nec sua iactare, quæ fortè reprehensione digna sunt, vt planè digna fuit illa iniusta Comitis in vxorem innocentem sæuitia, quam hospiti Vdalrico voluit, tamquam iustitiæ exemplum, ostentare. Quod si verò etiam laude dignum est factum aliquod, tamen digna non est eius iactatio. *Meminimus,* ait Plinius, *quanto maiore animo honestatis fructus in conscientia, quàm in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet. Nec si casu aliquo non sequatur, idcirco, quòd gloriam non retulit, minùs pulchrum est. Ii verò, qui benefacta sua verbis adornant, non ideò prædicare, quia fecerint, sed vt prædicarent, fecisse creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente, vanescit. Homines enim, cùm rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum: si laudanda, quòd non sileas, ipse culparis.*

Lib. 5. 20.

Plin. lib. 1. epist. 8.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Mirabili DEI iudicio plus prodesse reprehensiones; quàm laudes adulationesq; humanas.

SI ad libellam veritatis rem examines, præstat sæpe carpi, quàm laudari. Qui carpit, corrigit. Qui laudat, superbum facit. Hinc dictum est à sapiente: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Eò tendit Æsopica fabula famelicæ vulpis ad arborem, cui gallus sublimis & diem cantu salutans insederat, accedentis. Ibi enim exquisitis laudibus gallum extulit. Non cristas tacuit verticis; non præteriit radios caudæ, in falcis modum reflexæ; non omisit pennarum irides & splendorem; sed & sonoram in eo vocem magnificè prædicauit. Ante omnia autem in illo commendauit artem diuinandi, luciscque prædicendæ vaticinia. Quibus encomijs, cùm iam tumere cerneret gallum, atque cristas quàm altissimè erigere, hunc demum fraudis epilogum adiecit: *Vtinam ea felicitas sit mea, tam eximij vatis caput, vt exosculari mihi concedatur!* Gallus, qui laudis titillatione inflatus ipse quoque iam sese oculo dignum arbitrabatur; & hanc insuper laudatrici suæ gratiam referendam censebat, vt caput suum illi ad satietatem basiandum præberet, improuidè ab arbore ad vulpem deuolans captus, in siluam deportatus, serò sensit, qualia oscula vulpes destinasset, & affatim derisus est; quòd astuta bestia vate isto diuinoque nihil insipientius neq; vecordius vmquam se vidisse diceret. Fabulæ huius epimythium est, assentatores insidiosos esse & noxios. Qua de causa etiam Regius ille vates ait: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Correptio iusti misericordia est; adulatio peccatoris crudelitas. Vtiliter Dauidi adulterium Propheta, ciuibus suis diffidentiam Iudith, malitiã Pharisæis Christus, & Ioan. Baptista; duram ceruicem Iudæis, Stephanus; Elymæ mago Paulus dolum & fallaciã obiecerunt. Seduxissent eos, qui laudibus, velut oleo, vnxissent. I. Fab. 386. Prou. 27. 6. Psal. 140. 5.

Quod etiam Ethnici senserunt, adulationibus à se procul repulsis. Tarraconensibus, pro læto ostento, nuntiantibus Augusto, quòd in eius ara palma esset enata: *Apparet*, inquit, *quàm* II. Roterot. l. 4. Apoph.

frequenter accendatis. Ita adulationem diuinitatis, negligentiæ opprobratione delevit. Niceſias Alexandro abigenti muſcas, quòd ab illis diceret ſe morderi: *Magis,* inquit, *ab alijs, quæ plus tui habent, guſtato ſanguine;* adulatores intelligens, qui plus omnibus muſcis ſugunt. Quamuis enim ſapiens etiam è falſis laudibus perſpiciat, qualis eſſe debeat, vt Chriſpus Paſſienus monuit, pauci tamen ſunt, qui laudes ſuas ſuſpectas habent. *Melior eſt ira riſu,* ait Eccleſiaſtes; *quia per triſtitiam vultûs corrigitur animus delinquentis.* Quia enim amor ſui cæcus eſt, facilè credit, vera eſſe, quæ de ſe gloriosè finguntur. Quare, ne glaucoma obijciatur, animi generoſi, laudatores ſuos, perinde vt adulatores, aſpernantur. Quid, quòd iſti etiam mala laudant? Nam ſicut Colax Bianti ſtupido ſic adulatus eſt: *Plus bibiſti, quàm rex Alexander,* in quo turpiſſimũ erat, eſſe potatorem; ſic multi ſuperbiam, multi auaritiam & ſordes, multi, per ſpeciem potentiæ, tyrannidem, ac iniuſtitiam, in Principibus laudant, faciuntque, quod illi, qui in aquæ vicem, oleum flammæ affundunt, vt accendant, non extinguant. Ob quam cauſſam Cratetis pronuntiatum eſt: *Eos, qui cum adulatoribus viuerent, eſſe deſertos, non aliter, quàm vituli ſunt inter lupos. Neque enim illos adeſſe, quos oportet, neque cum ijs, qui adſunt, habere ſocietatem, cùm ſint inſidiatores.* Itaque rectè Antiſthenes aiebat, *ſi ad alterutrum adigeret neceſſitas, ſatiùs eſſe, in coruos incidere, quàm in adulatores.* Nam corui non comedunt, niſi mortuos, adulator etiam viuos deuorat. Belliſſimè in hanc rem Prinæus ille Bias interrogatus, quod eſſet animal omnium maximè noxium? *Si de feris,* inquit, *percontaris, tyrannus; Si de mitibus adulator.* Quam ob cauſſam Græcorum imprecationem, qua, cui precantur exitium, iubent abire ad coruos, corrigens Diogenes dicere ſolebat: *multò periculoſius eſſe, incidere in aſſentatores, quàm in coruos.* Vel enim fingunt, quæ laudant, & faciunt vanum ac inanem; vel mala ſunt, ob quæ palpum obtrudunt, & faciunt peiorem, quia in malo confirmant; vel denique ſunt laude digna, quæ prædicant, & fruſtra ſunt, cùm vera virtus non egeat laudibus humanis, quippe quæ ipſa ſecum ducat ſuam laudem atque decus, & maius quoddam præmium ſpectet. Qui nihil gerunt præclari, his opus eſt præconibus. Vnde Lyſander iactanti, quòd ipſum & laudibus veheret, &

Eccleſ. 7, 4.

ret, & aduersus obtrectantes tueretur. *Duo*, inquiebat, *mihi sunt boues ruri: tacentibus ambobus, tamen certò noui, vter sit ignauus, vter ad laborem strenuus.* Igitur excelsæ mentes, adulationibus non capiuntur; immò & offenduntur, instar Hippomachi discipulum baculo percutientis, multitudine, vel pugillanti, vel cantanti applaudente: aut instar Antisthenis, qui cuidam dicenti, plerique te laudant: *At quid*, inquit, *mali feci?* Significans, quæ recta sunt, semper paucissimis placuisse: sibi autem placere, stultorum esse. Quocirca aut stultum faciunt applausus populares, aut testimonium sunt malè facientis. Certè Chamæleontem putant, qui talem hac aura vesci arbitrantur, cuius iugulum petunt. Dum enim inflant, suffocant, sicut quidam columbas, quas sunt assaturi. Quod cùm cognitissimum esset Prophetæ, dixit: *Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam. Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge;* ea approbantes, quibus iram Dei mereor; aut facientes vt merear. Ælian. lib. 2. variar. c. 6. & lib. 14. c. 8. Psal. 69. 3.

III.

Has tales ob causas, vel Ethnici à laudatoribus abhorruerunt, sciebant enim, eorum oscula esse vulpina & fraudulenta, & quasi dicerent: *oleum peccatoris non impinguet caput meum*, ita pariter & linguam & caudam vulpinam detestabantur. Quin & illud quoque agnouerunt: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me;* videbant enim, dolosis illis basijs *meliora esse vulnera diligentis.* Quòd si vulnera, cùm sunt recentia, sentiuntur, & dolor iram prouocat; vertitur tamen ira tandem in amorem, quando percussus agnoscit, plagam vtilē fuisse ad sanitatem. S. Amandus Episcopus Argentinensis aliquando Romam profectus, in Ecclesia S. Petri penoctauit. Ibi oranti apparuit S. Petrus, iussitq; eum, vt pergeret ad Dagobertum regem, eumq; scelerum suorum admoneret, verbisq; pondus habentibus corriperet. Paruit Amandus. Sed veritas odium peperit. Ergo, quia illi prædicando voluit salutem afferre, præmij loco, è regno est exturbatus. Dicebat nimirum rex peccator: *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis ēst nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Ita quidem iudicabat Dagobertus, quàm diu improbus erat. Ast vbi resipuit, & Pſal. 140. 5. Prou. 27. 6. Nauclerus tom. 2. generat. 21. Sap. 2. 12.

ad virtutem redijt, tandem Amandum inter gratissimos & amicissimos numerauit. Nimirum qui sapiunt, correctionem libenter admittunt. Eccli. 21. 7. *At qui odit correptionem, vestigium est peccatoris;* id est, diaboli, vt Rabanus exponit; quia indicat, sibi diabolum dominari; aut se esse obstinatum instar dæmonis, peccatoq; pertinaciter inhærere. Gen. 16. Quod vestigium apparuit in Agar ancilla Saræ, quando, ob superbiam afflicta & correpta à Sara domina, fugam iniuit: 3. Reg. 21. in Achab, quando arguebatur, ob iniquam mortem Naboth, ab Elia, quem maximo odio prosecutus est; item quando 3. Reg. 22. Michæam Prophetam in carcerem coniecit, percussum à Sedecia in maxilla, quòd ad gratiam Principum non vellet loqui. 2. Paral. 16. Fuit hoc vestigium in Asa rege Iuda, quando in neruum compegit Hanani Prophetam, qui Asam increpauit, quòd confisus esset in Benadab rege Syriæ. Dan. 14. Fuit in satrapis Babylonijs, qui effecerunt, vt Daniel mitteretur in lacum leonum, quòd ostendisset, Bel & draconem non esse Deos. Fuit & in Herode, qui Io. Baptistam iussit in vincula dari, ægrè ferens, quòd dixisset, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui Philippi Herodiadem.* Matth. 4. Marc. 5. Hi tales puniri à Deo maluerunt, quàm corrigi. Quemadmodum & Anastasius Imperator, ab Ennodio Ticinensi Episcopo, iussu Pontificis, admonitus, vt hæresin deponeret; & alius B. Ælfegi de ieiunio & castitate in quadragesima seruanda sermonē contemnens, repentina morte perierunt. Vlric. Abbas Vrspergens. in Chron. Anno 493. de Anastasio. De Ælfego vide Baron. tom. 11. Anno 947. Qui autem nondum penitus animis suis induruerunt, mores suos emendant, quando reprehenduntur, discuntque ipsos suos amare castigatores, quod Dagobertus fecit; quin & Gisa regina, quæ quantò proteruiùs spreuit S. Seuerini iustissimas admonitiones, tantò postea honorificentiùs eumdem ipsa prædicauit, vt Eugyppius atque ex eo Baronius annotauit. Eugyppius in vit. S. Seuerini. Baron. tom. 6. Anno 473. Quin Xenophon scribit, *esse prudentis cordatiq; viri, etiam ab inimicis vtilitatem capere.* Nam quemadmodum periti medici ex bestijs ac serpentibus noxijs vtilia quædam remedia colligunt, ita ex inimicorum odio, cauillis, conuitijs, calumnijs, decerpere aliquid, quod vertat in suum bonum, viri est sapientis. Lima dum ferrum rodit, expolit: sic lingua mordax, & dens Theoninus lædendo rubiginem morum detrahit. Sæpe recta monet, qui non monet rectè. Hesiodus primas tribuit ei, qui per se sapiat; secundas, qui rectè admo-

admonenti obtemperet. Huic ego antefero eum, qui paret etiam non rectè monenti, dummodo moneat recta. Cùm amici, qui recta rectè monerent, sæpe verentur offendere, procurat nobis Deus non rarò *salutem ex inimicis* nostris, quos furor instigat, vt dum non rectè rabiunt, recta obijciant. Itaque plerumque maius est beneficium Numinis si nos sinat vituperari vt emendemur, quàm palpari, vt superbiamus.

IV.

S. Augustin. lib. 9. Confess. cap. 8.

Cuius diuinæ prouidentiæ beneficijque illustre exemplum disertissimè de matre sua, descripsit nobis D. Augustinus his verbis. *Sed non prateribo, quidquid mihi anima parturit de illâ famulâ tuâ, qua me parturiuit & carne, vt in hanc temporalem, & corde, vt in æternam lucem renascerer. Non eius, sed tua dicam dona in ea. Nec enim seipsam fecerat, aut educauerat seipsam. Tu creasti eam, nec pater, nec mater sciebat, qualis ex eis fieret. Et erudituit eam in timore tuo virga Christi tui, regimen vnici filij tui, in domo fideli, bono membro Ecclesiæ tuæ. Nec tantam erga suam disciplinam diligentiam matris predicabat, quantam famulæ cuiusdam decrepitæ, quæ patrem eius infantem portauerat, sicut dorso grandiusculorum puellarum paruuli portari solent. Cuius rei gratia & propter senectam ac mores optimos, in domo Christiana, satis à dominis honorabatur. Vnde etiam curam dominicarum filiarum commissam, diligenter gerebat, & erat in eis coercendis, si opus esset. sanctâ seueritate vehemens, atque in docendis sobria prudentia. Nam eas, prater illas horas, quibus ad mensam parentum moderatissimè alebantur, etiamsi exardescerent siti, nec aquã bibere sinebat, præcauens consuetudinem malam, & addens verbum sanum: modò aquam bibitis, quia in potestate vinum non habetis: cùm autem ad maritos veneritis, facta Domina apothecarum & cellariorũ, aqua sordebit, sed mos potandi præualebit. Hâc ratione præcipiendi & authoritate imperandi, frænabat auiditatem teneriores ætatis, & ipsam puellarum sitim formabat ad honestum modum, vt iam nec liberet, quod non deceret. & surrepserat tamen sicut mihi filio famulæ tuæ narrabat, surrepserat ei vinolentia. Nam cùm de more, tamquam puella sobria, iuberetur à parentibus de cuppa vinum depromere, priusquàm in lagunculam funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum, quia non poterat amplius, sensu recusante. Non enim vlla temulenta cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfluentibus ætatis excessi-*

bus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis maiorum pondere premi solent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo (quoniam qui modica spernit paulatim decidit) in eam consuetudinem lapsa erat, vt propè iam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Vbi tunc sagax anus & vehemens illa prohibitio? Numquid valebat aliquid aduersus latentem morbum, nisi tua medicina Domine vigilaret super nos? Absente patre & matre, & nutritoribus tu præsens, qui creasti, qui vocas, qui etiam per præpositos homines boni aliquid agis, ad animarum salutem, quid tunc egisti DEVS meus? vnde curasti? vnde sanasti? Nonne protulisti durum & acutum ex alterâ animâ conuitium, tamquam medicinale ferrum ex occultis prouisionibus tuis, & vno ictu putredinem illam præcidisti? Ancilla enim cum quâ solebat accedere ad cuppam, litigans cum dominâ minore, vt fit, sola cum sola, obiecit hoc crimen amarissimâ insultatione, vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit fœditatem suam, confestimq; damnauit atq; exuit. Sicut amici adulantes peruertunt, sic inimici litigantes plerumq; corrigunt. Nec tu quod per eos agis, sed quod ipsi voluerunt, retribues eis. Illa enim irata exagitare appetiuit minorem dominam, non sanare; & ideò clanculo, aut quia ita eas inuenerat locus & tempus litis, aut ne fortè & ipsa periclitaretur, quòd tam serò prodidisset. At tu, Domine rector cælitum & terrenorum, ad vsus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum sæculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ insaniâ sanasti alteram. Ne quisquam cùm hoc aduertit, potentia sua tribuat, si verbo eius alius corrigatur, quem vult corrigi. Duo idem agunt, sed non est idem. Homo conuitiatur, Deus emendat: vulnerat homo, Deus sanat; & sicut chirurgus, ferro vulnus faciente, affert incolumitatem; ita Deus saniem vitiorum educit, homine, per opprobria, vlcus tangente. Vnde bonitas eius laudanda, & prædicanda æquitas, dicendumque: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Remedia initio mordent, postea conferunt salutem: ita salubria monita principio sunt nonnihil amara, postea correctio iucundissima. *Putrida carnes ferro indigent & cauterio*, ait S. Hieronymus, *Nec est medicinæ culpa, sed vulneris, cùm clementi crudelitate non parcit medicus, vt parcat, sæuit vt misereatur. Itaque quem diligit Dominus, corripit.* Et sæpe, vbi malitia non est, correptio sola sufficit. Qua de caussa de Cyriaco Episcopo Constantino-

S Hieron. ad Amand.

Prou. 3. 12.

stantinopolitano qui sibi *Episcopi vniuersalis* nomen per summam simplicitatem vsurpauerat, sola monitione contentus, pœnas nullas sumpsit D. Gregorius Pontifex Max. *ne*, vt ait, *Ecclesiæ vnitatem perturbaret, pro caussa profani vocabuli, moras faciendo.* S. Greg. lib. 6. epist. 24.

V.

Reprehenduntur autem sæpe etiam innocentes, & reprehenduntur publicè; itaque ibi non est corrigendi locus, quid ibi Deus destinat? destinat ostendere innocentiam, patientiamq; aliorum; aliorum autem detegere diabolicam malitiam; deniq; omnes docere, ne primis rumoribus credant, cùm sæpe sequens dies ostendat inuidiam, & iniuriã præcedentis. *Non est diu*, ait Cæsarius, *quòd monachus quidã stimulis inuidiæ agitatus & superatus, quemdã ex fratribus suis adolescentem accusauit apud Abbatem, imponens ei crimina pessima: cui cùm minùs Abbas crederet, ille ad maiorem vindictam vsq; ad Visitatoris præsentiam suam accusationem reseruauit. Quid plura? Tanta apud illum inuidi machinatio profecit, vt ipse Visitator iuueni vitia relata in Capitulo coram omnibus obiceret; neganti, & Deum innocentiæ suæ testem inuocanti, non crederet, sed habitu truncato carceri manciparet. Post cuius discessum, Deus iudex iustus, inuidum infirmitate peremptoria flagellauit: timens verò mori, confessus est, iuuenem ex inuidia se accusasse. Quod cùm ex consilio confessoris senioribus propalasset, statim pro Visitatore missum: qui territus ad monasterium ocyùs rediit, ipse carcerem intrauit, ad pedes monachi se prostrauit, & vt sibi ignosceret, quod ignoranter in eum deliquerat, supplicans, etiam reluctantem eum cum gloria eduxit. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate, qui visitationi eidem interfuit. Apollonius: Puto monachum istum in tam graui tentatione meruisse. Cæsarius: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod vua torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Seruauit enim in tribulatione patientiam. Inuido autem sua erat inuidia, quod venenum stomacho, quod tinea vestimento, quod arugo flori, quod tabes corpori.* Cæsar lib. 4. hist. Illustr. cap. 24.

VI.

Præstat igitur reprehendi, quàm proiectum esse ad reprehensiones; quia qui reprehenditur, si nihil habet quod emendet, habet tamen quod mereatur apud cælestem remuneratorem. Qui autem libenter obuia quæque carpit, similis est lamijs, quas fabulæ narrant, foris oculatas esse, domi oculis in vase reconditis nihil videre; ita enim isti, qui se putant in alienis perspicaces esse,

ad

ad sua cæcutiunt; neque vident, hoc ipsum esse turpissimum, omnia velle carpere. Sed tales Carpos & Momos, & Theones esse oportet in mundo, qui bonos exerceant; malos, dum mordent, sanent. Ob hos igitur, qui de natura, vel de ipso naturæ authore queritur, dissimulatis tot bonis, perinde facit, ac si quis Nilum calumnietur alioqui frugiferum Ægypto, quòd crocodilum habeat, aut aspidem; nec velit frui prognatis frugibus, sed tantùm queratur de venenis, quæ nutrit. Quin vt ipsa venena medicina sunt, si rectè vsurpentur; ita vituperatores digitum intendunt ad vlcera nostra, & lingua monstrant, quid in nobis sit vitiosum. Quod si vitiosum sit nihil (in quo autem est nihil?) saltem nos expoliunt, semperque minùs nocent, quàm lingua blandiens. Quamquam etiam multi sunt, qui quia nos amant, verbis castigant, qui vtiq; sunt adulatoribus anteferendi; iuxta illud: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Denique quicumque siue rei, siue non rei linguas sentitis viperinas, *recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Inter alias causas, ob quas apud Religiosos quotidie legatur Martyrologium, non est solùm, vt occurrentibus quotidie Sanctorum solennitatibus, congruum eis honorem impendamus, eorum auxilia imploremus, eorum facta vitamque imitemur; sed etiam, vt ex Dionysio Carthusiano docet Molanus: *In Capitulis Religiosorum, antequam culpæ recognoscantur, seu proclamentur, fit lectio in Martyrologio, quatenus fratres Martyrum Sanctorum exemplo ad patientiam animentur, etiamsi absq; sua culpa redarguantur, aut proclamentur.* Facit ergo reprehensio etiam de ea re, quæ culpabilis non est, vt Martyribus innocenter passis, similes reddamur; si Martyrum exemplo eam patienter feramus.

Psal. 140. 5.

Hebr. 12. 3.

Molanus l. de Martyrolog. cap. 14.

VII.

Ob hanc causam *vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus.* At quemadmodum difficillimè sanantur, qui sui sensu carent in morbo, velut lethargici ac phrenetici; ita tardissimè reuocantur ad bonam mentem, qui non agnoscunt sua vitia. Hinc *peruersi difficilè corriguntur.* Magna igitur ars est tractare tales, atque eis sua vitia ostendere, postea curare. *Quo pacto reformaretur, & rursus*

Eccli. 10. 28.

Eccl. 1. 15.

& rursu aliquid fieret id, quod vehementer medelam reijceret, tamquam inobediens, & quod minimè propter longi temporis superbiam corrigi posset? ait S. Greg. Naz. *Nempe vt mansueto & humano curationis modo ad correctionem induceretur, cùm neque ramus incuruus subitam inflexionem, & producentis manus violenter ferret, citiusq; frangeretur, quàm dirigeretur. Neque equus ferox & adultus, absque assentatione & demulsione freni susciperet, tyrannidem.* Vt ergo correptio fiat correctio, nec qui corripitur, patientiæ; nec qui corripit, clementiæ debet obliuisci. Nam qui correptus statim fugit, exosus admonitorem, perinde facit, ac si sectus à medico, continuò offensus aufugiat, non expectans vt obligetur, & oblinatur vulnus, ac mitigetur. Nam is, quod dolet, iam passus, quod opem confert, non vult experiri. Ad corrigentes autem quod attinet, eos ipsos corrigit, aut monet his verbis D. Chrysostomus. *Non videtis medicos, quando vrunt, vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? Multò amplius corripientes oportet hoc agere. Etenim correptio & igne & ferro vehementiùs operatur, & resilire facit eos, quibus offertur. Hæc circa ægrum medici etiam student primùm, quatenus possint ægrum facere, sectionem æquanimiter tolerare: & quantum possunt, leniter agunt, & aliquantulum requiescentes ægrum faciunt recreari. Sic ergo oportet correptiones efficere, vt & qui corripiunt, non resiliant, ac si eos iniuriari proueniat, ac si percuti, non debent abhorrere. Nam qui secantur aduersus eos, à quibus secantur, multa reclamant, sed illi nihil impediuntur, sed tantùm ægrotantium consulunt vtilitati & sospitati. Sic etiam hîc cuncta gerenda sunt,*

S. Greg. Nazianz. orat. de Pascha.

S. Chrysost. hom. 30. ad Hebr.

Ita quidem constituti debent esse, qui reprehendendo alios corrigunt; at qui corriguntur, reprehensores pluris debent facere, quàm laudatores, à quibus plerique plausum captant. *Si & auium voces intelligeremus, nempe coruorum, graculorum,* ait Dio, *atque aliorum animantium, nempe ranarum, aut cicadarum, haud dubiè & horum vocibus animum aduerteremus, quidnam de nobis dicerent graculus volans, aut pica, & quam de nobis haberent opinionem? Felicitas ergo quædam est, quòd non intelligimus. Quot verò homines ranis sunt insipientiores & graculis?* Et quàm pauci sunt, qui laudant? quàm multi, qui vituperant? Ex illis autem paucis, qui humanæ gloriæ theatrum conficiunt, quàm viles, quàm praui iudi-

VIII.

Dio orat. 66.

S. Chrysost. hom. 17. ad Rom. Vide eumdē hom. 28. in Ioan.

cij? *Sed dic, quæso,* ait S. Chrysostomus, *quot velis habere laudatores? centum, seu bis, seu ter, seu quater totidem? Quin sint duo millia, aut etiam quatuor, vel si ita placuerit innumeri, qui applaudant. Nihil tamen illi omnes à graculis desuper garrientibus different. Immò si Angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam viliores; illorumq; præconium, aranearum textura, fumoq; & somnijs infirmius.* Hanc ergo rem tam vilem amamus, tanti facimus, quam etiam experimur sæpe, vt idem S. Pater loquitur, esse *crudelem belluam, dæmonem horrendum, communem totius orbis terrarum pestem, viperam venenatam, discerpentem eum, cui innascitur:* & reprehensiones maximam vtilitatem habentes fugimus, eosque qui mente optima nos volunt emaculare, odio prosequimur, & modis omnibus extinctos volumus? Quàm longè aliter sensit, qui dixit: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum?* & alter ita pronuntians: *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Vulnerat chirurgus cùm venam aperit, vt sanguinem malum deducat; & mercedem ei damus, quia salubriter vulnerauit. Iudas Christum osculatur, vt prodat, dederat enim hoc eis signum; quis non magis diligat more chirurgi vulnerantem, quàm more Iudæ osculantem? Et tamen sæpe huic similes sunt laudatores; illi vituperatores nostri. Permittit igitur Deus hos ad emendationem, illos ad probationem: in vtroque beneficus.

Psal. 140. 5.

Prou. 27. 5.

CAPVT XXXVI.

Deum non deesse innocentibus humiliatis, sed eos in tempore suo tanto glorioſiùs exaltare, idq; per varia miracula.

P.

MIrabilis consolatio est innocentium talia in terris patientium, si Deum credant vbiq; semper præsentem & omnia prouidè gubernantem. Non enim tantùm à fame sibi tales non timent; sed neque etiam ab infamia. Licet deprimantur à superioribus; licet iudicijs & calumnijs appetantur ab æqualibus; licet à toto populo infamentur; & nomen eorum sub hastâ vendatur. Si enim eiusmodi iniurias scit videtq; patientiæ remunerator Deus, vtique in bonum conuertet patientis. Qua de-

de cauſſa Regius pſaltes talem alloquitur his verbis: *Renela Domino viam tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet: & educet, quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum, tamquam meridiem.* Quod Deus cũ ſole agit ceterisq; aſtris, id etiam agit cum hominibus. Solem, Lunam, ceterasq; ſtellas ſinit occidere, & quodammodo tenebris ſepeliri, vt cum decore maiore iucundiusq; oriantur. Quin cùm primò conderet ſolem, voluit eum antè occidere, quàm oriri; quod ex illis verbis colligimus: *Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras.* Quib. ſubiungitur: *Et factum eſt veſpere & manè dies quartus.* Si veſpere priùs factum eſt, quàm manè, ergo ſol priùs occubuit, quàm ſit exortus. Ita & Chriſtus priùs occidit, mortuus & ſepultus, quàm corpore glorioſo reſurrexit. Quod ipſe indicauit, cùm diceret: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Cecidit è cælo hoc granum in terram; abſconditum diu, non ſolùm in vtero Virginis, ſed etiam poſtquam natum eſt. Quin & mori debuit, vt poſtea in tota terrarum, immò & cæli amplitudine nomen eius celebraretur. Sic ſeminat mortale, vt ſurgat immortale, is, quem Chriſtus ipſe dixit, *agricolam* eſſe, Pater. Sic & fullones, qui pannos aut veſtes lauant, aut coloribus imbuunt; tingunt, vt educant mundatos, aut purpuratos, aut croco ebrios. An non tinxit Ioſephum, donec faceret Ægypti Saluatorem? tinxit eius tunicam ſanguine hœdi: tinxit illummet in ciſternam demiſſum, tinxit coniectum in profundum carcerem. Tum demum eduxit Ægyptijs præficiendum. Nimirum *gloriam præcedit humilitas.* Qua de cauſſa dicitur alibi: *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles, in camino humiliationis.* Humiliantur itaque & tinguntur exaltandi, & *purpura coccoq; bis tincto* ornandi.

Pſal. 36. ☞

Gen. 1. 16.

Ioan. 12. 24.

Ioan. 15. 1.

Prou. 15. 33.

Eccli. 2. ☜

Exod. 25. 4.

II.

An non tinxit Deus etiam Dauidem, à Saule toties fugatum, & tantùm non interemptum? Ita illum ſibi in regem expoliuit. Neque differt ſemper in finem vitæ innocentiæ gloriæque manife-

stationem, sed sæpe in medio etiam vitæ cursu, quasi digitum intendit in Sanctorum suorum nobilitatem. Ipse Christus in stabulo natus, in exilium fugatus, ab Herodis furore & ferro subducendus fuit; à Iudæis non Dei, sed fabri filius nominatus est: toties à Pharisæis illusus, toties cachinnis exceptus, immò ab ipsa Matre sua veste haud sanè splendida amictus est; sæpe præ inopia impransus atque incœnatus pernoctabat in oratione: postea autem quanto splendore enituit, in monte Thabor, quando ante
Matth. 17. 2. discipulos suos transfiguratus est, *& resplenduit facies eius, sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix?* Adeò plena lucis & maiestatis tunc erat ea transfiguratio, vt in eam oculos non possent intendere discipuli, qui præ reuerentia sibi timentes in faciem ceciderunt. Non itaque poterant prudenter scandalizari ignominijs, aliunde etiã illatis, qui gloriam in Deo tantam ei vi-
Psal. 36. 5. derant circumfusam. Eduxit enim quasi lumen iustitiam illius Pater; & omnia mala quæ sustinuit, abundè compensauit. Nam de quanta ignominia in quantam eum gloriam euexit, cùm *exal-*
Phil. 2. 9. *tauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt iam in nomine eius omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & inferorum?* Nomen non solùm Dei, & Filij Dei, & Messiæ notissimi & famosissimi in toto orbe, sed etiam Iesv Saluatoris, & Redemptoris; quod nomen quo modo sit super omne nomen, docui in libro de Nomine Iesv. Et par erat, vt is summum nomen obtineret, qui
S. Thom. 2. 2. q. 68. a. 3. summis fuit calumnijs appetitus. Cùm enim *calumnia sit falsa & malitiosa criminis impositio,* quid potuit vel falsius esse, quàm de eo,
Matth. 15. 17. qui *non venit soluere legem, sed adimplere,* dicere: *blasphemauit?* quid
Luc. 23. 1. malitiosius, quàm illum accusare dicendo: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari:* qui disertissimè dixit: *Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt?* quique venit, tamquam Messias, vt gentem illam saluam faceret?

III. O quàm multi sunt innocentes, quàm multi sancti! quorum virtus latet! nec latet tantum, sed etiam maculis aspersa passim traducitur? Suspicantur homines, iudicant, infamant. It rumor, & fabula per totam vrbem; & pro quibus non habentur, qui Deo sunt chariſſimi? Hic hæreticus, ille blasphemus, alius adulter, fur, mendax, perfidus, atheus habetur. Nihil, ô homo innocens,

innocens ista morare. *Reuela Domino viam tuam,* hominibus ignotam, *& spera in eo, & ipse faciet, & educet, quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum, tamquam meridiem.* Tunc enim luce meridiana clariùs & tibi, & alijs apparebit; quanta tua sit innocentia, & quàm iusta iudicia Dei permittentis lumen hoc occidere, vt tanto clariùs oriatur. Deijcit pluuiam lachrymarum, vt lux habeat, quod in germen producat. Vt enim cælestes influxus, omnia corpora Lunæ subiacentia regunt, & conseruant, ita diuina prouidentia longè altiore sede profecta, quidquid in hominibus geritur, disponit, & protegit tamquam scuto bonæ voluntatis. Quo pacto non solùm Susannæ defendit castitatem, sed etiam Deiparæ ipsius innocentiam; illius per Danielem, huius per Angelum; quo mysterium reuelante, Iosephus Dei Matrem cœpit dignis honoribus venerari. Audi Psalmistam: *Secundùm altitudinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Audi in eumdem locum S. Augustinum. *Quia,* inquit, *si aliquando non potest cælum abscondere se à protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende quòd cælum vndique & vbiq; protegit terram, & nulla pars terræ est, quæ non cælo protegatur. Peccant homines sub cælo, faciunt omnia mala sub cælo, tamen proteguntur cælo. Inde lux ad oculos, inde aër, inde spiritus, inde pluuia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia à cælo. Tolle auxilium cæli à terra, & statim deficiet. Sicut ergo protectio cæli permanet super terram, sic protectio Domini permanet super timentes eum. Times Deum, supra te est protectio ipsius. Sed fortè flagellaris, & putas quia deseruit te? Deseruit te Deus, si deseruit protectio cæli terram.* Intimè tibi adfuit, qui deseruisse videbatur. Ita enim D. Catharinæ Senensi respondit Christus, quando tentatæ, & se desertam quodammodo putanti quærentique: *Vbi eras?* dixit: *Ego tecum semper eram, vt tuas pugnas spectarem.* Sunt quædam flumina, quæ alicubi terram subeunt, sed aliunde copiosiore alueo erumpunt. Ita mergit Deus quosdam, aut mergi finit, vt alio tempore altiùs emergant. Hoc est, quod Anna cecinit: *Dominus mortificat, & vinificat, deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat.* Quod etsi non semper statim appareat, apparet tamen patienter expectanti. Si malè audis, si nomen tuum proscribitur, si innocenter

Psal. 36. 5.

Dan. 13. 45.
Matth. 1. 20.

Psal. 102. 11.

1. Reg. 2 6.

Psal. 39. 5. accusaris, si non habes defendentem, *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet, & educet, quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum*, quod sustines, immò suum, quo te exercet, *tamquam meridiem*.

IV. Quod in exemplis libet ostendere. Nam varijs prodigijs innocentes diuina prouidentia de infamia in honorem restituit. Grandis est, apud honestatis amatores, nota, quæ fornicatione
Sur. 1. Febr. contrahitur. Ea Brooni aspersa, à S. Brigida Scotica Virgine, per signum crucis abstersa est. Broonem Episcopum S. Patricij discipulum impudens mulier infamauerat, quasi ab eo prægnans facta esset; sed à Brigida accersita, & admonita, quòd non certaretur de oleastro, cùm verum dicere non vellet, Brigida signum crucis ori eius impressit. Illico igitur impuræ feminæ mendax lingua, & pertinax caput grandi tumore inflatum prodidit se calumniæ reum. Neque suffecit hoc miraculum. Nam & infantis lin-
Num. 22. 28. guam Brigida cruce signauit, itaque eum compellauit: *Dic nobis, infantule, quis tuus pater est? Stupenda res, aperit os infantis, qui quondam Balaam asinæ loquendi præstitit facultatem: aitq; parnulus: Nequaquam Episcopus Broon, sed deformis, & vilis ille homuncio, qui in populo extremo sedet loco, parens meus est.* Infante audito, omnes Deum, Deique seruum laudârunt; calumniatrix autem, & libidinis, & infamationis pœnitens in lachrymas erupit, & quod iniquè vulgauerat, iustè retractauit. Poterat hæc dici heteromolia caussa, ab altera enim dumtaxat parte calumniante agi videbatur, Broone se ipsum non defendente. Nunc videamus etiam quàm prodigiosè alius Episcopus castimoniæ suæ famam defensârit.

V. Britius Episcopus Turonensis, trigesimo iam tertio anno,
S. Gregorius Turon. lib. 2. hist. Franc. cap. 1. magnâ sanctitatis famâ, præerat Ecclesiæ suæ, cùm repentè laus omnis, arte stygis, in infamiam mutata est. Lotrix enim, ad quâ cubicularij illius vestes lineas abluendas deferre solebant, vterum ferre cœpit, ac ne hydrops esse putaretur, puerum edidit. Vt ergo pronum est ad suspiciones vulgus, illico Præsulem criminis eius reum proclamauit, itaq; vehementer exarsit, vt eum vellet lapidare. Dicebant enim ad vnum omnes: *Satis diu pietatis mantelo luxuriam tuam celauisti: non vult nos Deus diutius decipi, atque impuras manus tuas osculis nostris honorari.* Negauit Episcopus

pus id à se facinus admissum; cumq; populus ea negatione contentus non esset, dictitans, nihil assuetius esse reis, quàm vt scelera sua inficiando tegant, *Adferte*, inquit Britius, *infantem ad me.* Itur, adfertur triginta dierum infans: eo apportato, *Adiuro te*, ait, *per Iesum Christum Filium Dei omnipotentis, vt si ego te generaui, coram cunctis edicas.* Stupenda res, *ex ore infantium* prodit testimonium innocentis. Itaque vix mensem nata proles, disertè fari cœpit, dixitq;: *Non es tu pater meus.* Ibi suspicione temeraria in admirationem versa, Episcopum præsentes anxiè rogarunt, vt etiam, quisnam eius infantis esset pater, scisciteretur. Tum ille censens curiositatem miraculo indignam, *Non est hoc meum*, inquit, *quod ad me pertinuit, sollicitus fui. Vobis si aliquid suppetit, per vos quærite.* O quàm mutabile est vulgo ingenium? quia curiosis S. vir noluit reum prodere prodigiosa infantis responsione, mox admiratione in indignationē versa, id quod contigerat, magicis artibus aiebat populus contigisse. Itaque impetu facto, manus in eum injciebant, eumq; trahentes clamabant: *Non diutiùs nobis falso pastoris nomine dominaberis:* Ille igitur, vt innocentiæ suæ miraculoso testimonio calumniam patefaceret, vestis suæ sinu ardentes prunas excepit, & comitante toto populo, eas illæsis vestibus vsque ad sepulchrum S. Martini pertulit; quas postquam inibi effudit, addito illo epiphonemate: *Sicut istud vestimentū ab his ignibus videtis illæsum, ita & corpus meum à mulieris coitu est impollutum.* Igitur, ne, quando innocentes sinistra fama contaminantur, maneant indefensi, Deus linguas infantium facit disertas; & vel ignibus illustrat Sanctorum suorum castitatem; quemadmodum olim calefactam Nessi sanguine vestem, venenumque æstu excitatum adhibuit in pœnam impuritatis. Sed apud primos Christianos vsitatissimum fuit, vt ignium lustratione crimina diluerentur.

VI. Auentinus lib. 4. Annaliū Boiorum.

Certè *apud Francos sæculo post Christum octauo, in more erat, vt innocentiam suam testaturi, ferrum candens manibus gestarent. Quòd si non lædebantur, testimonium erat innocentiæ. Sin verò lædebantur, signum erat, quòd rei essent. Solebat autem ferrum candens sic consecrari: Deus index iustus, qui autor es pacis, & iudicas æquitatem, te suppliciter rogamus, vt hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem*

nem cuiuslibet dubietatis, benedicere & sanctificare digneris: ita vt si innocens (de prænominata caussa, vnde purgatio quærenda est) hoc ignitum in manus acceperit, illæsus appareat: & si culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua, in eo cum virtute declaranda, quatenus iustitiæ non dominetur iniquitas, subdatur falsitas æquitati. Per Dominum nostrum, &c. Atque hæc tantum abfuit, vt impia iudicarentur, vt sanctissimi Pontifices, principes Christianissimi, viri atque fœminæ sacratæ istas purgandi ceremonias vsurpârint. Solet tamen idem factum diuersis & ætatibus, hic pietatis, alibi erroris nomen accipere. Luithardus epistolarum apud Carolum III. Imp. Magister à Sueuorum proceribus stupri insimulatus, quòd familiarius, quàm domus Cæsareæ maiestatis postularet, cum Augusta viueret, dignitate motus, in Italiam abit. Richarda Augusta, tam sinistro rumore aspersa, candenti ferro crimen adulterij obiectum diluit. Deinde haud vmquam taclam se à Cæsare, nedum à quopiam alio mortalium violatam esse perfidè deierat. Missò ac remisso repudio, in Andalauu sacrarum fœminarum ædem, quam ipsa dedicauerat, petit, ibiq; obijt & sepulta est. Hæc Auentinus.

VII. Indicant eumdem Iustrandi morem historici probatiores. Nam, vt de S. Kunigunda Virgine, & Coniuge S. Henrici, per ignitos vomeres probatissima innocentia taceam, toto orbe decantata, Leontius certè Episcopus testatur, Porphyriam quamdam, priùs Veneris mancipium, impuram vitam duxisse, postea ab Abbate à flagitio ad continentiæ leges abductã, apud eumdem, quasi in asylo, habitasse, vt haberet custodem castitatis. Ea Porphyria, vti plerumque suspicioſum vulgus facilè ab inuidente Sanctis stygio hoste in iudicia temeraria impellitur, magnæ infamiæ dedit occasionem. Alia quædam puella, quæ mater videri volebat, infantem suum in publico exposuerat, quem, ne fame periret, Porphyria transiens, audiensq; vagientem, misericordiâ mota suscepit alendum. Et aluit domi suæ filium alterius de plateis collectum. Quid pronius fuit, quàm suspicari, feminam libidini assuetam peperisse? & peperisse prolem ab eo acceptam, cum quo cohabitaret? Hæc prima suspicio fuit. mox tacitum inter quosdam murmur. mox & rumor à mussitantibus vulgatus. Denique clara fama, vnde & ille, & illa infamis. Sed quia emendanda

Cranzius. lib. 4 Saxoniæ. cap 5. & 32. Leont. in vita S. Ioan. Eleemosyn.

danda fuit ea fama, ne & Ordini, & Ecclesiæ noxia esset, Abbas, coram centum & eo pluribus testibus, in suæ, & mulieris castitatis testimonium, ardentes iussit afferri prunas, quas veste sua copiosè susceptas tulit, nulla ignis nota relicta. Nimirum vt innocentiæ sua esset defensio, ostendit Deus, facilius esse, vestimenta castorum ab igne, quàm corpora à libidine illæsa permanere. Cùm ergo, diuina gratia muniti hoc possint; libenter Deus prodigiosè illud facit. Simile quid narrat Ioan. Vasæus. *Anno Dominica Incarnationis 530. Toleti sub Amalarico Rege concilium celebratum est, cui præfuit Montanus: Qui, vt loquitur D. Isidorus, post Celsum fuit Toletanæ Sedis metropolitanus Episcopus, vita & eruditione clarus. Is antiquissima fideliq; relatione narratur, ad propulsandam coniugalis conuersationis infamiam, candentes prunas tam diu tenuisse veste, dum sacrum perageret, eoq; peracto, nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amisisse decorem.* Nimirum vbi homines fiunt hominum calumniatores, ibi vel elementa debent esse innocentiæ testes. Ioan. Vasæus in Chron. Hisp. ad An. 530. Io.

Valde huic affine est, quod de Simplicio refert Gregorius Turonensis. Is Simplicius perpetuam cum vxore castitatem seruauerat. Electus autem in Episcopum, domi adhuc vxorem retinens, sororis loco fouebat. Quem suspicio non inuadit? & si ansam habet, non lacerat? Locus nullus tam sanctus est, quò non accedit; nullum tam sanctum tempus, quod non violat. Ipso igitur Natalis Domini die festo, ciues inter se, ex suspicione, temerè loquentes, virginis nomen prosciderunt, iraque inflammati, talibus eam verbis aggressi sunt, qualibus hodieque sectarij Catholicos sacerdotes incessere solent: *Incredibile est, mulierem viro iunctam pollui non posse; sed nec vir poterit artubus mulieris iunctus à coitu abstinere.* Altè ea Virgini verba in cor descenderunt, neque potest castitas acerbiùs verberari, quàm calumniâ impuritatis. Itaque commota iniuriæ grauitate Episcopum adijt æquali castitatis laude dignum, arculamque ferream tunc, vt fieri solet, ad hiemis rigorem temperandum glisscentibus prunis plenam penes se habens, accita famula, expansoque pallio, ardentes prunas effudit, ac ferè vnius horæ spatio tenens, tandem ita allocuta est maritum Pontificem: *Accipe & tu mitiorem solito ignem, nequaquam tuis vestimentis nociturum.* Suscepit veste suâ transfusos carbones, ad- Vide & Sophron. in Prat. Spirit. cap. 114. VIII. Greg. Turon de gloria Confess. c. 76.

huc ignitos, Episcopus, nec ab igne quidquam adustum est. Quo miraculo ita capti sunt spectatores, vt illico, supra mille, sacro baptismate initiarentur; ita calumnia eam passis in honorem, eam facientibus cessit in salutem. Quòd si sunt, qui hæc talia ad innocentiam demonstrandam ignium miracula risu excipiant, tamquam fabulosa, meminerint, tres quoque pueros in fornacem

Dan. 3. 94. ignis missos, vnde exierunt illæsi. *Et congregati satrapæ, & magistratus, & iudices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos.* Quis hæc dicet fabulosa? Si ergo Deus tunc innocentes in igne illæsos seruauit, cur nunc non possit? An non idem est Deus? Aut non æquè nunc potest calumniam passos honorare, atque olim? Enimuerò in igne perinde seruare atque in aëre? Vel vnam adhuc dabo eiuscemodi Sala-

Theodor. l. 2. mandram. *Martianus Imp. ad S. aliquando Simeonem, habitum indutus idiotæ, religionis ergò venerat: vbi ob factum quoddam obstupuit, quod accidit duobus Episcopis inter se contendentibus, Orthodoxo vno, Ariano altero. Arianus quidem dialecticus erat, Orthodoxus verò pius & fidelis. Proposuit is eam conditionem, vt relictis verborum concertationibus, rogum ignis ingrederentur: & sic ostenderent; vtra sententia magis pia esset. Cùm autem Arianus conditionem eam accipere detrectaret, ipse Orthodoxus ignem ingressus è rogo disseruit, & illæsus seruatus est.* Quo prodigio ignis religionem illustrauit, ne obscura esset, & à Catholico Arianum, tamquam scoriam ab auro seiun-

Eccli. 51. 6. xit. Potuit igitur innocens Episcopus dicere: *Et liberasti me à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.* Nemo putare debet vel tres illos pueros, vel hunc Præsulem à nulla calumnia, per flammam, fuisse purgatos: perinde est, immò plus est, si fides, quàm castitas alicuius, calumniam patiatur.

IX. Sed non omittam, etiam in hoc genere, purgatam flammis

Cæsarius lib. 10. c. 34. innocentiam, quæ docet, Confessarijs, quantumuis castissimis, cautissimè, cum feminis, præsertim leuioribus, aut suspectis esse colloquendum. Gerhungus Scholasticus Bonnensis, tempore Cæsarij, Parisijs absoluto studiorum suorum cursu reuertens, eiuscemodi historiam solebat narrare. Viri, nobilitate & potentia

inter

inter Gallos clari, familiam puella sequebatur prostituti pudoris; ac, ne retia deessent, illecebrosi vultus. Huius fascino & visco multi capiebantur. Videbatur enim ignem oculis iaculari, & passim incendijs replere intuentes. Erat in eadem familia sacerdos quidam, homo Dei & honesti amans, quem Nobilis à sacris habebat. Is, cùm vidisset vnum post alterũ seduci, atq; pessum ire, non potuit tolerare interitum tot animarum. Nactus igitur occasionem herum secretò aggressus ita compellauit. Pestis est, here, in domo tua, quæ quotidie magis grassatur; & ni actutum obuiam ieueris, totam domum corripiet. Tota enim familia tua meretriculæ istius amoribus irretitur. Quæ peccata omnia in caput tuum redundant. Tu illorum, apud Deum, reus accusaberis, quia permittis. Aut igitur hanc labem actutum è domo tua eijce; aut ego discedam, ne tantum malum cogar intueri. Motus hoc sacerdotis sui sermone dominus, puellam ad se vocat, eiq; omnia refert, quæ audierat mystam conquerentem. Illa ingenium pariter & dolum in promptu gerens, ita hero respondit: Æquo, Domine, animo hanc paterer accusationem, nisi iniquo contra me fuisset excogitata. Nam impurus iste, quia à me non obtinuit, quod non debuit, idcirco iam odit, quam turpiter amauit; & persequendo vult assequi voluptatem, quam blandienti negaui. Herus, quia satis perspectam habebat sacerdotis sui virtutem, & castitatem, haud obscurè illam mentiri dixit, & calumniam facere innocenti. Tum Thais, ô Domine, inquit, si dictis meis nulla est apud te fides, faciam profectò, vt experientia tibi ostendat veritatem. Quid femina non audet, cùm irascitur? *Mulier impudens*, ait S. Chrysostomus, *nemini parcit, non Leuitam honorat, non sacerdotem reueretur, non Prophetæ defert.* Itaque hæc vipera à domino suo recta adit ad eumdem, à quo accusata fuerat, sacerdotem, & lachrymis, quas in potestate habebat, oppleta doctè simulat, se prioris vitæ pœnitudine tangi; rogat proinde, vt de peccatis confessuram audiat. Ille, tamquam bonus pastor, de oue reducta lætus, præbet aures confitenti. Vsque adeò pestilens est halitus mulieris, vt etiam in ipso sacro tribunali possit inficere audientem. Nec sine caussa monuit sapiens: *Ne attendas fallacia mulieris, fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo gut-*

S. Chrysost. hom. 34.

Prou. 5. 3.

tur eius, nouissima autem illius amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps. Tum Sirenem audisses plorabili voce gemitus edentem, ac paullatim ad turpissimæ vitæ suæ facinora narranda venientem, eaq; ita depingentem enucleatim, vt non tam se accusare, quàm auditorem suum Confessarium inflammare velle videretur. Post aliquot ambages, tandem, omni simulatione remota, clarè incipit in hæc verba fari: Domine, vt verum non amplius cælem, eò miseriarum deueni, vt tui quoque amore ardeam, itaq; ardeam vehementer, vt nisi eum ignem, quem in me accendisti, tuo consensu extinguas, me ipsam vitamq; meam extincturus sis. Hæc audiens sacerdos cohorruit, & cruce pectori impressa se se signauit, mulieremq; verbis quibus potuit efficacissimis à se amouit. Non facilè domatur impudentia. Altero igitur die iterum adest periculosa Harpyia, iterumque hesternam repetit petitionem; eamq; vt roboret, addit pro coronide: Ni impetro, quod peto, ecce iam iam abeo, & hoc me cultro interficio. Substitit ad has minas bonus sacerdos, & aliquantulum secum tacitus deliberauit, quo pacto & ipse non peccare, & illam à violentis sibi manibus inferendis impedire posset. Silentium illud & deliberatio procacem puellam in spem erexit petitionis suæ obtinendæ. Re satis constituta, *Ecce tali die, tali loco, si volueris, tecum dormiam, dummodo te non interfeceris,* inquit Confessarius. Illa viciisse se hostem rata, plena spe & lætitijs, rectà ad dominum recurrit, eique eum triumpho retulit Capellani promissionem. Fidat aliquis feminarum taciturnitati; cùm maximè silentium videntur vel promittere, vel arctum habere, maximè garrulæ sunt, & primæ euulgant, quod in amantium dedecus redundat. Non potuit dominus ea re audita satis obstupescere, & admirari vel tam sancti viri inconstantiam, vel puellæ illius potentem audaciam. Interea tamen Sacerdos & pro sua integritate, & pro impudicæ illius salute solicitus famulo dat in mandatis, vt in designato loco lectum exstruat feralem potiùs, quàm genialem. Nam rogo similior erat, quàm thalamo. Supernè asseres erant plani, inferiùs arida ligna stramine intermixta, momento flammam conceptura; ne tamen appareret funesta strues, linteamen iussit decenter superextendi. Ita scena omni apparatâ, statuto die, & horâ conuênere ille, &

illa

illa. Nec longè aberat herus, ex insidijs ambos deprehensurus. Sed sacerdos, igne lignis straminiq́ue subiecto, & luculenta vndique flamma erumpente, in lectum vnà cum veste se se proijciens, desperatum Veneris mancipium identidem vocauit, iussitq́ue in thalamum tam illustrem venire, & secum accumbere. Puella videns incendium ex omni parte exurgere, nouumq́ue Laurentium in craticula, inter medios ignes, iocari, & tori consortem ad amplexus tam calidos inuitare, resilijt, horruitq́ue, quod tam perditè ambiuit. Vt autem voraciſſimum elementum innocentiæ castissimi viri subscriberet, more Babylonici illius ignis, sine noxa fuit. Siquidem sacerdos, Dei adiutus auxilio, haud aliter sensit illam flammam, *quàm ventum roris flantem, nec est adustus capillus eius, neq; vestimenta eius in aliquo sunt læsa.* Quod tam mirum spectaculum vbi miseranda puella vidit, & ipsa ardere desijt, geminumq́ue & libidinis, & vindictæ ignem à se excussit, scelerumq́ue suorum pœnitens, palàm est protestata, se innocentē, castum, sanctumq́ue hominem, ex inuidia, atque in vindictam accusationis iustissimæ, apud herum suum infamasse, & meretricijs artibus, in tantum vitæ & famæ discrimen adduxisse. Cessit igitur calumnia in gloriam; & ignis castimoniam non solùm lustrauit, verùm etiam illustrauit. Sacerdos autem, tamquam aurum in fornace probatus, vt & honorem fugeret, quo ob miraculum tam nobile afficiebatur, & Numini ob beneficium gratus esset, in religionem se abdidit PP. Prædicatorum; ibi tutiùs innocentiæ thesaurum asseruaturus, quem Deus voluit etiam in igne esse illibatum, vt in hac quoque vita Laurentium haberemus, qui tamquam rubus ardens incombustus admirationi esset, immò & imitationi. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Potest sanè Kunigunda aliqua, aut talis sacerdos. Non potest autem *qui ingreditur ad mulierem proximi sui*, talis enim *non erit mundus, cùm tetigerit eam.* Immò velut in ignem se ipsum proijciet admodum periculosum, *Non decet monachum*, vel etiam clericum quemcumque, *vllam habere cùm femina societatem*: ait Ephræm: *ad eam verò, quæ virginitatem profitetur, prorsus ne accesseris, si quidem vllus in te carnalis sensus viget. Nam monachum inter epulas cum fe-*

Exod. 3. 2. Prou. 6. 27.

S. Ephræm in Doctrina varia.

minis versari, idem est, ac se in ignem proijcere. Ex igne potes illæsus exire si castus es, vix tamen ex mulierum familiari conuersatione. A calumnia multos Deus per ignem purgauit, quos sciuit innocentes; nullum à culpa immunem ostendit, quem vidit esse reum.

X. Succurrit autem cælestis auxiliator innocentibus, non per vnum dumtaxat elementum. Nam & aquâ epotâ nocentes ab innocentibus Israelitis olim discriminabantur. Ritum tradit sacra pagina. Cui æmulum in aqua consecranda, ad explorandos reos vel innoxios tradit Auentinus. De quo more nos copiosè egimus alibi, vbi nõ solùm formulas consecrationis recitauimus, verùm etiam, docuimus, cur nunc modus ille ad ignem vel aquam prouocandi sit prohibitus. Neq; enim omnibus, aut quauis in causa est ad miracula prouocandum. Quod Deus, per quosdam facit, non facit per omnes. Neque desunt illi alij modi, quibus calumniæ in lucem protrahantur. Non ambienda sunt miracula, sed, si à Deo, vbi vtile, aut necesse est, fiunt, cum veneratione acceptanda, qualia in hoc genere mox plura dabimus, vbi priùs hîc historiam inseremus recentissimam, ex qua clarum fit, diuinæ prouidentiæ consilia, etiam casibus humanis vti, ad calumniantes pudefaciendos. Notissima Italiæ ciuitas est, cuius nomẽ taceo, ne familiam contaminem calumniatricis; quamquam publicè ad magistratum delatæ. Vir quidam pius, honestoque loco natus, æquè Religiosorum atque religionis amans, defuncto cognato, luculentam atque magnam erat obiturus hæreditatem, sed eam defuncti vxor hac sutela conata est auertere. Finxit se prægnantem, & mortuo marito prolem posthumam esse parituram, ad quam patrio iure ea hæreditas pertineret. Dominus ille, qui erat successurus, libenter annuit, se, quod æquum videretur, facturum, si peperisset. Tum femina, per fidelem, diligenter indagauit, an alicubi repertam recens natam sobolem posset supponere. Distabat non longo itinere pagus, in quo colonus dicebatur filium acquisiuisse, coniuge inscia, ex nescio quo pagi scorto; eumque clam vxore cupere procul inde amoliri ex pago. Cum eo colono actum est, in silentio, eique etiam pecunia promissa, si rem secretam tenere vellet: Nam optari alicubi hæredem iam diu, qui quia deesset, puerum illius, in mag-

Num. 5. 12. seqq.

Tom. 2. c. 8. §. 12. & seqq.

num

num dominum euasurum, si adoptatus, pro genuino haberetur. Quid gratius rustico, qui id ipsum optauerat, vt spurium procul à coniugis ira, & simul etiam à sua crumena amouere posset? Adit meretriciam domum, atque cum puerpera transigit, vt filium dimittat, asserens se eum quàm longissimè (& nominabat locum) amandaturum. Mater, etsi filij affectu tenebatur, tamen & famæ seruiendum, & rustico beneuolenti gratificandum putabat. Auferitur filius, & pro pretio datur fictæ matri, quæ numquam pepererat. Illa, infante accepto, fingit se media nocte enixam hæredem, absente obstetrice. Fit clamor, & tumultus in vicinia, concurritur; existit ingens gaudium, & gratulatio. Vix orto die, mittuntur, qui inuitent amicos & familiares, vt baptismo infantis interesse velint. Quin is ipse, qui in hæreditatem successurus erat, rogatur, vt Patrinus esse velit. Neque detrectat. Tingitur infans lustralibus aquis; nec quidquam omittitur eorum, quæ ad tantæ lætitiæ pertinent celebritatem; vno verbo, omnia voluptabili adorea vernant. Feminæ præsertim vndatim accurrunt ad puerperam laudandam, vt quæ partu suo defunctum sepultumq; maritum ad vitam reuocasset. Decipi possunt mortales astutia & fraudibus, numquam autem Deus immortalis, qui hominum sutelas & crepundia opportunè nouit demoliri. Inter tot gratulantium turmas præcipuè etiam gaudebat, & in sinum suum ridebat scenica puerpera, etiam hoc sibi titulo plaudens, quòd filium sine dolore partus acquisiuisset. Sed non fuit illud gaudium diuturnum. Vagiebat in cunis infans, & sitiebat, ibi putata genitrix, conscia frustra apud se quæri lactis fontes, coacta est fraudem fraudi annectere. Finxit igitur, nolle se eam molestiam sustinere, vt ipsa toties flentem lactaret. Itur ergo, & vbique inquiritur in nutricem, neque in tota ciuitate inuenitur, quæ vellet, aut posset eam operam locare. Casu itaque, immò necessitate, immò Deo ita statuente, ad illum ipsum pagum venitur, in quo vera pueri mater, filio ablato, in lacte sistendo laborabat, totius fabulæ de simulato partu ignara. Constituitur non inuita. Sed quàm primùm venit in conspectum infantis, eum agnouit, sanguine quoque ipso naturam prodente. Quin & ipse quoq; infans, veræ matri videbatur adlubescere. Erumpit illico affectus maternus, &,

tota

tota familia audiente, exclamat: *Hic meus est filius; Quis te, mi Ioannine huc casusue Deusue apportauit?* Ad quam vocem omnes cohorruerunt. Sed inprimis, quæ matrem mentita est; quæ vt dolum mendacijs tegeret, nutricem mendacij arguit. Ibi ergo lis, ibi rixa, ibi alterna mulierum conuitia; donec aduocato colono meretrix ostendit, se matrem esse, quam ille nesciebat in vrbem, ad id negotij fuisse inuitatam. Neque patuit tantùm, suppositum fuisse partum, rustico veritatem fatente: sed etiam intellectum est, puerum bis fuisse baptizatum, & in primo lauacro Ioanninum nominatum. Sic detecta fraude atque scelere mulieris, infans veræ matri restitutus, & hæreditas vero reddita est hæredi. Nullum in hoc casu fuit miraculum; cæcus tamen est, qui nullam hîc videt esse prouidentiam diuinam, quæ voluit, vno facto, iniuriam & facientis, & patientis manifestare.

CAPVT XXXVII.

Mirum Dei iudicium in agricola Voburgensi, alijsq; duobus per mortem & summam infamiam, ad summam gloriam perductis.

I. ANte Suecici belli tempora, Biburgi, in Bauaria liber peruetustus manu scriptus, asseruatus fuit, in quo monachus Mynsterienſis, sui temporis, & earum potissimùm rerum, quæ circa ea loca contigerunt, annales exarauit. In ijs monumentis legebatur historia, quam recensebo, inseramq; hic tanto libentiùs, quia sæculi nostri infelicitate, vt multa alia, ita etiam Annales illi perierunt. Habeo tamen eiusdem historiæ, præter propriam memoriam, testes complures, è quib. duos sufficiet nominasse. Primus est doctissimi nominis & diligentissimæ eruditionis, optimeq; de Bauaria meritus vir Christophorus Geboldus, qui cùm historiam illam haberet notissimam, voluit eam typis mandare, atque in lucem emittere, si prouixisset. Fecit tamen id Matthæus Raderus noster, prout eam à viris fide dignis accepit, qui rectè ad calcem historiæ adijcit: *Ego neque nomen, neque Calendas, aut Consules vllos, quib. hoc euenit, potui cognoscere. Nempe ætas illa simplex rem tantùm signauit, tempora neglexit.* Ego verò, nec tempora quidem à scriptore neglecta arbitror, sed à lectoribus

Matth. Rad. in Bau. pia, edita Anno 1628. pag. 110.

ctoribus obliuioni tradita. Nam qui oculis suis sæpius historiam illam perlegerunt Biburgi, mihi retulerunt, licet temporum non rectè meminissent. Quia igitur ea vulgò ignota est, atque etiam aliquot circumstantijs omissis alibi restricta: quin & longè pulcherrima, dignissimaque, vt ad posteros transmittatur, vtique dicturos: *Deus auribus nostris audiuimus: Patres nostri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Psal. 43. 2. Idcirco eam hîc paulo vberiùs commemorabo, seruatis ijs, quæ Raderus compendio comprehendit.

Voburgum Boiariæ oppidum est perantiquum, inter Ingolstadium & Neostadium, medio fere interuallo, cis Danubium; inde medio milliari, in loco solo, villam & arma habebat rusticus, cui Deus, præter fundum & mapale, vxorem bonam, & vxor bonos liberos dedit. O quanta est sancti coniugij felicitas! Hoc coniugum par, cetera concors, in hoc vno inter se, certabat, marituśne vxorem, an vxor maritum & labore vinceret, & pietate. Itaque bono parentum exemplo, liberi quoque benè formabantur. Quo factum est, vt villa rustica, cœnobium quoddam Religiosorum posset videri. Non ibi fabulæ aniles, non sermones noxij audiebantur, sed, vt olim, D. Hieronymi ætate, ad stiuam ipsam, ad colum, ad omnes labores, cantabatur lætum Alleluia. Hunc ipsum posset videri descripsisse Poëta, cùm cecinit: II.

Beatus ille, qui procul negotijs,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore:
Nec excitatur classico miles truci:
Nec horret iratum mare:
Forumq; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.
Ergò aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos:
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges:
Inutilesq; falce ramos amputans,
Feliciores inserit:

Horatius lib. Epodon. Ode 2.

Aut pressa puris mella condit amphoris:
Aut tondet infirmas oues. &c
Quòd si pudica mulier in partem iuuet
Domum, atq; dulces liberos,
(Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis vxor Appuli)
Sacrum & vetustis extruat lignis focum
Lassi sub aduentum viri:
Claudensq; textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet vbera:
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:

tum verò nullus Lucrina præoptet conchylia, nullus rhombũ, aut scaros. Talem ergo vxorem, talem vitam habuit colonus Voburgensis, simplicem, rectam, innocentem, beatam. Accessit pietas, cui ita deditus erat, vt nullam rem diuinam negligeret. Ad sacrum, prima die hora, alternos, iam famulum, iam famulam misit, omnibus festis; ad officium & concionem diuini verbi, ipse iuit; domi super mensa recitans, quod audiuit in templo, atque à prandio ad vesperas; diebus verò Sabbatinis, etiam ad Litanias audiendas Voburgum vsque cucurrit. Recreatio illi, non labor, erat medij milliaris iter. Neque minùs notus fuit in foro, quàm templo. In eo enim sine litibus, sine fraude, sine mendacijs, sine periurijs, tolerabili pretio omnia vendebat. Quæ res magnam illi apud omnes beneuolentiam fecit: agebant omnes libenter cum eo; ab eo libenter emebant; vendebant ei libenter, libenter etiam cum eo colloquebantur,; eoque nomen illi creuit, vt eum passim *Pium rustici*ũ appellarent. Huc vsque felicitas illius est narrata, & gratia, qua apud homines pollebat, dum de virtute æstimaretur, atque ijs rebus, quas in oculis omnium faciebat.

Apud Deum, quo loco putatis fuisse? longè meliore. Nam *cum simplicibus sermocinatio eius.* Qui quia scit, rarò homines esse gratos, sed plerumque eos plus peccare, qui plures opes ab eo acceperunt, tantò impensiùs hunc agricolam amauit, quantò eum vidit esse, in abundantia rerum, sanctiorem. At videte mihi, qua ratione Deus eum dilexerit. Opibus bene vso opes maiores adijcere

Prou. 3. 32.

cere debuisset, si iudicia illius Mundo consentirent. At ille è bono voluit facere meliorem. Itaque cruces illi immisit, & luctum planè luctuosum, sed salutarem. Nam qui olim Iobo vxorem pessimam, omnibus ceteris bonis rebus ablatis, solam reliquit; huic vxorem optimã abstulit, & Oeconomam valde pretiosam. Quam ille mortem etsi sensit grauem, non tamen impatienter tulit; sed illa sancti viri verba repetijt: *Dominus dedit, Dominus abstulit;* filiosque flentes consolatus, dixit: Deus vobis posthac, loco matris erit, qui vt ex Parocho audiui, ita alicubi loquitur: *Numquid obliuiscipotest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Viduitas igitur hæc, vt crux à Domino missa, suscepta, mox in bonum cessit. Nam paulò post experiri cœpit, quàm verum sit illud: *Qui sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quo modo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quo modo placeat vxori, & diuisus est.* Viduitate enim in occasionem maioris pietatis versa, cùm liberos in timore Dei educaret, eosque, vxoris loco, pro solatio, haberet, ecce tibi, breui momento temporis etiam hos amisit. O dolor! filij parentes, non isti filios debent sepelire. Vergebat iam in occasum ætas, indigebat baculo senectutis; sed Deus etiam hoc illi fulcrum subduxit; nempe vt alio fortiore niteretur. Hoc enim liberorum solatio amisso, gaudioque priuatus, immò velut vinculis exolutus, viam perfectionis liberiùs cucurrit, totus iam virtutis, totus sui, immò totus Dei.

Iob. 1. 21. Isa. 49. 15. 1. Cor. 7. 32.

Primùm facultates cœpit cum pauperibus habere communes; tum etiam ætate multa, multi laboris impatiente, nihil ab agris adeptus, cœpit, aruorum loco, colere paupertatem: deniq; mendicatò viuens eremiticæ vitæ amore, paruo mapali contentus solus ruri degebat, si quando in templo non moraretur, quod, Simeonis instar, frequentabat. Numquam sibi ditior visus erat, quàm cùm stipem ostiatim colligeret.

Itaque omnibus festis Dominicisque diebus Voburgum ibat, vbi rei diuinæ quàm religiosissimè, propter altare genibus flexis, Deo supplex intererat. Sacrificio peracto, finitaque concione, per oppidum circumibat, stipemque à ciuibus corrogabat. Alius illi panem, butyrum alius, alius oua, alij alia dabant, tantò liberaliùs,

liùs, quantò maiorem de eo conceperant sanctitatis opinionem. Sed frugali facilè in totam hebdomadem sufficiebat etiam modicum, si daretur. Hæc illi vita diu fuit; hæc ciuibus iam longa dandi consuetudo, qui arbitrabantur se, tota septimana, benedictionem à Deo obtenturos, si tam sanctus senex ab illis, aliquid stipis obtinuisset. Putabant enim semen esse in bonam glebam sparsum, & ad manum spargentis rediturum.

Quodam Dominico die, cùm neque in templo appareret, neque, pro stipe colligenda, limina, vt solebat, circumiret, omnium sermo fuit: *Vbi est ille senex? cur ad templum & stipem non venit? An in morbum incidit? quis eum curat? quis alit?* O beatos ciues! qui non expectant, vt ab egeno quærantur, sed vltro egenum ipsi quærunt; neque sinunt à se eleemosynas extorqueri, sed indagant ipsi vltro cui benefaciant! Ægrum suspicati, submiserunt, qui decumbentem viserent, offamque cum delicatiore edulio deferrent. Qui ierant, cùm fores diligenter obseratas offenderent, neque, sæpius pulsatis ijsdem, quisquam intus reponderet, frustra etiam multis clamoribus consumptis, Voburgum cum cibis redierunt, oppidanisque renuntiarunt, virum sanctum domo abesse, & indubiè, religionis, aut voti caussa peregrè abijsse, in loco sacro celebrique, supplicatum. Ita lapsi aliquot dies. Redeunte Dominica, & rustico ad templum non redeunte, redijt & desiderium ciuium senis videndi. Quare denuò miserunt, qui eleemosynas ad eum exportarent. Verùm denuò clausis ædibus, sicut priùs, re infecta, domum sunt reuersi. Bonorum est, omnia benè interpretari; &, vt S. Chrysostomus dixit: *Sicut difficilè aliquem suspicatur bonum, qui ipse malus est; ita difficilè aliquem suspicatur malum, qui bonus est.* Quia omnis homo ex se æstimat alterum. Quare etiam tum Voburgenses, dixerunt: Rectè est, fortasse iterum, sicut solet, ad aliquem sanctum locum peregrè abiuit; aut remotiùs, quàm vt tam citò posset se nobis reddere. Expectatur Dominica tertia, qua vbi rursum eum abesse animaduersum est, res paulatim in suspicionem venit, fortasse miserum domi suæ solum, & omni ope destitutum mortem oppetijsse. Itaque itur à familiaribus ad eius mapale denuò, pulsatur, omnia clausa silent. Communi consensu fores vi effringunt, intrant in conclaue interius.

rius. Ibi verò horrificum & lamentabile spectaculum ingredientium oculis obijcitur. Senex nimirum rigidus è tigno suspensus; neq; iam tantùm formidinem aspicientibus, sed etiam nauseam pariens, vt naribus compressis inde se proripere cogerentur.

Tum verò patuit, quid sit nominis existimatio humanis iudicijs fundata, quæ momento vertuntur, ventis mutabiliora. Nam quidam simul ac eum conspexêre, omnis prioris famæ illico obliti, hominem eum nequam appellauerunt. Quidam anteactæ vitæ memores, obstupuerunt, admiratiq; sunt, hoc isti tam sancti nominis viro accidere potuisse. Alij etiam cum indignatione dixerunt, *Nihil* adeò esse *opertum quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur*: iam tandem apparere impostoras; palàm fieri hypocrisin; hunc exitum sortiri simulatores pietatis: Nihil tam tectè geri posse, quod non aliquando erumpat in lucem. Non paupertatis scilicet, sed otij amore eum mendicasse: fœno, non butyro, alendum fuisse. Et (vt suspicio omnia in maius extollit, semperq; auget temeritatem) sine dubio magum fuisse. Itaque, vt Mundo innotesceret hominis malitia, carnificem sibi ipsi factum, Iudæq; instar desperatissimum nebulonem, ex infelici trabe se suspendisse. Tale iudicium erat plerorumque, nam & meliores facilè in tristiorem sententiam tracti sunt. Recurrunt in oppidum, & informis lethi feralem famam vbiq; vulgant. Communis vox est, animam illius iam diu apud Inferos saturatam malis; supereſſe, vt, quod desperatis debetur, etiam corpori fiat. Defertur res ad magistratum Voburgensem, qui, quod cuiuis primum occurrisset non longiùs prospicienti, αὐτόχειρον arbitratus, quasi sponte in furcam isset, pendulum, & patibularium per lictorem detrahi, & in loco supplicij publico, & adeò sub ipso patibulo, à vindice suppliciorum humari præcepit. Hic finis honoris, hoc boni nominis sepulchrum fuit; nisi quòd insuper viperææ plebis linguæ etiam acerbas illi exequias celebrârint: pœnitere se dicentes, quòd vmquã illi vel micam panis, aut quidquid aliud dedissent. Attendendum deinceps, ne eiusdem farinæ aut furfuris potiùs hominibus fides tam facilè adhibeatur: posse pecunias & eleemosynas longè vtiliùs in alios palàm miseros, quàm in eiuscemodi impostores, & hypocritas collocari. Multum temporis ijt, quo hæc tanta colo-

Matth. 10, 26.

ei illius, sub furca sepulti, posthuma infamia durauit; iamq; pro certo habebatur, quod fuerat temerarijs iudicijs vbiq; vulgatum.

Enimuerò supremus ille virtutum arbiter, scelerumq; vindex, qui iustis è cælo oculis mortalia respicit, non semper oppressam latere innocentiam passus, aut facinus tam atrox occultari, pariter & sanctum senem cælestibus prodigijs è suspicione sceleris absoluit, & nefandæ cædis authores prodidit. Nundinæ Voburgi appetebant, ad quas tum ingens hominum vis confluere solebat; alij vt merces afferrent; alij vt vel emptas, vel etiam inemptas aufferrent; alij demum, vt à viatoribus sportulas colligerent. Erant inter hos claudi, cæci, elephantiaci, qui non secus ad illam frequentiam, atque sani concurrebant. Ex his itaq; primùm orbus luminibus, dum aliena manu ductus prope patibulũ transiret, vbi innocentis coloni cadauer, non pro merito cultũ, inter infames noxiorum cineres sepultum iacebat, repentè cælesti vi lumina aperire, cælum & terram claris oculis intueri, & suam ipse insperatam felicitatem demirari cœpit. Secutus hunc, qui retortis sursum tibijs, ligneis pedibus vitium corrigebat; ergo etiam ipse, propter eumdem locum, subitò restitutis & emendatis cruribus, abiectisq; ad furcam furcis, cœpit expeditè currere & gaudio simul, vt ille olim à D. Petro curatus, exilire. Accessit demum alius fœda lepræ scabie obsitus, quam & ipse præter spem omnem, & expectationem, eodem in loco diuinitus absterfit. Hæc res tam inusitata, cùm per oppidum & viciniam latè sparge-

Act. 3. 8.

retur, varios dedit sermones. Notissimi nominis erat cæcus, crebrò enim Voburgum venire consueuerat, à quo passim interrogabant obuij, vnde visum recepisset? an aliquis medicæ artis tam peritus, inter circumforaneos, ad nundinas adueniisset? aut, vt hoc hominum genus non rarò facere consueuit, an ad eum vsque diem simulasset cæcitatem? Nihil horum, ait, factum est; sed insperatò ibi visum recepi, vbi alij desinunt videre in crucem acti. Idem respondit, qui antè grallis vsus, desierat claudicare: idem confirmauit, cui priùs ob fœdam scabiem, in oppidum, nisi mendicandi caussa, intrare fas non erat. Iniecit hæc narratio curam pluribus maiora cogitandi, & ex loco ipso augurandi, profectò illum nuper innoxium senem & rusticum non debito sibi, sed in-

coruorum

coruorum templo tumulatum. Educuntur omnes, vt locum sanitatis receptæ monstrent; ibi & qui cæcitatem posuerat, & qui rectè gradi cœperat, & de quo turpes squamæ ceciderunt, vestigium ipsum monstrant suæ salutis. Compertum est, tumulum fuisse, in quo suspendiarius fuerat humatus, cuius innocentiam prodigiosæ sanitates palàm fecerunt.

O quàm parum refert, quo quis iaceat sepulchro, dummodo anima illius in inferno non sepeliatur! quàm multi marmoreo in hypogæo conduntur, quorum animæ flammis æternis cruciantur? quàm multi in siluis, in aquis, in ignota arena iacent, immò sub ipso patibulo putrescunt, quorum anima admirabili gloria cælesti triumphat? Neque refert, homines de mortis, aut tumuli facie iudicare: sæpe & illi à Deo docentur suam corrigere temerariam opinionem. Quod etiam huic rustico euenit. Nam vbi intellectum est, è tumulo illius miracula bullire, velut, vento mutato, nubes in contrarium eunt, ita mox omnium sermones iudiciaque sunt in diuersum conuersa. Rursus enim per hæc miracula, reuiruit existimatio sanctitatis. Itaq; in totis nundinis, nullus ferè sermo, nisi de sene: illi luculentam in sepultura iniuriam factã; illum pium, Deo charum fuisse; satis id prodigijs declarari; non tumulo ascribi posse eas sanitates, sed tumulato: Iustum DEVM esse, qui hominum innocentiam, suo tempore, patefaciat, nomenque sanctorum illustret, quod hominum maledicentia obscurauit. Tametsi autem suspensus, & desperato similis, laqueo extinctus inuentus sit; multa tamen eiusmodi, sine scelere, euenire; nam solitarios sæpe, sub finem vitæ perturbationibus obrui, sæpe apud se non esse; & agere, quæ se agere nesciant. Nempe hæc diuina esse iudicia, quæ, illaudata in speciem morte, rationisque vsu deprauato, Dei maximis seruis occasionem præripiant superbiendi: multos vitio corruptos sibi manus inferre, & facere ea, quæ insani solent, ne sibi animo præsentes, Orci insidijs fraudibusq; exponantur.

Dum talia passim in oppido dicuntur, audiuntur, interim euenit, quod hanc vulgi coniecturã certam & manifestam ostendit. Duo fures, illis ipsis nundinis, dum apud mercatores in foro, artem Mercurij & suam exercent, & quinque digitis emere conan-

conantur, quæ alij precio præstinare consueuerunt, à magistratu comprehensi, atque in vincula amandati sunt. Hi è custodibus carceris audiunt, quæ cæco, quæ claudo & elephantiaco, proximè patibulum, sub quo infons ille conditus erat, contigissent, quæq; passim in vrbe de illius vita, deque morte, ancipiti trutina, disputarentur; miraculo attoniti (tanta vis est conscientiæ) rem detegunt in eum diem inauditam; nempe senem nequaquam suæ necis authorem extitisse. Et quando alioqui moriendum sit infurto deprehensis, satius esse, aiunt, rectè mori, luereq; vno supplicio scelera vniuersa. Se enim, non fures modò, sed etiam, quod non rarò consequitur, latrones esse: à se rusticum illum fuisse trucidatum. Atq; vt omnem rei seriem magistratus cognosceret: Dum noctu hinc inde grassamur, inquiunt, explorareramus huius senis, quantumuis inane tuguriolum, & aurum latere ex collecta largitorum manu suspicati, per tenebras, mapale inuadimus; refringimus postes, orantem inuenimus, & manus ad astra subleuantem; quas ab astris ad nos tetendit, quando adesse armatos conspexit. Qui cælum exorauit, nos non exorauit. Inuadimus miserandum senem; vtráque manu correptum astringimus; mortem intentamus, atque omnia vltima minamur, nisi aulam auro grauidam, & collatum sibi peculium omne prodat. Negantis, sibi quicquam æris aut argenti auriué esse, collo funem injcimus, & innocentissimi senis, animã, fracta gula, impiè, crudeliter elidimus; proiectoq; primùm cadauere, omnes cellæ angulos, stramenta, lectulum, vestes excutimus, nec hilum tamen de pecunia, quam nullam habuerat, reperimus. Hac spe frustrati, optauissemus quidem illi vitam reliquisse, apud quem prædæ nihil repereramus, perpetrata tamen cæde, in consiliũ ijmus, quomodo nefarium scelus tegeremus, omnemq; latrocinij suspicionem à nobis remoueremus. Placuit, corpus interfecti è trabe suspendere, vti visentibus opinionem ingereremus, infelicem hominem, vitæ tædio & miseriarum, vltro sibi mortem consciuisse. Tum oppessulatis intus fenestris, & reducta clausaq; domûs ianuâ, profugimus. Nunc prô dolor, intelligimus, non modò pauperem à nobis occisum, sed etiam innocentem & sanctum. Omnino enim credimus, tres illos, iuxta patibulum non aliunde, sed illius opecuratos

curatos esse, vt innocentis cædes, & nostrum latrocinium diuinitus proderetur. Hæc rei, eousq; occulti, de se ipsis sunt, deque sancto viro testificati, vt Deo gloriam darent, pariterque & famæ alterius, & suæ saluti consulerent. Senatus Voburgensis Pontifici Ratisponensi, in cuius diœcesi oppidum est, prodigium nuntiat, qui examinatis per vicarium totius rei testibus, reque diligenter explorata, tandem ipse Ratispona, cum sacro sacerdotum ordine, & frequenti hominum concursu ad eumdem locum supplex processit, corpus effodit, Voburgum deportauit, atque in æde Xenodochij venerabundus deposuit; vbi vir rusticus olim, iam cœli aulicus, multis deinceps beneficijs in homines supra naturæ vim collatis nobilitatus, & cultus est. Parricidæ verò illi cùm propter hoc, tum alia facinora vltimo supplicio affecti sunt. Hæc partim è Radero, partim ex alijs, qui ante Raderum historiam vel legerunt, vel fusiùs descripserunt.

Clarissimum est in hac historia documen-tum; & magnum à diuinis iudicijs solatium; quæ si colonus iste non habuisset perspecta, potuisset dicere: Cur Deus à me aufert vxorem? cum qua tam pacificè habito? qui tamen alijs relinquit vxores, quas illi è vita excedere millies optauerunt? Nempe Deus colonum hunc ad maiorem voluit ducere vitæ perfectionem. Potuisset dicere: cur meos à me aufert Deus liberos, quos in omni probitate educaui? Nempe Deus sciuit illos à malitia deprauandos, si peruixissent; aut patri occasionem præbituros à pietate recedendi; cui placuit omnia à colono auferre virtutis impedimenta, vt de solo Dei cultu cogitaret, imitatus patrem, qui cultrum puero etiam lachrymanti eripit, ne eo se lædat, aut vulneret. Potuisset dicere senex: Ergo in hoc pauper fui factus, vt apud me diuitiæ, per sanguinem meum, quærerentur? in hoc tam diu vitam meam Domino consecraui, vt illam mihi parricidæ extorquerent? in hoc denique Deum honoraui, vt ego pro simulatore, pro hypocrita, pro mago, pro desperato, pro suspendiario vbique proclamarer? Hæc omnia non dixit: quia Deo sua iudicia permisit; quæ tantæ sunt sapientiæ, vt per illam ipsam humiliationem, per ignominiam, per infamiam, illum tantopere exaltarent. Sic sanctitas illius eluxit; sic patientia probata est, sic homines ipsi errores suos didice- III.

runt agnoscere atque emendare. Viderunt enim & suam in iudicando temeritatem, & aliorum sanctitatem, quos temerè iudicauerunt.

IV. Cæsarius lib. 6. illustr. miracul. c. 33.

Vtitur Deus ijsdem modis sæpius, sæpius enim pari infamiæ genere homines sauciantur. Vt igitur historiam historiâ confirmemus, Audi Cæsarium. *In Ferraria ciuitate Longobardiæ, ante annos pancos, erat homo quidam Marcadellus nomine, miræ simplicitatis, & erga Sanctorum loca maximæ deuotionis: Qui cùm ob nimiam simplicitatem à multis pro fatuo haberetur, & in oculis DEI esset prudentissimus, quidquid de suis laboribus vltra necessitates natura reseruare poterat, illud in visitando limina beati Iacobi in Compostella, aut Beatorum Apostolorum Petri & Pauli fideliter expendebat. Tempore, quo potuit, hominum pecora pauit, & cùm præ senectute ad hoc minùs sufficeret, ostiatim mendicando eleemosynis fideliũ victitabat. Non recedebat ab Ecclesia, dum diuina in ea agerentur, vnde ab omnibus amabatur. Qui, cùm feruentiùs versaretur in quadam villa dictæ diœcesis, & in ecclesia eiusdem villæ thuribulum argenteum negligentiùs pendere conspexisset, timens tam damnum Ecclesiæ, quàm suæ conscientiæ, ait Sacerdoti; Non securè hîcpendet tale thuribulum. Dicente illo, quia multis annis sine periculo illic pependisset, Respondit Marcadellus: Sæpe hoc vna die euenit, quod in mille annis non contingit. Quid plura? Instinctu Diaboli thuribulum subtrahitur, non tamen Marcadello furtum imponitur. Quod cùm fur, Domino prohibente, & seruo suo occasionem Martyrij præparante, vendere non posset, nec auderet, sciens hominem esse simplicissimum, & Ecclesiæ illius notissimum, eum secretè adiit, & quia ipse idem rapuisset vas, priùs tamen recepto sacramento ne se proderet, sibi confessus est: Cui ille respondit; Da mihi thuribulum, & ego illud nullo sciente bene restituam, &, si necesse fuerit, etiam animam meam ponam pro te. His auditis, fur thuribulum ei tradidit, quod ille fœno inuolutum, sacculo suo immisit. Qui cùm plus solito præfatam Ecclesiam frequentaret, vt thuribulum cautè, & sine nota in locum suum reponere posset, die quadam nimiâ tempestatum violentiâ à foribus Ecclesiæ, quæ tunc clausa fuerat, depulsus vicinæ domus solatium expetere cogebatur, sæcelli sui oblitus: quem homo quidam pertransiens leuauit, & cuius esset non ignorans, vxori suæ seruandum commisit, vt Marcadello quæ-*

renti

renti illum restitueret. Quæ sacci ponderositatem sentiens, marito respondit; Non potest tanti ponderis esse panis, puto quòd ex nimiâ simplicitate illum impleuerit lapidibus. Apertoq; sacco, cùm thuribulum in eo reperisset, & subito clamore vicinis inuentum prodidisset, accurrit populus, accurrit tandem & ipse Marcadellus. Requisitus de sacco, cuius esset, mentiri noluit, sed respondit; saccus meus est, sed quod in eo est, vestrum est. Ego thuribulum furatus non sum, non tamen furem prodam. Et recitauit eis per ordinem, qualiter ad se aduenerit, & quid furi promiserit. Dicentibus eis; Lex est Longobardia, vt vel furem prodas, vel furis pœnam subeas; respondit; in manibus vestris sum, quod iustum est, facite de me. Illi sibi prospicere volentes, hominem Ferrariam ducentes, potestati obtulerunt, casum exposuerunt, innocentiæ eius, ac simplicitati testimonium bonum perhibentes. Quem cùm iudex inducere non posset, vt furem publicaret, capituli sententia super eum data, ante fores maioris Ecclesiæ, tamquam sacrilegij reus, decollatus est; cuius corpus à quibusdam in eodem loco sepultum est. Nocte sequente, cùm quædam religiosæ matronæ ciuitatis ad Ecclesiam, propter matutinarum solemnia irent, venissentq; ad tumulum eius, cantus angelicos illic audierunt, cereos ardentes viderunt, insuper & suauissimi odoris fragrantiam senserunt. Quod cùm secunda, & tertia nocte pleniùs comperissent, quæ audierant, vel viderant, seu etiam senserant, Episcopo ciuitatis retulerunt. Qui cùm esset vir religiosus, aliquibus secum assumptis, cùm nocte quarta esse ita, vt mulieres dixerant, experimento didicisset, super tumulum hominis Dei basilicam fabricari fecit, & fiunt ibi miracula vsq; ad hodiernum diem, ad laudem nominis Christi.

Quid his talibus exemplis vult diuina sapientia aliud, quàm V.
vt *in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa* 2. Cor. 6. 4.
patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, &c? per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam, &c. Nemo desperet, nemo pusillanimis fiat, si oculis humanis despicitur, si suspicionibus petitur, si temeratur iudicijs, si nomen illius vbique diffamatur; si denique morti addicitur innocens; nouit Deus *iudicium* vniuscuiusque, *tamquam meridiem*, Psal. 36. 6.
& iustitiam, tamquam lumen educere. Sicut enim Christus, qui à Iudæis toties spretus & illusus est, in monte Thabor resplenduit,

instar solis, & alij sancti antè humiliati, quàm exaltati sunt; ita iis contingit, qui honorem, nomen, famam, amorē hominum, ipsam vitam innocenter amittunt. Humiliantur, vt exaltentur: affliguntur, ne mercedem hîc accipiant; aut ne illecebris inescati, cælestia bona minùs desiderent. *Vites, quæ putatæ non fuerint à vinitore,* ait S. Hieronymus, *in flagella frondesq; luxuriant, & humorem, quem debuerunt in vina mutare, vana frondium & foliorum ambitione dispergunt.* Esto ergo lachryment palmites, cùm secantur, tantò tamen copiosiorem vindemiam proferunt. Sic homines, *euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Metuunt sancti, in prosperitate, nôrunt minantis vocem esse: Dimittam vineam meam, & *non putabitur, nec fodietur.* Talem igitur se se esse puter, qui non putatur. Parua vulnera libenter ferrem, inquis, sed famam sauciari, sed nomen lædi, sed in carcerem mitti, sed occidi, intolerabile est. Vocant me hypocrytam, cùm oro; Pharisæum, cùm eleemosynas largior; auarum, cùm frugaliter viuo; furem, cùm non soluo, quæ non possum; imputant mihi impuritates, libidines, adulteria; coram magistratu me accusant: damnor, ducor: æterna mihi posterisque meis nota inuritur. Hæc omnia, si innocens es, scito tibi ad gloriam futura. Sicut colono Voburgensi, sicut Marcadello calumniæ, in honorem cesserunt. Numquid & ille hypocrita vocatus, & iste tamquam fur damnatus fuit? Et, si sacras repetere historias placet, numquid & Beniamin de scypho ablato accusatus est? numquid de adulterio Ioseph? numquid Susanna à senibus coram magistratu, & amicis, & tota ciuitate, fuit de adulterio mortis rea declarata, atque iam ad supplicium tamquam infamis mœcha abducta? Ast quanto honore reducta, & innocens, casta, heroiceque constans declarata? Numquid & ipsam Dei Matrem prægnantē dimittere voluit Ioseph? Numquid Christus ipse cum iniquis deputatus, & in medio latronum, tamquam homicidarum princeps, in crucem suspensus? quid patibulo magis infame? At quantus nunc Virginitati Mariæ passim decantatur honor? quanti triumphi Christo sunt decreti? Tibi igitur quoque, quisquis innocens es, & pateris more nocentis, Deus honorem restituet. Quod si in hac vita id non facit; facturus est tamen,

S. Hieron. c. 30. Oseæ.

Psal. 125. 6.

Isa. 5. 6.

Gen. 44. 12.
Gen. 39. 14.
Dan. 13. 41.

Matth. 1. 19.
Matth. 27. 38.

tamen, coram toto Mundo, in iudicio vniuersali; in quo, sicut multi, qui nunc Sanctorum instar coluntur, tunc reprobandi; ita qui cum ignominia decedunt, cum gloria apparebunt. Tu tantùm *revela Domino viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum, tamquam meridiem.* Omnes martyres, tamquam rei, immò tamquam religionis & deorum extirpatores, infamissimis suppliciorum generibus affecti sunt; sed eos Deus, etiam corum Mundo ita extulit, vt illis nihil glorioſius existat. Per mortis infamiam, tamquam per solitudinem; per sanguinem, tamquam per mare rubrum, ducti sunt ad vitæ gloriam in terra benedicta recipiendam. Psal 36. 5.

VI.

Hæc eos roborant ad patientiam, qui sine sua culpa ab hominibus, quasi rei iudicantur, damnantur, proclamantur. Ad quorum damnationem iniustè factam intelligendam, etiam illud magnum pondus addit, quòd neque in illis semper vera iudicia fiant, qui publica authoritate, atque, vt aiunt, secundùm allegata & probata damnantur. Etsi enim tum magistratus iustitiam non videt, sed faciat, quod leges iubent; tamen non rarò Mundi Gubernator falsos testes sinit innoxijs calumnias facere; vt tamquã aurum in fornace probentur; atque vbi eorum manifesta fit innocentia, homines videant, quantum possit in alijs iudicandis re ipsa errari. Neque enim martyres dumtaxat, ob Christi religionem, iniquè damnati sunt ad mortem, sed plurimi quoque de furtis, de adulterijs, de latrocinijs, de veneficijs atque alijs vitijs grauissimis falsò accusati, ob delatorum malitiam, & subinde etiam, ob iudicum ignorantiam, proscripti, aut supplicijs ignominiosissimis exquisitissimisq;, per summam iniuriam, affecti sunt. Quorum mors postea aut ipsis, aut sanctis, aut Deo fuit glorioſa. *In antiquissima ciuitate, quam S. Dominici Calciatensis vulgus appellat,* inquit Lucius Marinæus, *gallum vidimus, & gallinam, qui dum vixerunt, cuius coloni fuissent ignoramus: postea verò cùm iugulati fuissent, & assi, candidissimè reuixerunt, magnam Dei potentiam referentes. Cuius rei veritas, & ratio sic se habet. Vir quidam probus, & amicus Dei, & vxor eius optima mulier, cum filio eius adolescentulo magna probitatis ad S. Iacobum Compostellam proficiscentes in hanc vrbem itineris labore defessi ingrediuntur, & quiescendi gratia restiterunt in do-* Lucius Marinæus lib. 5. de rebus Hispan. cap. vlt.

in domo cuiusdam, qui adultam filiam habebat. Quæ cùm adolescentem pulchra facie vidisset, eius amore capta est: Et cùm iuuenis ab ea requisitus, atque vexatus, eius voto repugnasset, amorem conuertit in odium, & ei nocere cupiens, tempore quo discedere volebant, eius cuculli craterem sui patris clam reposuit. Cumq; peregrini manè discessissent, exclamauit puella coram parentibus craterem sibi fuisse surreptum. Quod audiens prætor, satellitem confestim misit, vt peregrinos reduceret. Qui cùm venissent, puella conscia sui sceleris accessit ad iuuenem, & craterem eruit è cuculio. Quapropter comperto delicto, iuuenis in campum productus iniqua sententia, & sine culpa laqueo suspensus est: miserique parentes, cùm filium deplorassent, postea discedentes Compostellam peruenerunt. Vbi solutis votis & Deo gratias agentes, subinde redeuntes ad locum peruenerunt vbi filius erat suspensus: & mater multis perfusa lacrymis accessit, multum dissuadente marito. Cumq; filium suspiceret, dixit ei filius: mater mea noli flere super me: ego enim viuus sum, quoniam Dei Genitrix & S. Iacobus me sustinent, & seruant incolumem. Vade charissima mater ad iudicem, qui me falsò condemnauit, & dic ei, me viuere propter innocentiam meam, vt me liberari iubeat, tibiq; restituat. Properat solicita mater, & præ nimio gaudio flens vberiùs, Prætorem conuenit in mensa sedentem, qui gallum & gallinam assos scindere volebat. Prator, inquit, filius meus viuit, iube solui, obsecro. Quod cùm audisset Prator, existimans eam, quod dicebat propter amorem maternum somniasse, respondit subridens: Quid hoc est, bona mulier? Ne fallaris: sicenim viuit filius tuus, vt viuunt hæc aues. Et vix hoc dixerat, cùm gallus & gallina saltauerunt in mensa statimq; gallus cantauit. Quod cùm Prator vidisset, attonitus continuò egreditur, vocat sacerdotes, & eius proficiscuntur ad iuuenem suspensum, & inuenerunt incolumem, valdeq; lætantem, & parentibus restituunt, domumq; reuersi gallum capiunt & gallinam, & in ecclesiam deferunt magnâ solennitate. Quæ ibi clausæ, res admirabiles, & Dei potentiam testificantes obseruantur, vbi septennio viuunt. Hunc enim terminum Deus illis instituit, & in fine septennij antequam moriantur, pullum relinquunt & pullam sui coloris, & magnitudinis, & hoc fit in eâ ecclesiâ quolibet septennio. Magna quoque admirationis est, quòd omnes per hanc vrbem transeuntes peregrini, qui sunt innumerabiles, galli huius

& gallinæ

& gallinæ plumam capiunt, & numquam illis plumæ deficiunt. Hoc ego testor, propterea quòd vidi, & interfui, plumamq; mecum fero.

CAPVT XXXVIII.

Ephræmo iuueni, Diacono, item Ioanni Eremitæ, aliisq; iustè vtiliterq; immissa carceris calamitas, ob aliam tamen causſam, quàm quæ eos capiendi occasio fuit.

HIstoriam quam narraturus sum, ex parte Surius è Simeone Metaphraste, ad longum autem is qui opera S. Ephræm edidit, eamq; ijs adiunxit; imò ipse S. Ephræm, itemq; indidem Matthæus Raderus noster paulò Latiniùs descripsit, retulitque & Io. Niess. Est autem historia de sancto Ephræm, quem Deus miraculis, Ecclesia nomine *Sancti* illustrauit, &, teste S. Hieronymo, Diaconum Edessenum, Anno Christi 365. sub Valente Principe mortuum, tanti fecit, vt eius opera, quæ sanè plurima scripsit, in Ecclesijs, post lectionem Scripturarum, publicè legi solerent, quemadmodum suprà notauimus. Hic Ephræm Syrus ortus Christianis parentibus, ab infantia ad virtutem educatus fuit, assuetusque malorum æqualium falsa contubernia vitare. Totum illius studium erat, meditatio diuinarum litterarum, quæ illi inter summas delicias habebatur; nec ei quidquam dulcius fuit, quã sacra verba ruminare. Mirus in eo laboris amor; solicita otij fuga; ieiunij, vigiliarum, humicubationum acris cura: benignitas, lenitas, humilitas, abiectio opum, paupertatis cultus, fides, spes, charitas vbique ardentissima. Lachrymæ illi perpetuò fluebant ex oculis, adeò, vt perennis fontis scaturigo citiùs defecisset. Vnà cum lachrymis emittebantur etiam gemitus, ostendentes intus ardentem ignem conpunctionis. Vt se ab hominibus mundanis *elongaret fugiens*, in solitudine habitauit, mutatis tamen subinde alijs atque alijs locis, vt vbique virtutem seminaret. Impulsus est aliquando diuino spiritu, vt in patriam suam Edessam proficisceretur, tum ad sacras reliquias, tum ad loca sancta visitanda, tum vti in aliquem eruditum virum incideret, quemadmodum orauit Deum, à quo aliquid disceret, quod ad animæ suæ instructionem pertineret. Ingressus ciuitatis portam totus in eo erat,

I.

Surius 1. Feb. Matth. Rad. in p. Virid. die 1. Febr. Ioan. Niess. in Alphabetho Christi, Littera N. S. Hieronym. lib. de script. Eccles.

Psal. 54. 8.

eo erat, vt, quid cum tali viro sanctis moribus aptissimum colloqui vellet, cogitaret. Sic cogitabundo statim prostituti pudoris mulier occurrit, in quam Ephræm, cùm sic præter spem incidisset, constitit, defixis eam intuens oculis, & quasi emotæ mentis tristisque, quòd non, vt precatus fuerat, sed contrarium potiùs euenisset. Fœmina, cùm sic ab eo se vidisset curiosè obseruari, noluit superari curiositate, quare in eum vicissim oculos amatoriè coniecit, petulantiam ipso vultu professa. Diu sic fixi stetêre, atque se inuicem aspexêre, diuersis tamen de caussis. Nam illa corpus, Ephræm animã cupiebat lucrari. Quare vt eam in ruborem daret, atq; ad verecundiã, quæ mulieres maximè decet deduceret: *Quid verò*, inquit, *non erubescis, mulier, tam fixis oculis me intuens?* Quid expectes? linguam, tamquam sicam, mulier habet in promptu. Extemplò igitur ait: *Conuenit mihi te sic aspicere, ex te enim sumpta sum, & tuo latere. Te verò, non nos, sed terram potiùs oportet aspicere, ex qua ipse sumptus es.* Hæc cùm Ephræm, præter omnem expectationem, audijsset, mulieri confessus est, magnas se habere gratias, propter eam, quam ab ipsa acceperat, sermonis vtilitatem. Deoque etiam gratias egit, qui per ea, quæ præter spem accidunt, sæpe potest facere, quæ ipsam spem superant.

II. Hoc in vita illius non exprimitur, sed in operibus ipsi⁹ Ephræm ab ipsomet narratur tom. 2. p. 162. tom. 3 p. 599.

Videtis Dei erga Ephræm curam? videtis, qualis Ephræm ipse fuerit? Audite nunc quæ Deus huic viro permiserit contingere; immò quæ immiserit adhuc iuueni; & audite ipsum apud suprà citatos scriptores, his ferè verbis ea enarrantem. A parentibus in suburbium missus aliquando, in medio nemore, à nocte oppressus sum. Opiliones, qui gregem in silua pascebant, occursantes quærunt, quò sub imminentem iam noctem tendam? Missu parentum, inquam, ad suburbium illud propero. Diuerte, inquiunt, ad nos; occiduum iam solem vides, prima luce reliquum viæ decurres. Victus humanitate, pastorũ mapalibus successi. Sed, intempesta nocte, ouilib. insidiatæ feræ gregem inuasêre, tota silua distulêre. Postera die magistri pecoris caulas inanes conspicati, me furibus ducem rati, nequidquam Diuûm hominumq; fidem implorantem prætori vinctum sistunt, qui custodiæ mandatum, duobus reis adiunxit, quorum vterq; exors criminis, cuius affinis putabatur; occulta tamen vindicta Numinis vtrumq;

nis vtrumq; prosequente, in suspicionem alter cædis, alter adulterij inciderat. Iam quadragesimum diem in carcere trahebam, cùm se dormienti species ephebi vultu formidabilis offert, qui me tamen placidè affatus: Ephræm, inquit, quis te casus tulit in vincula? Domine, inquam, aspectu tuo perculsus totis artubus contremisco, fatiscoque. Pone metum, inquit, & causam vinculorum expone. Domine, inquam, missu parentum in suburbium festinabam, sed tenebris occupatum custodes pecoris in tugurium inuitarunt; interim de nocte gregem lupi inuadunt, ac tota silua dispergunt. Hinc ego, postera luce, à pastoribus arbitrantibus, ductu meo prædones ad ouilia penetrasse, ad prætoria vinctus, quamuis insons meramque calumniam passus, raptus sum. Heu quali me portento inuoluit fortuna? an potiùs Deus, sine cuius nutu nihil accidit?

Quid hîc vlteriùs Ephræm vel dicere potuerit, vel cogitare, facilè quis de seipso conijciet. Nam iam parentum, ex amissione filij tam chari, dolor illi ob oculos versabatur; iam carceris pædor, & diuturnitas; iam innocentia conscientiæ certò scientis, se hîc ream non esse; iam torturæ metus; iam malitia aut suspicio tam pernicioſa pastorum; iam iudicis seueritas; iam ipsius Dei omnia videntis, & prohibere tantam iniuriam potentis, durissima permissio. Multi vsque ad impatientiam, & blasphemias prorupissent, dixissentque, *Qui non deliquit, decet Audacem esse confidenter proſe, & proteruè loqui.* Non fecit tamen hæc Ephræm. Sed se suaque omnia DEO permisit, & ad preces confugit; mansuetaque oratione ephebo querelam obtulit, se esse innocentem. Hîc mihi iam adeste, quicumque vos sine peccato esse putatis, & innocentiam semper obtenditis, Deumq; de iniustitia, & peccato arguere vultis, quoties vobis aliquid est patiendum; quoties contumelia, iniuriaque irrogatur; quoties filius moritur; aut villa incenditur. Nimirum *nulli mortalium iniuria sua parua videntur: multi eas grauius æquo habuêre.* Plaut in Amphitr. Sallust. in Catilin.

III.

Angelus (aliud enim non fuit Ephebus ille) audita adolescentis Ephræm querela, renidenti vultu: Noui, inquit, ego te extra crimen hoc positum, impactamque tibi puram putam calumniam; sed nondum satis versatus es in diuinis iudicijs agnoscendis.

Senec. lib. 1. de ira.

scendis. *Nemo inuenitur, qui se possit absoluere, & innocentem quisq; se dicit, respiciens testem, non conscientiam.* Disce ergo iustum esse tribunal Numinis, nihilque, sine graui caussa, malorum hominibus immitti. Talibus semper hominem vel erudit, vel polit, vel plectit. In plurimis id euenit.

Nec enim fortuna querenda
Sola tua est: similes aliorum respice casus,
Mitiùs ista feres.

Exemplo sint gemini illi iuxta tecum vinculis constricti, ambo eius, cuius insimulantur, noxæ immunes, sed percunctatus intelliges, cur illos in custodiam æquitas diuina dari permiserit. Hæc fatus adolescens, ex oculis abijsse visus est. Expergefactus ego simul ac dilaculauit, compello vtrumque. Qui vos, inquam, fratres in hanc caueam casus compegit? Cædis, inquit alter, accusor, & cædem nullam vmquam feci. Ego, alter inquit, alterius violasse torum dicor, cùm feminam alienam numquam attrectârim. Enim verò quid aliàs à vobis olim peccatum est? aut cuius caussa in has ærumnas permissu Numinis deuoluti estis? Ante non multos dies (inquit ille falsæ cædis reus) cùm extra mœnia flumini pontem impositum transirem, secuti me alij duo in ipso ponte altercari cœperunt, gliscenteque sensim rixâ ad manus venêre, vbi valentior alterum de ponte in subterfluentem vndam præcipitauit, & se subduxit: Ego propter alueum inambulans illi cum fluctibus luctanti, opemque meam vltimis votis & lachrymis suppliciter imploranti manum facilem non porrexi, passus infelicem diu multumque frustra contra torrentem niti, &, me præsente spectanteque, vorticibus fluminis abripi & hauriri. Hinc, opinor, ira cælestis me iustè persecuta in hos calumniæ casses & vincula coniecit. Dein alter falsa adulterij suspicione circumuentus: Et ego, inquit, meum vobis facinus exponam: Biennium est cùm gemini fratres defunctis parentibus amplissimam hæreditatem adierunt, à quibus, nondum diuisa sorte, soror orba & vidua suam partem exigebat, quam inficiaturi sororem instituerunt calumnijs opprimere. Fornices innocenti vagamque libidinem obijciunt; negare illa, & iureiurando affirmare, se puram & omnis culpæ expertem; instare illi, se testibus conuicturos, nocentemq; patri-

patrimonio exturbaturos. Benè sibi conscia soror condicionem admittit. Conueniunt me fratres, paciscuntur quinquaginta aureos in calumniam, spondeo, præsentibusque fratribus & sorore, alijsque testibus, iureiurando confirmo, scortum esse, eiusque rei me conscium iuro deieroque. Ita mulier paterna hæreditate & patrimonio spoliata est; & simul innocens per nos infamiâ notata. Hoc meum facinus, adulterium, de quo postulor, numquam cogitaui. Et te, inquiunt, quæ causa nobis socium vinculorum adduxit? Narraui de ouium grege à feris direpto meque eo nomine inculpatum esse.

Postridie prætor sontes ad Tribunal sisti iubet, & quæstionibus subijci. Primus de cæde & vi appellatus constanter negat factum. Torqueri iussus eâdem constantia perseuerat in tormentis. Soluto primo, secundus pro adultero habitus ducitur, parique ratione tortus adulterium inficiatur. Ego interim metu propè exanimatus trepidabam & pauebam, magnamque vim lachrymarum profundebam, vt qui perinde me, ac cæteros ad supplicium quæstionum adductum scirem. Quin & lictorum turba me lamentantem petulanter irridere, & dictis incessere. Serò ploras, improbe puer, tum plorandum erat, cùm scelus admisisti, iam nunc in medium & tu proditurus es. Quæ vox adeò vulnerauit animum meum, vti tantùm non defectus ante mortem morerer. Tandem pronuntiatâ in duos sententiâ, videri Innocentes, absoluti sunt ac dimissi. Ego imperio prætoris reductus in custodiam. Alteros 40. dies ibidem exegi, cùm tres alij in eumdem meum carcerem compinguntur, reuersusque ad me ille adolescens, qui mihi per quietem visus erat, &, Ephræm, inquit, percontatus es ex duobus illis, quid peccauerint? Ego verò, inquam: & prolixè exposui omnia, quæ ab ijs didiceram. Intelligis ergo Iudicia Dei iusta? En duo hi gemini illi fratres sunt, qui sororem falsa stupri criminatione oppressam bonis paternis exuerunt. Tertius est ille, qui de ponte hominem in flumen deiecit, cuius vi ac impetu abreptus interijt. Ego mox vt illuxit, adortus singulos, de singulis quæsiui, qua culpa fuerint comprehensi; & in neruum dati? Cùm alij cædem falsam, alius adulterium nequidquam causaretur, & omnes se innoxios dictitarent, Regredimini, inquã, in memoriam IV.

æui antè acti, & annales vitæ vestræ recognoscite; fortè iam olim aliquid peccâstis, nec dum expiâstis. Hîc illi fassi calumniam sorori factam, & ademptam hæreditatem. Tertius depontanum illum à se in aquas præcipitatum dixit. Extorta à singulis confessione, aperui, quæ cognoueram de alijs, qua illi narratione attoniti formidare cœperunt vindictam diuinam.

V. Insequenti die Quæsitor omnes ad publicum Tribunal adduci præcipit; vbi, spectante toto populo, rotarum gyris adstricti diuque excarnificati facinora sua omnia ediderunt; cædes, adulteria, calumnias; lataque sententia, me præsente, in furcam acti

VI animas exhalârunt. Quid mihi tunc animi, quis sensus ac trepidatio fuit? Lictores enim, age puer, inquiunt, non ita quæstionem, vt nuper, euades; quibus ego externatus mortuo propior, quàm viuo videbar. Dein prætor, puerum, inquit, veste spoliate, spoliatum loris à manibus pedibusque distendite, neruisque bubulis mactate. Hîc ego cælum mille votis onerani, Deumque infirmis precibus placare conatus, religionem professurum spopondi, si me præsenti supplicio eximeret, & vinculis expedito salutem expediret. Audire mox Dei clementia visa lacrymabiles gemitus meos. Ex Concilio Iudicum primus monet prætorem, vt, si videretur, in aliud tempus cognitionem reijceret meæ causæ. Prandij horam esse, reducor ergo oneratus ferro in vincula, aliosque dies quinque supra viginti in custodia solus exigo. Cùm ecce tibi rursus ille iuuenis (haud dubiè tutelaris Genius) mihi iam tertium adstat & compellans: satisne credis iam, inquit, Iusto Dei Iudicio mundum administrari? Nec quidquam contra æquitatem ab eo fieri? plus satis, inquam, intellexi *Mirabilia opera Domini, & inuestigabiles vias eius.* Nec enim tantùm intellexerat, quàm iusto Dei iudicio in carceris sui socios fuerit animaduersum; sed prima statim vice, qua Angelus ei apparuit, digitum intendit ad caussam tantæ calamitatis, miserum scilicet pecus, quod crebra lapidatione confecerat; quam caussam ipse etiam ceteris captiuis ingenuè detexit.

VI. Nam mense vno antè, quàm in carcere daretur, quid fecerit ipse sic narrat: Cùm puer, inquit, sanè malè moratus, iussu parentum suburbium peterem, repertam in saltu buculam fœtu grauidam

nidam cœpi crebra lapidum insectatione eò vsque persequi, donec onere ventris & cursu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam cessit. Ego cœptum prosecutus iter obuiam habui iuuencæ dominũ, vltimæ sortis & fortunæ hominem, solicitè pecudem amissam vestigantem, meque peramanter salutantem; rogantemque an aberrantis alicubi bouis vestigia in silua deprehendissem? Ego, vt me extra suspicionem facti ponerem, nullo dignatum responso, insuper etiam contumelijs oneratum dimisi. Altero pòst mense eamdem viam remetiri iussus in nemore à nocte interceptus, & his malis exceptus sum, Deo delictum vindicante. Postquam ergo & agnouit malum suum meritum, & socijs vinculorum id aperuit, tandem tertia vice apparenti Angelo, laudata diuina æquitate, supplex factus, obsecro Domine, dixit, qui me tam clementi affatu in vltimis his periculis & ærumnis meis dignatus es, assere me ex vinculis in pristinam libertatem, ego tibi vicissim totum vitæ meæ æuum deuoueo despondeoq; : monachum profitebor, & in omni vita sincera fide Deo seruiam. Subridens ille: semel dumtaxat adhuc ad Tribunal sistêris, & missionem accipies. Ah! Domine, inquam, minas & plagas Iudicis pertimesco, & reformido. rursum ille placidè: tam grauiter te peccasse non oportebat; nunc quoniam, ob improbitatem tuam, tu ipse te his calamitatibus implicasti, quid agam? Enimuerò non multa patieris, succedet huic nouus prætor, qui te missum faciet; & cum dicto recessit. Anxius ego propter euentus incerti exspectationem. Post quartum diem nouus Prætor magistratum init, parentibus meis familiariter notus; qui octauo, quàm inierat præturã, die quærit ex præfecto Carceris, quos teneret in vinculis. Neminem, inquit, præfectus, præter puerum. Productum in quæstionem agnoscit, & nihilo seciùs ex legum præscripto causam cognouit, & absolutum dimittit. Ego præter exspectationem absolutus rectà in montem profectus ad venerandi senis pedes procubui, statuq; vitæ & diseriminis explicato in verba religionis & monachi iurani. Hæc fere pleraq; Raderus, post suprà nominatos. Quæ clarè commonstrant, homines sæpe se ipsos fallere, dum putant, se innocentes. Etsi enim in ea re non deliquerint, ob quam carceri addicuntur, aut alio

pacto accusantur, damnantur, puniunturúe; tamen Deus scit, videtque eos aliunde pœnam commeruisse, qua proinde illos finit plecti. Itaque si cui malè aliquid succedit, si mittitur in lapicidinas, si venit ad Charontis ianuam, si fit vel hosti miserandus, si malis mala succedunt; non dicat, se innocentem pati. Esto non fecerit, quod fecisse dicitur; tamen aliquid patrauit, ob quod nefastum diem est meritus. In titulo homines errant, non errat Deus in supplicio. Immò sæpe, vbi culpam vel nullam, vel non nisi exiguam agnoscit quispiam, ibi diuina statera scelus reperit. Ephræm ludens vaccam occidit, & ecce quàm diuturno carcere, quantoq; tormentorum, ac ipsius mortis discrimine ludum illum luit? Ludunt & alij quotidie; sed ita ludunt, vt ij, qui excubias agunt in Naupacto: rident, dum peccant; vt dum non peccant, fleant. Sinit enim Deus iustissimè iniurias iniurijs compensari.

VII.

Sim. Metaphrastes. 1. Iulij.

Simile quiddam accidit magno illi alioquin eremitæ Ioanni, qui ob minùs grauem caussam, iustam tamen, vt Simeon Salus indicauit, iam duci iussus erat. Historia apud Simeonem Metaphrastem his verbis narratur: *Malefici quidam fecêre eadem, acceptumq; corpus per fenestram proiecêre in domum priùs dicti viri, maximè pij, & Dei amantissimi. Cùm itaque non paruus exortus essot tumultus, res delata est ad Magistratum. Is verò tulit sententiam, vt in furca suspenderetur dominus Ioannes. Cùm ergo abiret ad mortem, nihil apud se dicebat aliud, nisi: DEVS Sali adsis mihi in hac hora. Cùm Deus autem vellet eum seruare ex tali sycophantia, venit quidam, & dicit Abbati Simeoni: O miser, ille tuus amicus dominus Ioannes ducitur ad furcam. Certè si moriatur, tu fame moriere: Nam nemo tui curam gerit vt ille. Dicit verò ei quoq;, quemadmodum sit contextum crimen cædis. Cùm se itaq; tamquam stultum gessisset Abbas Simeon, dimisit eum, qui hoc illi dixerat, & secessit in locum occultum, vbi semper orabat: quem nemo sciebat, nisi amicus eius, pius, & DEI amans Ioannes. Flexisq; genibus Deum rogauit, vt ipse liberaretur à tali periculo. Cumq; ij, qui eum eduxerant ad suspendium, peruenissent ad locum, vbi erant posituri eis furcam, ecce occurrunt equites & dicunt, vt is soluatur: quoniam inuenti erant, qui eadem re verà fecerant: Absolutus itaq;, recta cucurrit ad locum, vbi sciebat Abbatem Simeonem semper orare. Cumq; eum vidisset procul manus*

ad cælum

ad cælum extendentem, extimuit. Iurabat enim, se vidisse globos igneos, ab ipso in cælum ascendentes, & circa eum in orbem tamquam clibanum ardentem, adeò vt non appropinquârit, donec perfeciſſet orationem. Cùm is autem conuersus eum vidisset, ei dixit: Quid est, Diacone Ioannes? prater dimensum bibisti? sed vade, ora. Hæc autem tibi accidit tentatio, quoniam venerunt ad te duo pauperes: Cumq; tibi suppeteret, quod eis dares, eos es auersatus. Non enim tua sunt, quæ das, ô frater. An non credis ei, qui dixit, illum qui elargitur, esse centuplum acceptu-rum in hac vita, & in futura possessurum esse vitam æternam? Atq; si credis quidem, da. Si autem non das, manifestum est, te Domino non credere. Ecce verba Sali, id est, fatui, vel Sapientis potiùs Sancti. Accidunt multa mortalibus mala, capiuntur, in vincula compinguntur. Non putent se innocentes. Si in re alia nulla deliquerunt, satis est, fuisse immisericordes. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Nec sanè Ioannes diaconus, sed Salus pro eo orans auditus est. Tantum porrò crimen in homine alioqui Sancto, Ioanne diacono, iudicatum est, non dedisse egeno cùm posset, vt furcâ illi fuisset expiandum. Quàm multi non dant, cùm possent? parui id faciunt? Audiant S. Ambrosium: *Hoc est occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia denegare. Cane, ne inter loculos tuos includas salutem inopum: tamquam in tumulis sepelias vitam pauperum.* Prou. 21. S. Ambrosius Psalm. 118.

VIII.

Vidistis iusta iudicia Dei, quibus Ephræm sibi, virum tam sanctum præparauit, & Ioannem exercuit? Vestri imaginem vidistis: quippe & vos Deus vult ad gloriam comparare. Audiant & ruminent has historias animalia munda; immò & immunda, vt munda fiant. Audiant & expendant diuinam in ira clementiam, quicumque, dum vestem, pecuniam, equum, aut aliud perdiderunt, dum grando fruges percussit; dum alter innocentes calumnia affecit, infamia fœdauit, etiam apud iudices, falsa accusatione damnum intulit, vincula procurauit; qui vicinos habent conuicijs assiduis lacessentes, asperum dominum, crudelem maritum, rixosam coniugem; qui etiam ab hoste capti rigidè barbareque tractantur; qui aduersa hæc impatienter ferunt, angore canescunt, sibi capillos euellunt, vnguibus genas lacerant, flent, eiulant, solatium nullum admittunt; queruntur vbique, irascun-

irascuntur, excandescunt, blasphemijs Deum aggrediuntur & maledictis; in omnes eius creaturas execrationem spargunt; immò desperant, ac Deum sui oblitum arbitrantur. Audiant, inquam, has historias, & discant, in rebus aduersis, non iacturam fortunarum, honorum, nominis, valetudinis, libertatis, non calumniantes, non ipsam calumniam, aut iniuriam, sed altiora Dei consilia considerare. Non culter, sed animus chirurgi est aspiciendus. Sæpe in brachio aperitur vena, vt febrilis ardor abeat è capite. Pisces sunt in mari, teste D. Ambrosio alijsque, qui Aquilonibus vndas sursum ac deorsum vertentibus, procellosissimis intempestatibus, ne in exitium abripiantur, rupi adnatant eique coniunctissimè adhærent, donec desæuiant vndæ, & ad pristinam redeant tranquillitatem. Inter mortales quoque sæpe væsaniunt venti, & horridæ tempestates excitantur. Alij linguis, alij dexteris; alij verbo, alij ferro vulnerantur; quid tunc faciendum? ad diuinam prouidentiam iustitiamq; recurrendum est; neque ab ea latum vnguem recedendum, donec tempestas serenetur. Ita fecit Dauid, qui maximis malis agitatus dixit: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Assonat D. Augustinus inquiens, *Cùm inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor, & labor, & viua erit vita mea plena te.* Non dolebo, tamquam de iniuria, sed tamquam de medicina gaudebo; memor illius: *Mala, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt*, sicut Ephræmium compulerunt. *Prouidentia Dei omnia gubernantur*, ait D. Hieronymus, *& quæ putatur pœna, medicina est.* Amara sæpe medicina est, nec tamen repudiatur, tantus est amor sanitatis: Non aspicit ægrotus manum serui porrigentis potionem, sed artem Medici illam præscribentis. Quare & nos, cùm sanamur, dicamus; *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Esto porrigant illum Iudæi, Pater tamen dedit, à Patre nihil est Filio formidandum. Itaque nulla salubrior in aduersis cogitatio est, quàm Dei filijs suis omnia salubriter prouidentis. Non aspiciendi inimici, sed Deus amicus permittens inimicos, vt in nos insurgant; qui eis solùm dat potestatem nocendi, non voluntatem; voluntate autem mala eorum vtitur, sicut medicus viperæ veneno. *Sola est diuina vis*, ait Boëtius, *cui mala quoque bona sunt, cùm eis competenter vtendo,*

Psal. 72. 28.

S. Augustin. lib. 10 Confess. c. 20.

S. Hieronym. super Ezech.

Ioan. 18. 11.

Boët. l. 4. de Consol. Phil. pros. 6.

vtendo, alicuius boni elicit effectum. Cùm ergo malus nocet, sua voluntate nocet, non sua potestate: voluntas mala est ab illo, potestas, non est ab illo, sed à Deo, qui illi, bono fine, dat potestatem exercendi malam voluntatem. *Sæuiant modò inimici*, ait S. Augustinus, *humilient, faciant non quidquid volunt, sed sicut desuper permittuntur, non quòd Deus det illis voluntatem nocendi, sed potestatem. Vnusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi; vt autem possit nocere, non habet in potestate. Vt velit, iam reus est: vt possit, occulta dispensatione prouidentiæ Dei, in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem; in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam, quo modo permissi sunt alienigenæ capere populũ Israel, quia peccauerunt in Deum. Ad probationem permissus est diabolus in Iob: probatus est autem Iob, confusus est diabolus. Ad coronam verò permissi sunt persecutores in Martyres.* Sæpe etiam ad pœnam, non illius culpæ, quæ ab aduersario impingitur; sed illius, quæ à patiente ignoratur. S. Augustin. in Psal. 29.

Hæc talia si considerassent, ob aduersa & persecutiones vel laqueo, vel gladio, vel simili desperatione perditi, malis benè vsi ad frugem redijssent. Redijt Ephræm, agnouit enim Deum in castigatione amantem, non ex odio castigantem. *Crudelis est medicus*, ait Hipponis Antistes, *qui exaudit hominem, & parcit vulneri, & putredini. Matres, quo modo fricant in balneis ad salutem filios? nonne paruuli clamant inter manus earum? Illæ ergo crudeles sunt, vt non parcant, non exaudiant lachrymas? Nonne sunt plenæ pietate? & tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & Deus noster plenus est charitate; sed ideò videtur non exaudire, vt sanet, & parcat, in sempiternum.* Quàm vtilis hæc vsura, expendere denarium, ne expendamus talentum. Amat Deus, quos sic castigat. Qui autem castigantem odit, neque Deum amat, neque seipsum: immò malum geminat, cùm impatientia nouum mereatur. Pulchra in hanc rem fabula narratur. Solebant quodam in oppido à certis cœtibus excludi omnes quacumque corporis parte vitiati, erantque constituti, qui de illorum (si qui fortè obrepisse comperirentur) singulis vitijs, multæ nomine, singulos numos exigerent. Hi aliquando in claudum inciderunt, exegerunt igitur ab eo multam, quam, leuem licet, noluit dare; cùm ergo renitentem inuaderent atq; in- IX. S. Augustin. in Psal. 33.

iectis manibus comprehenderent, animaduerterunt, etiam esse scabiosum. Duos ergo iam ab eo postulabant nummos. Etiam tunc illo refragante, apparuit quoque lippitudo oculorum: Tum isti, iam tres dabis nummos, inquiunt. Egóne? ait ille, pugnabo potiùs. In luctâ illâ detecta est hernia quoque. Tum exegêre tandem nummos ab eo quatuor, qui si vnum dedisset, liber ire potuisset. Sic plurimi leuibus malis impatienter toleratis, grauiora, & conduplicata sibi accersunt; quemadmodum fertur Laomedonti quondam accidisse, qui equis traditis, quos Herculi promiserat, se, & suos conseruare potuisset, quibus denegatis, non illos postea solùm, sed etiam vrbe vi rapta regnum amisit. Pari pacto, qui castigari à Deo nolunt, ob sua delicta, nihilominus castigantur, & regnum insuper cælorum amittunt.

X. At culpam non agnoscis? Nec Ephræm agnouerat; beneficium fuit, plecti, vt agnosceret. Multi periculosissimè ægrotant, qui se sanissimos arbitrantur. Primus sanandi gradus est, morbum patefacere. Deus dicere potuit: *Quis me arguet de peccato?* Ioan 8. 46. Nos id dicere non possumus. *Quis enim*, ait S. Augustinus, *non egrotat in hac vita? quis non longum languorem trahit? nasci in hoc corpore mortali, incipere ægrotare est.* S. Augustin. in Psal 102. Insanus est, qui hîc se sanum iudicat. *Si dixerimus quoniam non peccauimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. Quis me arguet de peccato?* ais. Angelus tuus, diabolus tentator tuus, conscientia tua te arguet de peccato: ipsa Dei pœna te arguet; quæ plerumq; homini scelerum memoriam refricat. Ita fratres Ioseph, post triduanum carcerem, proditores habiti, quamuis nullius sibi proditionis conscij, 1. Ioan. 1. 10. *locuti sunt ad inuicem: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. E quibus vnus Ruben, ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audistis me? en sanguis eius exquiritur.* Genes. 42. 21. Diu antè factum crimen sciuerant nondum esse deletum è memoria: cuius omne malum vindictam interpretabantur. Ita & Ionas coorta sæua tempestate: *Tollite, me*, ait, *& mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Ion. 1. 12. Vtinam & nos hunc spiritum haberemus! quàm æquis

æquis animis aduersa omnia exciperentur? Dicuntur de te, quæ numquam cogitasti? discute sinum & vide, an non & tu de alijs dixeris aliquando, quæ non cogitarunt. Suspicantur te homines iniustum, furem, impurum? examina conscientiam, an non & tu talia de alijs fueris suspicatus? Fraude circumuentus es? in pectore tuo circumspice, an non & alij à te fuerint circumuenti. Torum tuum alius polluit? sed tu quoque antè torum alterius polluisti. Deijcit te de dignitate, de loco, de officio alius? alios prior ipse deiecisti, aut longè designasti grauiora. Sed in hoc aut illo facinorum genere iniuriam pateris? iniuriam iniurijs scito fuisse compensandam: si nocens esses, de quo accusaris, non antiquum tuũ crimen, sed illud ipsum lueres, de quo accusaris. Noli ergo Deum vrgere de peccato, aut de iniquitate, sed te ipsum, si exagitaris; culpam agnosce, si pœnam sentis. Quòd si culpa est tibi occulta, scito nihilominus à Deo iustissimo neminem frustra puniri. Audi ipsum Apostolum: *Nihil mihi conscius sum, inquit: sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me Dominus est.* Plus videt, quàm tu, ô homo, plus illi crede, quàm tibi: & quoties iratum animaduertis, sancti illius verbis illum placa: *Domine lux mea, inimici mei de me fecerunt quacumq; voluerunt; percusserunt, nudauerunt, polluerunt, corruperunt, vulnerauerunt, & ocicderunt me, quia recessi à te*: itemque: *Domine quoniam tu es, qui fecisti me, noli exterminare me, tantùm cæde vt proficiam, non vt deficiam, tantùm tunde vt producar, non vt comminuar.* Hoc discrimen est inter testam & aurum; testa cùm tunditur, frangitur; aurum etiã tusum extenditur. Sic homines praui pœnis fiunt peiores & pereunt; probati, cùm castigantur, emendantur. Et multi malis docti, cum Ephræm mundo nuntium remiserunt; ne rursum peccantibus aliquid deterius contingeret; vel saltem icti sapuerunt.

1. Cor. 4. 4.

S. Augustin. lib. soliloq. cap. 6.

Qualem ego virum cognoui, in quo eruditio cum ingenio certabat, qui cùm ad perpetuum carcerem damnatus, in se se descendisset, Dei cœpit agnoscere iudicia, ac me audiente ingenuè dixit, se in libertate constitutũ cogitasse; enimuero, an Deus esset, sæpe dubitasse. Carcer ergo, in quẽ alia de causa coniectus, de qua conuictus non est, illi dubium exemit, & mentem reddidit. Nam vel ex hac pœna agnouit, esse Deum scelera punientem, neque

XI.

vidit iam se diuino dumtaxat, sed etiam humano auxilio indigere. Custodia igitur illi schola fuit humilitatis, quam nisi didicisset, ligatis manibus & pedibus in carcerem æternum mittendus erat, quod ex quorumdam sententia (licet nonnulli salutem eius in dubio relinquant) Asæ regi plagis inemendato euenit. De quo legimus: *Ægrotauit Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Dormiuitq; cum patribus suis.* Nequaquam autem credibile est, eum cum patribus ad limbū abijsse. Debebat namq; *Dominum quærere in infirmitate sua*: idcirco enim immittit Dominus hominibus infirmitates, vt cùm sua culpâ infirmantur, diuinæ opis imploratione fiant fortiores.

2. Paral. 16, 12.

CAPVT XXXIX.

Sapientissimos quosq; tam Ethnicorum, quàm Christianorum, sponte honorem fugisse, aut reliquisse.

I. Vsque adeò iustas Deus inuenit causas, ob quas hominibus honores neget, auferat, in ignomiam conuertat, siue ita mereantur, siue digni sint laude; vt ipsi etiam homines, si sapiant, ista mundi vana magis, quàm splendida ornamenta suspecta habeant, contemnant, fugiant. *Tolle iactantiam*, ait S. Augustinus, *& omnes homines, quid sunt nisi homines? Quòd si peruersitas seculi admitteret, vt honoratiores essent quique meliores: nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius est ponderis fumus.* Huius tamen fumi, hoc est, honoris, famæ, laudis, gloriæ, tamquam boni cuiusdā externi, dominiū est quoddā, non quasi homo sit dominus notitiæ, quam alius de illo formet; sed quòd quantum quidem ad famam attinet, sit dominus illius dignitatis moralis, qua idoneus est in aliorum mentibus bonam sui æstimationem, aut saltem non malam fundare, & immunitatem habere, ne alius possit malam de ipso opinionem formare. Quod autem ad honorem attinet, homo est dominus iuris ad immunitatem, ne inhonoretur. Hoc ius ad famam & honorem etsi maximi sit faciendum, tamen honor ipse tamquam fumus à plurimis non est maximi factus, sed spretus, & contemptus. Quod cùm etiam in Ethnicis possit ostendi, tamen maximè eluxit in Christianis. In

S. Augustin. lib 5. de ciuit. c. 17.

S Thom. 2. 2. q 64. a. 5. ad 3. & q 73. a 4. ad 3. Molin. tract. 4 de Iust. d 2 Less. l. 2 de virt. cap 5. n. 59. Illefonsus Messia l. 2. de vera & falsa glor. c. 16.

In Ethnicis ista occurrunt. *Periander Corinthius, initio popu-* II.
lariter ac moderatè gerebat imperium, postea versis moribus tyrannicè Chil. 2. cent.
agere cœpit. Idsimul atq; cognitum esset Pittaco Mytilenæo, diffisus de sui 1 Erasm. in
ipsius animi constantia, magistratum deposuit, relictoq; imperio in exi- prouerb. ex
lium abijt. Percontantibus deinde quibusdam, quâ gratiâ fugisset im- Laertio lib. 1.
perium, respondit, quòd admodum esset arduum, probum esse, propter
mutatum Periandrum: quibus auditis, Solon addit suum apophteg-
ma, χαλεπὰ τὰ καλά. Lysiades Megalopolitanus (vel Lisiades) suæ Plutarch. in
ipsius patriæ Tyrannus, non deliciarum cupiditate vel auaritia in eam Arato, &
delapsus violentiam fuerat, sed gloriæ amore adhuc adolescens excita- Paulanias in
tus, sermonibusq; falsis & vanis, qui de tyrannide, vt re beata & miri- Archadicis.
fica, referebantur, in animum celsum stolidè admissis. Ast vbi Tyran-
nidem parauit, breui molestiarum, quas trahit secum dominatus, pertæ-
sus est. Itaq; cùm suspiceret gloria celebrem, & insidias tenentem time-
ret Aratum, induxit animum pulcherrimè se mutare: ac primùm
semetipsum explicare odio, metu, stratione, & satellitibus, deinde bene
mereri de patria. Accito igitur Arato, deposuit dominationem, contri-
buitq; ciuitatem suam Achæis. Hinc extollentes eum Achæi prætorem
creauêre. Eius rei caussa cùm à Lacedæmonijs in prælio interfectus es-
set, à Cleomene rege pulcherrimè ornatus Arcadibus remissus fuit ad
sepeliendum. Cùm Diocletianus iam ætate prouectiori mobilitatem for- Carolus Si-
tunæ, tamquam solertissimus & sagacissmus princeps contemplatus es- gon. de regn.
set, decreuit imperio se abdicare, & priuatus viuere: vtpote qui disce- Italiæ.
ret nihil esse difficilius, quàm scire bene imperare. Ad hæc ætas imbellis,
& rerum humanarum instabilium metus, quæ rarissimè continuo suc-
cessu ad exitum eodem tenore perueniunt, suaserunt Diocletiano impe-
rium deponere. Diocletianus verò mirâ difficultate ferum & asperum
Maximiani collegæ ingenium frenauit, vt ei consentiret. Qui etsi natu-
ra ferox erat, naturam tamen suam frangens, consilijs Diocletiani
obsecutus est. Igitur eodem die, cùm iam conueniissent Reipub. habenas
innioribus mandare, Diocletianus Iouius Nicomediæ, Herculius Maxi-
mianus Mediolani, imperiales fasces deponunt, Constantio & Galerio
Maximiano Augustis priùs appellatis, anno Salutis 307. rem memora-
tu admirabilem, & prioribus sæculis non visam peragentes. Cùm post
decem annos, quibus priuatus vixit, Diocletianus a Constantino ac Lici-
nio vocaretur ad festa nuptiarum Constantinæ, causatus senectutem per

litteras, scripsit se priùs peste liberatum, nolle iterum venena imbibere. Satis se pro Repub. elaborasse: nunc verò in patria sua, hoc est Salonis holera serere, hortum curare, & privatum agere malle. Cùm verò hi Imperatores rescripsissent minacibus litteris, se non admittere excusationem, quòd fauisset Maxentio ac Maximino, suspectans necem dedecorosam, dicitur venenum hausisse. Quidam tamen dicunt, stupore mentis & longa aegritudine confectum, animam inter suspiria efflasse. Vixisse dicitur quibusdam sexaginta octo annis: nonnullis Lxxiii. secundùm quosdam, duobus de octoginta. Imperauit annis viginti. Mansit privatus Salonis, rei rustica indulgens annis decem, & post mortem inter divos relatus est; more scilicet Ethnicorum, qui eum honorem, quem reipsa conferre non poterant, fingendo decernebant.

III. Hi tres, primus exemplo, alter laboris adiuncti tædio, tertius diffidentiâ fortunæ coronas abiecerunt, sceptra atq; imperia calcarunt. Non igitur tanti fecerunt honores, quibus se sponte abdicarunt, vt ob eos amissos, ad restim currerent, aut Deorum suorum accusarent iniquitatem. Quin adeò oderunt vel Ethnici honorum ambitiosos amatores, vt eos palàm perstringerent exponerentq; chachinnandos. Antisthenes, cùm Platonis superbiam notare cuperet, fortè in pompa equum hinnientem frementemque aspiciens, ad Platonem versus aiebat: *Tu profectò, meo iudicio, præclarus fuisses equus.* Est enim equus animal superbissimũ, &, vt pauo *laudatas explicat alas;* ita caballus phalaris ornatus, & manuum plausibus velut palpo percussus, aures arrigit; hinnitque ad gloriæ occasionem. Quid verbis vtor? neminem minùs honoribus dignum arbitramur, quàm qui honores ambit: illum autem sapientem putamus qui populares auras, & famam laudesq; inanes spernit; immò qui honores patriæ bonoq; publico postponit. Quemadmodum Athenienses studio conseruandæ Græciæ imperiũ classis, quod illis iure debebatur, Laconibus permiserunt, socijs ita volentibus, ne seditio aliqua oriretur, cùm ad Artemisium cum 271. nauibus, contra Xerxis innumerabilem classem pugnaturi essent. Quod exemplum vtinam nostra militia imitaretur, in qua videmus, multos alioqui præclaros Duces antè patriam deserere, quàm æmulo cedere; neque hosti irrumpenti obsistere velle; ne videantur iuniori, aut recentiori in militia ces-

Bruson. lib. 6. cap. 5.

Herodot. l. 7.

tia cessisse. Quem isti honorem merentur, quibus potior est præcedendi, quàm vincendi gloria? *Quorum vita*, vt Epicharmus dixit, *est vter inflatus?* Plinius certe, vt ab origine nostra humilem nobis ipsis sensum infigeret, ita scripsit: *Miseret atque etiam pudet æstimantem, quàm sit friuola animalium superbissimi origo, cùm plerumque abortus caussa fiat odor a lucernarum extinctu. His principijs nascuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidem eius existimas, sed partum: tu cuius semper in victoria est mens, tu qui te Deum credis, aliquo successu tumens, tanti perire potuisti: atq; etiam hodie minoris potes, quantulo serpentis ictus dente: aut etiam, vt Anacreon Poëta, acino vuæ passæ: vt Fabius senator prætor, in lactis haustu vno pilo strangulatus. Is demum profectò vitam æqua lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit.* In hunc modum Ethnicus suam expendit vilitatem. Vide Clem. Alexand. 4. Strom cap. 4. Plin. lib. 7. hist. c. 7.

IV.

Sed multò adhuc illustriora sunt, apud Christianos, exempla honoris repudiati, aut depositi. Nimirũ ab ipso Christo, magistro humilitatis, profundiora illi virtutis fundamẽta didicerunt. Quid enim eo humilius, qui videns, quòd Mundi superbia eò vsq; ascendisset, vt Dei maiestatem sibi homines vsurparent, voluit hominis formam accipere, vt profundissima humilitate insolentissimã superbiam curaret? Itaque non in regia, sed in stabulo natus, inter bruta animalia in præsepio iacuit; non purpura, sed communis panni tunica vestitus incessit; cùm eum regem facere vellent, fugit; opprobrijs satiatus est; accusatus falsò, iudicatus iniustè; crudelissimè interfectus est; & cum iniquis deputatus, infami genere mortis affectus, inter latrones, in furca, medius pependit. In hoc exemplar inspicere nos iubens Apostolus ait: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo IESV: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Nempe per hanc viam itur ad gloriam; dumq; falsus honor contemnitur, ad verum & perennem peruenitur. Vt ergo, qui se comunt, adhibent speculum; ita qui se Deo adornant, Matth. 11. 29. Luc. 2. 7. Ioan. 6. 15. Phil. 2. 5.

Chri-

Christum sibi proponunt imitandum; vt discant se humiliare, & cum illo volunt exaltari. *Michaëlis senioris parsimoniam exosi milites cum populo, Imperatorem salutarunt Isaacium Comnenum, patriarcha adiuuante ac comprobante: qui cùm Comneno plurimum faueret, Imperatorem senem regia egredi iussit. Cùm Imp. Pontificibus à Patriarcha missis dixisset: Quid mihi pro Imperio redditis? Hi verò cæleste regnum illi pollicerentur: illicò abiectis Imperij insignibus, regia exiit, cùm non amplius vno anno imperasset: postq; hoc non diu superstes, vitam cum morte commutauit.* Non hic sponte quidem imperium deposuit antè, quàm intelligeret, quid eius loco esset receepturus; postquam autem intellexit, *illico abiectis Imperij insignibus regia exiit.*

V. Rosweid. lib. 5. libell. 15. de Humilit.

Vtiq; igitur magnum habuit ereptæ sibi dignitatis solatium. Quis enim non ærea aureis commutaret? Quo fine etiam in vitis Patrum senex quidam dixit: *Qui plus quàm dignus est honoratur aut laudatur, amplius patitur detrimentum; qui autem non fuerit omnino ab hominibus honoratus, hic desuper glorificabitur.* Immò, qui cælestem gloriam sperant, in ipsa solent ignominia, in vinculis, in squallore carcerum summam gloriam collocare. *Obsecro vos ego*, ait Apostolus, *vinctus in Domino, vt dignè ambuletis* Ephes. 4. 1. *vocatione, qua vocati estis.* Grandia persuasurus, vt sibi authoritatem faciat, titulum grandem apponit: *Ego vinctus in Domino.* Alius dixisset: *Ego Dei gratia Princeps, Rex, Imperator, &c.* At Paulus ait: *Ego vinctus in Domino.* Præclarum honoris nomen, in ergastulo, in Tulliano, in vinculis esse, vbi solent fures & latrones attineri. Numquid ob hoc potiùs contemnent te Ephesij, ô Paule? cur non scribis: *Ego Doctor gentium?* cur non: *Ego qui ad tertium raptus sum cælum?* cur non: *Ego qui tot miracula feci?* &c. Alius sibi nomen facturus, annulos digitis inseruisset, torques aureos collo iniecisset; tu compedes & vincula iactas; quam hæc insignia tibi reuerentiam procurabunt? Apud filios huius sæculi nullam, apud filios Dei maximam. Si enim glorioſum est, multas aduersas in pectore cicatrices, pro patria acceptas, posse ostendere; quid erit, *propter Dominum alligari, ter virgis cædi, lapidari, catenis ferreis oneratum in loco tenebroso atque horrido iacere?* non ob rapinas, non ob abacta pecora, non ob cædem factã, non ob violatum

tum alterius torum; sed ob Christum prædicatum, ob iustitiam, ob innocentiam, ob futuram gloriam. Hoc Dei sapientes honorificentius esse iudicant, hoc pluris æstimandum, quàm reuelationes, quàm signa & miracula, quàm omnem reliquam nominis celebritatem. Huius animi sententiæque etiam fuit S. Chrysostomus, qui ita loquitur. *Non ita beatum Paulum dico, quòd in Paradisum raptus, atque quòd in carcerem est coniectus; non ita beatum æstimo, quòd verba ineffabilia audiuit, atq; quòd vincula sustinuit: quòd enim ista reliquis sint maiora, audi eum ipsum, quo modo glorietur! Neq; enim dicit: Hortor vos ego, qui verba ineffabilia audiui: sed quid? Hortor, inquit, vos ego vinctus in Domino, potius mihi habetur malè afficipro Christo, quàm honorari à Christo.* S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Ephes.

VI.

S. Hilarion *sexagesimo tertio vitæ suæ anno cernens grande monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasq; eorum, qui diuersis languoribus & immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita vt omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur; flebat quotidie & incredibili desiderio conuersationis antiqua recordabatur. Interrogatus à fratribus quid haberet, cur se conficeret, ait: Rursum ad sæculum redy, & recepi mercedem in vitâ. En omnis Palæstina & vicina Prouincia æstimant me alicuius esse momenti, & ego sub prætextu monasterij ad dispensationem fratrum, villas possessiones & supellectilem habeo.* Adeò verebatur, ne per honores sibi habitos merces in hac vita redderetur, vt dum alij eum æstimarent, sibi ipse ad sæculum redijsse videretur. Quod fecerunt alij complures, siue cùm ab alijs honorarentur; siue ne honorarentur. D. Franciscus, si ab hominibus honore afficeretur, aut à vanæ gloriæ tentatione titillaretur, illico honorem omnem in Deum remittens dicebat: Qui ante statuam procidit in genua, & orat, honorem aliquem exhibet, de quo tamen statua non potest gloriari, cùm sit lignum, vel lapis. Honor ergo in eum refertur, cuius est statua, & quem in statua veneramur. Ita & nos, quando honoramur, non habemus caussam gloriandi, aut complacendi nobis; quia quidquid in nobis rectè honoratur, Dei est; atque adeò Deus ipse est, qui in nobis laudatur, honoratur, & cuius in nobis nomen sanctificatur. Taceo Iulianum eremitam, taceo Philagrium, Pastorem, & alios Dei seruos, qui honores ab hominibus exhibi-

S. Hieronym. lib. 1. de vit. S. Hilarionis cap. 23.

In hist. S. Francisci.

tos, vel exhibendos tamquam hydram fugerunt. S. Ambrosius adeò abhorruit ab Episcopali dignitate, vt etiam præ ea infamiam ambiret. Siquidem, cum famæ abiectione, lupas domum adduci curauit, ne in Episcopum eligeretur, vt ex antiquis monumentis confirmat Cardinalis Baronius, quod cur commenti, tantò pòst damnârit Sepulueda, non satis perspicio. Multi sanè ius ad famam & honorem cum laude abiecerunt, quando ad se se in despicientia sui firmandos, scelera, quæ premere facile erat, orbi vniuerso publica esse voluerunt. Quæ res æternâ cum laude à Sanctis viris & Ecclesiæ luminibus præstita clarissimis historijs potest doceri. Quin sunt, qui Ecclesia annuente iuri famæ suæ renunciant. Quid quòd sæpe aliquis non modò honorem suum ac famam sine culpa negligit, sed etiam conculcare ac proscindere obligatur? Nam si per calumniam violauit alterius non admodum disparis famam, nec potest, nisi cum retractatione in probrum suum cedente maculam alteri immissam eluere, omnino debet cum probro suo alterum præstare indemnem: quod facere nullo modo posset, nisi honoris & famæ dominus esset. Quamuis enim culpa esse possit, famam sine caussa prodigere (sicut & bona fortunæ cetera, quorum domini sumus) tamen ea prodigalitate, ius alterius, (ac ne communitatis quidem) non violatur, nisi quando quis famâ suam, vel honorem speciali vinculo alijs obstrictam habet; ita vt, cum honore ipsius & fama, honor quoque & fama communitatis implicetur. Talis enim contra iustitiam, famam suam negligit; non quia famam aut honorem suum, quorum erat dominus, negligit; sed quia alienam famam suæ innexam, & ius ad alienum honorem cum suo coniunctum iniuria affecit. Quo pacto cauendum est Religiosis, ne in Religionis suæ, & Clericis, ne in Ecclesiæ præiudicium famam suam profligent, faciantque *nomen Dei blasphemari inter gentes.* Quod periculum abfuit in Ambrosio, in S. Francisco, & alijs Sanctis, qui circumspectè aliquid fecerunt, vt se, non Ordinem, aut Ecclesiam contemptibiles facerent. Quamuis nec Deus permisit, vt ex eorum submissione, aliqua in Sanctos nota redundaret. Enimuerò ea ipsa nota, postquam vnde orta sit patuit, in magnam gloriam cessit.

Baron. Anno Christi 374. Sepulueda ep. 49.

Rom 2 24.

VII. Quis Simeonem Salum, quis Iacoponum non laudat, qui se stultos

stultos finxerunt, vt contemnerentur? Enimuerò talia dixerunt, vel etiam fecerunt, vt possent, plus quàm fatui haberi. Nimirum, *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* Omittam Simeonis Sali sales, neque repetam Iacoponi lepôres, obuia sunt hæc; illud mirabile est, & meritò omnes ad sui contemptum prouocat, quod *narrauit S. Basilius episcopus dicens: Fuit in quodã monasterio feminarum virgo quadam, quæ stultam esse ac damonem habere se simulabat: quæ vsq; adeò ab omnibus alijs pro errore habebatur, ita vt nec cibum quidem cum eâ caperent. Talem siquidem elegerat vitam, vt à coquina numquam recedens, totius illic ministerij impleret officium: & erat secundùm vulgare prouerbium, vniuersa domus spongia, impletum à se rebus probans, quod sanctis libris scriptum legimus: Siquis, inquit, ex vobis putat se esse sapientem in hoc mundo, sit stultus, vt sapiens fiat. Hæc igitur inuolutum pannis habens caput, ita quoque in omnibus seruiebat; cetera autem virgines tonsæ cucullis cooperiuntur. Nulla aliquando potuit hanc de quadringentis virginibus videre manducantem, numquam per omne euum suum sedit ad mensam. A nullâ vel modicam partem panis accepit, micas tantùm detergens ipsarum mensarum, & abluens ollas, his solis alimonijs contenta viuebat. Nulli vmquam fecit iniuriam: nulla ipsius murmur audiuit: nulli aut parum, aut satis locuta est vmquam. Et certè cùm ab omnibus caderetur, cum omnium odio viueret, maledicta omnium sustineret, sancto Pyoterio, cui hoc vocabulum erat, probatissimo viro, semperq; in deserto viuenti astitit angelus Domini quadam die sedenti in loco Porphyrite, affatusq; est his verbis: Cur, inquit, grande aliquid esse te credis, vt sanctius & in huiusmodi degens loco? Vis videre mulierem te sanctiorem? Vade ad Tabennesiotarum monasterium feminarum, & vnam ex ipsis illic inuenies habentem in capite coronam, ipsamq; cognosce te esse meliorem. Quæ dum contra tantum populum sola diebus ac noctibus pugnat, cor ipsius à Deo numquam recessit, tu autem vno in loco residens, neq; quoquam aliquando progrediens, per omnes vrbes animo & cogitatione vagaris. Statimq; ad supradictum monasterium venit, & magistros fratrum rogauit, vt introducerent eum ad habitaculum feminarum. Quem mox illi, vt virum non solùm vitâ glorioſum, verùm etiam & prouectioris ætatis, cum fiducia grandi introduci fecerunt. Ingressus autem, omnes sorores desiderauit inspicere: inter quas solam, propter*

1. Cor. 3. 19

Palladius cap. 41. & 42. Heribert. Rosvveid. l. 5. de Vitis PP. libell. 18. n. 19.

quam venerat, non videbat. Ait autem ad postremùm: Omnes, inquit, mihi adducite, deesse mihi videtur aliqua. Dicunt: Vnam, inquiunt, stultam habemus intrinsecus in coquinâ. Sic enim eas, quæ à dæmone vexantur, appellant. At ille; Exhibete, inquit, ad me ipsam quoque, vt eam videam. Quo audito, supra memoratam vocare cœperunt. Quæ cùm nollet audire, sentiens, vt credo, aliquid aut fortassis hoc ipsum diuinâ reuelatione cognoscens, dicunt ei: Sanctus Pyoterius te videre desiderat, erat enim vir famæ ac nominis grandis. Cumq; ad eum fuisset exhibita, vidissetq; panno frontem ipsius inuolutam, proiecit se ad pedes ipsius dicens: Benedic me, inquit. Quod rursus ad illius pedes tunc & ipsa fecit, ac dixit: Tu me benedic, Domine. Omnes sorores obstupuerunt simul, dicentes: Noli, abba, talem iniuriam sustinere; fatua est enim ista, quam cernis. Et Sanctus Pyoterius hoc ipsis omnibus ait: Vos, inquit, estis fatuæ; nam hæc & vestra & mea est Amma. Hoc enim in eâ vocant illi feminas spirituales, & deprecor, Deum, ait, vt dignus ipsâ in die iudicij merear inueniri. Quo audito, omnes simul ad pedes ipsius prociderunt, singulæ varia ei peccata propria confitentes. Alia enim abluens sordes catini supra eam se fudisse dicebat: alia verò colaphis eam à se verberatam sæpè memorabat; alia nares ipsius sinapi impletas à se esse deflebat: cetera quoque diuersas referebant se ei iniurias irrogasse. Pro quibus omnibus Sanctus ille fusis Deo precibus egressus est. Post paucos autem dies non ferens illa tantam sui gloriam, tantoq; se nolens sororum honore cumulari, grauariq; se credens excusationibus singularum, egressa est de monasterio illo occultè, & quò ierit, in quem se miserit locum, vel quo fine defecerit, ad nullius potuit notitiam peruenire.

VIII. Nimirum honore digni, dum honorem fugiunt ipsa humilitate honorem ornant, quemadmodum alij fastu ac superbia dedecorant dignitatem. Appositè S. Bernardus, *Humilitas,* inquit, *in honore, honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignatur. Si egregius es, esto tamen de grege: si omnibus præes, non dedigneris subesse.* Sagittam quò altiùs volumus in cælum eiaculari, eò profundiùs aduersus terram in arcu deducimus; ita ille animam suam sublimissimè super astra promouebit, qui eam nouit in terris vehementissimè deprimere. Quis Regum Principumúe Francisco altiùs se se in

Bern. serm. 34. in Cantic.

se in nihilum suum demisit? At quis altiùs in cælesti gloria eorumdem Regum Principumúe ascendit? Iam sedet inter Seraphinos, qui se locauit inter grauissimos peccatores. Ita & de Ioanne locutus est Seruator: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo*, in terris, vel in oculis suis. Neque Dei iudicia tantùm sunt ista, & hominum piorum, sed ipsi etiam mundi sapientes non rarò humilia superbis prætulerunt. E duobus in Abbatē vnus à Friderico Imperatore erat eligendus, quorum dispar virtus, & anceps electio. Suaserunt igitur, qui Imperatori à consilijs erant, vt eum præferret, qui regulam exactiùs deprehenderetur obseruare. Sciscitante autem, quo pacto id deprehendi posset, dixit vnus: Audiui omnes hos monachos à regula iuberi, vt acum secum gerant, signum paupertatis, ad reficiendas vestes. Vbi ergo congregati fuerint, ab insolente illo, qui sibi pecuniæ oblatione viam parare conatus est ad hanc dignitatem, acum pete, quasi ea, ex tempore vsurus ad extrahendam è digito temerè inductam spinam. Si acu caruerit, eamq; alter ille simplex exhibuerit, facile erit iudicare, vtri eorum regula magis cordi sit. Cui enim minima sunt nimis grauia, erunt profectò maiora grauiora. Qui autem hæc parua curat, iure censebitur non negligere magna. Secutus prudens consilium Imperator, eum iussit esse Abbatem, apud quē acum repererat; apud quem autē eam deesse videbat, ad acum remisit. Qua historia audita, subiungit Apollonius: *Ignoraui hactenus, tantam fuisse virtutem in acu:* cui respōdet Cæsarius: *Virtus non est in acu, sed acus signum virtutis, id est, humilitatis est in monacho: ad resarciendum vestimenta sua dissoluta portat illam.* Locum igitur apud Imperatorem quoque habuit illa sententia: *Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur;* sicut & apud regem Angliæ, à quo itidem is, qui se infra omnes demiserat, omnibus ambitiosis antepositus est in prælatura, vt refert Polydorus Virgilius. Quòd si hominibus tantopere placet animi moderatio & modestia, vt eam glorioſis, ac se se æstimantibus anteponant; cur non idem faciat iustissimus rerum arbiter Deus? apud quem, teste S. Bernardo, *Sola est humilitas, qua exaltat, sola qua ducit ad vitam. Hac via, non est alia prater ipsam.*

Matth. 11. 11.

Cæsarius l. 6. cap. 15.

Luc. 14. 11.

Polydor. Virgil. lib. 10. mihi pag 168.

S. Bernard. serm. 2. de Ascensione.

Qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit. O peruersitas! ô abusio filiorum Adam! quia cùm ascendere difficilimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leuiter ascendunt, & descendunt difficiliùs; parati ad honores, ad celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandas. Ad sequendum autem te, Domine IESV, vix inueniuntur, qui vel trahi patiantur, qui duci velint per vias mandatorum tuorum.

CAPVT XL.

An, & quam in se esse humilitatis causſam innocentes, viri docti, iusti, pij, Sancti, Deipara, & adeò Christus ipse Dei Filius, denique superiores ratione inferiorum, iudicare & dicere possint?

I. Vult Deus omnes mortales humiles esse. Sic iubet: sic facit. Nec enim tantùm *superbis resistit*, sed etiam *humilibus dat gratiam*, vt minis terreat, præmijs alliciat. Immò à maioribus maiorem exigit humilitatem. *Quanto magnus es*, ait, *humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*; à superbis impugnatur. Qui cur placerent Deo, cùm fastus omnis faciat homines etiã hominib⁹ fastidiosos? Pleraq; animalia cùm parua sunt gratiosa sunt: vilescunt, quando grandescunt. *Cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*, dicitur ad regem à Samuele, & subditur; *pro eo, quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex.* Adeò humiles de stercore eleuat, & elatos de solio præcipitat; neque quisquam, ad cælestis gloriæ peruenit sublimitatem, qui se in hac vita non humiliauit. Et verò etiam quo quisque, coram Deo, maior fuit, eò se se magis facto ipso demisit. In regem iam vnctus erat Dauid, & tamen cibos fratribus, in castra portare non recusauit. Quantus erat Franciscus? quantæ innocentiæ? quantorum operum bonorũ? quantæ sanctitatis, quantorum miraculorum patrator? & tamen hic tantus, quàm humilis fuit? Vt alios taceam sanctos, qui, cum Abrahamo, in terram prostrati dicere semper solebant oraturi: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis?* Ipsa Dei Mater, super

Iac. 4. 6.

Eccli. 3 20.

1. Reg 15. 16.

1. Reg. 17. 17.

Gen. 18. 27.

super Angelos exaltanda, nonne se se *Ancillam Domini* vocabat? Luc. 1. 38.
cuius, teste S. Bernardo, ne virginitas quidem placuisset, si caruisset humilitate.

II.

Ipse Christus de se ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Nempe quia Magister erat virtutum, etiam humilitatem nos voluit docere; nec verbo tantùm, sed exemplo quoque, quæ est efficacissima ratio docendi. Vnde non ait dumtaxat: *Discite,* Matth. 11. 29.
sed addit: *à me,* à dictis, à factis, ab exemplo meo. *Nam exemplum dedi vobis,* non tunc modò, quando discipulorum ac vilium piscatorum pedes laui; sed in omni vita etiam reliqua. Nec sanè etiam hoc ipsum dicere potuisset, nisi in summo gradu stetisset humilitatis. Si enim alius diceret: *Discite à me, quia mitis, quia humilis sum;* arrogans haberetur; quia humilis, non humilem, sed vilem se se reputat: & contemnitur ab alijs, qui se alijs proponit imitandum. Dum enim proponit, præponit. At Seruator ita excelluit in sui ipsius abiectione, vt neque cùm se ipsum alijs proponeret in virtutis exemplum, quidquam vanitatis animo potuerit persentiscere; sed verè simul esset, quod diceret, hoc est, *humilis corde:* non ore tantùm, vt quidam, qui se ipsos verbis deprimunt, vt alios ad refutandum, & laudandum inuitent. Si enim alios id, quod de se ipsi pronuntiant, credere, aut etiam suo iudicio testimonioque confirmare animaduertant, in quantas non impatientias erumpunt? quantas non ferunt expostulationes? denique, quasi ouum putidum fregeris, ita fœtent, rupta testa, atque vlcere patefacto. Non sic Christus: nihil ille simulatè agit. Veritas est, verè dicit, quidquid dicit. Est ergo humilis corde, cùm dicit se *humilem corde.* At cùm nos quoque vult humiles esse, vult itidem id, quod sumus, hoc est, vilitatem nostram profiteri. Quam quia non agnoscimus, ex corde humiles non sumus, donec agnoscamus. Plerumque enim potiùs Pharisæum imitamur, alterius vitia acutissimis oculis intuentes, nostra ignorantes; quàm Publicanum, qui suum non alienum pectus percussit. Cogitamus, inquam, nos non esse Ethnicos, non hæreticos, non adulteros, non homicidas; quasi non aliud sit, ob quod vel sanctissimi se se possint humiliare. Hoc igitur, *Discite à me,* ait Christus. Vnde meritò D. S. Bern. ser. 26 in capite ieiunij.
Bernardus scribit: *Quid tu inflaris, ô homo, quid extolleris sine causa? quid*

sa? quid altum sapis, & oculi tui omne sublime vident? *Sublimis quidem Dominus: sed non ita proponitur tibi: laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis: humiliare, & apprehendisti.* Hinc ergo quæstio nascitur, & multos sollicitat in vita spirituali parum versatos: cùm Humilitatis virtus in vili sui æstimatione versetur; quo modo verum esse potuerit, in Christo, tale iudicium vilitatis? adeoque, quomodo verè *humilis corde* esse potuerit? Ille innocens in omni vita, ille morum Magister; ille fons sanctitatis; ille homo Deus, sapientia diuina, Verbum increatum; cuius etiam caro diuinæ hypostaseos vnione Deificata, qua veritate potuit se vilipendere? Atque hæc quæstio, cum certa proportione, potest etiam ad Deiparam, & ad reliquos Sanctos, immò & ad eruditos, aut in quacumque re, vt in gubernatione hominum, militia &c. excellentes, extendi. Si enim scapha scapha debet appellari, quo modo doctus se se habere potest pro indocto? pius pro impio? amicus Dei pro hoste Dei? aut quid vile in se se potuit Virgo Mater ad tantam dignitatem euecta reperire? Peccatores sanè infinitas habent sese vilipendendi causas: iustus autem nonne mentitur, cùm se se vocat peccatorem? doctus, cùm se pro rudi habet? pius cùm impium appellat? Quæ hîc veritas? quæ diuini iudicij humilitatem nostram exigentis æquitas? *Audiens sapiens sapientior erit.*

Prouerb. 1. 5.

III. Igitur ad Christum æquè verum Deum ac verum veracemq; hominem quod attinet; verè is *humilis corde* fuit, nihil, quod non esset, sibi excogitans, aut simulatoriè affingens. Et sanè humilitas ex vilitatis suæ cognitione oritur, quæ cognitio, quò maior est, eò maior existit & humilitas. Itaque etiam Seruator noster, (non quòd in ipso aliquid fuerit vilius, quàm in vlla creatura, sed quòd cognitio cuiuscumque exinanitionis, in eo, maioris caussa fuerit demissionis) quò perfectiùs se ipsum, quà hominem ex nihilo productum nouit, eò se se demisit profundiùs. Post eum, Sapientissima illius Mater, Dei suique cognitione ditissimè illuminata, non superbiendi, sed quàm demississimè humiliandi se se caussam sumpsit. Alij post hanc Sancti, immò & plurimi viri eruditi, quò ferè maius lumen aut diuinum, aut naturale, eò & maiorem humilitatem habuerunt. Et non rarò hodie quoq; minimus quisque

quisque maximi se se, & maximus minimi facere consueuit. Hinc vel oraculo sapientissimi iudicati Socratis dictum est: *illud vnum se scire, quòd nihil sciat*: & Christi sapiens Paulus *omnium peripsema, minimum Apostolorum*, & qui *non sit dignus vocari Apostolus*, se appellauit. Hinc profundissima Ephreæmi, Basilij, Gregorij, Augustini, Bernardi, D. Thomæ, aliorumq; humilitas. Longè enim clariùs conspexerunt nihili sui, ex quo creati prodierunt, vilitatem. 1. Cor. 4. 13. 1. Cor. 15. 9.

IV.

Nimirum *nascebatur ea virtus*, vt de quodam humili non vulgariter docto viro legimus, *ex sublimi scientia, non eâ, quæ caterorum prudens, ignorans sui, mentem inflat, sed eâ, quæ aliorum conscia, & sui ipsius gnara animum componit. Vt erat sui ipsius contemplationi apprimè deditus, suum nihil non secùs, quàm si oculis subiectum illud cerneret, clarè spectabat, quod, cùm ex re, seu naturâ suâ nihil esset, nihil quoque ex se operari posset. Videbat illud suum nihil, à Deo in esse aliquid eductum; sed, illud aliquid in nihilum natiua inclinatione perpetuò contendere, nisi benefico, potenti, & assiduo Dei influxu contineretur, à quo dependeret ampliùs, quàm pondus in aëre pendulum à manu librantis; & à sigillo fluxæ aquæ impressa forma, in quibus si vel manum, vel sigillum subducis, deorsum pondus, & informis fluit aqua. Dicebat ex hac ipsa consideratione, sanctissimam Christi animam infinita quadam submissione, præ cæteris creaturis, Deo supplicem sese sternere; à quo suum esse conseruari, & diuinâ personâ continuò ornari intelligeret, cuius benefica operatio si vel temporis momento suspensa foret, ipsa anima in primum suum nihil laberetur.* Solebat Placilla Theodosium Imperatorem maritum admonere, vt olim se priuatum hominem fuisse cogitaret: & præ ceteris ad Romanæ Reip. gubernacula assumptum, non vt superbiret, sed vt HOMINEM se esse cogitans, varijs fragilitatibus non minùs, quàm subditi, obnoxium, ritè gubernaret Imperium, tamquam Dei seruus. Diuina Sapientia Christo identidem dictitabat, illum etsi Creatorem, quà Filius erat Dei, tamen quà Filius hominis fuerat, esse creaturam, adeoque secundùm hanc naturam, olim nihil fuisse, &, præ ceteris omnibus assumptum, vt Deus esset: potuisse etiam non assumi. Quod vt assiduè cogitaret, solebat se identidem *Filium hominis* vocitare; qui vtique, subducta Dei manu, cum omnibus do-

In vita Leonardi Lessij edita à Thoma Courteis cap 13. §. 67.

Nicephor. Callistus l. 12. cap. 42.

nis creatis rursus in nihilum suum abiret, vnde à Deo fuerat productus. Hoc judicare, nonne verum fuit? At fuit verissima & Christo, & Matri Christi, & omnibus Sanctis, immò & omnibus Angelis; & esset omnibus quoque reliquis creaturis (si virtutis capaces forent, atq; hanc suam à Deo dependentiam intelligere possent) maxima se se, coram diuino conspectu, dimittendi causa. Quam qui plenius penitiusq; nouit, penitius etiam pleniusq; sese Conditori suo submittit. Hinc ergo fit, vt quo quisq; est sapientior, eò sit & humilior; sicut & stultissimi, & nullam dependentiam agnoscentes superbissimè se se solent efferre, itaq; gerere, ac si à se ipsis essent, atque à nullo dependerent. Quia igitur alij Sancti alijs maius quoddam lumen à Deo acceperunt, & Virgo Dei parens sapientiâ diuinâ maximè excelluit; ipse autem Dei Filius increata cognitione, scientia infusa & acquisita, sapientiaq; ceteros mortales, immò & Angelos omnes, sine comparatione antecessit, tantò perspicaciùs intellexit, animâ suam, & corpus suum illico in nihilum reditura, si Deus vellet, cuius beneficio tot donis gratijsq; decorabantur. Tantò igitur magis se se prostrauit, ante diuinam Maiestatem. Quod & alij facerent impensiùs, si nihilũ suum sæpius diligentiusq; ante mentis oculos collocarent; & non cum pauone oculatas potiùs coloratasque syrmatis pennas, quàm pedes intuerentur.

V.

Matth. 11. 29. Sufficeret hæc causa, ad iudicij veritatem, qua Redemptor noster sese verè *humilẽ corde* potuit pronuntiare. Sed & aliæ suppetũt. 1. Nemo, nisi *humilis corde*, de solio regio sponte descendit. Diocletianus imperium deposuit, sed non nisi agnita rerum vanitate & fastidijs fatigatus, quod & Maximiniano quoque collegæ sed perquam inuito persuasit, vt suprà tradidimus. Nullus tamen Regum aut Imperatorum seruilem habitum induit, vt seruum suum posset ad thronum regium extollere. Atqui Christus,

Philip. 2. 6. *cùm in forma Dei esset*, nullo vtiq; regnandi tædio affectus, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, quando seipsum vsque ad naturæ humanæ vilitatem infirmitatemq; demisit; vt seruos suos ad regnum eueheret. Discite hoc à Christo diuites, discite pauperes: diuites, qui nullam pati, nullam audire potestis humiliationem; pauperes, qui & ipsi sorte vestra non contenti, in centone

tone purpuram cogitatis. Discite vos, Satrapæ, è summo demittere, &, posita maiestate, officia etiam minùs splendida suscipere, tractareq; negotia vobis subiectorum. Discite descendere, qui nullum supra vos vultis pati.

VI.

2. Nemo, nisi *humilis corde*, si sit felix, amat ærumnas; nemo quieti præfert laborem; nemo delicijs dolorem; diuitijs paupertatem; nemo palatijs mapalia; titulis grandibus ignobilitatem; honoribus despectum anteponit. Christus, cùm esset *in sinu Patris*, è cælesti patria, in Galilæam regionem tunc temporis contemptissimam, atq; ad miserias nostras descendit, *in laboribus à iuuentute fuit*; de paupere Parente, in paupere casa, nasci, in præsepio reponi, cum humilibus conuersari voluit; neque se *regem* creari à populo passus est; sed cùm esset Dei Filius, *fabri filius* appellatus, animo æquissimo sustinuit. Numquid igitur verè *humilis corde* extitit? qui & nudis pedibus obambulauit, & asino vectus est, triumphaturus, pedesq; lauit discipulorum; numquid *humilis corde fuit?* Numerat Fulgosus, inter Ludouici XI. Gallorum regis laudes, quòd asinum nonnumquam pro equo adhibuerit; & cùm alij reges auro sericoq; amicirentur, lana aut bombyce indutus fuerit. Christus nullo vmquam equo vsus, veste vilissima amictus, numquid magis *humilis corde* fuisse censendus est? O quàm hîc multa sunt à nobis discenda! quæ quam diu non discimus, verè *humiles corde* non sumus. At Dei Mater didicit: ast alij sancti didicerunt; nec quidquam fecere contra aut suam dignitatem, aut rei ipsius veritatem. Nos, quò deteriores sumus, eò delicatiùs volumus tractari, molliùs vestiri, sumptuosiùs conuiuari.

Ioan. 1, 18.

Psal. 87. 16.

Ioan. 6. 15. Marc. 6. 3.

Fulgosus lib. 3. cap. 6.

VII.

3. Nemo, nisi *humilis corde*, contumelias, alapas, flagra, sputa, denique crucis summam infamiam potest patienter sustinere. Omnis superbus impatiens est; omnis superbus cogitat vindictas. Tametsi enim, ad tempus, dolorem corde premat, vultuq; patientiam simulet, vt patientiæ laudem captet; animo tamen Diras coquit, & execrationes. Christus infamiam, maledicta, colaphos, virgas, flagella, fœdissima militum phlegmata in diuinâ facie proiecta, ipsum patibulũ & mortem cum latronum morte communẽ, æquissimo animo tolerauit, numquid ergo *hu-*

Luc. 23. 34. *milis corde* fuit? Et verò tunc de quali vindicta cogitauit? orauit pro crucifixoribus; atque vt eos excusaret, nescire eos dixit, quid facerent. Quòd si vis altiorem humilitatis gradum; tam parui æstimat atrocissimas sibi iniurias ab hominibus illatas, vt, cùm eas posset æternis ignibus vindicare, ad vnum gemitum peccatoris, illico etiam sexcentas remittat. Putas, nullum supereſſe altiorem gradum humilitatis? Supereſt. Nam non solùm facilis est noster IESVS, ad omnes iniurias etiam infinitas, & infinitè quodammodo acerbas ac malitiosas in se perpetratas ex animo remittendas; sed etiam paratus est ex ijs, quib. ex animo dolentibus veniamq; postulantibus millies & millies, & centies millies relabentibus, & enormissimè delinquentibus omnia condonauit, si denuò cadant, & denuò resipiscant, denuò stolam pristinam reddere, gratiam & gloriam impertiri, eosq; in filios suos, & regni cælestis hæredes adoptare. Quid quòd ipsos adhuc eiuscemodi hostes, & tam contumaces inimicos suos, admirabili prorsus & incomprehensibili maiestatis suæ demissione, insigniq;, immò immensa patientiæ & bonitatis demonstratione, varijs vijs & modis, per internos S. Spiritus instinctus, per Angelos, per concionatores, per spirituales Patres, per exempla piorum, per morbos, & terrores, per beneficia, per minas & blanditias reuocat, vt vel tandem oculos aperientibus, & ad frugem redire volentibus possit veniam indulgere; & quantumuis à se auersis pœnam vindictamq; æternam, vel omnino expungere, vel saltem in temporalem conuertere? Quid, quòd lædentibus, dum lædunt, beneficia refundit? Nonne Longino, dum lancea latus eius aperuit, aperuit oculos, vt videret, in quem transfigeret? Miranda pietas. dum sauciatur, sanat; & quò hasta subit, inde sanguis & aqua exit in medicinam. Nonne hoc est esse verè *humilem corde*? Has omnes & nos humiliandi rationes haberemus, si à Christo discere vellemus, *quia mitis* est, *& humilis corde*. Potuit Christus, potuit B. Dei Mater, potuit Stephanus, & alij Sancti se se vilipendere, & his modis omnibus humiliare? Cur nos non possemus? immò cur non deberemus?

VIII. At Sancti in infimo quoque loco, atque, etiam infra ipsos peccatores, se se demisêre? Christus id sanè non potuit, quia impeccabilis

peccabilis fuit. Deus enim erat, qui secundùm diuinā naturā non potuit facere contra Deum, secundùm humanā autē naturam ipsa cum diuina hypostasis, cum multis alijs gratijs sanctificauit, impeccabilemq; reddidit. Si enim Christus peccare potuisset, Deus ipse diceretur peccauisse, quo nihil absurdius fingi, aut Deo magis aduersum potest excogitari. Nulla igitur veritate Christus in corde suo, sic se potuit in imo loco ponere. Et tamen vt peccator voluit circumcidi; baptizari à Ioanne, flagellari, crucifigi. In imo igitur loco se posuit patiendo; non iudicando: quæ tanto maior est humilitas, pati quod scias, te non meruisse; immò nec mereri potuisse. Christi Mater immunis sanè ab omni actuali, immò etiam ab originali peccato præseruata fuit: S. Franciscus & alij sancti, qui quàm innocentissimè vixerunt, verè tamen ea se se cogitatione iudicioque infra latrones & pessimos etiam peccatores demiserunt; quia non quid fecerint, sed quid facere, & peccare potuissent, nisi à Deo eiusque beneuolentissimâ gratia præuenti seruatique essent, cogitauerunt. Sic enim S. Franciscus dicere solebat, Si Deus eam, quam ipse acceperat, gratiam, vel desperatissimo in siluis, aut vijs grassanti latroni dedisset, meliùs ea, quàm ipse vsus sit, vsurum sanctioremque longè futurum fuisse. Pari modo Mater Christi, cùm omnes sibi à Deo dotes gratiasque haberet numeratissimas, non tam cogitauit, quid cum illis, quàm quid sine illis esset. Certè si Philippus Macedo, Græciæ potitus imperio, *Cùm in Chæronea fudisset Athenienses, licet fortuna euectus, tamen appetitum rationi subdidit, neque contumeliosè aut intemperanter aliquid fecit:* Quantò magis id cogitandum est de Virgine in Dei Matrem euecta? Philippus *consultum esse putabat, quemdam ex pueris quotidie hoc ei manè in memoriam reuocare, quòd esset homo. Quare puero delegauit hoc officium, neque ipse prodibat antea, sicut fertur: neque quisquam, qui eum conuenire vellet, priùs ad eum introibat, quàm singulis diebus puer hoc ter ei proclamasset, dicens: PHILIPPE, HOMO ES.* Hoc ipsum cogitabat Dei Mater. Hoc ipsum D. Augustinus sentiebat, è cuius sententia, nihil est, quod non faceret homo, si non custodiret eum is, à quo factus est omnis homo. Hac cogitatione Cæsarum refrænauit fastum Magnus Antonius. Teste enim Sigonio, Constantinus Magnus Augustus, & filij eius

Ælian. lib. 3. Variar. c. 15.

Card. Sigon. lib 4. Imp. occid.

Constantius & Constans Cæsares magnitudine virtutis ac sanctitatis Antonij monachi Ægyptij audita, multis eum litteris ad rescribendum prouocârunt. Quibus ille acceptis, haudquaquam elatus, conuocatos Monachos ita est allocutus: *Reges sæculi litteras ad nos scripserunt. Verùm, quid Christianis hoc æstimandum? Nam licet diuersa sit dignitas, tamen eadem est nascendi moriendiq; condicio. Illa sunt nobis magni facienda, quòd Deus hominibus legem scripserit, & quòd per Filium suum Ecclesias propriis eloquijs exornauit. Quid Monachus rationis habet cum regibus? cur ego litteras eorum accipiam; quibus solita reddere salutationis officia nesciam?* Monentibus autem fratribus videndum esse, ne ille silentio suo animos regum aduersus se irritaret, rescripsit laudans eos primùm, quòd Christum colerent: deinde monens, ne regiæ potestati tantum tribuerent, vt præsentis imperio carnis inflati SE HOMINES ESSE, & à Christo iudicandos fore, obliuiscerentur, & vt clementiæ ac iustitiæ erga subditos inseruirent. Quarum ex litterarum lectione summam principes cum vtilitate voluptatem ceperunt. Et voluptatem, & fructum nos capiemus, si addiscamus non intumescere, quando nobis Principes aut scribunt, aut loquuntur, homines enim sunt, quorum alloquia vtiq; non tanti sunt facienda, quanti sermo Dei, nos per leges suas, perq; omnes sacras litteras alloquentis, vnde tamen non insolescimus. Sed illud in primis emolumentum & maximis & minimis affert, si se HOMINES ESSE non obliuiscantur. Quisquis enim hoc meminit, magnas habet causas suæ demissionis. Quas habuit & Mater Dei, quæ etsi non peccauit, *gratia plena*, tamen, sine gratia, & ipsa peccauisset; &, tamquam homo, delinquendo infimum locum mereri potuisset.

IX. Extra Christum & Matrem Christi, omnes iusti etiam de peccati conscientia se se possunt humiliare. Nam & *septies in die cadet iustus*; &, si quando non cadit, tamen cecidit aliquando. Quis enim sine peccato est? immò, *si dixerimus, quoniam non peccauimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.* Quòd si S. Ioan. Baptista, & fortè etiam alius quispiam in vtero materno sanctificatus est, saltem dicere potest, *in peccatis concepit me mater mea*, atque ita ob peccatum originis cogitare, se fuisse aliquando filium iræ, neque semper sine macula extitisse. Adeò nihil

Prou. 24. 16.

1. Ioan. 1. 10.

Psal. 50. 7.

hil dicit contra veritatem, quisquis se se dicit peccatorem. Fuit enim & iustus aliquando peccator, atque, ob hanc ipsam originis culpam, æternæ damnationi addicendus. Quòd si quis præterea *nihil sibi conscius est, tamen non in hoc iustificatus est*, quia adhuc saltem venialibus culpis subinde Deum offendit, quæ est sufficientissima causa humilitatis. Quamquã quis est, qui sciat, *vtrũ amore, an odio dignus sit?* aut, qui satis reputare possit, quantas habeat iniquitates? 1. Cor. 4. 4. Eccles. 9. 1.

X.

Antigonus rex, vt ex morbo assurrexit: *Haud male*, inquiebat, *actum est nobiscum. Commonuit enim morbus nos, ne spiritus, cùm mortales simus, sustollamus.* Sic ratiocinantur & Sancti, quibus omnia cooperantur in bonum; &, cùm infirmi sunt, tunc fiunt fortiores. Nam apud eos diuina manus è peccato, quod est summum malum, nouit elicere bonum humilitatis & pœnitentiæ. Hinc summus Apostolorum, assiduo fletu diluit maculam negationis. Et Doctor gentium, *minimum* se, immò *peripsema* vocauit, & *qui Ecclesiam sit persecutus*, nec dignum, qui Apostolus vocaretur: non quòd Apostolus tunc non esset, sed quòd, ob persecutiones Christi discipulis factas, dignus non extiterit, vt in Apostolorum numerum cooptaretur. Nam qua veritate, homo terra appellatur, quia de terra factus est; eâ se etiam vt peccatorem, demittit, quia se meminit peccauisse. Omne malum secum affert peccatum; hoc solùm, post illud nasci bonum potest, quòd sit maxima occasio humilitatis. Neque ficta est hæc humilitas. Vt enim verè Consularis nominatur, qui vel semel consul fuit; ita se etiam verè dicere potest, humiliareque tamquam peccatorem, qui aliquando peccauit. Hinc illa vox Pauli: *IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Magnum hoc est despicientiæ sui fundamentum, etiam olim Delphica epigraphe insinuatum: NOSCE TE IPSVM. Quod Iuuenalis ait, è cælo descendisse, Tullius autem, idcirco Deo assignatum, quia maius est, quod ea continetur, quàm vt ab homine traditum videatur. Varios eius dicti authores refert Porphyrius. Clemens Alexandrinus & D. Ambrosius putant hanc sententiam desumptam è sacris litteris, & quidem ex illis Deuteronomij verbis: *Attende tibi.* Origenes autem ex his: *Si ignoras te, egredere.* 1. Cor. 15. 9. 1. Cor. 4. 13. 1. Timoth. 1 15 Iuuenal Satyr 11. Cic. lib 5. de Finib Porphyr. serm 1. Clem Alex. 2 Strom c. 7. Ambros ser. 2. in Psal 118. Deut 4 Orig. homil 2 in Cant. Plutarch in Apoph.

At verò licet peccauerit, tamen in re aliqua excellit quispiam?

XI.

piam? excellit ingenio, arte, prudentia, scientia? est bonus miles? clarus dux? acutus Philosophus? sublimis Theologus? Excelluit & Christus, & quidem infinitis modis. Sed excellentiam suam non iactauit, immò passim, vti & ipsa miracula occultauit, & Deo in acceptis retulit. Ille autem homo, qui non est Deus, quocumque tandem modo excellat, longè habet maiorem se humiliandi caussam. Audi, quo modo & hîc se se possit demittere, & disce ab eo humilitatem, à quo iustitiam plurimi aliasque virtutes didicerunt. Est is Leonardus Lessius, de quo hæc relata legi. *Nouerat quidem Lessius in se doctrinam esse, & à Deo ac natura dotes; sed eas neq; æstimabat ipse, neq; cum alijs componebat. Nemo tam erat exiguus à quo discere erubesceret. Logicæ tirones vir ille rogauit, vt si quando eruditum aliquid, vel in doctrina, vel in pietate conciperent, secum illud, quò eorum institutione vel melior fieret, vel doctior, commune faceret. Nonne inter paruulos, quibus cælum Christus astruit, Lessius censeatur oportet, qui maximus doctrinâ cùm esset, minimorum discipulum se faceret? suam sententiam tanti non faciebat, vt non facilè ad aliorum, longè etiam doctrinâ inferiorum rationes, se, iudiciumq; flecteret. Arbitrabatur in alijs plus lucis, doctrinæ ac iudicij, quàm in se esse. Adduci vix potuit, vt librum illum laudatissimum de iustitia & iure, prælo subijceret; quòd nihil à se magnum proficisci posse arbitraretur. Parua hæc, quam de doctrina sua conceperat, ex eo proueniebat opinio; quòd plura à se ignorari, quàm sciri intelligeret; & quæ sciret, vsque adeò confusè & imperfectè se scire. si cum beatorum sapientia componantur, vt iure bono, imperitus compellari posset. Solebat hisce ferè gradibus scientiam suam deprimere. Primò, suum omne scire, cum omnium mortalium in vnum collecta scientia librabat; ad quam tantulum illud esse, quantulum ad vastum montem arenula, & guttula ad Oceanum, inueniebat. Exinde, immane illud humanæ scientiæ, Angelis opponebat, quorum etsi ij inferioris essent ordinis, tanta sapientiæ vis est & præstantia, vt pari intercapedine, omnem vniuersi generis humani scientiam excedant, quâ hominum omnium sapientia, singularis hominis scientiam antecellit. Ascendebat præterea ad summorum sapientiam Seraphinorum, quæ simili interuallo minorum Angelorum scientiam exsuperat. Ab his, ad eos transibat spiritus, qui nec dum quidem procreati, in diuina tamen potentia reconduntur. Ab istis denique, ad sapientissimi*

mi Numinis inexplicabilem scientiam, è quo tandem sic rationem ducebat. Si mea scientia, mortalium omnium collata scientiæ, instar habet arenulæ; quid habet composita Angelica? quid Seraphica? quid possibilî creari? quid demum diuinæ? si tota Angelorum sapientia scintilla quædam exigua est infinitæ lucis; si artes omnes, & scientiæ, tenues sunt adumbrationes supremæ sapientiæ, sine cuius irradiatione, omnia, in tenebris, & ignorantiæ nocte, sepulta iacent; quid est, quòd de scientia mea, quæ adeò vsque exilis est, vt propè sit nihil, mihi ipsi blanditias faciam? quid est, quòd ipsum me præ cæteris, tamquam amplius aliquid intelligens, extollam; quasi magnum sit inter complures rudes, minùs aliquantô rudem esse, & inter luscos rectiùs nonnihil videre? quid est quòd exiliam animo, si vnus aliquis minus à me in scientia habet, cùm etiam is, alio in genere me excedat, & innumeros alios, quauis in scientia, me ipso superiores reperiam?

Hoc paradigma facilè potest transferri ad omnem aliam causſam tumescendi. Places tibi nimiùm de ieiunio? Antonios cogita, Paulos intuere. Eliam reuolue animo, Mosen ante oculos statue, Christum tibi propone. Nondum 40. diebus & noctibus ab omni cibo & potu abstinuisti. Ita de omni virtute potes ratiocinari: ita & de artibus, aut prudentia bellandi, vel imperandi. Bonus es miles? longè adhuc distas à Iulio Cæsare; longè ab Alexandro; longè ab Hectore aut Achille; longè à Iosua, aut Gedeone, aut Dauide. Bonus es Princeps? in memoriam reuoca itidem Dauidem, Moysen, Iosephum, Ludouicos, Henricos, Carolos Magnos, Constantinos Magnos, ipsos Angelos, qui hunc Mundum regunt, totasque à condito orbe conseruant regiones. O quanto te reperies ab illis dissitum interuallo? An non igitur meritò, & cum veritate, te illis postpones? Quòd si igitur boni, & in rebus magnis laudeque dignis, rectè iudicant, cùm in se iudicant esse vilitatem; quid non malis, impijs, sceleratis, superbis, illis, qui iustitiam pro magnitudine munerum vænalem exponunt, & tantarum sunt iniuriarum fautores, erit faciendum? quas non habebunt causſas se vsque in infernum humiliandi? Habent sanè, sed rarò se humilant, vt etiam hinc sint deteriores. Iam enim boni esse inciperent, si de se sentirent malè; quia verè sentirent. Sed veritas in illis non est; verum non vident. Odit ergo illos

XI.

Deus, quia odit vanitatem; sicut amat humiles, quia amat in humilibus veritatem.

XII. Enimuerò hic ipse inanis gloriæ metus in Sanctis quoque humilitatem conseruat. Qua de caussa D. Gregorius ad Augustinum Anglorum Episcopum ita scribit: *Scio quia omnipotens Deus, per dilectionem tuam, in gente, quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Vnde necesse est, vt de eodem dono cæsti, & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ, per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas verò, ne inter signa, quæ fiunt, infirmus animus, in sui præsumptione se eleuet; & vnde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam, intus cadat.* Addit idem alias duas causssas, ob quas animi tumor possit reprimi, etiam in illis qui miracula perpetrauerunt. *Restat,* inquit, *vt, inter ea, quæ operante Deo exteriùs facis, semper te interiùs subtiliter iudices, ac subtiliter intelligas, & temetipsum, qui sis, & quanta sit in eadem gente gratia, pro cuius conuersione etiam faciendorum signorum dona percepisti. Et, si quando Creatori nostro, seu per linguam, siue per opera reminiscaris deliquisse, semper hæc ad memoriam reuoces, vt surgentem cordis gloriam memoria reatus premat: & , quidquid de faciendis signis, acceperis, vel accepisti, hæc non tibi, sed illis reputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt.* Triplicem ergo humiliandi sui causssam habent, qui miraculis effulgent. Prima est, metus ipse superbiendi, de quo paulò priùs. Altera est, quòd miraculorum potestas sit gratia gratis data, non ad sanctitatem patrantis augendam, sed ad vtilitatem proximorum: vnde etiam, qui non sunt sancti, subinde miracula possunt facere: vt de ipso Iuda proditore docent, qui eum, cum ceteris Apostolis, aiunt dæmonia eiecisse. Certè ex ipsis damnandis, quidam dicent, in illa die: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quid prodest homini diuitem esse in alios, pauperem sibi? immò, *quid prodest homini, si vniuersum Mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Sæpe quis alterum ad fidem Catholicam adducit, & ipse fit hæreticus. Sæpe quis confessione, aut exhortatione colloquijsúe alterum ad pœnitentiam, continentiam, æquitatem impellit, & ipse pœnitenda facit. Atque hæc est tertia causssa, ob

Gregor. lib. 9. epist. 58.

Matth. 7. 22.

Matth. 16. 26.

ob quam se se demittunt, qui magna, immò & qui miracula efficiunt. Sciunt enim, se non tantùm miracula, sed etiam peccata fecisse; eaque propter superbiendum non esse, cùm peccatum sit ipsorum, miraculum Dei. Neque alij intumescunt, quando aliquid præclari præstant, scelerum suorum memores. Cur enim turgeant, si homini dederint rosam, qui Deo dederint alapam; aut, si non dederint, fortè adhuc daturi sint? Has ergo ob causas se meritò omnes, infra omnes deprimere possunt, vt cunctis sint superiores, qui se se nullis anteponunt. *Nihil excelsius humilitate*, ait S. Ambrosius, *quæ quasi semper superior nescit extolli, quia nemo id affectat, quod infra se indicat.* S. Ambros. lib. 7. sup. Luc.

XIII.

Volaterranus alijq; referunt, multos mortales bello captos, aut quia fides eorum suspecta esset, ad pedes Friderici I. Imp. ex Cisalpina Gallia in Germaniam redeuntis supplices iacuisse, *albis vestibus* amictos, veniamq; petijsse in patriam abeundi. Qua impetrata, postliminiò reuersi, voto, in eo habitu perseuerasse dicuntur; lanificio & orationibus dediti. Vnde *Humiliatorũ Ordo* nomen traxit, postea ab Innocentio III. primùm, inde ab alijs Pontificibus confirmatus. Hic Ordo, etsi postea alia passus, interierit, spirituali tamen modo reuiuiscit. Nam omnes pij sanctiq; homines inde sunt humiles, vnde humiliati. Meminerunt quippe, se olim in captiuitate dæmonis, Deoq; perfidos fuisse, &, in primis Parentibus; præuaricatos, in Baptismo, in Pœnitentiæ sacramento, supplices veniam, potestatemq; cælestis patriæ adeundæ consecutos. Quare, quidquid postea præclari gerunt, non rapiunt in glorias inanes, neque sibi de eo vanè complacent, quia semper recordantur, se esse peccatores. Frænum illis optimum est vanitatis, memoria delictorum: cùm etiam Epaminondas solitus aliàs prodire vnctus & fronte exporrectâ, postridie conflictûs cum Spartanis, ad Leuctra, quantumuis victor, sordidatus & vultu deiecto sit progressus, similem ob causam. Nam requirentibus, Num quid ei tristius accidisset? Nihil, inquiebat, verùm heri animaduerti, maiores me, quàm decebat, animos gessisse. Quare nimiam animi effusionem hodie coerceo. Ad hunc modum vel miraculorum patratores cristas demittunt, cùm in memoriam reuocant, se deliquisse. Neq; supercilio rem dignam iudicant,

Volat. lib. 21. Sab. lib. 5. En. 9. Polyd. lib. 7.

Plutarch. in Apoph.

iudicant, si multa mala, quæ perpetrauerunt, aliquibus operibus bene gestis compensent. Sic à malis natum ex ipsa malorum cõpensatione periculum quodam modestiæ freno cohibetur.

XIV. Hinc profunda illa humilitas, & prorsus admiranda D. Pauli Apostoli nata est, vtiq; cum magna illius sanctitate coniuncta. Semper enim recordabatur eorum, quæ malè fecerat, immò ea palàm de se fatebatur; neque ea leuia sanè. ait enim: *blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus:* item *supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam:* item, *Cùm funderetur sanguis Stephani, ego adstabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.* Hæc memoriâ voluebat, ne magnitudine reuelationum extolleretur. Quando autem cum alijs conferebat se se, non imitatus Pharisæum ad factorum suorum iactationem, aliorumque contemptum, versus est; sed se inter peccatores primum, inter Sanctos vltimum collocauit: *Christus IESVS,* inquiebat, *venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Item: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Et alibi: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est hæc gratia,* vbi per Sanctos intelligit omnes fideles, qui erant in Ecclesia. Igitur illud vas electionis, ille Doctor gentium, qui in oculis Dei vnus erat ex maximis Apostolis, immò etiam ex primis in sanctitate, ille orator, illa cælestis tuba, ille qui per excellentiam Apostolus appellatur, in suis oculis erat omnium fidelium postremus, & primus omnium peccatorum. Quo pacto sic, ô Apostole, de te potuisti iudicare? Nempe ea ars, immò virtus tua fuit, vt in tua cum reliquis comparatione, non aliorum peccata, sed virtutes aspiceres; tuarum autem virtutum immemor, peccata solùm tua, tibi ante oculos poneres, eaque exaggerares, longè secus ac nos facere solemus;

Qui non videmus mantica, quod in tergo est;

in illam enim conijcimus nostros errores & delicta; si quid autem laude dignum à nobis factum existimamus, illud identidem animo voluimus. Hinc intumescimus, hinc nostra magni facimus, & aliena parui pendimus, immò alios contemnimus, quia ad eorum virtutes cæci, & Tiresiæ, ad vitia oculei & Argi sumus. Nimirum lumen diuinum excludimus, quia, vt D. Bonauentura è S. Gregorio animad-

Timoth. 1. 13. Gal. 1. 13. Act. 22. 19. 1. Tim. 1. 15. 1. Cor. 15. 9. Ephes. 3. 8.

animaduertit: *Vnusquisq; dum tactu veri luminis illustratur, sibi ipsi ostenditur, vt vnde cognoscit, quid est iustitia, inde erudiatur; quid est culpa, qua excaecatur. Vnde Sancti viri quò altiùs apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eò subtiliùs indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eis in se ipsis latebat, inueniunt.* S. Bonauent. c. 1. soliloquij.

XV.

Aſt S. Paulus pugnantia videtur imponere nobis, dum ait: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*? Potéſtne ſine mendacio, vel certè ſine falſitate fieri, vt duo in quacumque humilitate ſe ſe ipſos mutuò *superiores sibi inuicem arbitrentur*? Si è duobus vnus eſt ſuperior, ergo alter erit inferior. Si inferior, ergo non ſuperior. An non clarè magiſter videt, diſcipulum in doctrina eſſe inferiorem? Videt ſanè, & euidenter quidem. Interim conſtanter monet Humilitas, vt nulli te præponas, ſed omnibus potiùs poſtponas. Quo pacto hoc fieri poteſt, ſalua veritate? Tres ſunt modi. 1. S. Thomas ait, humilem nec debere, nec poſſe iudicare, ſuam virtutem aut donum, quod reuera maius à Deo accepit (v. g. apoſtolatum) eſſe minus eo, quod reuera minus alter accepit (v. g. dono linguarum) neque verò debere ſe in eo æſtimare altero eſſe inferiorem: ſed in eo, quòd conſiderans ea, quæ habet à ſeipſo; in proximo autem illa quæ habet à Deo. Hac enim ratione meritò ac verè illum ſibi præfert. Siquidem dona, quæ alter à Deo habet, maiorra ſunt ijs, quæ quiſque à ſeipſo habet. Hæc eſt enim genuina indoles humilitatis; Noſſe ſe ipſum, Intueri ſe ipſum, atque ea quæ quiſque à ſeipſo habet, ſuos nimirum errores, ſua vitia & peccata: in alijs autem ſpectare eorum bona & dona, quæ à Deo proficiſcuntur. Quemadmodum & ſuperbiæ ingenium eſt ſua bona ſpectare, iactare, admirari; aliorum autē mala indagare, rimari, deteſtari. 2. Certum eſt, Mundi Gubernatorem, ita ſua dona diſtribuere, vt nullum prætereat, ſed cuique etiam viliſſimo homuncioni dotem aliquā conferat, in qua alios præcellat. Quod, vt in rebus naturalibus, ita etiam ſupernaturalibus contingit. In naturalibus enim alius viſu, auditu alius; vnus ingenio, alter iudicio; hic eloquentia, ille ſapientia & Philoſophia; iterumq; quidam in medicina, quidam in iurisprudentia excellunt: itemq; hic calamo, ille penicillo, alius Phil. 2. 3. S. Thom. 2. 2. q. 161. a. 3.

lo, alius scalpro valet &c: Pari modo alij Sancti charitate, alij humanitate; mansuetudine ac patientia alij, alij alia virtute eminent, suntq; alijs superiores. *Miratur Paulus*, inquit D. Gregorius, *in Petro & Apostolis innocentiam cùm ait: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei: vicissim Petrus miratur in Paulo sapientiã, cùm ait: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Ad eumdem modum, S. Athanasius scribit, S. Antonium, in vnoquoque fratrum ac sociorum illam, qua fulgebat, virtutem contemplatum, & in ea superari se videntem alteri tamquam superiori postposuisse, 3. Ait suprà citatus D. Thomas: *Verè indicamus, & æstimamus, posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum.* Assonat S. Augustinus: *Virgo ne se coniugatæ præferat, cogitet occulta dona Dei, quæ non nisi interrogatione tentationis etiam semetipsum cuiq; declarant. Vnde enim prater alia scit Virgo, ne fortè ob mentis infirmitatẽ nondum sit matura martyrio, coniugata verò sit? Vnde, inquam scit, ne fortè ipsa nondum sit Thecla, iam sit illa Cristina.* Et copiosiùs infrà. *Aliud est enim pro veritate ac proposito sancto non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiam torquenti, & ferienti. Latent ista in facultatibus, & viribus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur. Vt ergo quisque non insletur ex eo, quod videt se posse, cogitet, fortè alios posse aliquid, quod ipsè non potest: ita seruabitur non fallaci, sed veraci humilitate: honore mutuò prauenientes, & alterutrum existimantes superiores sibi.*

S. Gregor. hom. 10. in Ezech.

S. Augustin. de sancta virgin. cap. 43.

Ibidem cap. 47.

XVI. Nulli nos præferemus, si de nobis ipsis, quod reuera sumus, sentiamus: vtque ita nos ipsos noscentes sentiamus, Deus non solùm voluit nos nobis de peccatis nostris (quibus fatemur, & maximè miseri sumus) notos esse, sed etiam in corpore naturam nobis fragilem dedit, quam vel ipsi Ethnici hominibus proposuerunt considerandam. Senecam audiamus: *Hoc iubet illa Pythicis oraculis ascripta vox:* NOSCE TE. *Quid est homo? quodlibet quassum & quodlibet fragile: iactatu, non tempestate magna, vt dissideris, est opus. Vbicumque arietaueris, soluêris. Quid est homo? imbecillum corpus, & fragile, nudum, suapte natura inerme, alieno opis indigens, ad omnem*

Senec. consolat. ad Marc. c. 11.

fortunæ

fortunæ contumeliam proiectum: cùm benè lacertos exercuit, cuiuslibet ferè pabulum, cuiuslibet victima, ex infirmis fluidisq; contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æstus, laboris impatiens: ipso rursus situ, & otio iturum in tabem, alimenta metuens sua, quorum modò inopia, modò copia rumpitur: anxiæ solicitæq; tutelæ, precarij spiritus, & malè hærentis, quà parum repentinum audiet, ex improuiso sonum auribus grauis excutit: soli semper sibi nutrimentum vitiosum, & inutile. Miramur in hoc mortem vnius, qua singulis opus est. Numquid enim vt concidat, res magni molimenti est? Odor illi saporq;, & lassitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & sine quibus viuere non potest, mortifera sunt. Quocumq; se mouet, infirmitatis suæ statim conscium, non omne cælum ferens, aquarũ nouitatibus, flatuq; non familiaris aura, & tenuissimis caussis atq; offensionibus morbidũ, putre, cassum, æletu vitam auspicatum. Cùm interim quantos tumultus hoc tam contemptum animal mouet? in quantas cogitationes oblitum conditionis suæ venit? Immortalia æterna volutat animo, & in nepotes, pronepotesq; disponit: cùm interim longa conantem eum mors opprimit: & hoc, quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum. Ita se Ethnicus de corpore æstimauit, quod, quia naturam communem omnes habemus, omnes facere par est. Quotquot autem faciunt, nulli se vel ob vires, vel ob formam, vel ob valetudinem, vel alias membrorum dotes anteponunt, non enim se aspiciunt, quales sint, sed quales esse possint: immò, quales futuri sint. Ad quod oculos conuertens Ecclesiasticus ait: *Omnes homines terra & cinis. Quid superbit terra & cinis?* Eccli. 17. 33. & 10. 9.

CAPVT XLI.

Cur inimicis sit ignoscendum? & tamen ob hoc eorum peccata non manere impunita.

QVàm iustis de caussis Mundi Conditor & Gubernator honores alijs tribuat, si cetera omnia deessent argumenta, satis superque ostenderent illi sapientes, qui honores, tamquam rem vilem, & ad pueros pertinentia crepundia, à se abdicauerunt, abiecerunt, conculcauerunt. Neque in sapientum habendus est numero, qui magnum nomen tenet potiùs, quàm I.

quàm implet. Illius in iudicando prudentia laudatur, qui, quando ita res fert, laudes ipsas humanas potest contemnere. Sæpe enim vanæ sunt; sæpe etiam pernicioſæ; mutabiles semper. Quamobrem appositè viri nobiles Athenis, fibulæ *cicadam* è terra natam, canentem, & citò morientem; Romani autem *lunulam*, mutabilitatis atque inconstantiæ notam, calceis suis addiderunt. Splendet quidem Luna, sed non semper lumine pleno; immò nec semipleno semper: sæpe enim etiam sereno cælo non cernitur. Ita gloria humana aliquando multùm, aliquando parum effulget, aliquando tota obscuratur. Non ita gloria cælestis, quæ constans est & sempiterna, atque idcirco Soli comparata. Neque enim sola Dei maiestas *in sole posuit tabernaculum suum*, sed etiam sponsa Dei est *electa vt sol*, sanctique omnes instar solis exsplendescent. Quam gloriam Christus expressit, quando in monte Thabor *resplenduit facies eius sicut sol.* Quis scintillam, aut exiguum nitedulæ lumen luci meridianæ anteferret? aut muscam monte, guttam aquæ Oceano maiorem esse iudicaret? Hoc ne faciant à Deo meliora docti, non modò contenti sunt, si desituros honores non adipiscantur, aut amittant; verùm etiam spe maioris gloriæ in cælo adeundæ gaudent: neque de vindicta cogitant eorum, à quibus ignominia iniuriaque afficiuntur; sed insuper eos ponunt in numero benefactorum.

Psal. 18. 5.
Cant. 6. 9.
Matth. 17. 2.

II.

Heribert. Rosvveid. l. 6. de Vit. PP. in libell. 4. n. 12.

Dicebat Abbas Ioannes quibusdam fratribus: Quia fuerunt tres philosophi amici, quorum vnus moriens alteri reliquit filium suum commendatum; qui in ætate iuuenili prouectus, nutritoris sui adulterauit vxorem. Quo scelere cognito missus est foràs. Deinde cùm plurimùm pœniteret, non ei concessit regressum, sed ait illi: Vade, & esto tribus annis inter damnatos, qui metalla in flumine deponunt, & sic indulgeo tibi culpam tuam. Quo post triennium redeunte rursus ait: Vade alios tres annos da mercedes, vt iniurias patiaris. Ille verò fecit sic alios tres annos. Qui dixit ei: Veni ergo nunc ad ciuitatem Athenienſium, vt philosophiam discas. Erat autem ad portam ciuitatis quidam senex philosophus sedens, atque intrantes contumelijs afficiebat; iniuriauit ergo & iuuenem illum. At ille iniuriatus risit. Cui senior ait: Quid est hoc, quòd tibi ego iniurias facio, & tu rides? Dixit ei iuuenis: Non vis vt rideam, qui tribus annis, vt iniurias paterer, dedi mercedes, & hodie gratis

gratis eas patior. Prorsus ob hoc ego risi. Dixitq; ei senex: Ascende & ingredere ciuitatem. Cumq; hoc retulisset Abbas Ioannes, dixit: Hac porta Domini, & patres nostri per multas iniurias in eâ gratulantes ingressi sunt. Multis hoc videtur paradoxum, & inter ea, quæ fieri non possunt, cùm tamen sit vnum inter ea quæ fieri debent. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, bene facite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonnè & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonnè & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 5. 43.

III. Ob hanc causam multi, qui clarum jus haberent honoris sui defendendi, tamen non tam jus suum, quàm meritum suum perfectionemque spectant, & abstinent à justissima accusatione inimicorum. Quid ergo? estné iustitia in mundo? aut manent tot calumniatores & iniuriarum fabri impuniti? Nequaquam. *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam: neque dicas coram Angelo, non est prouidentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subuerti justitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoq; eminentiores sunt alij, & insuper vniuersa terra rex imperat seruienti.* Ecclesiast. 5. 5. Hic rex sceptrum non frustra gerit, sicut neque magistratus gladium: *virgam regni sui* non finit sibi eripi. Nos in nostra causa non sumus boni judices, cùm maximè efferuescimus, cæcutimus. Quod indicauit, qui dixit: *Turbatus est à furore oculus meus.* Hinc Apostoli monitio est, *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Vbi duo docet Paulus, primum est, domandum esse vltionis appetitum; alterum, Deo judicium & vindictam iniuriæ esse relinquendam. Primum pertinet ad nostram patientiam, alterum ad Numinis prouidentiam. Heb. 1. 8. Psal. 6. 8. Rom. 12. 18.

IV. Tertullian. lib. de patientia. cap 9. & 10.

Ne nos ipsos defendamus, hoc est, vlciscamur, Tertullianus hæc decem præscripsit documenta. 1. *Hæc vlciscendi libido negotiũ curat aut gloriæ, aut malitiæ: sed gloria vbiq; vana est, & malitia Domino odiosa, hoc quidem loco maximè: quia malum duplicat, quod semel factum est. Quid enim refert inter prouocantem, & prouocatum, nisi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, iste posterior?* 2. *Vtrq; læsi Domini rem est, qui omnem nequam prohibet & damnat, quiq; præcipit malum malo non rependendum.* 3. *Quem honorem litabimus Domino, si nobis arbitrium defensionis arrogauerimus?* 4. *Quid credimus judicem illum, si non & vltorem? Hoc se nobis repromittit dicens: Vindictam mihi, & ego vindicabo, id est, patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo.* 5. *Qui vindicat se, honorem vnici judicis, id est Dei, abstulit.* 6. *Post vindictam sequitur pœnitentia, fuga, & reatus, vt pari modo plectamur.* 7. *Nihil impatientia susceptum, siue impetu transigi nouit: quidquid impetu actum est, aut offendit, aut corruit, aut præceps abyt.* 8. *Si leuiùs defendaris, insanies: si vberiùs, oneraberis.* 9. *Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non possum, per impatientiam doloris?* 10. *Si impatientiæ incubabo, non dolebo: si non dolebo, vlcisci non desiderabo.*

V. Gregor. Presbyter. in vit. S. Gregor. Nazianz.

Hoc autem Apostoli philtrum, atque ista Tertulliani malagmata obtulit S. Gregorius Nazianzenus suis Catholicis Constantinopolitanis. Illi enim, quia ab Arianis, sub Valente Ariano Imp. multùm vexati, immò pænè oppressi fuêre, eo postea Imperatore defuncto, sub Theodosio orthodoxo Imp. par pari reddere, eosq; similibus molestijs affligere voluerunt. Tum Nazianzenus, vt hanc vltionis voluntatem auerteret, eos in hunc modum est allocutus: *Non hæc, mi grex, à vobis poscit Christus; neq; sic Euangelium nos docet. Hæc mea sit vltio, vt qui nos affecerunt iniurijs, salutem consequantur. Præstate illis beneficia, qui vos odio persequuntur. Quòd si animus vehementer exæstuat, neque coerceri se ira patitur; quod ab hoc alterum est, præstate, vt hæc Christo permittatis, ac futuro tribunali reseruetis. Mea enim est vltio, ego rependam ait Dominus.* Talibus dictis tumultuantem populum sedauit, atque in suam sententiam, pertraxit. Neque ipse remissiùs præstitit reipsa, quod suos verbo docuit. Quando enim in Concilio Constantinopolitano nonnullorũ Episcoporum simultates & dissidia exorta fue-

ta fuerunt, eò quòd Gregorius, ipsis inconsultis, ab alijs Episcopus Nazianzenus esset consecratus, loco suo & gradu sponte cessit, his eosdem verbis compellans: *Suppliciter vos, per Trinitatem ipsam, oro, vt inter vos omnia rectè pacificeq; constituatis. Quòd si ego dissensionis inter vos caussa sum, nequaquam Iona vate venerabilior videri debeo. Abijcite me in mare, ac turbarum tempestas hac inter vos sedabitur. Lubens equidem patiar, quidquid voluerit is, quamquam innocens, vestræ concordiæ caussa. Eycite me solio, ab vrbe pellite, tantùm veritatem & pacem diligite. Valete pastores sacri, meorumq; laborum perpetuò recordamini.* Hæc vbi dixit, abijt ad Theodosium Imp. talibus verbis ab eo missionem petens: *Supplex oro, vt laboribus hisce liberer, esto finis inuidiæ, pacem colant Antistites, idq; tua opera. Hoc ego munus à te flagito, hoc mihi postremum beneficium largire.* Theodosius tanti viri modestiam patientiamque admiratus, vix tandem consensit, vt Nectarium ei substitui pateretur. Sic docuit, sic fecit Nazianzenus, quando iniurijs maximis fuit exagitatus. Ad hoc illi contumeliæ seruierunt, vt posset ignoscere, & bonum pro malo redhibere. Quo opere nulla maior, & ad Christi amorem propiùs accedens charitas potest excogitari. Nam, vt Ruffinus refert, *interrogauit quidam frater Abbatem Pœmenem dicens: Quid est, quòd Dominus in Euangelio dicit: Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt quis animam suam pro amico suo ponat: quo modo hoc fiet? Respondit senex: Si quis audit verbum malum à proximo suo, & cùm possit ipse similia illi respondere, tolerat tamen in corde suo, & vim laboremq; sibi facit, ne fortè respondeat illi malum, & contristet illum: iste animam suam ponit pro amico suo.*

Ruffin. in vitis PP. lib. 3. n. 201.

Atqui hoc pacto atrocissimæ quæque iniuriæ viris sanctis & patientibus irrogatæ manent impunitæ? inquies. *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam; neque dicas coram Angelo, non est prouidentia &c. Si videris calumnias egenorum & violenta judicia, & subuerti justitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio; quia excelso excelsior est alius.* Non punit Princeps, non punit rex, parcit Imperator, excelsus quidem est. Sed *excelso excelsior est* alius, qui ait, *mihi vindicta* (competit) *ego retribuam, dicit Dominus.* Ego Deus sum omnium justissimus prouisor, judex, & vindex, meum est vlcisci; meum officium est, debitas de calumniatoribus, & omni-

VI.

Eccles. 5. 5.

Rom. 12. 19. Deuter. 32. 35.

omnibus præuaricatoribus pœnas sumere. Itaque vos grauia passi, nolite solium meum, tribunal meum, sceptrum meum inuadere, *sed date locum iræ*, diuinæ, vt supplent D. Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, & ipse Augustinus, relinquite Deo injuriæ vestræ vltionem. Si enim vos ipsi vultis esse vltores, & mercedem patientiæ, & virtutem charitatis perdetis; & efficietis, vt mali alienæ potestatis vsurpatores vestra sententia in caput vestrum resiliat. Digni sanè sunt supplicio suo, omnes injuriarum authores & fabricatores, & quidam bono zelo vindictam expetunt. Igitur *si animus vehementer exæstuat, neque coerceri se iræ patitur, præstate, vt hac Christo permittatis, ac futuro tribunali reseruetis.* Etsi enim inultorum in hac vita, crimina non plectantur, non tamen illa manebunt inulta. Quia Deus vlciscetur, & quidem grauissimè, saltem in vita altera. Grauissima autem erit illa vltio, quia non erit judicis, qui falli potest, sed Dei omnipotentis, atque omnia videntis; cuius opera omnia magnifica & terrifica sunt. Ob quam caussam Apostolus alibi eadem repetens, ac scribens, *Scimus qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam: Et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum:* mox subiungit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Quamobrem non debet homo se ipsum vlcisci, hoc enim esset, & inuadere officium Dei, & de eius justitia diffidere; neque credere eius vltionem: quæ tanta erit, vt potiùs commiseratione digni sint, qui quando nobis leues injurias inferunt, in manus Dei viuentis, & irati incident, in quas horrendum est incidere. Quamquam etiam partim ad justitiæ suæ manifestationem, partim ad innocenter afflictorum consolationem, partim ad aliorum exemplum & cautionem, sæpissimè Deus, etiam in hac vita, puniat calumniatores, & quidem illo ipso malo, quod alijs præparauerunt. Hoc autem, siue per se, siue per alios, facere eum consueuisse, paulò explicatiùs dicere operæ pretium est.

Rom 12. 19. Chrysostom. Theodoret Oecum. in cit. loc Pauli. Augustin. in Psal. 78.

Hebr. 10. 30.

CAPVT XLII.

Quid sit lex, aut pœna talionis, & quàm justa?

I. VIndictam, seu hostimentum, veteres *talionem* appellauerunt. Vnde si quis alteri manum amputauisset, apud Romanos, illi *lege talionis* manus viciſſim debebat amputari.

Festi

festi verba sunt: *Talionis mentionem fieri in XII. Tabulis, ait Verrius hoc modo:* SI MEMBRVM RVPIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. *Neq; id, quid significet, judicat, puto, quia notum est. Permittit enim lex parem vindictam.* Quam Sylla metuens in sua familia primus voluit cremari, ne quod Mario fecerat, ipse quoque pateretur. Plinium audi: *Ipsum cremare, apud Romanos non fuit veteris instituti: terrâ condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouêre, tunc institutum. Et tamen multæ familiæ priscos seruauêre ritus: sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus. Idq; voluisse, veritum* TALIONEM *eruto C. Marij cadauere.* Ita quidem *talio* propriè accipitur; extendi tamen etiam potest in bonam partem, vt *talio* vocetur, quando bonum simili bono compensatur, seu quæcumque retributio, siue boni, siue mali, tamen veteres strictè vindictam intellexerunt per *talionem.* Plin. lib 7. cap. 54.

II.

Hanc *talionis legem* (vti & alias leges decemuirales, quas decemuiri eius rei gratiâ à populo creati composuerunt in duodecim tabulas) philosophus Fauorinus, apud A. Gellium, his verbis & argumentis impugnat. *Nonnulla in istis legibus nec consistere quidem, sicut dixi, visa sunt, velut illa lex* TALIONIS: *cuius verba, nisi memoria me fallit, hæc sunt:* SI. MEMBRVM. RVPIT. NI. CVM. EO. PACIT. TALIO ESTO, *prater enim vltiscendi acerbitatem: ne procedere quoq; exsequutio justa talionis potest. Nam cui membrum ab alio ruptum est: si ipsi itidem rumpere per talionem velit: quæso an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium. in quare ea primùm difficultas est inexplicabilis. Quid si quis membrum, inquit, alteri imprudens ruperit? quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet: ictus quippe fortuitus & consultus non cadunt sub eiusdem talionis similitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exsequenda talione non licentia jus habet sed imprudentia? sed & si prudens ruperit, nequaquam patietur, aut altiùs se ladi, aut latiùs, quod cuiusmodi librâ atq; mensurâ caueri possit, non reperio. quin & iam si quid plus erit, alitérue commissum: res fiet ridiculæ atrocitatis, vt contraria actio mutuæ talionis oriatur, & adolescat infinita quædã reciprocatio talionum.* His Fauorini argumentis addi potest historia, an fabula, quæ perspicuè ostendit, damnum casu illatum, sæpe non nisi incertum, & maiore periculo reponi posse. Homo vnus

Aul. Gellius lib. 20. Noct. cap. 1.

aliquis de pago, in vrbe bono foro vsus, liberaliùs vino sese ingurgitauit. Baccho plenus conniuere cœpit; neq; sensu & ratione sopitis, locum, in quo biberat, mutauit. Itaque propter fenestram considens vertigine & sopore perturbatus, dū nescio quid somniaret, ita exterritus est vehementer, vt exiliret, & per fenestram præceps in publicum, laberetur. Dixisses, Astyanactem de turri præcipitatum, tanto pondere cecidit, somno, vinoque & multo adipe obesus rusticus. Felicitas illius, alterius infortunium fuit. Eo enim ipso tempore alius in platea, juxta eamdem domū, & parietem transiens, nec quidquam minùs, quàm ruinam suspicans à ruente oppressus est pagano, adhuc ronchos ducente, & vix tandem excitato à confluente hominum turba, quæ casu, aut morientis clamore excitata, è vicinis vndique ædibus sese effuderat. Re intellectâ, cadauer sub tecta, rusticus in carcerem trahitur. Ibi postquam edormiuit crapulam, dies ei dicta est. Constituta die, apud judicem se sistit reus, & actor. Narratur casus. non negat rusticus. Ibi ergo Caussidicus patentem facundiæ suæ campum nactus; *Quid argumenta quærimus?* (exclamat) *habemus fatentem reum, non negat facinus, homicida est. occidit; occidatur lege talionis, quod fecit ferat. Mors morte luenda est. Neq; quisquam dicat, vini id flagitium fuisse. Non vini, sed vinolenti culpa occisus est miser. Ebrius fecit? quid tum? non excusat, sed duplicat crimen, qui crudelitatem pariter accusat, & ebrietatem Crudeliter enim sitit, quisquis non bibit sine exitio & interitu alterius. Bibat quantum volet, qui nemini nocet in ebrietate; soli Deo reddet rationem. Ast quisquis potando & se perdit, & alios, potando iam facit quod potus est patraturus. Luat ergo, quod patrauit temulentus homicida Nam occisæ vxor & liberi nihilo sunt feliciores, quòd vel maritus, vel parens illorum interemptus sit ab ebrio, quàm à sobrio. Quamquam tam immane est crimen, vt sobrius non fecisset. Crapula igitur in caussa est, crapula scelus est, per quod & vxor coniuge, & liberi spoliati sunt parente. Hi, ô judex, à te petunt, vt secundùm jus & æquum sententiam pronunties; hi postulant vindictam, hi poscunt, vt lege talionis, par pari referatur.* Dixit. Auditâ hac accusatione, judex jussit, & rusticum perorare caussam. Is, nulla re excusata, incompendio retulit: *Quando ego tam reus sum, ô Domine judex, non defugio, neq; detrecto subire, quod iste petit, Vt ergo par pari referatur; inebrius*

inebriet se etiam iste, atq; ad meum modum, in eadem fenestra obdormiat, meq; inibi transeuntem desuper cadens obruat. Quam conditionem & talionem, cùm acceptare nollet actor, potiusque occisum inultum censeret relinquendum, quàm tantò vitam suam proscribendam, totum judicium desijt in cachinnos. Hæc talia cum ijs, quæ Fauorinus disputauit, obijci possunt contra legem *talionis*.

Ad quæ Sex. Cæcilius in disciplina juris atque legibus populi Romani noscendis interpretandisque, scientia, vsu, auctoritateq; illustris, amplexus vtráque manu Fauorinum, præter cætera, sic respondit: Maiores nostri *quibusdam iniurijs talionem quoque apposuerunt, quam quidem tu talionem, vir optime, iniquiùs paulò insectatus es: ac ne consistere quidem dixisti, lepida quâdam solertia verborum: quoniam talioni par non sit talio: neq; rumpi membrum facilè possit ad alterius ruptura (vt ais tu) æquilibrium. Verum est, mi Fauorine, talionem ratissimam fieri difficillimè. Sed decemviri minuere atq; extinguere volentes huiusmodi violentiam pulsandi atque lædendi, eo quoq; metu coërcendos esse homines putauerunt; neq; eius, qui membrum alteri rupisset, & pacisci tamen de talione redimenda nollet, tantam esse habendam rationem arbitrati sunt: vt an prudens imprudensq; rupisset, spectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amussim æquipararent, vel in librili perpenderent: sed potiùs eumdem animum eumdemq; impetum in eâdem parte corporis rumpendi, non eumdem quoque casum exigi voluerunt, quoniam modus voluntatis præstari posset: casus ictus non posset. Quod si ita est, vt dico, vt & ipse æquitatis habitus demonstrat: taliones illæ tuæ reciprocæ argutiores profectò, quàm veriores fuerunt. Sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus pœnæ putas: quæ, obsecro te, ista acerbitas, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris: præsertim cùm habeas facultatem pacisendi: & non necesse sit pati talionem, nisi eam tu elegeris? quod edictum autem prætorium de æstimandis iniurijs probabilius esse potest? nolo hoc ignores, hanc quoque ipsam talionem ad æstimationem judicis redigi necessariò solitam. Nam si reus, qui depacisci noluerat, judici talionem imperanti non parebat: æstimatâ lite Iudex hominem pecunia damnabat. Atque ita, si reo & pactio grauis, & acerba talio visa fuerat, seueritas legis ad pecuniæ multam redibat.* Ita Sex. Cæcilius. III.

Legem *talionis* rectè intellectam iustitiæ & æquitati conformem IV.

mem esse, docent etiam diuinæ litteræ, in quibus Dei ipsius nomine atque authoritate Moyses ita statuit: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem pragnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Similes leges repetuntur & in Leuitico, vt mors morte, & aliud damnum simili damno compensetur. *Qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima. Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum, sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Ac rursus in Deuteronomio: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prauaricationis, stabunt ambo quorum caussa est, ante Dominum, in conspectu sacerdotum & judicum, qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentissimè perscrutantes inuenerint, falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui: vt audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Quæ lex, teste S. Augustino, *vindicta & furoris non fomes, sed limes est justus.* Quippe, vt Tertullianus ait, *licentia retributionis prohibitio erat prouocationis.* Et apud Aristotelem Rhadamantus iustum pronuntiat, *si, quæ quis fecit iniuste, eadem & patiatur.* Habet tamen, etiam in diuinis libris, hæc lex talionis limitationem suam, & exceptionem. Tunc enim demum par pari est referendum, si persona lædens & læsa, sit eiusdem sortis, & æqualis conditionis. Qua de caussa, in hac ipsa lege mox excipitur is, qui seruum percussit. Sequitur enim in illa Exodi lege: *Si percusserit quispiam oculum serui sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.* Quare non iubetur, vt *oculum pro oculo aut dentem pro dente restituat.* Neque sanè par est, vt, si Princeps rustico colaphum incutiat, ab eodem colaphum expectet.

Exod. 21. 22.

Leuit. 24. 17.

Deuter. 19. 16.

S. Augustin. lib. 12. contr. Faust. cap. 25.

Tertullian. lib. 2. contr. Marcionem cap. 8.

pectet. Maior enim est iniuria, si Princeps à rustico, aut dominus à seruo, quàm si rusticus à Principe, aut seruus à domino percutiatur. Atque vt videas legem duodecim tabularum cum diuina congruere, eamdemque vtrique esse expositionem, *Probabile est,* inquit Abulensis, *quod nonnulli D. D. asserunt, scilicet pœnam talionis debuisse irrogari à judice, si læsus illam peteret; quòd si non peteret tam, sed mallet pecuniam, tunc iudex non tenebatur, immò non poterat infligere pœnam talionis.* Abulens. in c. 24. Leuit.

V.

Hanc legem non improbauit, & (quia moralis est) nec abrogauit Christus, quando dixit: *Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, &c.* Clarum est enim, Seruatorem eo loco non instruere judicem, sed docere iniurias patientem, & ad perfectionem patientiæ ducere; ne vindictam petat, sed vltionem Deo relinquat. Iudex *non sine causa gladium portat*, sed vt eum stringat iustè in illos, qui strinxerunt in alios iniustè. *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et ad magistratum pertinet, mortem morte compensare. Is autem qui iniurijs est violatus, etsi ius suũ possit repetere, rectiùs tamen sanctiusque se gerit, si non petit talionem. *Nempe Dominus potiùs misericorditer perferendam indicat infirmitatem alterius*, ait S. Augustinus, *quàm alterius supplicio suam mitigandam. Neq; enim hic ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet. Ipsa enim quoque pertinet ad misericordiam. Nec impedit illud propositum, quo quisq; paratus est, ab eo, quem correctum esse vult, plura perferre; requiritur enim, vt & ille vindicet, rerum ordine potestas data est. sed cum ea voluntate vindicet, qua pater in filium paruulum, quem odisse non potest.* Hæc Augustinus, qui eadem alibi copiosiùs repetit. Et contra mendacium disputans ait: *Ea, quæ in nouo testamento à Sanctis facta sunt, valent ad intelligendas Scripturas. Velut cùm legimus in Euangelio: Accepisti alapam in dexteram maxillam, præbe & alteram. Exemplum sanè patientiæ nullum, quàm ipsius Domini excellentius inuenimus, & ipse tamen, cùm alapa percussus esset, non ait: Ecce alteram maxillam: sed: Si malè locutus sum, exprobra de malo; si autem bene, quid me cædis? Vbi ostendit, præparationem tantùm alterius maxillæ in corde faciendam.* Itaque passus est Matth. 5. 38. Rom. 13. 4. Matth 26. 52. S. Augustin. lib. 1. cap. 32. de serm. Christi in monte. Idem epist. ad Marcell. S. Aug lib. contra mendac. c. 15. Ioan. 18. 22.

Christus iniuriam, & alapam excepit animo non turbato, docere tamen voluit percutientem, quàm iniquè egisset. Et quamquam tunc maxillam alteram non præbuerit, vt ostenderet, quod iustè esset innocenter percusso; tamen paulò pòst, non vnam, sed vtramque maxillam præbuit sæpius diuerberandam, quando ei coronam de spinis imposuerunt; *& veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Iudæorum: & dabant ei alapas:* non vnam alapam, sed alapas, & plus quàm alapas. Quamobrem ad illud Christi dictum: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis?* ait idem S. Antistes: *Hîc dicet aliquis, cur non fecit Christus, quod ipse præcepit, maxillam vt præberet alteram? Quid? Non solùm maxillam alteram iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparauit in ligno, & demonstrauit, sua illa præcepta non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda.*

Ioan. 19. 3.

S Augustin. tract. 113. in Ioan.

VI. Act. 23. 2.

Quod etiam fecit Paulus, qui interim, quando *Princeps sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os eius,* iustitiæ zelo abreptus *dixit ad eum: Percutiet te Deus paries dealbate.* Non vtique tunc præbuit alteram maxillam; sed iniustè iubentem monuit officij sui, & criminis arguit. Ita enim loquitur S. Augustinus: *Paulus Pontificis jussu palma percussus, contumeliosè visus est dicere: Percutiet te Deus, paries dealbate; quod minùs intelligentibus conuitium sonat, intelligentibus verò sanè prophetia est. Paries quippe dealbatus hypocrisis est, id est, simulatio, sacerdotalem præferens dignitatem, & sub hoc nomine, tamquam candido tegmine, interiorem quasi luteam turpitudinem occultans. Ita vt nomine forinsecus niteret, intrinsecus luteis concupiscentijs sorderet.* Quo pacto alibi loquitur idem Pater. Prohibuit quidem Christus, ne quis *malefacientibus malefaciat, maledicat maledicentibus, & imprecetur;* & ipsemet Apostolus idem præcipiens ait: *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere:* & ab se sic factum scribit: *maledicimur, & benedicimus,* tamen licet quandoque *vtrumlibet zelo iustitiæ, & judiciaria potestate, atque sine vindictæ liuore, sine odio,* vt D. Gregorius obseruat. Quo pacto idem Paulus scribit: *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera opera eius: quem & tu deuita: valde enim restitit verbis nostris.* Et alibi: *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Quo zelo etiam correptus

S Augustin. lib. 1 serm. Domini in monte c. 19.

Idem lib. de mendacio cap 15.

Luc. 6. 28.

Rom 12. 14. 1. Cor. 4. 12.

S. Greg. lib 4 Mor. cap 6.

2 Tim. 4. 14.

Gal 5 12.

correptus fuit Elias, quando duos quinquagenarios, cum subditis sibi militibus, iussit ab igne cæleſti deuorari: & Ieremias, quando præuaricatoribus iratus orauit: *Congrega eos, quasi gregem ad victimam:* quamuis eadem per modum prædicentis potiùs, quàm optantis dicta videantur. Quo pacto etiam D. Paulus dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* De qua ſententia loquens S. Chryſoſtomus ait: *Nouimus quidem, quòd de hoc loco aliqui ſatisfacientes, loco prophetiæ velint eſſe, quod dictum eſt: nec culpo dicentes: etenim iſtud euenit, ſicq; defunctus eſt.* Siue autem meræ prædictiones fuerint iſtæ, ſiue imprecationes ex zelo prouenientes, rationi conueniebant, neque Chriſti præcepto aduerſabantur: vt enim *qui nos docuit ſagittare, non vetuit jaculari, ſed vetuit, ne aberremus à ſcopo: ita non eſt interdicta punitio, ſed in tempore, & aptè facienda.* Ex quibus intelligimus, legem TALIONIS à Chriſto non fuiſſe ſublatam, ſi iuſta & illi ipſi, in quem vindicta ſtringitur, aut certè alijs, vtilis cauſa ſubeſt; quamuis interea legem illam perficiens, nos ita voluerit animo eſſe ad omnes iniurias præparato, vt non ſolùm non ſimus ſimiles inſanis, quorum *cùm in animum ira incidit, velut ſæua tempeſtas, tantos excitat fluctus, vt ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor albeſcens:* verùm etiam, vt alteram atque tertiam, & quartam plagam Spartana, immò Chriſtiana nobilitate, patientia, & conſtantia excipiamus.

4. Reg 1. 10. Ieremi. 12. 3.

S. Chryſoſt. hom. 6. de laudib Pauli.

Lactant lib. de ira Dei, cap. 5.

Interim, quidquid ſit de *talione*, quam vel jure noſtro petere; vel cum merito remittere poſſumus; illud tamen duplicem parit in hominibus fructum, quòd Deus plerumque ſoleat *lege talionis* plectere damnatos iniuriarum. Primùm enim qui nouit juſtiſſimum mundi judicem nihil mali impunitum relinquere, & verò etiam par pari referre, non ſolùm non offenditur, quaſi nulla ſit iuſtitia mundum adminiſtrans; ſed libenter quoque Deo relinquit vltionem, quam & certam ſcit eſſe, & culpæ ſufficientem. Deinde accurata *talionis* expectandæ conſideratio, facit magis, quàm vlla alia res, malos & ad offendendum pronos, iniurijs abſtinere. *Quotusquiſq; reperietur,* ait Tullius, *qui impunitate propoſita, abſtinere poſſit iniuria? Impunitas peccandi maxima eſt illecebra:* pœna igitur medicina. At pœna talionis conuenientiſſima; quia, ob æ-

VII.

Cic. lib. 3. de offic.

qualitatem, justitiæ maximè conformis, eique cui infertur vel id. circo molestissima, quia per eam patitur, quod ipse alteri, tamquam maximè molestum intulit. Cantharides & scorpij in se circumferunt sui veneni remedium; ita & ipsi peccato inest sua pœna suppliciumque, si redeat in authorem; qui, si volet prouidere, eam ipsam pœnam vertere potest in medicinam; dum enim metuit iniurias pati, cauet eas facere, quas haud ambiguè cogitat in caput suum reuersuras. Interrogatus aliquando Solon, *Quanam ratione nullum in vrbe scelus perpetraretur?* respondit: *Si tam indignarentur illi, quibus non est facta iniuria, quam quibus facta est.* Certè plerique grauissimè sentiunt ea, quæ contra se dicta, aut facta sunt, etiamsi leuissima sint reipsa; at ea, quæ etiam atrociter in alios geruntur, nihili æstimant, hinc neque impediunt, etsi ex officio obstricti punire deberent; impediturі vtique, & punituri, si eorum *cor vnum, & anima vna* esset cum illis, sentirent enim tamquá sibi illatum malum; quorum enim vna est anima, vnus est sensus: neque secus, quod peccaretur, vindicarent, atque sibi factum, si *proximum diligerent, sicut semetipsos.* Quia igitur nostra magis sentimus, quàm aliena, si nos ipsa iniquitas non cohibet ab iniuria alijs offerenda, saltem frenum habebimus, si in malis timeamus; stimulum, si in bonis speremus *talionem.*

Strobæus ser. 41.

Act. 4. 32.

Matth. 5. 43

CAPVT XLIII.

Etiam virtutibus, & bonis operibus suam esse talionem.

I.

Ita & virtutum Magister Christus, vt nos eodem verbo doceret, & *declinare a malo, & facere bonum,* velut *talionis* legem denuo promulgans, dixit: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Si bene feceritis, recipietis bene; si malum dabitis, malum accipietis. Quamquam ea Numinis bonitas est, vt bonum præmijs vltra condignum, malum supplicijs citra condignum soleat remunerare. Quod etiam in veteri prouerbio insinuatum Cicero & Lucianus docuerunt, *αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώονι, eadem mensura, & melius.* Certè non strictè eâdem, sed maiore nobis mensurâ remetiendum indicat Lucas inquiens: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quod legi *talionis* nihil officit, diuinis laudibus multum addit.

Psal 36. 27. Matth 7. 2. Marc. 4 24. Luc. 6. 38.

Cic. lib. 33 ad Attic. Lucian. in imaginib

Talio

Talio enim qualitatis est, non quantitatis. Et ad diuinam pertinet liberalitatem, vltra meritum præmia refundere; ad diuinam clementiam, citra condignum statuere pœnas. Itaque eâdem mensurâ, non re, sed proportione remetietur. Proportione quidem, quia quò nos erga alios, vel seueriores, vel liberaliores fuerimus, hoc etiam erga nos seuerior, vel liberalior erit Deus; tametsi eius misericordia infinitis semper partibus maior sit nostrâ. Longè igitur maiora sunt præmia meritis nostris, quia *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, & quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Atque hoc quidem in altera fiet vita. Quoniam autem multi præsentibus magis mouentur, quàm futuris, etiam huius vitæ quadam pariatione nos vult regi noster legislator. Hinc illa reliquit oracula: *Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Propheta.* Atque alibi, cùm mandatum de Deo diligendo recitasset, subjunxit: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Propheta.* Mensura diligendi proximi, est amor quo nos volumus diligi: volumus autem nos maximè diligi, necesse est igitur, vt & proximum maximè diligamus. Neque dilectionis tantùm est hæc regula, sed omnium etiam nostrarum actionum. *Omnia*, ait, *quæcumq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quibus verbis nos monet, vt tales simus in alios, quales in nos illos experimur. Id ipsum exprimunt & leges ciuiles, in quibus vulgare est illud: *Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem jure vti debet. Hoc edictum*, inquit Vlpianus, *summam habet æquitatem, & sine cuiusquam indignatione justa. Quis enim aspernabitur, idem jus sibi dici, quod ipse alijs dixit, vel dici effecit?* Necesse est ergo, *vt quod ipse quis in alterius persona æquũ esse credidisset, id in ipsius quoq; persona valere patiatur.*

Rom. 8 18. 2. Cor. 4 17. Vide S. Augustin. lib. 22 de ciuit.

Matth 7.12. Luc. 6.31.

Matth. 22. 38

Matth. 7. 12.

ff lib. 2. tit. 2 L. 1. quod quisque iuris.

II.

Ex Gemma Fr. d. Vngari Min. ser. 70. Et Stemmat. Mariano 11. Iunij.

Coniugum par erat, vitâ dispar. Vxor pia, impius maritus. Vt ergo illa hunc Deo lucraretur, in talem modum Dei Matrem rogauit: O Dei & misericordiæ parens, Si tu meo, & ego tuo loco essem, quid, & quo pacto velles à me, pro te, orari, fieriq́ue? Id igitur nunc tu ora, & impetra pro me, proq́ue impio meo coniuge. Redue illum, obsecro, ab iniquitate & vsuris suis in viam justitiæ,

ô misericors Virgo. Sic precata, aliquot religiosos ad prandium inuitauit; neque sanè inuito coniuge, qui eos comiter excepit, sed illam legem, condicionemque posuit, ne quis inter conuiuandum, sermonem vllum de Deo, deque rebus ad animæ salutem pertinentibus inferret. Neque enim tales offas in suam esse mensam inferendas. Ibi lætitiæ & lautitiæ locum esse. Illi ingenijs hominum se accommodare, & tempori seruire guari, accepta condicione, inter dapes lætè agebant; neq; sacra homini profano obtrudere inuito voluerunt, opportunitatē expectandam rati. Epulo autem finito, vnus suo, & ceterorum nomine, cùm liberalitatem eius laudasset, in vicem gratiæ referendæ, hoc, inquiebat, documentum à me cape: *Omnia, quæcumq; vis, vt faciant tibi homines, & tu facito illis, & quod tibi non vis fieri, alteri, ne feceris.* Si Deus esses, ab hominibus velles præcepta tua seruari; te & matrem tuam amari ex tota mente; Eucharistiam frequenter sumi, à nullo blasphemari, à nullo proximum decipi vel occidi, de nullo domum tuam spurcitijs & immunditijs inquinari. Hoc breue documentum, ita altè in præcordia illi descendit, vt vberes ei lacrymas excuteret. Itaque die altera, toto in ea regula exequenda animo versans fortè ibi transibat, vbi conspexit molitorem, in rota, quam nimbus & inundantes aquæ axi suo excusserant, restituenda vehementer laborantem. Subijt ergo animum illius hesterni documenti memoria. Et hem, inquit, si tu iste molitor esses, nonnè velles alios venire tibi auxiliatum? Mox igitur ex equo desiliens; idem facere jubet famulos comitantes. Ita coniunctâ operâ rotam in locum suum reponunt, cum tanta molitoris admiratione, quanta lætitia. Addit deinde aliud beneficio beneficium, nam & damnum illi illatum sarcit. Mox prioris vitæ pœnitens, atque in virtutem pronior, vxoris præsertim instinctu, quidquid alieni possidebat, ad dominos remisit. Cogitabat enim, etiam se sua, si qua essent apud alios, libenter recepturum. Exinde semper doctior, proficiebat ita, vt quemcumque obuium aspexisset, semper documenti sibi à Religioso dati meminisset. Ea mente cùm esset, incidit in hominem mendicum, non inopia solùm, sed & morbis oppressum, qui stipem petebat. Ibi tacitè mens illi suggessit, quid, si tu mendicus ille esses, tibi fieri optares? nonnè stipem dari? Dabo igitur. Enimuerò optares, te domum

Matth. 7. 12.

domum duci. Ducam igitur domum. Quin & ad mensam te admitti desiderares. Admittam igitur ad mensam, & tamquam Christo seruiã. Et quia crescebat semper in pectore illius diuinus ignis magis, ac magis, eò se documentum illi traditum extendit, vt fœdum illud & vlceribus coopertum mendicabulum à cœna, in proprium cubile deduceret, atque in suo & lecto collocaret; cogitabat enim & sibi gratum futurum, si id fieret similiter ægrotanti. Quin & illud dictabat eadem regula charitatis: Si tu tam exhaustis viribus cum morbo colluctareris, nonnè velles tibi aliquem astare, & vigilem excubare? Velles vtique. Excubabo igitur & ego isti. Altera iam transierat noctis vigilia, cùm inter gemitus audijt miserandum in modum exclamantem ægrum, ac dicentem: Ah, vt sitio! heu siti enecor! moriendum est mihi, nisi quis me frigida refocillat. Quam vocem vbi intellexit excubitor, protinus ita se ipsum est alloçutus: Si tu ita constitutus siti arderes, nonnè velles tibi ab alio gelidissimum haustum afferri? Velles vtique. Itaque sine mora cucurrit, atque properè aquam è puteo haurire cœpit. Nimia properatio fecit inattentum; immò diuina prouidentia, quæ pro haustu aquæ frigidæ, cælum promisit, eum cælo maturũ iudicauit. Nam dum ille festinanter situlam è puteo attrahit, attractus est ipse, vnâ aquis grauidâ præponderante, submersusque expirauit. Facto die, duos familia desiderauit; nam neque mendicus in lecto, neque herus in domo repertus est. Diu, multumque requisitus, neque inuentus cùm esset, fuit, qui se eum, media circiter nocte, per scalas descendentem audiuisse diceret. Adeunt igitur puteum in atrij vmbilico stantem. Inspiciunt curiosiùs, reperiuntque in caput præcipitem lapsum, & aquis suffocatum. Fit clamor, concurritur, luctus ingens omnes inuadit, sed mox in admirationem & gaudium mutandus. Nam postquam eum iniectis funibus, resupinum è puteo extraxerunt, collum aureo torque ornatum videbatur, ita splendebat. Sed non erat torques; litteræ erant supra aurum effulgentes, quę hanc sententiam expresserant:

PRIVSQVAM HOC CORPVS IN AQVA FRIGIDVM FACTVM EST, ANIMA ILLIVS AB ANGELIS IN CAELVM PORTATA EST.

III. Ecce tibi talionem, & retaliationem. Quemadmodum enim opera iniustitiæ, ita & opera misericordiæ suam habent compensationem;

fationem; neque maior est spes diuinæ misericordiæ impetrandæ, quàm si in opere misericordiæ ipsi moriamur. Hæc opera sunt insignia, atque ornamenta eorum, qui vt nobiles & illustres Dei Filij se gerunt. Misericordia est torques aurea, qua se sponso suo animæ condecorant. Qua de caussa dicitur à Salomone: *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam, coram Deo, & hominibus.* Quæ verba exponens S. Chrysostomus ait: *Sicut filij Principum torques aureas, & catenas gemmis ornatas collo appendere solent in signum nobilitatis, ita planè qui filiorum Dei adoptione gaudent, libenter his opibus & ornamentis fulgent, tamquam filij eius, qui misericors est. Estote (ait Christus) misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Et post pauca. *Torquem hunc aureum animæ aptemus (eleemosynam dico) quàm diu scilicet hic fuerimus. Nam cùm ætas hæc præterierit, non amplius eo vtemur. Quod enim in pueris euenit, vt cùm ad virilem ætatem peruenerint, ista deponant, atque alium assumant ornatum, idem quoque in nobis: etenim ibi non erit eleemosyna ista, quæ pecunijs fit, sed alia quædam longè maior.* Quænam? Nimirum reuelatio arcanorum, quam hi, qui gloria superiores sunt in cælo, quasi stipem quamdam inferioribus, ac sibi subjectis erogant, Dei videlicet consilia manifestantes. Quamquam autem diuiti supradicto, ea retributio facta sit, ob misericordiam, quam Christo in mendici schemate exhibuit, lex tamen illa est generalis, extenditq; se ad omnia, quæ alijs præstamus, etiam alia, quâ misericordiæ opera. Ait enim: *Omnia, quæcumq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Propheta,* hoc est, summa totius legis, & Prophetarum.

Prou. 3, 3.

S. Chrysost. ep. ad Philip.

Luc. 6.

Matth. 7, 12.

IV.

Talionem petere nos jussit Seruator etiam tunc, quando docuit sic orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Cuius consolabile exemplum recitat Blasius Melanesius, & post eum Baronius, de Ioanne Gualberto, adhuc sæculari, qui postea sanctissimus Abbas ac pater monachorum Vallis vmbrosæ fuit. Is enim inimicitiarum ac irarum parentis non minùs, quàm facultatum hæres incidit

Matth. 6, 12.

Blas. Melanes in vita eius apud Sur. 12. Iul. & Baron. tom. 11. ad An. Dom. 1051. 3.

incidit aliquando in hostem interfectoremq; propinqui sui, cuius diu exoptauerat interitum, loco tam angusto, vt neuter posset de via deflectere. Ibi enimuerò inimicus ille in geminis angustijs animi & viæ fuit. Atq; vt augeretur periculum, etiam inermis erat. Quid igitur aliud expectare poterat, nisi vt miserandum in modum trucidaretur? In summo discrimine, ad clementiam confugit. Nam ex equo desiliens, humi se prostrauit, junctisque manibus supplex petijt sibi, ob Christi crucifixi amorem, veniam dari: Ioan. Gualbertus, audito crucifixi nomine perculsus, cogitauit vtique illud: *Si non dimiseritis hominibus peccata, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Quamobrem amore illius, qui in cruce dixit: *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt*, pacem illi obtulit, iussumque è terra surgere incolumem liberumque dimisit. Ab hoc facto Ioannes deinde intrauit in templum S. Miniati, quod nunc arce Florentinæ ciuitatis obducitur, ante Christi crucifixi imaginem genua flexit, ibique & ipse supplex veniam suorum peccatorum flagitauit. Et mira res accidit. Vidit enim manifestè in cruce pendentis ligneum caput moueri, atque ad se inclinari, tamquam vicissim ignoscentis, aut gratias agentis, quòd pro eius amore ac pietate in Redemptorem iurato hosti peperciisset. Addit Author: *Hodieq;, hoc est, post annos quingentos adhuc visitur, & pie colitur sacra illa Christi crucifixi statua: cerniturq; ad facti memoriam sempiternam etiam nunc caput eius exporrecta fronte motum longiùs à ligno, cui suffixa est, non in grauati morem demissum, sed eius potiùs, qui amicum benignè salutet, illiq; præstitum officium gratuletur.* Quàm verè igitur dixit Dominus ac Iudex noster: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra?* Quem in finem & S. Cyprianus ait: *Præclara & diuina res salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati.* Recè igitur D. Augustinus ait: *Quotiescumq; Natalem Domini, aut reliquas solennitates celebrare disponitis, odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite; & tanta sit in vobis charitas, quæ non solùm vsque ad amicos, sed etiam vsque ad inimicos perueniat, vt securè possitis dicere in oratione Dominica, dimitte nobis debita, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nam qui scit, se vel vnum hominem odio*

Luc. 23. 34.

Matth. 6. 15.

Matth. 6. 14.

S. Cyprian. serm. de eleemosyna.

S Augustin. serm. 1. de temp. in Dominica 1. Aduent.

habere, nescio si ad altare Domini securus possit accedere, cùm præcipuè
Ioan. 3. 15. Ioannes Euangelista terribiliter clamet, & dicat: *Qui fratrem suum odit, homicida est. Nam vestrum est iudicare, vtrùm homicida, antè, quàm pœnitentiam agat, præsumere debet Eucharistiam accipere.* Simi-
S. Hieron. op. 36. lia scribit S. Hieronymus ad Castorinam, & D. Gregorius in Iob. Quorum ille ait: *Quid agemus nos in die judicij, super quorum iram non vnius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? Dominus loquitur in Euangelio: Si offers munus tuum ad altare, ibiq; recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade, reconciliari priùs fratri tuo, & sic offeres munus tuum ad altare.* At S. Gregorius ait: *Contra institutionem*
S. Greg. l. 10. Moral. c. 38. Matth. 5. 23. *postulationis, conditionem posuit pietatis, dicens: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; vt profecto bonum, quod à Deo compuncti petimus hoc primùm, cum proximo conuersi faciamus.*

V.

Ad misericordiæ talionem particulatim pertinet illa quoq; promissio: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quamquam & hoc de omni misericordiæ genere potest intelligi, teste D. Hieronymo & Theophylacto. Cùm enim æquissimum sit, vt misericordiam exhibeant misericordiam consecuti, vt dicitur alibi: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonnè ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Christus autem pronuntiârit, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, meritò idem Dominus, in suis, misericordiam consecutus, vicissim misereturs eorumdem, quos in suis expertus est fuisse misericordes. S. Gregorius Nyssenus tamen, Augustinus & Leo recitatam sententiam propriè de eleemosyna intelligunt, quia *qui miseretur pauperis, beatus erit*, vt est in Prouerbijs. Et, *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Sed vtique misericordia latiùs se extendit, quàm ad eleemosynas; & misericordiam meretur, quisquis misericors fuit, & fit miser. Quia, vt vel Sophocles dixit, ἀ χάεις χάειν φέρει, *gratia gratiam affert.* Et alibi ipse Christus: *Date, & dabitur vobis.* Cui aliqua ex parte respondent illa Hesiodi:

Matth. 5. 7. Matth. 18. 28 Matth. 25. 40. S. Greg. Nyss. lib. de beat. Augustin lib. 1 de ser. Domini in monte, Leo hom. de omnib. SS. Prou. 14. 21. Psal. 40 1. Sophocl. in Oedipo Coloneo. Luc. 6 38. Hesiod. in 1. Georg.

Æquum, vt ametur amans: qui accedit, iungitur illi.
Da tibi, qui dederit: qui non dederit tibi, ne da.

Dant

Danti aliquis dedit, at non danti non dedit vllus.

Quibus significatur beneficium beneficio inuitari, & officium officio procurari. Quamquam duo posteriores versiculi, si rectè considerentur, & falsitatem continent, & inhumanitatem. Falsum est enim illud; *non danti non dedit vllus*: inhumanum; *qui non dederit tibi, ne da.* Primus certè aliquis dare debuit ei, qui non dederat, alioquin in infinitum esset eundum. Porrò fidelis est Deus, ita miserentis miseretur, & ita dat danti, vt numquam fallat. Igitur quicumque dona vult aliqua, habet artem ea impetrandi: *Date, & dabitur.* Sunt duo quasi fratres vterini, *Date* & *Dabitur*, vnus ab altero non potest separari. Si è domo tua ejiciatur vnus, qui est *Date*, ejicietur & alter, qui est *Dabitur*. Noli ergo separare, quos Deus coniunxit. Qua fronte audes à Deo petere, si ipse petenti Deo negas? *Date & dabitur.* habes promissionem. Ita fidelis est, vt non fallat, ita liberalis, vt plus det. Pro hausta aquæ frigidæ, mercedem; pro eleemosyna *thesaurum in cælo* promittit, & reddit. Non sic reddunt talionem principes terræ. *Dionysius*, teste Aristotele, *citharœdum accersiuerat, vt sibi caneret in nuptijs: atq; cum eo his pactus est legibus, vt quò doctiùs meliuśq; caneret, hoc copiosiorem ferret mercedem. Annixus est omni artificio citharœdus, vti quàm scitissimè caneret, sperans amplissimum præmium. At postridie pactam mercedem reposcenti musico, qui conduxerat, ait, iam persoluisse sese, quod esset pollicitus: nempe par pari retuliſſe, proq; voluptate reposuisse voluptatem, spem lucri significans: qua quidem hoc maior fuerat, quò magis ex arte cantasset.* Verùm eo loco negat Philosophus par pari relatum; propterea, quòd alter id, quod volebat accepit: alter eo, quod expetebat, frustratus est. Nimirum ex mundi Genio faciebat Dionysius.

Luc. 6. 38.

Matth 10. 42. Matth. 19. 21. Aristot. lib. 9. Moral.

Aliter facit Christus, cui dari, quod pauperi datur, expertus est D. Martinus, vidit enim eum chamydis suæ, qua pauperem texerat parte vestitum, ad Angelorum circumstantium multitudinẽ dicentem: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Theophanius Comes pauperum amator & susceptor à Christo audiuit: *Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in me ipso susceptisti.* Talionem autem esse liberalitatis sensit conspexitq; S. Catharina Senensis, qua aliquando orante, *in Ecclesia*

VI.

Sener. Sulpit. de vit. S. Martini c. 2.

S. Gregor. hom. 56. in Euang.

Raymund. à

Capua in vita eius, & Antoninus 3 p. hist. tit. 23. cap. 4. Sur. 29. April.

Dominicanorum Senensium, quidam mendicus ab ea petijt opem. Illa, cùm nihil haberet apud se, roganit, vt expectaret, donec esset reuersa domum. At illo dicente, se tam diu expectare non posse, sancta Virgo eius non ferens afflictionem, anxiè cogitare cœpit, quidnam ei dare posset. Mox succurrit ei, habere apud se crucem paruam argenteam. Eam igitur pauperi hilariter dedit, ut q; eâ acceptâ latus abscesserit. Nocte proxima Christus Virgini oranti apparuit, eamq; crucem ei ostendit, multis gemmis vndique ornatam, promisitq; ei, se in die iudicij eam coram tota Angelorum & hominum frequentia ostensurum. Alio tempore, eadem Sacra Virgine Catharina ex eodem templo redire volente, Christus occurrit in forma iuuenis pauperis, ac peregrini triginta plus minus annorum, petiuitq; ab eâ vestem. Illa rediens ad Sacellum, vnde descenderat, tunicam non manicatam, quam sub extima veste propter frigus habebat, sibi cautè detraxit, pauperiq; tribuit, nesciens esse Christum. At ille etiam lineum vestimentum petijt. Tum illa iubet eum se sequi ad ædes suas, vbi ei subuculam & subligaculum dedit. Verùm non destitit ille plura mendicare, vt probaret eius animum. Quid, inquit, faciam hac tunica, qua manicis caret? Quæso etiam manicas mihi largiaris. Illa perlustrat domum, & ecce videt a pertica suspensam nouam ancillæ tunicam: ab eâq; manicas auferens dat pauperi. Rursus pauper etiam se cum in domo hospitali se habere dicit, valde indigentē vestibus. Tum verò S. Virgo nihil prorsus sibi superesse videns, quod daret præter tunicam, qua erat induta, quam non sinebat virgineus pudor & honestas, vt sibi detraheret, ne nuda cogeretur cum multorum offendiculo incedere, dixit illi: Reuera charissime, si possem vllo pacto, libenter aliquid præstarem tuo socio. Ille verò subridens: Video, inquit, promptum animum tuum: sed iam bene vale. Etsi autem S. Virgo, illo recedente, ex quibusdam signis coniecit, Dominum IESVM esse; tamen quia tanta gratia se indignissimam putabat, ad consueta se recepit exercitia sua. Sed nocte sequenti Dominus ei oranti manifestè se visendum præbuit, in illius pauperis effigie, in manu ferens tunicam, quam ipsi Virgo dederat, margaritis iam & coruscantibus gemmis conspicuam, aitq; se illi daturum vestem inuisibilem, quæ ab ea arceret omne noxium vtriusq; hominis frigus. Quod certè etiam re ipsâ præstitit, adeò vt ex eo tempore ijsdem hieme, quibus æstate, contenta fuerit vestibus, immò nec hiemis intemperiem vnquam senserit. Simul autem etiam Dominus, & cùm crucem argen-

argenteam, & cùm hanc tunicam illi ostenderet, talia ei promissa fecit, vnde certò illi constare posset, illam in cælis excellenti gloriâ sine fine perfruituram. Vides talionem optabilem, & erucem datam mendico in terris, in iudicio, gemmis condecoratam toti mundo cum gloria ingenti redhibendam? Vides vestem visibilem cum inuisibili commutatam? Vides, quantum prosit *Dare*? Vides, cui prosit? Verè dixit S. Leo: *Nobis præstamus, quod alys erogamus.*

S. Leo serm. 1. de collectis

VII.

Carolus Regius in orat. Christian. lib. 10. c. 8.

Cosmas Mediceus, qui fuit Magnorum Ducum Hetruriæ primus, multa expendebat, vt opem afferret egentibus. Cuidam igitur ex familiaribus, eum nimis liberalem appellanti, respondit: Se in libro, initarum cum Deo rationum, dati & accepti, numquam potuisse eò peruenire, vt quæ deberet Deo solueret. Nam quò plura dabat, etiam eò plura recipiebat, semperq; inueniret, se debitorem. Deum verò creditorem. Dignum tanto Principe dictum, & geminum illi, quod S. Gregorius Nazianzenus scripsit: *Numquam Dei liberalitatem & beneficentiam vincet, quamuis omnium tuarum facultatum jacturam feceris; quamuis te etiam facultatibus adjeceris. Nam hoc quoque ipsum accipere, est Deum aliquid nobis donare.* Subnectit idem S. Pater duas insignes comparationes; vnam vmbræ, quæ non potest ita prævolare ante corpus, aut tardè subsequi, vt ab eo separetur; quia progrediente corpore, semper simul progreditur, ac velut adhærescit: alteram capitis, supra quod membra cetera numquam possunt excrescere, cùm quantumuis illa augeantur, semper caput item attollatur, atque superstet. Illustrissima sanctæ huius talionis, ac compensationis, vsque in centuplum, exempla recitantur, à Gregorio Turonensi, & Paulo Diacono de Tiberio Cæsare; à Metaphraste & Bredenbachio, de Ioanne Eleemosynario; à Surio de S. Germano Episcopo; à Lipomanno de S. Marcello Archimandrita; & alia ab alijs. Ita nimirum diuina benignitas, semper eminet, numquam ab hominis liberalitate superatur. Quis ergo non velit *dare*, vt sic detur? quis recuset esse *misericors*, cùm *misericordes misericordiam consequantur* in tantum augendam, vt ab homine numquam possit adæquari? Fuit hoc certamen inter Deum, & Ioannem Eleemosynarium, qui ferè quidquid accepit, illico dedit pauperibus, & tamen semper iterum diuinitus recepit. Vnde multoties inuentus est ita Deum in exultatione spiritûs compellans: *Sic, sic, aut tu mitten-*

Gregor. Tur. lib 5. c. 19. hist. Franc. Paul. Diac. lib 3. hist. Longobar. c. 6. An. 576. Metaph. in vita S. Io. Eleem. Bredenb. lib 6. Coll. 10 Sur. 31 Iulij lib. 2. cap 11 vitæ S. Germ. Lipom. 22. Decemb. Luc. 6 38. Matth 5. 7.

Leont. Episc. Neapoleos in eius vita.

mittendo, aut ego dispergendo: videbimus, quis vincat. Liquet enim, quoniam tu dives. Domine, & vita nostra miserator es. Hac ipsa de caussa, cùm aliquando dies elapsus esset, quo non meminerat, se opus misericordiæ vllum præstitisse, mœstitiam vultu præ se ferens singularem à Sophronio interrogatus, quid ei triste accidisset, respondit: *Hodie miserandus Ioannes, non ab aliquo vllam recepit mercedem, neq; vllum vel minimum piaculum potuit offerre Christo pro multis & magnis suis delictis, quo modo neq; alias vmquã.* Quid mirum ita sentire Christianum, qui credit illud à veritate dictum: *Misericordes misericordiam consequentur:* itemque: *Date, & dabitur?* cùm à Romano Ethnico Imperatore dictum fuisse scribatur: *Hodie non regnauimus, quoniam neminem affecimus beneficio:* & à Græco, in simili caussa; *Amici, diem perdidimus.* Etsi autem plurimis diuinus remunerator mercedem præmiumque virtutis in alteram vitam reseruat, multis tamen etiam virtutis talionem in hac quoque pro-
Matth. 19 29. mittit, & largitur: clara enim sunt illa: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem ut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aternam possidebit.* Sed de hoc argumento agendi proprius locus est, in tractatu de judicijs, quę Deus in altera vita exercet: hìc satis est, docuisse obiter, etiam virtutũ talionem esse in hac vita à Deo. *Iacobus Aragoniæ rex, Ordinis D. Mariæ de Mercede,* (seu redemptionis captiuorum) *præcipuus auctor esse creditur,* ait Io: Mariana,
Ioan. Mariana lib. 12. c. 8. ad An. 1218. *voti reus, vt quidam scribunt, quod Muntione, dum captiui instar tueretur, Virgini Matri nuncuparat, vsu edoctus, quantum esset captiuitatis malum.* Hinc libertati redditus, Deoq; gratus, eum Ordinem instituit, qui etiam alios captiuitate liberaret, vt etiam alios eo beneficio afficeret, quod ipse expertus esset. Faciant hoc homines, & non faciat Deus, qui protestatur sibi fieri, quod fit suis? Nunc ad pœnæ talionem accedamus.

CAPVT

CAPVT XLIV.

Cacia, nubes in se trahenti, similes esse, qui malum, quod alijs parant, patiuntur, idq; Poetarum & fabularum exemplis declaratur.

I.

VEntus, cui Cæcias nomen, qui media inter Aquilonem & exortum regione flat, à Plinio scribitur, vnus contra aliorum Septemtrionalium ventorum naturam, non pellere, sed *in se trahere nubes*, in Ponto. Aristoteles putat, eum circa ortus æstiuos spirare; quòd autem nubes, non more reliquorum ventorum, à se abigat, sed ad se vocet, caussam existimat esse, vel quia alius ventus reflat aduersus, eodem tempore; vel quia hic è sublimi cæli parte spirans, puta orientali, non transuersus per terram fertur, sed recuruata linea, propter reflexum, vnde exortus est, eò recurrit. Animaduersa hac Cæciæ natura, Sertorius Cacitanos, vel Characitanos hostes ad deditionem coëgit in hunc modum. E regione speluncarum, in quibus illi se continebant, obiecit aggeres cinericios. Quibus incursatione equitum concitatis, Cæcias tantum pulueris in fauces speluncarum deuexit, vt, cùm ferre non possent, se se Sertorio in manus darent. Natum est ex hac venti indole prouerbium, *Mala attrahens ad se se, vt Cæcias nubes.* Cæciæ similes sunt peccatores; & maximè illi, quorum malitia alios violat. Nam, vt etiam est in adagio, *sibi parat malum, qui alteri parat*, teste Democrito Chio. Et, si aliud malum non rediret ad authorem, certè quisquis alium fraudat pecunia, seipsum spoliat bona mente. Itaque grauiùs seipsum lædit, quàm alterum.

Plin. lib. 2. nat. hist. 46. Arist. lib. de Mundo & Meteor. & sect. 26. Problem. A Gellius lib. 2. c. 22.

Plutarch in vita Sertorii.

Apud Arist. lib. 3. Rhet.

II.

Quamquam interim etiam plerumque eodem plectitur malo, quicumque alteri intulit malum, diuina quadam lege talionis; vt in quo quis peccat, in eo & puniatur, similis circino, cuius pes alter, in circulo describendo, ad idem punctum recurrit, vnde cœpit; aut circumforaneo, qui ridiculi caussa hominibus os sublinit. Is enim postquâ pyxidem, cuius operculum vndiq; est circumforatum, contritis in farinæ modum carbonibus impleuit, jubet obuios quosque fistulam operculo insertam ori admouere, & canere. Quod qui conantur, tota facie maculantur. Dum enim inspirant, fuliginem vultu excipiunt è pyxide ad se reuolantem, Idem contingit

tingit injustis infamatoribus, detractoribus, delatoribus, calumniatoribus, dum enim alios, diabolo suggerente, conantur maculare, sibi ipsis grauiorem notam inurunt. Quisquis enim prudens eos audit, ex cantu nouit calumniatores. Illa igitur lingua, quæ in alios stringitur, in se ipsam, tamquã *arcus prauus* reuertitur. Quæ res eò miserrima est, quia *bis interimitur, qui suis armis perit.*

Psal. 77. 57.

III.

Ouid. lib. de art.

Dicitur Ægyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus, atq; annos sicca fuisse nouem.
Tum Thrasius Busiris adit, monstratq; piari
Hospitis effuso sanguine posse Iouem.
Illi Busiris: fies Iouis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli,
Torruit, infelix imbuit author opus.
Iustus vterq; fuit. Neq; enim lex justior vlla est,
Quàm necis artifices arte perire sua.

Nimirum Thrasius, seu Thrasillus, cùm ad exorandas à Ioue pluuias Busirin docuisset hospites immolare, omnium ipse primus immolatus est, meritoque *sacri monstrator iniqui,*

Elicuit pluuias victima factus aquas.

Perillus autem in tauro æneo, quem ad torquendos alios excogitauerat, ipse quoque primus in eo ignito mugijt. Hincilla imprecatio:

Ouid. in Ibin.

Ære Perillæo veros imitare iuuencos,
Ad formam tauri conueniente sono.

Plin. lib 34. nat. hist. c. 8

Perillum nemo laudat saniorem Phalaride tyranno, ait Plinius: *qui taurum fecit, mugitus hominis pollicetur igne subdito, & primus cum expertus cruciatum justiore sæuitia. In hoc a simulachris Deum hominumq; denocauerat humanissimam artem. Ideóne tot conditores eius elaborauerant, vt ex ea tormenta fierent? Itaq; vna de causa seruantur opera eius, vt quisquis illa videat, oderit manus*; dicatque, cum jure suo tormento perijsse, quod conflauit, vt eo alios perderet.

Claud. lib 2. in Eutrop.

Sic opifex tauri tormentorumq; repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno,
Sensit opus, docuitq; suum mugire iuuencum.

Quia

Quia & ipse quoque postea tyrannus Phalaris, eidem tauro inclusus, & in cinerem redactus est. Quod supplicium inimico itidem suo Poeta imprecatur:

Vtq; ferox Phalaris, linguâ prius ense resectâ,
More bouis Paphio clausus in ære gemat.

IV. Aristides, apud Plutarchum author est, Ægestam Siciliæ oppidum fuisse, in quo principem locum tenebat Æmylius Censorinus, qui noui tormenti inuentores muneribus cumulabat. Cui cùm Aruntius Paterculus equum ex ære factum ad fontes perimendos excogitasset, eiusdem jussu primus eò coniectus est, & ibidem vstulatus, Æmylio ingeniosus, sibi damnosus. Idem quod Thrasillo contigit, euenit Pygmalioni; qui quòd docuisset, Deorum aras hospitum sanguine irrigandas; eas ipse quoq; suo cruore coactus est fœdare:

Frater vt Antæi, quo sanguine debuit, aras Idem Ouid. in Ibin.
Tinxit, & exemplis óccidit ipse suis.

Sciron immanissimus latro, in Attica, a Theseo in mare præcipitatus est, quò prius hospites ipse præcipitabat; cuius idcirco ossa in scopulos mutata finguntur. Tutus ex eo Atticæ limes

Composito Scirone patet: sparsisq; latronis Ouid. lib. 7. Metam.
Terra negat sedem, sedem negat ossibus vnda:
Qua jactata diu fertur duraſſe vetustas
In scopulos, Scopulis nomen Scironis inhæret.

V. Crudelissima canuntur fuisse Diomedis præsepia, nam ibi equos suos humano sanguine pauit. Tandem ergo & ipse Diomedes ab Hercule datus est in pabulum suis equis. Fabula hæc dici potest; historia tamen sit sæpe apud eos, qui subditorum suorum sudore & sanguine equos ad delicias pascunt. Quid deinde mirum, si & ipsi ab equis perimantur, vel percussi, vel excussi? Icarus pater Erigones, cùm Atticis vsum vini tradidisset, ab eisdem in ebrietatem lapsis interfectus est. Hinc illæ Diræ:

Muneribusq; tuis ledéris, vt Icarus, in quem Ouid. in Ibin.
Intulit armatas ebria turba manus.

Fit sæpe etiam ex hac fabula historia. Quoties enim, qui alterum portando cogit vires, & sanitatem, & vitam ipsam perdere, ipse vicissim vino vires, sanitatem, & vitam perdit? Quot enim culullis

alterum vrget, totidem ipse vrgetur; raroq́; torquet alium mero, qui non & ipse torquetur. Quia ergo par numerus poculorum per vtrumque transit, par etiam plerumque inuadit vtrumque numerus morborum. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causſa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonnè his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?*

Prou. 23. 29.

VI. Accersitum hoc malum stultis stultitiam suam ostendit. Cur enim alterius procurant ebrietatem, si nolunt ipsi inebriari? Cur alteri podagram, chiragram, lippitudinem & assiduas rubentium oculorum lachrymas conciliant; nisi vt, dum ipsi vicissim propinando, velut datatim ludunt, tantundem sibi materiæ affundant, pro lippitudine, & oculorum suffusione acquirenda? Quod etiam in alijs rebus solet contingere. Nam & qui ad duella se prouocant, quid aliud expectant, nisi vt vulnerent, & vulnerentur? Superbus quoque, dum alios despicit, despicitur. Et quisquis odio se ardere ostendit, fit alijs odiosus. Quin & auaritia simili talione punita stultitiam suam prodit. Fertur Antuerpiæ quidam nimius pecuniarum amator, &, nisi me memoria fallit, opulentus mercator, haud ignobilem ad sese accersiuisse pictorem, à quo volebat effigiem suam, ad viuum depingi. In laboris pretium duodecim pepigit Philippæos; sed ea conditione, vt bellè pingeret atque accuratè. Sin autem secus, nihil ei se daturum edixit. Data acceptaque est conditio. Statuto die, sedit mercator, stetit ad tabulam pictor, omnemque operam & artem adhibuit, vt hominis lineamenta ad amussim exprimeret, nec vnum vel in barba, vel in capitis coma pilum imprudens præteriret. Capite satis delineato, cetera corporis domi absoluit. Interea, vt vitia plerumque vitijs repugnant, in pectore mercatoris magnum inter superbiam & auaritiam extitit certamen. Animi tumor gaudebat, quòd se ipsum mercator identidem in effigie sua posset intueri, & egregium illum, diuitemque Eucratem admirari, si imago coloribus suis absoluta afferretur. Auarities mirè dolebat, quòd duodecim Philippæi, sine omni necessitate, essent profundendi, cùm præsertim mercator, vtique longè accuratiùs, & natura non errante, simulachrum suum in speculo expressum, quoties vellet, posset contemplari. Victa esti ab auaritia superbia. Pœnituit eum pepigisse; & tantò magis, quia,

postquam

postquam pictor attulit imaginem, quamuis omnibus numeris absolutam, ipsi tamen etiam superbiæ ea non videbatur satis accurata. Siquidem re ipsa mercator longè se censuit esse, quàm in ea effigie, pulchriorem. Quoniam igitur maluit argentum suum, quàm signum suum domi seruare, irato similis pactum rescidit, prætexens picturam non esse ex conditione pictam, neque ad suam voluntatem, atque adeò à suo vultu diuersam, vt Oedipo opus sit, qui diuinet, cuius ea sit imago. Pictor, qui non minùs ingenium habebat in promptu, quàm penicillum, quasi nihil ea re offensus, placatissima voce respondit, haud se idcirco affligi, facilè se id opus alibi maiore pretio venditurum. Mercator, postquam dixit, de imagine vt faceret, quidquid vellet, jussit pictorem cum tabula sua bonis auibus domum redire. Reuersus domum pictor illico penicillum arripuit, vt imaginem emendaret, mercatoriq́ue rederet similiorem. Versicolorem ergo mitram capiti eius imposuit, Cappadocemq́ue fecit, quali ferè ornatu stulti solent incedere, in aulis Principum. E mitra surgebant geminæ longæq́ue aures, quales Midæ appinguntur, aut quales solent esse asinorum. Neque carebant appendicibus summæ aures, quia erant cacuminatæ, vt tintinnabulis sonoræ viderentur. His insignibus condecoratam imaginem in pinacotheca vænalem exposuit. Quicumque igitur tabernæ propiores transierunt, subsistebant, & cuiusnam stulti ea esset effigies, scire cupiebant. Neque diu ambigui fuerunt. Ita enim facies imaginis respondebat exactè vultui mercatoris, vt ouum ouo similius non esset. Mouit ea res spectatoribus risum, manauit in vniuersam ciuitatem fama; peruenit rumor etiam ad ipsum mercatorem, nimirum cum exiguo illius honore ridiculam eius imaginem prostitui, cachinnis aspergi, vno verbo, illum tamquam stultũ repræsentari. Surgit mercator & accurrit ad tabernam, ac ne diutiùs in argumentũ ridiculi prostet, imaginem pariter atque ignominiam suam iam quatuordecim Philippæis lubens volensq́; redimit. Ita quam superbiam auaritiamq́; in imagine exercuit, in imagine luit; pictorq́; læsus iniuriam ex æquo pensauit.

VII. Diuinæ quoque prouidentiæ iste stilus est, vt per inexpectatos casus fraus in fraudantem retorqueatur. Duo feruntur vicini fuisse, quibus vnum erat granarium, in quo conuectas fruges re-

conderent, sed non vna indoles. Vnus enim erat iustitiæ, alter pecuniæ amans. Hunc igitur auarum subijt aliquando cupiditas rapiendi frumenti, quod ad justum pertinebat, & sanè modicum erat; quemadmodum neque auari aceruus admodum magnus. Ne ergo, per nocturnas tenebras, error contingeret, ac sordidus ille, ipse sibi, quod suum erat, raperet, lacente adhuc sole, clam in granarium irrepsit, suumque pallium vicini frugibus superiniecit, eo indicio, noctu, frumentum alienum deprehensurus. Ita fecit, & abijt. Interea tamen & alter voluit, ante diem abeuntem, visitare frumentum suum. Ingressus igitur ad suam cumeram, reperit eam vicini pallio diligenter contectam. Miratus est initio: sed mox, quia pluuium erat cælum, charitate id vicini factum est interpretatus, vt qui voluerit, neglecta sua propria parte, socij frumentum contra imbres tueri. Vt ergo amor amorem, & beneuolentia beneuolentiam parit, beneficium voluit beneficio compensare. Et, hem, inquit, ita vicinus meus meis rebus cauet? ita prospicit? ita ab ijs arcet pluuiam per tegulas stillantem? Non patiar hoc fieri, non finam me beneficentia superari. reddam amoris vices. dixit, & cum dicto pallium arripuit, atque à suo aceruo ad vicini cumulum transtulit, vt eum contra cæli injurias tegeret. Quod vbi fecit, abijt. Abijt etiam paulò pòst dies, & nocte cælo inducta, ac tenebris sese intendentibus, tenebrio adesse commodam cogitationibus suis horam ratus, ad granarium curiosè obseratum accessit, illudque clauì Laconica furtim reseranit. Ad locum prædæ postquam venit, tenebris imaginationem perturbantibus, oculorum vice, manibus palpare cœpit, donec ad pallij sui indicinam perueniret. Nihil ergo ambigens, se vicini frumentum tenere, saccum repleuit, & secum asportauit pallio tectũ.

Senec. ep. 75. ad Lucilium. Quàm vere dixit Seneca: *Nulli, etiam cui rapina cessit feliciter, gaudium rectè duranit in posterum.* Nam noctis lætitia, diei facta est tristitia. Lux enim orta ostendit, Harpalum hunc, casso labore, non quę vicini erant, sed sua rapuisse. Ita quidem diuina prouidentia voluit, vt sibi ipsi faceret, quod facere alteri cogitârat. Quod audiuimus etiam maligni dæmonis arte aliquando factum, cùm magicæ peritus alteri cultrum in manum præbens, simul & digitum suum, jussit eum audacter secare. Qui postquam secare pari-

ter &

ter & dolorem sentire cœpit, intellexit, se non digitum magi, sed suum nasum tenere; &, si perrexisset, non alteri, sed sibi vulnus inflicturum fuisse. Voluit enim illi versipellis artifex nasum facere dum eum denasaret.

CAPVT XLV.

Varijs S. Scripturæ locis ostenditur, pœnam talionis fuisse indicatam, & inculcatam.

SEd satis fabulæ talionem ostenderunt, in malis inferendis, & referendis. Id ipsum etiam sacræ litteræ sæpius docent. Dauid enim ait: *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit:* & filius eius: *Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Item: *Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Quin & in Ecclesiastico legimus: *Qui foueam fodit, incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo; & qui laqueum alijs ponit, peribit in illo.* Ac ibidem: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet: & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera.* His similitudinibus diuina Scriptura ostendit, dolos & insidias in eum recidere solitas, qui illas alijs fraudulenter struit. Primam similitudinem à fouea sumptam, quidam ita exponunt, vt dicant, eum, qui alteri foueam, id est, sepulchrum aperit, vt ipsum secretò peremptum condat; Dei prouidentia, sæpe ipsum in eam inferri. Quo pacto multi filij patris sui mortem optantes, tumulum, & epitaphium ei, ante tempus fecerunt; sed ipsi priùs mortui, ibidem humati sunt. Alij, magis appositè, aiunt Salomonem ducere similitudinem à venatoribus, qui foueas, seu scrobes faciunt in semitis ferarum: easque vel gramine, vel stramine contegunt complanantque, vt bestias illac transeuntes deludant, incauiusque incedentes & incidentes comprehendant. Quid si à bellis sumpta sit similitudo, in quibus aliquoties suffossis cuniculis hostis hostem dum captat, ipse capitur; bestijs vel flammis, per eosdem cuniculos illi obuiam missis? vt eádem via qua exitium inducere vrbi parabat, exitium recurrat ad fossorem. Idem quod *fouea*, significat in Psalmo *lacus*, hoc est, cella subterranea, carcer, sepulchrum. Ita quisquis dolos, & insidias, & foueas, quisquis calumnias, cu-

I.

Psal 7. 16.
Prou 26. 27.
Eccles. 10. 8.
Eccli. 27. 29.
Ibid. v. 28.

fodias, aut sepulchrum alteri parat, ipse ijsdem, aut similibus fraudibus insidijsque, & malis peribit. Enimuerò, ita homo dolosus & insidiator suis ipse dolis insidijsque plerumque comprehenditur, ijsdemque artibus, quibus alijs nocere cogitat, sibi perniciem conscisçit. Quod passim contingit ijs, qui volunt esse architecti fraudum & insidiarum; decipientes enim decipiuntur, vt Herodi cum Magis fallaciter agenti contigisse scribens Petrus Chrysologus ait: *Fremit dolositas se deceptam, & in se fraus reuersa colliditur. Herodes stridet cadens ipse in laqueum, quem tetendit.* Et infrà. *In altum tendens, cadit ab alto; cælum pulsans, intrat profundum; in se vadit, qui vadit in Deum.* D. Cyrillus ait: *Semper persecutoribus Ecclesiæ conatus ipsorum in caput reciderunt; & tangunt suammet pupillam.*

Petrus Chrysol. ser. 152.

D. Cyrillus in Zachar. 11. 14.

II. Altera similitudo est: *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum;* quod plerique ita exponunt, vt dicant, sicut quis ex edito loco lapidem in alterius caput deuoluit, vt ex turri, vel monte, vel colle, qui ad eum redeat; ita sæpe contingit, vt illa ipsa pernicies, quam per fraudem in alios molimur, in verticem nostrum remittatur. Hanc interpretationem non nemo putat violentam, cùm fingat, lapidem contra naturam suam sursum redire, ac superiora loca repetere, vnde exciderat. Sed non est contra naturam vim lapidis, etiam sursum resilire illisum; quamquam non resiliat, vsq; ad verticem montis aut turris. Sicut nec illud Ætnæ saxum, quo Acis adobrutus est, reuersum est ad Polyphemum, qui illud coniecit in fugientem. Fateor tamen posse etiam ita intelligi: *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum,* non lapis ad voluentem, sed is ipse, qui eum lapidem demisit; quia vicissim & ipse è sublimi loco deuolutus in eumdem lapidem incurret, & illidetur. Sic enim sæpe fit, vt is, qui è fastigio alicuius dignitatis, ad quam euectus est, inferiores & sibi subiectos percutit, aut damno aliquo afficit, pro merito suo obtineat; vt inde depulsus, aut deiectus, eadem, quæ alijs intulit, damna subire cogatur. Hac consideratione Sesostris Ægypti rex, qui interstitium à rubro mari ad Nilum proscindere adorsus est, cùm quatuor duces loco equorum, currui iunxisset, supercilium posuit. Vidit enim ex his vnum identidem ad rotas respectantem, & reuolutionum vices contemplantem;

Prou. 26. 27.

Ouid. lib. 13. Metam.

Diodor. lib. 1.

plantem; didicitque, quemadmodum in rota radij jam supra feruntur, iam ad partes inferiores deuoluuntur, ita contingere inter mortales; vt illi qui hodie eminent, alioſque despiciunt, & premunt, cras ipsi quoque subsint, despiciantur, & premantur. Mihi tamen longè planior videtur tertius sensus. Neque enim necesse est, vt quando dicitur, *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum*, id intelligendum sit de lapide deorsum deuoluto, quem necesse sit sursum reuerti; sed prorsus contrario modo, de lapide, qui magna vi sursum voluitur, semperque suo pondere reuertitur ad voluentem, eumque premit, & verberat. Quod Latini ipsum significant noto illo prouerbio, *saxum voluis*, quo indicant homines inexhausto atque inutili labore fatigatos. *Satis diu jam hoc saxum voluo*, ait ille apud Comicum. Quod prouerbium censet Donatus tractum à Sisyphi fabula, saxum apud inferos sursum ac deorsum voluentis. Verè sic *qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Terent. in Eunuch.

III. Eccli. 27. 28.

Quo intellectu etiam dicitur: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet*; & quò altiùs mittit, fortiùs cadet. Seu autem lapidem mittat, seu sagittam, perinde est. Nam & sagitta, rectis lineis emissa recidit in caput jaculantis. Exemplo est Cretensis ille, super quem confixa aquila suo ipsius jaculo incidens, eum illo peremit, quod in Anthologia epigrammate duplici concinnè descriptum est. Vt ergo, qui vel lapidem, vel sagittam in altum mittit, ita qui alterum injuriâ petit, periclitatur. Cui æmulum est illud verbum vetus: *In cælum expuis*, id est, facis, quod in tuum ipsius caput recidat. Quæ quadrant in eos præcipuè, qui obloquuntur, aut injuriam impingunt his, qui facilè possint lædere. Siquidem, qui in cælum expuit, primùm videtur cælites ipsos afficere contumelia: deinde fit sæpius, vt sputum in ipsius faciem recidat. Nihil autem facilius est, quàm vt superior, si velit, malum reddat inferiori. Vt enim melioris est conditionis, qui ex loco altiore pugnat; ita semper plures habet tangendi inferiorem, percutiendique occasiones, quisquis eminet. Itaque, etsi neminem lædere oportet, nemo tamen periculosiùs læditur, quàm qui potest fulminare ex alto. *Durum est contra stimulum calcitrare.* Ad eumdem scopum tendit illud: *Qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo.* Sunt, qui lapidem putent dici, quasi qui *lædat pedem.* Sæpe ergo Anthol. lib. 4. epigr. 22.

Eccli. 27. 29.

ergo euenit, vt qui lapidem ponit alteri in offendiculum, ipse sui doli oblitus in eum incurrat imprudens; immò, vt qua re alium vincere voluit, eâ vincatur.

IV. Quod vt intelligas, aduerte ex D. Hieronymo, quòd à Prophe-
Zachar 12. 3. ta Zacharia *lapis onerus* vocetur. Vetus enim, in Iudæa, mos fuit, S. Hieronymi adhuc tempore, obseruatus, vt in viculis, oppidis, & castellis rotundi lapides ponderis grauissimi ponerentur, quibus sese iuuenes exercere solitabant, dum eos pro diuersitate virium subleuarunt, alij vsque ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros & caput, nonnulli super verticem, rectis junctisque manibus magnitudinem virium demonstrantes. Addit, etiam Græcorum morem similem fuisse. Nam se in arce Athenien sium, juxta simulachrum Mineruæ, vidisse sphæram æneã ponderis maximi, quam ipse pro imbecillitate corpusculi mouere vix potuerit: cùm autem quæreret, quidnam sibi illud vellet? responsum ab vrbis eius authoribus, athletarum in illa massa robur comprobari; nec priùs ad agonem quemquam descendere, quàm ex leuatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Talis lapis in aula quoque Monacensi monstratur, quem cum poëta, *partem haud exiguam* montis voces, sublatus, gestatus, projectus à fortissimo heroe Bauariæ Duce.

V. *Qui statuit* talem *lapidem proximo suo* in certamen, & virium certamen, *offendet in eo*, quia si videat, quòd tollere eum alter non possit, inueniet se ipsum imparem, ad eum tollendum. Nihil est frequentius, quàm vt alios contemnamus ob laborem, quem fu-
Matth. 23. 4. giunt, vel excusant, cùm tamen eum ipsi perferre non possimus. Quo in genere superiores sæpe peccant. *Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere:* & sæpe non possunt. Itaque, si sorte mutata, eadem facere jubeantur, tunc demum in lapidem offendunt, quem ipsi alijs posuerunt; & *lapis oneris* ostendit illis suam imbecillitatem, qui infirmitatem aliorum agnoscere noluerunt. Tertia similitudo est. *Qui laqueum alijs*
Eccli 27. 29 *ponit, peribit in illo*: quod etiam Dauid voluit monere, cùm diceret:
Psal. 9. 16 *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* S. Hie-
Clem Alex. lib 6 Strom. cap. 1. ronymus legit: *in rete isto, quod occultauerunt.* Clemens Alexandri-

nus,

nus, ceteriqúe Patres aiunt, doceri per comparationem ex artis venandi opere minùs laborioso, & sumptuoso, scilicet per dolos retis, laquei, pedicæ, quibus minùs cautæ deluduntur, & capiuntur animantes, neminem alteri, per technas & fraudes, injuriam parare, quin sibi quoque ipsi paret. Quod ibidem pluribus explicatur. *Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt*, inquit, ideò *exultabo in salutari tuo* Hostes enim plerumque in laqueos se inducunt, quos tetenderunt. Idcirco igitur Dei de rebus humanis procuratio est agnoscenda, speranda, & cum exultatione laudanda, quia videmus peccatores alijs malum struentes, illo ipso malo irretitos comprehendi, & innoxios liberari. Ita enim, teste Caietano, vt Deus Ammonitas ob vetera delicta deleret, permisit Dauidi movere bellum injustum, vt ipsi in eo corruerent. Ob hanc tabionem ibidem subiungitur: *Cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Rectè autem peccata vocantur *opera manuum nostrarum, quia propriè nostra sunt*; vti & *Idola*, quæ non sunt *idola*, nisi prout à nobis fiunt. Itaq; propter *opera manuum nostrarum*, & ob dolos, quos alijs machinamur, in eadem incidimus, quæ alijs machinamur. Ex qua ipsa pœna *cognoscetur Dominus judicia faciens*, & justitia Dei, per ea ipsa homines, quæ faciunt, punientis.

Psal. 9. 16.

Ib v. 17.

Psal. 27. 45.

Quarta similitudo est: *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Damnum commune hoc est, quod homines solent hominibus inferre. 1. Vt limitem loco moueant, & terminos hortorum, pratorum, agrorum confundant, quæ omnia solent sepibus discriminari. 2. Vt equis & curribus viam aperiant, nouamque fundi domino inducant transeundi seruitutem. 3. Vt apris & ceruis pascua monstrent, cum ingenti detrimento subditorum. 4. Vt laceratis sepibus fructus possint asportare hortorum, cuius se culpæ reum in pueritia fuisse, confitetur S. Augustinus. 5. Vt inde sumant bacillos, quibus innitantur viatores. 6. Vt è materia sepium, habeatur materia ignium. Quod Milites nôrunt, qui focos vbi extruunt, nullas sepes relinquunt. His omnibus modis læditur is, qui hortum, pratum, agrúmue circumsepsit. At quo modo lædens viciſſim læditur? *Mordebit eum coluber*; qui non rarò latet in herba, aut inter sepes tegitur, &, velut Hesperidum hortum fa-

VI. Eccles. 10. 8.

S.Greg.lib. 1. Dial. cap. 3.

buloſus ille draco, poma cuſtodit. Audi S. Gregorium. *In eodem*, inquit, *monaſterio* (Fundenſi) *quidam magnæ vitæ Monachus erat hortulanus. Fur verò venire conſueuerat, & per ſepem aſcendere, & occultè olera auferre. Cumq; ille multa plantaret, quæ minùs inueniret, & alia pedibus conculcata, alia direpta conſpiceret: totum hortum circuiens, inuenit iter, vnde fur venire conſueuerat. Qui in eodem horto deambulans, reperit etiam ſerpentem, cui præcipiens dixit: ſequere me: atq; ad aditum furis perueniens, imperauit ſerpenti, dicens: In nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi, vt aditum iſtum cuſtodias, ac furem huc ingredi non permittas. Protinus ſerpens totum ſe in itinere in tranſuerſum tendit, & ad cellam monachus redyt. Cumq; meridiano tempore cuncti fratres quieſcerent, more ſolito, fur aduenit, aſcendit ſepem, & cùm in hortũ pedem poneret, vidit ſubitò, quia extenſus ſerpens clauſiſſet viam, & tremefactus poſt ſemetipſum concidit, eiuſq; pes per calceamentum in ſude ſepis inhæſit, ſicq; vſquedum hortulanus rediret, deorſum capite pependit. Conſueta hora venit hortulanus, pendentem in ſepe furem reperit. ſerpenti autem dixit: Gratias ago Deo, implêſti, quod juſſi: recede modò: qui ſtatim abſceſſit. ad furem verò perueniens, ait: quid eſt frater? eradidit te mihi Deus, quare in labore monachorum furtum facere toties præſumpſiſti? qui hæc dicens, pedem illius à ſepe, in qua inhæſerat, ſoluit, eumq; ſine læſione depoſuit. Cui dixit: ſequere me: quem ſequentem duxit ad horti aditum, & olera, quæ furto appetebat auferre, ei cum magnâ dulcedine præbuit, dicens: Vade, & poſt hac furtum non facias: ſed cùm neceſſe habes, huc ad me ingredere, & quæ tu cum peccato laboras tollere, ego tibi deuotus dabo.* Furto læſit hortulanum ille, & vt læderet, *ſepem diſſipauit*; lædendus viciſſim, niſi Deus, ad mentem hortulani aſpexiſſet. Etenim *coluber eum momordiſſet*, niſi bonus ille Religioſus, furtum magis, quàm furem odiſſet.

VII. Laërt. in vita eius.

Nec nouum eſt, ſerpentes eſſe hortorum cuſtodes, cùm legantur & hominum fuiſſe defenſores. Heraclides Ponticus Philoſophus draconem habuit manſuefactum, eunti & quieſcenti ſolitum adeſſe, & aſſiſtere velut comitem. Didymus Abbas & Anachoreta colubros & ſerpentes innoxios tractabat. *Ciuitas eſt in Achaia, nomine Patræ*, ait Ælianus. *In ea puer* (Thoas) *draconem parvulum emebat. magnâq; cum cura educabat, cumq; creuiſſet, lugebatur quaſi cum intelligente, ludens ac decumbens cum ipſo. Cùm verò*

Ælian. lib. 13. Variar. c. 46.

verò ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à Cinibus est dimissus. Post cùm puer adolescens factus reuersus à spectaculo quodam cum aliquibus æqualibus in latrones incidisset, & clamorem extulisset, ecce draco præsto est, & alios in fugam vertit, alios interimit, ipsum verò saluum conseruat.

Nonnè hos coluber momordit, cùm iuuenem hunc, tamquam sepem dissipare vellent? Quamuis & alius est, *coluber tortuosus*, qui in Paradiso primos parentes momordit, de quo scriptũ est: *Non est caput nequius super caput colubri*, qui mordet Dei legem, tamquam sepem, dissipantes, nec damnum dumtaxat damno, sed vtique longè grauius damnum reponit. Quanta enimcumque sit iniuria alteri illata, numquam tamen tantum est malum, quantum sustinet is, qui iniuriam infert. Ille in pecunijs, in fama, in corpore aliquid patitur; at iniurioſus mordetur à suæ conscientiæ verme, & à peccato de quo dicitur: *Quasi à facie colubri fuge peccata.* Et, si vel modica iniuria, si sepis laceratio sine pœna non abit; quid ei fiet, qui nomen, qui famam alterius lacerat? *Qui dissipat sepem*, ait, *mordebit eum coluber.* Audi, quid sanctissimæ feminæ acciderit, ob sepem quàm parcissimè dissipatam, sepem aperuit, & sibi templum, per angelos aperiri solitum, clausit. Raderi verba, & venatoribus alijsque sepium dissipatoribus diligenter considerandam historiam accipe. *Kunigundis, seu Cunissa nobilissimo dynasta Conrado Comite Oeningensi, ad lacum Acronianum, nepote Othonis Magni Imperatoris ex filia Richalita, oriunda Friderico II. Andecensi regulo, Arbonis filio, Friderici I. Comitis And. nepote B. Rathonis seu Rassonis pronepti nupta, post mariti in peregrinatione Hierosolymitana defuncti mortem, & dotem suam, & quidquid opum possedit Christo consecrauit, modicâ sibi ad vitam tuendam portione retentâ. Imperante namque Henrico S. Imperatore Cœnobium nobile Canonicis, qui D. Augustini leges sequuntur, ad D. Stephani cultum & venerationem in agro Diessensis oppidi, à quo Cœnobium nomen accepit, condidit, ibidemq; vitam sanctissimè traduxit. Modicam quippe cellam in D. Stephani æde, qua occidentem spectat, paullulum à pauimento sub testudine elatam posuit, vbi sub rem diuinam condita Deo precibus votisq; litauit. Ceterùm haud procul inde supra saltum in castro ad Villegium VVenganiano morabatur, vnde sub nocturnas religio-*

VIII.

Iob. 26. 13.

Eccli. 25. 22.

Eccli. 21. 2.

Eccles. 10. 8.

Matth. Rader. in Bauaria Pia. pag. 28.

sorum preces vnà duntaxat ancillà comitata descendebat ad D. Stephani templum, cuius valuas per cælestes ianitores reductis vectium repagulis sibi semper patere animaduertit, nisi quòd semel duntaxat clausas sensit, cùm in descensu per agros & campos, vt imbrium de cælo cadentium aquis iter cœno & ludo impeditum facilius expediret. Sudem è proximâ pauperis villani sepe extraxit, quo corpus ne fallentibus vestigijs in cœnum prolaberetur, sustineret. Tum verò mirata quid esset, quamobrē sibi præclusa ædis sacræ ianua esset, quæ alias semper sponte patuisset, aliquid ab se haud dubie offensum, quo aditum prohiberet, cumq; in se altiùs descendisset, & omnes animi latebras perscrutaretur, si quid deprehenderet, quo numinis clementiam ab se auertisset, nihil tamen (tanta viuebat mulier innocentia) posset reperire, quo deliquisset, tandem ancilla, vide, inquit domina, ne conuulso palo soluta & aperta abs te sepis aliena series tibi portam templi præcluserit. Et hoc ipsum erat, quod à sacrario, innocentem alioquin, matronam prohibebat, nam simul palus suo loco restitutus est, & apertum sepis internallum expletum, illa ad templum & cellam suam in templo sitam, reseratis iterum diuinitus valuarum claustris, liberum aditum inuenit.

IX. Quod per dictas similitudines expressum est, id etiam sine similitudine alijs sententijs passim significauit Scriptura. Et quidem à Deo esse talionē indicat Dauid: *Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*: & Oseas: *Opprobrium eius restituet ei Dominus.* Ita quasi mutuum domino suo restituendum opprobrium reputatur. Eòdem spectat illud: *In operibus manuum suarum comprehenditur peccator*, qui etsi virga Dei est, qua castigantur rei, si tamen plus fecit, quàm jubetur, & fas est, & facit, quantum permittitur, tandem & ipse, tamquam virga in ignem mittitur. Hinc legimus: *Virgâ iræ suæ consummabitur.* Irascetur, & tamquam virga puniet, sed & ipse puniens punietur. Quia *conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* Quod etiam Abdias minitans ait: *Retributionem tuam conuertet in caput tuum.* Quibus in locis etsi consueta phrasi sacræ linguæ ingens supplicij genus exprimatur, cùm dicitur, pœnam in alicuius caput conuerti, eò quòd caput præcipuum sit in corpore; tamen etiam innuitur, mala in authorem, atque in principium suum reuerti, vt cùm Propertius quoque dicit:

Psal. 136. 8. Oseæ 12. 14. Psal. 9. 17. Prou. 22. 8. Psal 7. 17. Abdiæ v. 15.

Flumina-

Fluminaq; ad caput incipient revocare liquores. Propert. lib. 2. eleg. 5.

Quo pacto exploratores ad Rahab aiunt: *Qui ostium domus suæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit.* Hoc pactum pepigerunt Hebræi duo, cum hospite sua. Duo autem falsi testes, apud Danielem, dicuntur *mentiti in caput suum*, mendacio scilicet in caput eorum redituro. Atque hæc de talione in genere dicuntur. Particulatim proximus vel iudicio, vel verbo, vel facto violatur; quo ordine & nos talionem prosequemur, vt constet, *judicia Domini esse vera, iustificata in semetipsa*, & aliquando ita claram ac manifestam Dei paria reponentis pœnam, vt est lumen meridiesque. In hoc triplici læsionis genere, quicumque ius alterius violat, sibi dictum putet, quod senior Tobias filio suo paternè inculcauit: *Quod ab alio oderis tibi fieri, ne tu alteri facias.*

Iosue. 2. 19.

Dan. 13. 55. 59.

Psal. 18. 10.

Psal. 36. 6.

Tob. 4. 16.

CAPVT XLVI.

Iudicium temerarium talione punitum, & puniendum.

I.

Vemadmodum non sine sacrilega blasphemia, ita neque sine stulta insania hæretici Luciferiani Deum accusaue. runt, quòd ejecerit de cælo Luciferum, pessimi spiritûs mali patroni: Marcionistæ autem, quòd indurauerit Pharaonem, & in mari rubro submerserit exercitum Ægyptiorum: Thalmudistæ denique, qui dicere audent, Deum sæpe flere: quòd euerterit templum, Iudæosque dispersерit. Quasi verò summus Iudex malè iudicauerit, quando illum de cælo expulit, qui Altissimum ipsum voluit de solio deturbare; aut quando crudelem regem aquis extinxit, qui in tot infantibus submersis extinguere tentauit totam gentem Hebræorum, vel quando illos dispersit, qui Filium illius, eiusdem gloriæ & diuinitatis participem, infamissimo genere mortis interimentes, in crucem sustulerunt. Itaq; Deus est *fidelis, & absq; vlla iniquitate, justus, & rectus*; quia *rectum judicium eius.* Quid enim? an permittere debet, vt homo nullo delectu, ita temerè judicans, aut suspicionibus sinistris alterum vulnerans impunè ferat judicium ac suspiciones? Tunc injustus esset, si non judicaret, & mala non plecteret. Vt ergo & alios deterreret à temerè

S. Thom. 1. contr. Gent. cap. 95 Irenæ. lib. 4. c. 47 & 48. Thalmud ord. 1 Dist 5. & S. Thom. 1. cont. Gent. cap. 6.

Deut. 32. 4.

Psal. 118. 137.

merè judicando,& alios consolaretur, qui temerè judicantur, di-
Matth. 7. 1. sertè monuit: *Nolite judicare, vt non judicemini. In quo enim judicio judicaueritis, judicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Vides judicij diuini æquitatem,humani talionem?

II.

S. Augustin. de sermone Domini lib. 2. cap 28. 2. Cor. 8.

In quæ verba ita scribit S. Augustinus: *Quia temporalia* (quorum solicitudinem Christus paulò priùs prohibuerat) *in futurum procurare incertum est, quo animo fiat, cùm possit simplici & duplici corde fieri, opportunè hoc loco subjecit: Nolite judicare, vt non judicemini.* Et concludit: *Non ergo reprehendimus ea, quæ nec scimus, quo animo fiant; neq; etiam ista, quæ manifesta sunt, ita reprehendimus, vt desperemus sanitatem.* Ad quem modum etiam D. Paulus, cùm idolothytis vesci prohiberet, tamen non voluit, vt, qui illis non vescerentur, de vescentibus malè judicarent, quia poterant, aut per
Rom. 14. 3. ignorantiam, aut bono animo vesci. *Qui,* inquit, *non manducat, manducantem ne judicet.* Ad similem modum docet D. Augustinus, velle Christum, vt, quamquam ipse rerum temporalium solicitudinem deponi jusserat, tamen eos non judicemus, quos videmus, pro victu, & amictu solicitos esse. Quin & pergit explicans,
Ibid. c. 29. & ep. 49. q. 4. item lib. 2. qq. Euang. cap. 8. quod sequitur: *Sed,* inquit, *potest mouere, quod ait; In quo enim judicio judicaueritis, judicabimini. Numquid enim, si nos temerè judicauerimus, temerè etiam de nobis judicabit Deus? Sed hoc dictum est, quia temeritas, qua punis alium, ipsa te puniet.* Quo modo puniet? 1. In conscientia, quæ te arguet temeritatis. 2. Coram tribunali diuino, ad quod, alibi ostendimus, accessisse Religiosum admodum fidenter, nixum hac sententia: *Nolite judicare, & non judicabimini;* ita vtique accedent cum magna trepidatione, qui sibi conscij sunt, se tribunal illud iniquè inuasisse. Hinc S. Augustinus ait: *temeritas ipsa te puniet.* Hoc est, judicium tuum temerarium, ipsum de te judicabit, seu causa erit, vt de te judicetur. 3. Diuinâ Nemesi permittitur, vt in pœnam talionis vicissim ab alijs hominibus temerè judicentur, qui alios temerè judicauerunt. Quamuis non necesse est, vt hîc spectentur omnes judicij qualitates, sed sola curiositas seueritasq; judicandi. Qua enim curiositate atq; seueritate de alijs judicauerimus, eádem de nobis etiam Deus judicabit; quia quantò nos erga alios erimus seueriores, tantò etiam Deum Iudicem erga nos seueriorem experiemur.

Itaque

III.

Itaque, quando dicitur: *Nolite judicare, vt non judicemini,* non solùm prohibetur, ne injurias à proximo acceptas alta mente repostas teneamus, aut alios non condemnemus, sed etiam ne judicemus, vt S. Basilius & Chrysostomus exponunt: immò ne in alienos quoq; mores curiosi simus, atque in ea, quæ ad nos non pertinent, inquiramus. Quærit D. Hieronymus, alijq; sancti & eruditi Doctores, cur? aut qua ratione Christus vetet de alijs judicare? An non enim subinde tam manifestè aliqui peccant, vt non possit de illis non malè judicari? Blasphemat alter clarissima voce per plateas; adeò ebrius redit domum, vt totidem casus, quot passus numeret; rapit alterius crumenam, aut expalliat illum; immo occidit illum, me præsente; num judicabo, eum non peccare? Quid, quòd D. Paulus non tantùm judicauit, verùm & condemnauit Corinthium illum? Quid, quòd quosdam alios, etiam satanæ tradidit, vt discerent non blasphemare? Petrus an non Ananiam & Saphiram judicauit? Enimuerò, an non Christus Apostolis ipsis tradidit judicandi de peccatis potestatem? Immò, an non & ijs, qui nomophylaces sunt, & omnibus clarè edixit, *justum judicium judicate*? Denique si omnino non est judicandum, vt ratiocinatur S. Hilarius, cur dicitur: *in quo judicio judicaueritis judicabimini?* Nimirum, si justitiæ fuerit conforme judicium vestrum, justitiæ merces vicissim vobis decernetur. Vt his quæstionibus satisfiat, è S. Hieronymo intelligendum est; Christum non prohibuisse, sed docuisse judicare. Nam 1. haudquaquam prohibuit eos, qui non solùm publicam potestatem, sed publicam quoque habent obligationem de alijs judicandi: quales sunt judices & magistratus, quales & Apostoli extiterunt. 2. Non prohibuit judicare de criminibus claro die, & palàm factis, de quibus S. Paulus loquitur: *Quorumdam peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium.* 3. Non prohibuit etiam judicare de dubijs, modò non vltra, quàm quò nos ducunt judicia, judicemus. De quibus ergo dixit: *Nolite judicare, & non judicabimini*? Nimirum de ijs, quæ benè & malè interpretari possumus, prohibet nos malè judicare. Quia ita charitas exigit, quæ *non cogitat malum.* Caruit ergo charitate Pharisæus ille, qui & Christum, & Magdalenam judicauit, de quo dicitur: *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset*

S. Basilius in reg. brev. 164. S. Chrysost. hom. 24. S. Hieron. in c. 7 Matthæi.

1 Cor. 5. 3. 1 Tim. 1. 20. Act 5. 1. Matth. 16. 19. & 18 18 Io. 20. 23 & 21. 15. Ioan. 7. 24.

1. Tim. 5. 24.

1. Cor. 13. 5.

Luc. 7. 39.

esset Propheta, sciret vtiq, qua, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. Neque verò ea solùm, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem sunt interpretanda, sed etiam res ipsæ dubiæ in meliorem partem sunt trahendæ. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit*: Item: *Tu autem, quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Ac rursus. *Non ergò amplius invicem judicemus: sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Præcipuè autem illud prohibet Christus, ne cùm ipsi ijsdem, aut maioribus fortè peccatis scatemus, de aliorum culpis minoribus curiosè judicemus. Hinc addit: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Et Apostolus: *Propter quod, ô homo, inexcusabilis es, omnis, qui judicas: in quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.* Tales judices qui sunt, merentur vtique vt vicissim & à Deo, & ab hominibus judicentur. Et quidem satis foret, si eiuscemodi hominibus terribile judicium diuinum esset metuendum, sed quia multi, de futuris rebus parum sunt solliciti, magisque curant præsentia, Deus etiam in præsenti vita Midas & temerarios istos judices affligit pœna talionis.

Rom. 14. 4.
Ib. v. 10.
Ib. v. 13.
Matth. 7. 3.
Rom. 2. 1.

IV. Athenæus lib. 10.

Ex Athenæo liquet, apud veteres solennem fuisse, inter propinandum, vocem, ἴσον ἴσῳ; quibus verbis significabatur, pares esse cyathos. Æqualibus enim cyathis bibere, mos erat olim in compotationibus Græcorum, vt æquè magnis poculis respondere cogeretur, cui magnis poculis fuerat propinatum. Sic etiam quidam Ethnicorum censebant, par pari in iniurijs referendum. Existimabant enim semper nos tales esse oportere in alios, quales in nos illos experimur; vt juxta Medeam Euripideam amicis simus amici, inimicis infesti, in perfidos perfidi, in parcos parci, erga clamosos clamosi, in impudentes improbi: denique vt vtcumq; meritum merito simili retaliemus. Quo pacto & conuitium conuitio Comicus vult esse compensatum, cùm ait: *Quod ab ipso allatum est, sibi id esse relatum putet.* Nequaquam similis est lex Christi, cùm ait: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nemo enim, qui malum accepit, tenetur malum reponere. Mundi hæc sapientia, diaboli malitia est, contra quam Apostolus scribit: *Nolite*

Terent in Prologo. Phorm. Matth. 7. 1.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos: Nulli malum pro malo reddentes: immò, vt Christus nos jussit diligere inimicos, & benefacere his, qui oderunt; ita & Paulus de se ipso scripsit: *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Et hoc ipsum didicit à Christo, *qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.* Vt autem maledicta maledictis non sunt reponenda, ita neque judicijs temerarijs judicia temeraria sunt à nobis compensanda, quia vt S. Iacobus dicit: *Qui iudicat fratrem, judicat legem.* Legis enim sibi partes vsurpat, secundùm quam debet judicari. Et addit: *Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex:* cùm tamen lex Dei nobis data sit, vt eam faciamus, non vt quoslibet secundùm eam iudicemus. Itaque non iubet Dominus, vt malum pro malo reddamus; sed ne vlli malum inferamus, prædicit & minatur, malum nobis vicissim pro malo illatum iri, si iudicijs suffragijsq; nostris Panidem imitemur, & malum bonum, bonum malum esse censeamus.

Rom. 12. 17. Matth 5. 44. 1. Cor. 4. 12. 1. Petr. 2. 23. Iac. 4. 11.

V.

Ex vitis SS. PP. part. 1.

Vitalius admirandi zeli diuini monachus aliquando de prostibulo, in quo pudicitia vænalis habebatur, egredi conspectus est. Transibat tunc fortè & alter æquè in iudicia, atque in æmulationem libidinis præceps. Nam temerè iudicabat, monachum in tabernam meritoriam non alia de caussa intrauisse, quàm vt, sicut ipse faciebat, sectaretur voluptatem, libidinemque suam expleret. Itaque impetu quodam animi colaphum illi incussit, cum hoc epiphonemate: *Vsquequo, pessime illusor Christi, non emendas te ab his nequitijs tuis?* Vix hæc dixerat, cùm adfuit Stygius Alastor, immò in eo diuina Nemesis siue Adrastia, quamquam deformi & Æthiopico vultu, atque ei vicissim manu excussissima alapam pro alapa impegit; adeò vt in terram prolaberetur. Adibat autem Vitalis prostibula, & infamia meretricum lustra, vt miserrima Veneris mancipia à turpi corporis questu auocaret; oblatasq; pecunia vel vnius noctis continentiam pacisceretur. Quali mente etiam S. P. Noster Ignatius, Romæ, instituit in æde D. Marthæ Cœnobium, in quod *mulierculas à turpi quæstu abductas ipsemet sæpenumero, ne perirent, vel in matronæ alicuius honestæ domum, instituendas ad virtutis studium, id ætatis vir, & Generalis Præpositus deducebat.*

Petr. Ribad. lib 3. vitæ S. Ignatij c. 9.

cebat. Quo in genere, Leonora Osoria (ea Ioannis Vegæ Cæsarei apud Pontificē Legati erat vxor) pietas, atq; benignitas inprimis enituit. Cùm autem Ignatio obiceretur, in curandis huiusmodi mulierculis male operam poni, quippe quæ in vitijs jam occalluissent, facileq; reuerterentur ad vomitum: Minimè sanè, inquit Ignatius: sed si omnibus meæ vitæ curis atque laboribus id posßim efficere, vt vel vnam noctem peccato vacuam præterire istarum aliqua velit: omnes ego quidem neruos contendam, vt vel illo tam exiguo tempore Deus ac Dominus noster non offendatur: etiamsi sciam illam statim in ingenium redituram.

VI. Contemnebat itaque hominum de se iudicia Ignatius, dummodo vel vnum lethiferum peccatum posset impedire. Quod etiam fecit Vitalius. Quamquam in hoc Deus peculiariter voluit ostendere, eos, qui iudicari in diuino tribunali non vellent, nequaquam debere alios iudicare, etiam in rebus, quæ magnam mali apparentiam præ se ferunt. Quo judicij fræno etiam S. Ioannis Eleemosynarij Sanctitas eluxit, per Vitalium probata. Operæ pretium est, ad temeritatem iudiciorum compescendam, in quam admodum proni sunt mortales, totam ex Heriberto Rosweydo historiam apponere. Ita enim apud eum illa legitur.

Heribert. Rosvveyd lib. 1. de vitis PP. in vita S. Io. Eleemosynarij c 35.

Senex quidam magnus, quasi annorum sexaginta, audiens tales res beati (Ioannis Eleemosynarij) voluit tentare eum, si posset verbis suaderi, & ad scandalum facilè inclinari, & vt contingit, si condemnaret aliquē. Et habitans priùs in monasterio Abbatis Seridonis, exiit & venit Alexandriam; & sumit conuersationem hominibus quidem reprehensibilem, sed Deo gratam, qui dat (vt ait Dauid) singulis secundùm cor eorum. Ingrediens itaq; ciuitatem, scribit omnes, quæ nota erant meretrices, & cœpit laborare opuscula, & accipere per singulos dies siliquam vnam. Cùm ergo occumberet sol, manducabat vnius æræi lupinos, & intrabat ad vnam meretricum: & dabat ei æreos nummos, & dicebat: Dona mihi noctem istam, & noli fornicari. Et manebat juxta eam, nocte illâ, obseruans eam ne fornicaretur. Stabat ergo à Vespere in vno angulo cellulæ, vbi dormiebat mulier, psallens & orans pro eâ, & mittens genuflexiones vsq; ad auroram: & exiens accipiebat verbum ab illa, quòd nulli diceret actionem eius. Ita agebat semper, quousq; vna earum manifestauit vitam eius, quòd non, vt fornicaretur, intraret ad eas, sed vt saluaret. Orauit senex & cœpit mulier a Damonio vexari, vt per illam

Psal. 19.

cetera

cetere timerent, & non manifestarent eum omni tempore vitæ eius. Dicebant ergo quidam ei, quæ à dæmonio vexabatur: Quid est? Reddidit Deus, quoniam mentita es. Vt fornicetur enim ingreditur pessimus iste, & non est aliud aliquid. Iam enim & S. Vitalis (hoc quippe nomen erat ei) volens hominum gloriam fugere, & animas à tenebris reuocare, dicebat audientibus cunctis, cùm laboraret in opere, & solueret vesperi: Eamus modò, domina talis exspectat nos. Vbi ergo erat ordo ipsius? Multis ergo criminantibus & illudentibus illi, dicebat: Numquid ego non vestio corpus, vt omnes? Aut Monachis solis iratus est Deus? Verè & ipsi homines sunt, vt omnes. Dicebat itaq; ei quidam: Accipe tibi vnã mulierem Abba, & muta vestimentum tuũ, vt non blasphemetur Deus per te, & habebis judicium, quæ scandalizantur, animarum. At ille respondebat illis iterum, dicebatq;, se demonstrans quasi iratum: Verè non obaudiam vobis, ite à me. modò nihil aliud faciam, vt vos non scandalizemini, nisi accipiam mulierem, quatenus curam habeam domus, & faciam malos dies. qui vult scandalizari, scandalizetur: & det frontem in parietem. Quid vultis ex me? Numquid judices constituti estis super me à Deo? Ite, de vobis curam habetote, vos pro me Deo non reddetis rationem. Vnus est Iudex, & sancta dies judicij, qui singulis reddet secundùm opera eorum. Dicebat autem hæc clamans. Quidam ergo ecclesiæ defensorum, hæc multoties audientes ab eo, referebant Patriarchæ quod fiebat. Deus verò sciens, quòd nollet ille sanctus offendere Abbatem Vitalium, induravit cor eius, ne crederet eis. Recordabatur enim antè memorati eunuchi: sed increpauit vehementer eos, qui contra Vitalium Abbatem accusationem ei afferebant, dicens ad eos: Quiescite accusare monachos. An nescitis, quod circa sanctæ memoriæ Constantinum Imperatorem actum fuisse, conscriptiones, quæ de eo leguntur, contineant? Quoniam, ait, quidam non timentes Deum, cùm celebraretur secunda Synodus in Nicæa, cœperunt contra se dare in scriptis famas turpes beato illi Imperatori: quidam Clerici quidem existentes, quidam monachi: & ad faciem adducens sanctus Dei Constantinus accusatorem & accusatum, vtrumq; audiuit. Et cùm inuenisset multas talium criminatorum veras esse, afferens ardentem cereum, incendit omnes, quæ data sunt in scriptis, malas opiniones, dicens: Verè si proprijs oculis vidissem Sacerdotem Dei, vel aliquem eorum, qui monachico habitu circumamicti sunt, peccantem: chlamydem meam explicarem, & cooperirem

eum, ne ab aliquo videretur. Nam & in seruum Dei illum, videlicet eunuchum, ita putastis, & misistis me extra viam, & feci anima mea peccatum magnum. confundens ergò eos multùm absoluit. Seruus autem Dei Vitalius à propria operatione non cessabat. Deprecabatur ergò, vt quibusdam post mortem eius in somnis manifestaret Deus, vt non imputaretur in peccatum his, qui scandalizabantur in eum: eò quòd rem, quam agebat, dicerent scandalo esse plenam; & non haberet homo peccati judicium ex eâ quidquid locutus fuisset. Multas igitur de talibus mulieribus in compunctionem induxit hac operatio eius: & maximè, quando videbant eum nocte extendentem manus, & orantem pro vnaquaq; earum: propter quod quædã earum a fornicatione cessabant, quædam verò accipiebant viros, & pudicè conuersabantur: quædam verò & modis omnibus mundum relinquentes, singularem vitam ducebant. Nullus tamen sciuit, vsq; ad eius dormitionem, quòd ipsius admonitione & oratione impudica muliercula à fornicatione cessarent. Vnde quodam die exeunte eo à primâ talium mulierũ diluculo, obuiat ei quidã homo immundus, intrans ad fornicandum cum eâ: & cùm vidisset sanctum Vitalium ex eâ egredientem, dedit ei alapam in faciem, dicens ad eum: Vsquequò pessime illusor Christi, non emendaste ab his nequitijs tuis? Qui dixit ad eum: Crede mihi, accipies alapam à me humili, vt tota Alexandria colligatur ad clamores tuos. Nondum breui tempore exacto, dormiuit cum pace in cellulâ suâ S. Vitalius, vemine sciente omnino. Habebat enim valde pusillam cellulam, super locum, qui dicitur Porta Solis. Vnde & plerumq;, cùm collecta celebraretur iuxta cellulam eius in ecclesiâ Metræ, conuenientes quadam mulierularum harum, ad alterutras dicebant: Eamus, eamus: iterùm Abbas Vitalius collectam habet. Et venientibus eis, curabat eas. Igitur dormiente eo, vt prædictum est, in propriâ cellulâ, & nullo sciente, mox quidam damon tamquam Æthiops deformis, adstat ei qui dederat alapam Abbati Vitalio, & dat ei alapam, dicens: Suscipe alapam, quam misit tibi Abbas Vitalius. Et cadens statim cœpit spumare. Congregata est igitur, secundùm prophetiam Vitalij, penè tota Alexandria in violentiam, quam patiebatur à damone: & maximè, quia sonitum datæ ei alapæ audierunt quidam, quasi ad vnius jactum sagittæ. Post aliquantas verò horas, in mentem rediens is, qui patiebatur, scidit vestimenta pectoris sui, & eucurrit ad cellulam clamans & dicens: Culpam feci tibi, serue Dei

Vitali

Vitali, miserere mei. Cucurrerunt verò cum eo omnes audientes. Cùm peruenisset ad cellulam sancti, exiit iterum dæmonium, jactans eum omnibus adspicientibus. Et cùm ingrederentur intrò hi, qui cum eo cucurrerunt, inuenerunt sanctum stantem in geniculis suis, & orantem, & animam Domino tradentẽ, & in pauimento scripturam huiusmodi: VIRI ALEXANDRINI, NOLITE ANTE TEMPVS IVDICARE, QVOADVSQVE VENIAT DOMINVS. *Confitebatur verò & homo, qui à dæmonio vexabatur, quod sancto fecerat, & quod dixerat sanctus ei. Recitata ergo sunt beatissimo Ioanni Patriarchæ omnia, quæ circa S. Vitalium acta sunt: & descendens cum clero, venit ad corpus S. Vitalij: & cùm vidisset superscriptionem, dixit: Verè hanc humilis Ioannes per Deum euasit, nam alapam, quam accepit qui patitur, ego acciperem. Tunc itaq; omnes fornicariæ, & quæ abrenuntiauerunt ex eis, & viros susceperant, cum cereis & lampadibus præibant eum flentes & dicentes: Perdidimus salutem nostram & doctrinam. Enarrabant enim iam conuersationem eius omnibus: & quoniam non propter turpem rem ad nos intrabat: & quia numquam aliquando vidimus eum super latus dormientem, aut vnam tenentem ex nobis manu suâ. Et reprehendentibus eas quibusdam & dicentibus: Quare hæc non omnibus dicebatis, sed scandalizabatur in eo tota ciuitas? enarrabant iam capitulum, quod circa eam gestum est, quæ a dæmonio vexationem sustinuit, & quia hoc timentes tacebamus. Sepulto ergo eo in multo honore, permansit is, qui ab eo correctus, & sanus factus est, faciens memoriam eius. Postmodum autem & renuntiauit sæculo, ingressus monasterium Abbatis Seridonis in Gazà, & suscepit cellulam Abbatis Vitalij secundùm fidem, & in eâ permansit vsq; ad mortem suam. Et sanctissimus Patriarcha multas gratias egit Deo, quia non permisit eum peccare in seruum suum Vitalium. Multi autem multùm ex tunc in Alexandria profuerunt sibi, & hospitio recipiebant monachos: & monebantur, vt non condemnaretur aliquis ab eis, sicut euenerat. Fecit autem & sanitates post mortem honorabile nomen S. Vitalij per diuinam gratiam: cuius orationibus det nobis Dominus bonam conuersationem, & misericordiam in die, quando manifestabit abscondita hominum, & nuda faciet consilia cordium.*

VII. Prolixior hæc historia verbatim mihi visa est referenda, quia ad nullum peccatum humana malitia est pronior, quàm ad temerè

judicandum ; quod tamen tantò minùs æstimamus, quantò frequentiùs, & velut consuetudine in contemptũ tracta, committimus. Magis itaque auersaturi vitaturiq; hanc temeritatem essemus, si quoties alios judicando percutimus, vicissim illico repercuteremur, ac velut colaphum pro colapho reciperemus. Multa autem in hac historia sunt consideratione digna. Nam 1. potest hoc factum S. Vitalij accenseri iis, quæ admiranda in Sanctis, non imitanda dicuntur. In multis enim graue periculum esset, adire domos lenociniis plenas, & totas noctes in angulo talis cellulæ, iuxta leuiculam mulierem dormientem excubare. Nam *qui amat periculum, in illo peribit*. Non omnes sunt ætate tam senes, nec tam maturi virtute, nec mente tam constantes, neq; tam ardentes charitate, vt à Cupidinis igne non possint inflammari. Neq; sanè omnes tam piè vigilarent, neq; tam sollicitè Deum precarentur. 2. Aliquid debemus proximo, vt eum exemplo non offendamus; neq; à malo dumtaxat, verùm etiam à specie mali abstinere. Itaque non in quouis probaretur, si Vitalium hic vellet imitari. Ex peculiari tamen Dei instinctu Sanctus iste in meretricias domos intrauit, sicut alii nonnulli in ardentes fornaces, & medias flammas, vt appareret, Deo non difficile esse, homines in maximis periculis conseruare. 3. Duobus autem miraculis demonstrauit diuina bonitas, eum instinctum à se esse profectum, cùm voluit & meretricem arcana pandentem, & temerarium illũ injustè percutientem à malo dæmone insideri. 4. Duas insuper alias ob causas id consilium Vitalio suggessit. Siquidem eo virtutem Ioannis Eleemosynarij illustrauit pariter, & vitium ganeonis illius oculis hominum exposuit. Nec ganeonis tantùm, sed plurimorum quoque aliorum, qui idem judicium de castissimo viro tulerunt.

Eccli. 3. 27.

VIII. Ioannes autem Eleemosynarius tantò pluris est faciendus, & verè inter perfectos accensendus, qui non scandalizantur, quia non solùm Vitalium non judicauit more vulgi, sed etiam adeò non offensus est, more eorum, qui dixerunt: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* vt cogitaret, multas illo ingressu virtutes posse exerceri. Sciebat enim à quibusdam Sanctis talia fieri, vt ab hominibus contemnantur; à quibusdam, vt, more

Psal 118 165. Matth. 9 11.

more Domini sui, existiment, se missos esse *ad oues, quæ perierunt,* quærendas & saluas faciendas. Vnde & ipse ad Zacchæũ & alios publicanos, quin & ad Pharisæos ipsos diuertit. Quia *non est voluntas ante Patrem* vestrum, *qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* Quo pacto etiam, ne Neptis sua scortum facta periret, eremita Abrahamus, mutato habitu ad eam intrauit, specie quidem tamquam peccaturus, re autem ipsa, vt eam è sordibus ac peccatis extraheret. Tali mente etiam Vitalium itare ad meretrices cogitauit Ioannes Eleemosynarius. Magna hæc virtus fuit, videre, vel audire ingredientem aliquem in lupanar, & mali nihil de eo suspicari, nihil siniſtrum cogitare. Potuisset illi occurrere Phinees, & Israëlitæ, quorum isti, ob similem ingressum in lachrymas, ille in maximam indignationem, concitati sunt. *Et ecce vnus de filijs Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem, in locis genitalibus. Cessauit q; plaga à filijs Israël.* Placuit ergo Numini illud judicium & Phinees, & Israëlitarum; & tamen non placuit hoc judicium, quod de Vitalio isti tulerant, quorum vnum inflicta alapa, immissoque immundo spiritu, ob suam temeritatem castigauit.

Matth. 15 24.

Matth. 18 14.

S. Ephræm de erem. Abrahamo.

Num. 25. 6.

Nimirum aliud est, judicium ferre de leuis armaturæ homine, aliud de viro in virtute diu probato, qualis fuit Vitalius sexagenarius, inter Sanctos educatus, & tot annis sanctè conuersatus; de quo etiam non sanctos adeunte, nihil debebat, nisi sanctum judicari. Immò laudabiliter facit, qui etiam de plebeio non laudabile quiddam faciente judicium suspendit, vel excusationẽ quærit. *Non judicemus quemquam*, ait S. Ephræm, *quia non nouimus eius pœnitentiam: neq; si quid videntem, aut loquentem aspexerimus, cùm nobis exploratum non sit, quo modo in sua cella vitam degat; aut cuiusmodi erga Deum laborem subeat. Ideò vnumquemq; nostrûm oportet sibi ipsi attendere, quia singuli nostrûm Deo rationem reddituri sunt.* S. Ambrosius, non iam alapam, pro alapa, neq; humanum judicium temerarium (quod tamen plerumque etiam pro temerario

IX.

S Ephræm. parænet. 4.

rario iudicio reponitur) sed diuinum, & iustum, & seuerum docet, pro temerario patiendum, ita enim loquitur: *Graue est de alio iudicare.* Vnde & scriptum est: *Nolite judicare, & non judicabimini.* S. Ambr. ser. 20. Luc. 6. 37. *cùm enim vnusquisque sit suorum conscius peccatorum, quo modo potest de alterius judicare peccato? Iudicet de alterius errore, qui non habet, quod in se ipso condemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putauerit punienda, ne cùm de alio judicat, in se ferat ipse sententiam. Iudicet ille, qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur.* Itaque dignus fuit ille impurus homo, qui ipse Veneris caussa ibat ad meretrices, vt, quia Vitalium eodem animo illuc subire iudicabat, eumque idcirco verberare non verebatur, vicissim quoque ipse verberaretur; & palàm fieret vbiq; Alexandriæ, eum reuera esse, quod in altero temerè iudicauerat.

X. Hæc de iudicio temerario dicta, non tollunt omne judiciũ. Vnde S. Ambrosius adiecit: *Iudicet ille, qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur.* Et S. Basilius ait: cùm Dominus aliàs dicat: *Nolite judicare, & non judicabimini: aliàs verò Iustum judicium judicandum esse præcipiat, nequaquam in vniuersum interdicitur nobis, quò minùs judicemus, sed in judicio faciendo, jubemur delectum habere, quem dilucidè monstrauit nobis Apostolus, qui de his quidem, quæ posita sunt in libera cuiusq; potestate, dixerit: Tu autem, quid judicas fratrem tuum? Et iterùm: Non ergo amplius inuicem judicemus. In his verò, quæ displicent Deo, eos reprehendat, qui non judicant.* S. Basilius in regulis breuior. q. 164. Matth. 7. 1. Ioan. 7. 24. Rom. 14. 10. Itaque, teste S. Augustino. *Duo sunt, in quibus temerarium judicium cauere debeamus: cùm incertum est, quo animo quidque factum fuerit: vel cùm incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Si ergo quispiam, v. g. conquestus de stomacho jeiunare voluit, & tu id non credens, edacitatis vitio tribuerit, temerè judicabis. Item si manifestam edacitatem ebriositatémque cognoueris, & ita reprehenderis, quasi numquam illa possit corrigi atq; mutari, nihilominus temerè judicabis. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant; neq; ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, vt deflere mus sanitatem. Euitabimus judicium, de quo nunc dicitur: Nolite judicare, ne judicetur de vobis.* S. Augustin. lib. 2. de ser. Domini in monte c. 18.

CAPVT

CAPVT XLVII.

Oris, & Maledicentiæ talio.

HEsychius testatur, vulgari olim sermone fuisse iactatum, quòd, qui inspuerit in agmen formicarum, ei labra intumescerent. Hoc, seu verè fit, vt ex halitûs repercussu virus aliquod afficiat conspuentis os, seu temerè credatur; torqueri solet in eos, qui multitudinem imbecillium quidem, sed tamen numerosam, & concordem prouocant. Ego existimo, id quadrare in omnes, qui alios verbis lædunt, ac velut despuunt, seu consilijs malis, seu sarcasmis amaris, seu conuitijs & sibilis, seu detractionibus, calumnijs, falsis testimonijs, proditionibus, aut quibuscumque linguæ venenis eos aspergant. Asperguntur enim & ipsi, & velut repercussu inficiuntur, Deo parem calculum ponente. Itaque multi, cùm alijs maledicunt, sibiipsis conuitium faciunt. Pauci enim sunt, qui verbum aculeatum audiant patienter. Vt Olympiæ porticus vocem acceptam arte septies reddit, vnde heptaphonon oppidani vocant; ita quosdam si vno tangas conuitio, sexcenta regerunt: aut si paucis ad loquendum prouoces, in te garriendi finem non faciunt. Ad hoc & vitia, & vitiosos permittit esse in mundo Deus, vt & vitijs & vitiosis reponantur. Hinc illa Poëtarum:

L.

Plin. lib. 36. cap 15.

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse.
Si pergit, quæ vult dicere, quæ non vult audiet.
Benedictis si certasset, audisset bene.
Desinant maledicere, maledicta ne noscant sua.

Homer. Iliad. V. Terent. in Andr.

Itaque vt hanc scias esse à malitia hominum talionem, *Contumeliam si dicas, audies.* Vnde non solùm periculosè maledicit alteri, cui vel idem, vel simile, vel diuersum, vel deterius vitium potest obijci; sed etiam qui nullius sibi vitij conscius est: quia etiam vbi vitium deest, facilè potest fingi conuitium. Permittit hæc iustissimè mundi Gubernator. Paribus enim digni sunt vitilitigatores. Et multi maledictis abstinent, ne maledictis maledicta luant; dum non ignorant, quàm plurimos esse, qui haud secus talia excipiant, ac siluæ quædam, aut rupium cauitates, vel valles, in quibus Echo habitat, & plura quàm mittantur, verba ad clamantem remittit.

Matth. 7. 2. Hoc est, quod dicitur: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

II. Et quidem in conuitijs plurima quotidie audiuntur exempla, seu propter generis obscuritatem; seu propter patriæ ignobilitatem; seu ob inopiam; seu ob corporis defectum; seu ob ingenij, doctrinæ, morumque inelegantiam; aut alios quoscumque errores. De stirpis obscuritate Plutarchus refert, Iphicratem Hermodio ignobilitatem exprobranti respondisse: *Mei generis nobilitas à me incipiet, tua autem in te desinet.* Simile quiddam, ob patriæ barbariem, recensetur Laërtius, de Anacharsi; cui cùm Atticus quidam obiecisset, quòd Scytha esset, dixit: *Mihi quidem probro est patria, sed patriæ tu.* Apud Valerium, ob inopiam Diogenes, *Syracusis, cùm olera ei lauanti Aristippus dixisset: Si Dionysium adulare velles, ista non esses. Immò, inquit, si tu ista esse velles, non adulares Dionysium.* Ita familiæ, patriæ, & mensæ conuitium in authores suos est retortum. Neque in militia ob defectum corporis, defuit opprobrij retorsio. Nam, eodem Valerio teste, Androclydas *increpitus à quodam, quòd in aciem claudus descenderet; pugnare, non fugere, propositum sibi esse, respondit.* Præstitisset nimirum etiam alterum claudum esse, quàm armis abiectis deserere stationem; maiusque est vitium, pedibus fugere, quàm claudicare. Agathocles Siciliæ rex, cùm vrbem obsideret, & aliqui conuitiarentur dicentes: *O figule, quo modo militibus stipendia solues?* respondit: *Cùm vrbem vestram cepero.* Ille dictum, iste spiculum iecit; ille de pecunia, iste de victoria triumphandum existimauit; ille, quod minus; iste, quod maius est curandum putauit. Quemadmodum & Anthagoras, qui, eodem Plutarcho teste, congrum cùm coqueret, & Antigonus illi assistens dixisset: *Putasne Homerum Agamemnonis & Græcorum rebus describendis intentum; quo modo congri meliùs saperent, pensitasse?* respondit: *Opinaris, ô rex, Agamemnonem solicitiùs perscrutatum, ecquis in exercitu congrum coqueret?* Talia se se quotidie offerunt. Noui ego hominem non indoctum, qui vt alios suauiùs de erroribus suis admoneret, solebat increpationi iocos admiscere, vt id, quod est iniucundum, lætiùs audiretur, si salibus esset conditum. Quidam autem, cùm ne sic quidem posset pati correptionem, acerbo satis sarcasmo eum interro-

Plutarch in apohteg.

Diogen. Laërt. lib. 2. de Philosopho.

Val. Maxim. lib. 4. cap. 4.

Idem lib. 3. cap. 7.

Putarch. in apohteg.

Idem ibid.

terrogauit: *Vbinam in stultorum nauigio sederet?* Cui ille. *E regione tui,* inquiebat; innuens eum ex aduersum sedere, æquali stultitia præditum. Adhuc acerbiùs iocum ioco reddidit mihi notissimus, nec sanè infimi nominis Iurisconsultus & Doctor. Eum quidam, inter pocula hilarior liberiorque ad iocandum, interrogauit: *Quodnam esset discrimen, inter Doctorem & stultum?* Cui ille, *vt breuissimè id tibi dicam,* inquiebat, *Illud ipsum est inter Doctorem & stultum discrimen, quod est inter me & te.* Nempe memor fuit illius oraculi: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Nihil potuit tum breuius veriusque dici. Stultorum enim proprium est, alios sibi similes arbitrari; nec sentiunt, si leniter verberantur. *Non recipit stultus verba prudentiæ; nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius.* Prou. 26. 5. Eccles. 10. 3. Prou. 18. 2.

III.

Qua de causa quidam alius, cùm interesset litibus inter illustres domos componendis; nec abesset *mulier stulta & clamosa,* quæ se sæpius iactauerat de spe nobilissimi sponsi, voluit eam ea ipsa spe mitigare, dicens, sponsum tantò faciliùs in nuptias consensurum, si intelligeret, illam non esse rixosam, & toties sua promissa retractantem. Nihil mouit ea oratio caput cerebrosum. Tum alter à spe ad metũ se conuertens aiebat, fore profectò, si illa pergeret esse contumax, vt & sponsus suam retractet sponsionem. Cui illa, nihil moror, ait, si ille me non vult ducere, decem habebo alios. Hîc diribitor ille tam superbæ Furiæ subiratus, Profectò, inquiebat, Domina, si talis es, *Carnifice marito non es digna.* Dixit, & tamquam si pulueri pyrio ignem admouisset, ita illa repentè impotenter exarsit in iras; neque secus atque infana Mænas concitata ad cognatorum suorum, qui planè numero si ad illud negotium tractandum conuenerant, aduolans consessum, magnis cœpit vocibus expostulare contra diribitorem, & accusare, quòd toti familiæ omnibusque cognatis magnum opprobriũ intulisset. Sedebant attoniti omnes, & grande aliquid allaturam expectabant, diribitorem quoque toruis oculis intuentes; qui eos his verbis est allocutus. *Ego, Domini, huc vsq; operam dedi, vt nihil negligerem eorum, quæ videbantur facere, ad hanc Dominam placandam: eamq; operam omnem & laborem impendi, vt vobis gratificarer. Dolerem itaq; ex animo, si quidquam vel dixissem, vel fecissem, quod* Prou. 9. 13.

vobis esset probrosum. Enimuerò, sanctè profiteor, me, si quidquam dixi, aut feci, quod vel vobis, vel huic Dominæ displiceat, libenter promptéq; hîc, coram omnibus, retractaturum. Miraculi instar erat, mulierem furiosam tam diu silere potuisse. Sed mox patuit, eam tacuisse, vt meditatò insaniret. Nam mox, lachrymis erumpentibus, ducto ex præcordijs altissimo suspirio, & verbis, præ ira, interruptis, ita cœpit perorare. *Domini mei, an non conquerar? an auxilium vestrum non implorem? an non expostulem? Hic homo, & me, & anos meos, & vos omnes pariter summa ignominia affecit. Ausus quippe est dicere, me Carnifice marito non esse dignam.* Videbantur ad hoc verbum commoti, qui assederant. Sed illico diribitor interpellans aiebat: *Non refugio, Domini, retractare hoc dictum, si aut vos, aut istam offendit, atq; ecce vel jam retracto, & lubens mihi ipsi contradico, aioq;,* HANC DOMINAM CARNIFICE MARITO ESSE DIGNAM. Dixit, & omnes auditores in cachinnum sunt soluti: coacta est etiam ipsa mulier stultitiam suam ridere, vt quæ maluerit, se carnifice dignam, quàm non dignam videri.

IV. Qui plura vult eiuscemodi pensantium ex æquo conuitia, missa & remissa audire, audiat in foro, in hospitijs, in valetudinarijs litigantes; putabit sæpe, se audire Lycios cum Latona pugnantes, aut ita homines inter se coaxantes, seque inuicem prouocantes, & maledictis lacerantes, vt nulla illis maior optari pœna possit, quàm qualem Latona Lycijs est precata; quæ ab aquis cum conuitio repulsa,

Ouid. lib. 6. Metam.

Æternùm stagno, dixit, viuatis in isto.
Eueniunt optata Dea: iuuat esse sub vndis.
Et modò tota cauâ submergere membra palude,
Nunc proferre caput, summo modò gurgite nare,
Sæpe super ripam stagni consistere, sæpe
In gelidos resilire lacus, sed nunc quoq; turpes
Litibus exercent linguas, pulsoq; pudore
Quamuis sinit sub aqua, sub aqua maledicere tentant.
Vox quoq; jam rauca est, inflataq; colla tumescunt,
Ipsáq; dilatant patulos conuitia rictus.
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur,
Spina viret: venter, pars maxima corporis, albet:
Limosoq; nouæ saliunt in gurgite ranæ.

Ita

Ita falsa Dea fingitur puniuisse veros conuitiatores, ranis meritò in ripa, aut aqua identidem coaxantibus comparandos.

V.

Verus Deus conuitia, sine conuitio, in authores suos refundit. Mirè permulsit primos parentes nostros illa cantilena: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Præuaricati sunt; & tunicis pelliceis induti audierunt: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Insignis hæc ironia & sarcasmus erat, quo indicatum est, quàm dissimilis factus esset, qui Dei similitudinem affectârat. Neque enim immortalis, & corpore carens Deus pelliceis tunicis indiget. At *talibus oportebat indui peccatorem*, inquit Origenes, *quæ esset mortalitatis, quam primo peccato acceperat, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Itaque, qui volebant esse, vt Dij, quantùm erubuerunt, cùm ad nuditatem & turpitudinem suam tegendam, ad frigora arcenda, ad agendam pœnitentiam, pellibus, quasi cilicio, induti audire cogerentur: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est?* Quin & ipsum malum suggestorem, vaferrimum dæmonem, tamquam illusorem, illusit sæpius diuinus artifex; quem Dauid ita allocutus est: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei:* nimirum, *Draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem. Numquam enim conuenientiùs vincitur*, ait S. Gregorius, *quàm cùm eius versutia piâ fraude superatur.* Ergo *ars vt artem falleret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur*, passus est Christus se ad Crucem postulari. Hoc promiserat per Oseam dicens: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne.* Mirè enim momordit versipellem illum, se instigasse populum, vt clamaret: *Crucifige, crucifige*, postquam expertus est, crucem in gloriam Christo; sibi autem in ignominiam cessisse, atque in interitum regni. *Quodq; mirabile est*, ait S. Chrysostomus, *videbis mortem morte peremptam; & maledictum esse maledicto extinctum; & per quæ diabolus iam antè maximè valebat, per ea ipsa tyrannidem illius esse destructam.* Vt autem verbo crucis, ita & diuinæ Scripturæ verbis retortis, hostem Stygium percussit Seruator. Volebat ei persuadere Satan, vt se de pinnaculo templi mitteret deorsum: quod vt persuaderet, dixit: *Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidẽ*

Gen. 3. 5.
Ibid. v. 22.
Orig. hom. 6. in Leuit.
Psal. 103.
Apoc. 12.
S. Greger. lib 5 in primum Reg.
Osee. 13. 14.
Ioan. 19. 6.
Matth. 4. 6.

pedem tuum. Vt tentatorem hunc reijceret, *ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ac redeuntem rursus Scripturæ verbis percussit. Ita à se reiecit etiam Pharisæos
Matth. 12. 24. Luc. 11. 15 dicentes: *Hic non eijcit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum* Retorsit enim calumniam ijsdem verbis inquiens: *Si ego in Beelzebub eycio dæmones, filij vestri in quo eyciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt.* Ita alibi dixit: *Ex ore tuo te judico, serue nequam, sciebas, quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens, quod non seminaui, &c.*
Luc. 19. 22.

VI. Et quare Deus homines suo ipsorum judicio non damnaret, verbisque proprijs conuinceret, cùm hæc sit vsitatissima, inter ipsosmet homines consuetudo? Thrasillus Cynicus ab Antigono rege drachmam petiit, vt scribit Seneca. *At regi*, inquit Antigonus, *hoc dare non conuenit.* Illo subijciente, *Da igitur mihi talentum: Atqui*, respondit sapientissimus Princeps, *hoc accipere non decet Cynicum.* Potuisset vertere argumentum Thrasillus ac dicere, seu drachmam, seu talentum dederis, non exerrabis. Si drachmam dederis, mihi conueniet; si talentum, tibi. Sic verbis velut datatim luditur. Verbis pariter ac reipsa lusit homo Scytha. Inhorrescente cælo *cùm aliquando copiosa nix cecidisset, interrogauit rex Scytharum quemdã nudum perseuerantem, Annè frigeret? qui è contrario regem interrogauit. Rigeatne ipsi frons? cumq; ille negasset: Ergo, ait, ne ego quidem rigeo, qui quantus quantus sum, frons sum.* Hæc amicè, & iocosè respondentur. Aculeatè interrogata, responsionem itidem merentur aculeatam; vt apud Ciceronem, cùm quidam obuium haberet Eunuchum, aut virum sine verba, salutato dixit: *Quando venies ad me cum tua colu?* Cui mox respondit spado: *Equidem mater mea mihi edixit, ad infames ne exirem.* Hæc permittit Orbis Gubernator, vt metu acerbioris responsi, omittantur acerbæ interrogationes. Quamquam probæ mentis homines, cum D. Paulo dicunt: *Si quis autem videtur contentiosus esse, Nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia DEI.* Quam ergo consuetudinem habent Paulini imitatores? *Maledicimur, & benedicimus.* Hoc idem nos facere præcipit, ad Romanos scribens: *Benedicite, & nolite maledicere.* Quod præceptum Christiano tantò magis conuenit; quia etiam Cato cuiusdã probris

Seneca lib. 2. de benef. c. 17.

Ælian. lib. 7. var. hist. c. 6.

Cic. lib. 2. de orat.

1. Cor. 11. 16.

1. Cor. 4. 12.

Rom. 12. 14.

probris vexatus, respondit: *Impar mihi tecum certandi conditio est: nam vt maledicere, & malè audire tibi facillimum est: sic mihi maledicere insuaue est, & malè audire insuetum.* Memor erat nimirum illius: *Qui quæ vult dicit, quæ non vult, audit.* Vt ergo non audiat, quæ non vult; neque quæ vult dicat; aut certè illud sibi præceptũ datum meminerit: *Cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti alijs.* Plutarch. in vita Catonis. Eccles. 7. 22.

CAPVT XLVIII.

Quàm sint consilia mala consulenti ipsi perniciosa?

I.

AD oris talionem etiam pertinet, quòd plerumque in eorum caput recidat consilium malum, qui alijs perperam consuluerunt. Si enim *consilium est, examinandarum, gubernandarumq; causarum subtilis animi prospectus*; vtique neque cæcus dux, neque amens consultor adhibendus est; ne *cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadant.* Quia *sine ratione consilium bonum stare non potest*, vt Philosophus docet. Vbi ergo ratio deest, mens cæca nihil prospicit, nec alium dumtaxat in foueam ducit, sed ipsa quoque eòdem cadit. Quòd si consilium non ignorantiâ, sed malitiâ & consultò sit malum, tunc vtique sicut iram ita & pœnam diuinam meretur. Vnde senarius prouerbialis extat: Cic. lib. 2. Rhetor. Matth. 15. 14. Aristot. lib 6. Ethic. c. 9.

Malum consilium consultori pessimum.

Cuius adagij originem ex Gellio accipe: *Statua Romæ in comitio posita Horatij Coclitis, fortissimi viri, de cælo tacta est. ob id fulgur piaculis luendum, haruspices ex Etruria acciti, inimico atq; hostili in populum Romanum animo, instituerant eam rem contrarijs religionibus procurare, atq; illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperàm transponi, quem sol appositu circum vndiq; aliarum ædium numquam illustraret. quod cùm ita fieri persuasissent, delati ad populum proditiq; sunt, & quum de perfidia confessi essent, necati sunt, constititq; eam statuam, proinde vt veræ rationes, pòst compertæ, monebant, in locum editum subducendam, atq; ita in area Volcani sublimiori loco statuendam, eáq; res bene & prospere reipublicæ cessit. Tunc igitur quòd in Etruscos haruspices malè consulentes animaduersum vindicatumq; fuerat,* A. Gellius lib 4. Noct. Attic c. 5.

fuerat, versus hic scitè factus cantatusq; esse à pueris vrbe tota fertur, Malum consilium consultori pessimum est. *Ea historia de haruspicibus, ac de versu isto senario, scripta est in Annalibus Maximi libro vndecimo, & in Verrij Flacci libro primo rerum memoria dignarum, videtur autem hic versus de Graeco illo Hesiodi versu expressus:*

Κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

II. Cur autem consilium malum in consulentem refundatur, nihil est quærendum. Suspectus est cocus, qui cibum parat, quem ipse nolit edere. *Tute intriuisti, tibi exedendum est,* ait ille. Meritò iubetur ipse calicem haurire, qui venenum miscuit alteri. *Suadeo, quod ipse facturus essem,* ait fidelis amicus. *Sentio, suadeoq; tibi, quibus haud grauer vti. Ipsa mihi similis siquando occurreret vsus,* in-
Homer. lib 5. Odysseæ. quit apud Homerum Calypso. Græcis ἱερὸν ἡ βουλή, *Sacra quadam res est consilium.* Vt ergo libenter est accipiendum, cùm res postulat, ita quoque est religiosè citraque fraudem dandum, si quis egeat. Alioquin non defuturum est Numen, quod pœnas repe-
Tit. Liuius Dec. 1. lib. 10. tat ab eo, qui rem sacram ac diuinam violârit. Meminit T. Liius Papyrium Cursorem, cùm consul Aquiloniam obsideret, velletque prœlium committere cum hostibus, nisi si quid auspicia refragarentur; ac consultus pullarius suaderet vti committeret, cùm aues infausta nuntiassent, re cognita pullarium in prima acie constituisse: qui primo traiectus telo violatam religionem
Val. Max. l. 7. cap. 2. expiarit. Valerij verba sunt: *Papyrius Cursor consul cùm Aquiloniam oppugnans prœlium vellet committere, pullariusq; non prosperantibus auibus ementitus optimum ei auspicium renuntiasset; de fallacia illius factus certior, sibi quidem & exercitui bonum omen datum credidit, ac pugnam iniit. Caterùm mendacem ante ipsam aciem constituit: vt haberent Dij cuius capite, si quid ira conceperant, expiarent. Directum est autem siue casu, siue etiam cælestis numinis prouidentia, quod primum è contrariâ parte missum erat telum, in ipsum pullarij pectus, eumq; exanimem prostrauit. Id vbi consul cognouit, fidente animo & hostem inuasit, & Aquiloniam cepit. Tam citò animaduertit, quo pacto iniuria imperatoris vindicari deberet, quemadmodum violata religio expianda foret, & quâ ratione victoria apprehendi posset. Egit virum seuerum, consulem religiosum, imperatorem strenuum: timoris modum, pœnæ genus, spei viam, vno mentis impetu rapiendo.* Quid autem mi-

tem mirum est, pullarium consilio mendaci, dum Papyrium voluit decipere, se ipsum in exilium dedisse: illius discipulus erat, illius artem exercebat, qui vt omnes secum in interitum trahat, ipsos etiam Prophetas conatur ad mala consilia danda impellere. Hinc enim ait: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*, Achab scilicet, qui noluit audire Michæam consulentem bene; sed tantùm credidit illis, qui optata prophetarent. Melior fuit Papyrius Cursor rege Achab. Ille enim maluit sibi vera, quamuis ingrata dici; jussitque grata mendaciter promittentem in prima acie stare, vt primus caderet. Quadrat in hunc pullarium optimè, quod Virgilius cecinit de alio augure, in prœlio, quod cœperat, infelice.

2. Paral. 18. 20.

Cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in aduersos telum qui torserat hostes.

Virgil. lib. 12. Æneid.

Cœpit quippe prœlium, qui suasit prœlium; nihil enim illi tunc homines, sine augurijs, incipiebant. Quod sæpe contingit hodieque, vt litium, rixarum, & bellorum authores maxima litium, rixarum, & bellorum sentiant detrimenta.

III.

Par autem est, vt, quemadmodum bene consultum, & consulenti & consultori prodest; ita malè consultum ipsi quoque noceat consultori. Quod Varro his verbis indicauit: *Opinor, non solùm, quod dicitur, Malum consilium consultori esse pessimum, sed etiam bonum consilium ei, qui consuluit, & qui consulitur, bonum habendum.* Sicut ergo sagitta in militem loricatum missa resilit in jaculantem; ita ab eo quem diuina armat protectio, consilium pernicioſum retorquetur in consulentem. Extat in hanc sententiam apologus non inuenustus. *Leonem, ob senectam, agrotantem, & ea causa suo in lustro continentem sese, catera quidem animantia, officij gratia, visebant regem suum, excepta vulpe. Proinde lupus nactus opportunitatem, accusauit vulpem, apud leonem læsa Maiestatis, quæ pro nihilo haberet eum, penes quem rerum erat summa, nec, ob contemptum, ad visendum accessisset: atq; interea interuenit in lupi fabula vulpes, & extremam sermonis partem audiuit. Itaq; leo conspecta vulpe, protinus aduersus eam infremuit. At illa postulato ad purgandum sese spatio, Et quis, inquit, omnium, qui huc conuenerunt, tantū tibi profuit, quantum ego, quæ quoquo versus circumcursitaui, tibiq; morbi remedium à Me-*

M. Varro l. 3. de re rustic. cap. 1.

dicis reperi? eumq; leo protinus edixisset, vt remedium aperiret: si vinū, inquit, lupum excories, & illius pellem induas, conualesces. Leo credulus continuò lupum inuasit & interemit. Quo extincto risit astum vulpes, calumniatoris malum consilium in ipsius recidisse caput.

IV.

Hoc ipsum non tacuerunt diuinæ litteræ, in quibus hoc tra-

Eccli 27. 30. ditur axioma: *Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet, vnde adueniat illi.* Non agnouit Achitophel, vnde veniret suum exitium, quod à Domino venit, & super ipsum

2. Reg. 16. 23. deuolutum est. *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cùm esset cum Dauid, & cùm esset cum Absalom.* Quando igitur di-

2. Reg 17. 14. xerunt *Absalom & omnes viri Israël: Melius est consilium Chusai Arachitæ, consilio Achitophel: Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile* (Absaloni, pessimum Dauidi, & coram Deo) *vt induceret Dominus super Absalom malum.* Itaque *Achitophel videns, quòd non fuisset factum consiliū suum, strauit asinum suum, surrexitq;, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam: & deposita domo sua, suspendio interiit.* Quapropter nequissimum consilium, super ipsum deuolutum est. Nequissimum autem meritò potest appellari; quia licet Absaloni vtile fuisset, tamen absolutè fuit malum, immò pessimum, tum quia contra diuinum præceptum, quo iubentur filij parentes honorare; tum quia ei ipsi in caput est deuolutum, à quo est profectum. Igitur Achitophel, dum voluit Absaloni consulere bene, sibi consuluit malè. Quo loco etiam atque etiam mihi monendi sunt Principum Regumque consiliarij, ne se ipsos fallant, dum existimant nihil sibi à Deo metuendum, dummodo Principibus Regibusué suis vtilia, & fisco profutura suadeant, siue fas sit, siue nefas, quod suadent. Possunt enim etiam vtilia consilia esse inhonesta; & hinc mala, atque tandem super ipsos consiliarios deuoluenda. Primùm ergo videndum est in consilijs, an non Deum offendant? deinde num dominis prosint? Pernicioſa fidelitas est, quæ supremum judicem habet aduersantem. Quid miserius est, quàm cum proprio exitio alijs prodesse? Eat aliquis adulator, qui vt domino suo placeat, suadeat noua onera, suggerat inauditas artes opum augendarum, cum manifesta iniuria damnoque subditorum, *conuertetur dolor eius, in caput*

Psal. 7. 17. *eius:*

eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Ob hanc meritissimam vindictam, ait regius Propheta: *Confitebor Domino secundùm justitiam eius: & psallam nomini Domini altissimi;* neque consilium malum dabo, neque probabo ab alijs datum. Themistocles in concione dixit, se reperisse consilium, quod summopere pertineret ad dignitatem Athenienſium: sed id eius esse generis, vt proferri non expediret; cùm nulla consilia meliora sint, quàm illa quæ ignorauerit aduersarius antè, quàm facias; quæ si eis prodantur, in propriam perniciem sint reditura. His auditis populus censuit, vti consilium vni Aristidi indicaret: si is probaret, probaturos omnes. Cùm igitur Themistocles indicasset Aristidi, se de incendenda Græcorum nauali statione cogitare (sic enim fore, vt Athenienses toti Græciæ dominarentur) Aristides ad populum progrediens, dixit Themistoclis consilio nihil esse vtilius, sed eodem nihil inhonestius. Qua audita voce populus vetuit, ne super ea re in posterum verba faceret Themistocles. *Hìc certè populus quiddam Philosophicum præstitit,* ait Plutarchus, *repudians vtilitatem cum turpitudine coniunctam;* immò præstitit quiddam Christianum. Apud nos enim nihil vtile est, nisi honestum; cùm sciamus, inhonestis consilijs diuinam iram imminere, quæ & dantes plectit, & malè vsurpantes. Vt enim, qui in cælum expuit, sputo suo fœdatur, ita qui contra Deum consulit, malum sentiet, *& in verticem ipsius iniquitas eius descendet.*

Ibid. 18.

Plutarch. in Aristide.

Verè alius dixit: *Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse nouit & decipientem, & eum, qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem;* vt, dum stultè consulunt, suismet consilijs irretiantur; ac dum stupidè judicant, ore suo judicentur, sententiaque propria damnentur; & legem, quam in alios tulerunt, ipsi patiantur. Quo pacto Eutropius Eunuchus, dum studeret in quosdam, qui ad templum confugerant, animadertere, persuasit Imperatori, vt ferretur lex, qua templi religio nulli prodesset nocenti. Lata lege factum est, vt Eutropius cùm offendisset Cæsarem irritata Augusta Imperatrice, confugeret sub altare, vnde protractus capite plexus est, suo ipsius consilio perditus. Quam historiam non solùm tradidit Socrates in historia tripartita, sed etiam Nicephorus his verbis: *Eutropius Eunuchorum in*

V.
Iob. 12. 16.

Nicephor. Callist. lib. 13. hist. Eccl. c. 4.

Imperiali cubiculo princeps, qui ad Consularem dignitatem peruenerat, & pater Imperatoris vocatus fuerat, neque præsentis fortunæ magnitudinem tulit, neque quidquam de rerum humanarum mutabilitate cogitauit, sed vbi vlciſci quoſdam in animum induxiſſet, magnopere contendit, vt Imperatores Conſtitutionem ferrent, ne quis ad Eccleſiam confugeret, ſed etiamſi quis ad eam confugiſſet, & ſupplex Deo factus eſſet; atque in templis metûs causâ verſaretur, vt inde extraheretur. Potiſſimum verò id fecit propter Pentadiam clariſſimi Ducis Timadij coniugem, quem magnâ gloria virum affectatæ Tyrannidis reum à ſe actum, Oaſim ad perpetuum exilium deportari curauerat. At ille ſiti, quemadmodum audiui, oppreſſus, aut ne peius quidquam pateretur, veritus, arenoſis ibi locis errans ſtatim vitam finiit. Et Lex, quam Eutropius ferendam curauerat, ad finem ſuum perducta eſt. Breui verò pòſt, cùm Imperatorem offendiſſet, aut qui in Coniugem eius contumelioſus fuiſſet, primus ipſe quam perferri ſtuduerat Legem, ſtatim violauit. Nam ex Imperialibus adibus profugiens ſupplex in Eccleſiam conſedit. Tum Ioannes abſurdum Eutropij conatum redarguens luculentam habuit Orationem, in Ambone ſeu ſuggeſtu, qui mos eius erat, quum populum doceret, vt omnes vocem eius exciperent, ſedens. In ea oratione, quum eorum, qui poteſtatem, & Magiſtratus gerunt, ſupercilium & arrogantiam quantum potuit, taxauit; tum populo rerum humanarum inconſtantiam, quæ eodem loco manere non ſoleant, propoſuit. Sed enim qui hoſtili erga eum erant animo, & hoc ipſum calumnioſè reprehenderunt, illud carpentes, quum miſerari potiùs caſum eius qui de vita periclitatus ſit debuerit, qui inſuper arumnam arguerit, afflictionem illius adarguens, & calamitati inſultans. Eutropium tam impij facinoris pœnas non multò pòſt propter multa quoque alia delicta luit, capitali affectus ſupplicio. Lex autem operâ eius lata publicis monumentis ſublata, & nomen eius in catalogo & nomenclatura Conſulum expunctum eſt. Eccleſia autem DEI legibus bene dudum conſtitutis enituit eo ipſo ſcilicet die apertam iniuriam vindicante.

VI. Paulò clementiùs, pro merito tamen tractata eſt pecuniæ cupiditate perfida facta ancilla, eodem authore teſte, qui de S. Athanaſio ita ſcribit: *Dicitur ſanè hic vir multa & diuerſa, diuino iudicio, euaſiſſe pericula. Quòd namque DEO eſſet perquam charum, quæ futura erant, itidem vt præſentia per gratiam Dei prouidebat.*

Nicephor. lib. 9 hiſt. Eccl. c. 34.

Mul-

Multa certè, & admiranda futurorum cognitionem viro ei conteſtantur. Primò namque, Conſtante adhuc viuente, Conſtantio inſidias ei ſtruente, quum fuga ſibi conſuluiſſet, apud rotum quemdam hominem in ſubterraneo, & caliginoſo ſpecu, aqua olim ciſterna, latuit, nemine preter ancillam conſcio, qua quòd fidelis eſſe videretur, ad vſus neceſſarios ei inſeruiebat. Poſtquam autem in hoc magno ſtudio aduerſarij incubuêre, vt virum viuum caperent, & ancilla ea pecunia ab illis corrupta mercede eum proditura erat, præueniens DEVS inſidias ei indicauit. Ita ipſe alìò conceſſit, at illa vt quæ contra heros ſuos falſa dixiſſet, plagas reportauit. Grauis ſiquidem eis conſtituta fuerat pœna, qui Athanaſiũ celare comperti fuiſſent, vt qui contra Imperatoria iuſſa niterentur, & rectam reipublicæ adminiſtrationem tollerent. Conſilium itaque ancillæ de Athanaſio capiendo datum, quia diuinitus in irritum cecidit, in ipſam ancillam retroceſſit, quæ pro mercede proditionis, ad ſatietatem, vapulauit. Eiuſcemodi conſilia alij multi dant, qui captantes capiuntur.

VII.

Quemadmodum autem malum conſilium frequenter in ipſius conſulentis caput reſilit, ita, tametſi non noceat authori in ſua domo, tamen nocet illi, tamquam membro communitatis, in quam totam ſolet eſſe detrimentoſum. Hinc Homulius, teſte Ælio Lampridio, cùm à Traiano Imperatore audiuiſſet, Domitianum peſſimum fuiſſe Imperatorem, amicos tamen optimos habuiſſe, dixiſſe fertur: *Melius erat vnum malum pati, quàm multos.* Atque idcirco optare ſolebat potiùs malum principem, qui bonos haberet conſiliarios ac amicos, quàm bonum, qui malos haberet, quibus rerum adminiſtrationem committeret. Putabat enim facilius fore, vt à multis bonis vnus malus ad ſaniora duceretur, quàm ab vno bono multi à malitia auerterentur; qui & ſibi, & Reipublicæ nocerent conſulendo. Quod videre fuit in Nerone Romanorum Imperatore, qui natura crudelis, conſiliariorum ſuorum inſuper inſtinctu, multa contra dignitatem fecit, cùm crebrò ab illis audiret: *Tu hæc pateris? Tu hoc times? Ignoras, te Cæſarem eſſe? neq; illorum poteſtatem habere, non illos tui?* Quibus venenatis conſilijs id effecerunt, vt eadem in ipſos quoque cogitaret, quippe qui & illorum ſe Cæſarem eſſe meminiſſet. Ita contingit illis, qui conſulentes volunt adulari; quorum tota vis eſt, & mens, dicere, quæ placeant;

Æl. Lampriđ. in Alexandro, & Fulgoſ. lib. 7 cap. 2.

Xiphilin. in Nerone.

placeant; facere quæ noceant, nihil pensi habent. Atque de tali
Iob. 18. 7. homine dicitur: *Arctabuntur gressus virtutis eius, & præcipitabit eum consilium suum.* Qui ergo & sibi & Reipubl. vult benè, benè consulat; cosque qui benè, hoc est, prudenter, fideliter, &, vbi necesse est, cum secreti silentio, nec præcipitanter consulant, nec quidquam ad gratiam captandam, vel ob alios priuatos affectus fingant. Quamobrem Fridericus Cæsar, consiliarijs suis in curiam vocatis, *Vtinam* inquiebat, *consiliarij mei in palatij vestibulo duas rudeponerent. Sic enim & ipsi rectè consulerent, & mihi etiam inter consilia dyudicare facillimum esset.* Interrogatus autem, quænam res illæ essent? *Simulatio, & Dissimulatio*, respondit.

VIII. Mendacij quoddam genus est, simulare ea, quæ non sunt; vel dissimulare, quæ sunt. Itaque qui suadet aliquid simulando, mentitur, enimuerò in caput suum mentitur, dignus mercede, quam mendaces promerentur. Est enim mendacium falsa verborum prolatio cum intentione fallendi: falsa autem odio, voluntas fallendi supplicio est digna. Et tamen hac se arte alunt plurimi, à qua se vel Ethnici excusauerunt.

Iuuenal sat 3. *Quid Romæ faciam? mentiri nescio, librum*
Si malus est, nequeo laudare, & poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera numquam
Inspexi: ferre ad neptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat, nôrint alij.

Qui itaque nôrunt, atque ex simili arte consulunt, quid capiti suo
Baron. An. Christi 723. tom 9 ex Conc. Nicæno 2. Act. 5. & Damascen. de hær. suant, ostendit breuiter Theophanes, copiosè autem & luculentotam exemplo, quàm testimonio ex sacrosancto Occumenico Nicæno Concilio, & Damasceno Cardinalis Baronius, qui hæc verba transcripsit: *Per ea tempora in Tiberiade dux quispiam erat Hebræorum impiorum, cui nomen Serantapechys, officina diabolorum, quibus vitiare animas, lusus est & jocus, homo præstigiator, & veneficus, & Ecclesiæ Dei hostis implacabilis. Hic animaduersâ Gizidi Regis leuitate, hominem aggreditur, polliceturq; Hebræorũ ingenita malitia in se Regi quædam prædicturum, & vatem acturum in maximè necessarijs rebus se offert. Eas ob res cùm esset insinuatus Tyranno: Volo (inquit) ô Princeps, modò me audias, rationem quamdam indicere tibi, quà poteris facillimè*

cillimè, & vitam commodam degere, & triginta annos regnum aquabili in potestate conseruare. Stultus autem Tyrannus spe & desiderio longioris vitæ animi leuitate elatus (erat enim homo voluptatibus deditus) respondit: Quæcumq; me jusseris facere, modò possim, agam. Veneficus autem Hebræus confestim, inquit: sine vlla dilatione jube vniuersum per regnum epistolam, quæ passim circumferatur, scribi & mitti, qua omnẽ imaginem & picturam, siue ea in tabulis, siue in opere musaico in pariete; siue in vasis sacris, aut indumentis & altaribus sit, & quæcumque in Christianorum Ecclesijs reperitur, deleri, expungi, auferri, & ex tota subuerti mandes: neq; illas solùm, verùm omnes similitudines, & earum etiam, quæ in foro ornatûs, & honestatis gratiâ collocantur: nullâ igitur ratione aliâ, quàm vt odium & furorem aduersus Christianos exerceret, præstigiator id tentauit. Tyrannus autem nefandus præstigiatori leuitate suâ auscultans, missis nuntijs, omnes sanctas imagines & similitudines per vniuersam prouinciam abstulit. Hoc itaq; modo primùm Ecclesiæ ornamenta, procurante Hebræo venefico, ablata sunt Christiani autem cùm id suis manibus facere detrectarent, missi sunt Hebræi & Arabes, homines in Deum impij, qui imaginibus exustis Ecclesiarum quasdam calce, quasdam alijs coloribus dealbârunt, & incrustarunt. Ita planè Ioannes Damascenus de Iconoclastis ita dictis (inquit) quòd cùm sanctas & veneratione dignas imagines cùm ignominia tractassent, tum in minutissimas partes comminuerunt, tum conjecerunt in ignem, eodemq; modo eas, quæ in parietibus erant depictæ, partim aqua calida, partim calce atramentoq; oblitterârunt. Hæc ipse, sed pergit Ioannes Orientis Vicarius: Hæc autem cùm peruenissent ad aures Pseudoepiscopi Nacoliæ, & qui eiusdem erat cum illo opinionis, impios Hebræos & Arabes imitati, Ecclesias Dei, veluti crucem Christi verecundantes reddiderunt. Arbitror autem relatu dignum, vt & sanctitas vestra audiat, quem finem ignauus iste & veneficus Hebræus habuerit. Gizidus enim, qui facinus perpetrauerat, vltra annum cum dimidio non vixit, in ignemq; aternum descendit. Postquam autem mortuus fuit, in pristinum ordinem & statum imagines restitutæ sunt. Filius autem illius Vlidus nomine indignatus Hebræo tamquam interfectori patris turpissimâ morte, hominem mori coëgit. Ita is falsi sui vaticinij dignum præmium accepit. Sanctissimus Episcopus Morsenæ dixit: Ego paruulus eram in Syria, quando Saracenorum Princeps imagines subuertit. Hactenus

ctenus Nicæna acta, quæ non tantùm docent, in imaginum persecutorem justissimè vindicatum esse; sed etiam veneficum id, quod & à ratione, & à veritate longè auersum, consulentem, sibimet ipsi pessimè consuluisse. Neque enim tyrannus hoc consilio vitam prolongauit, sed incidit, neque Hebræus aliud obtinuit, quàm vt, mercedis loco, turpissima morte mactaretur. Ita ad perniciem elabuntur ingenia, sine consilio consulentia; aut malitiose suadentia vanitatem.

CAPVT XLIX.

Calumniæ in calumniatorii caput reuersæ.

I. S. Thom. 2. 2. quæst 68, art. 3.

INfausta linguæ soboles est etiam *calumnia*, seu falsa & malitiosa criminis impositio, diabolicum vitium, nam & malus spiritus hinc *diabolus* appellatur. Hæc improba oris soboles tres contaminat, delatum, cui aliquid mali pertmendacium affingit; auditorem calumniæ, qui, quia sæpe credit, quod clanculum audit, delatum ad respondendum & refellendum non admittit: ac demum delatorem quoq; ipsum in quem reuolat, sicut sagitta à clypeo repercussa. Siquidem primò, eiusmodi sycophanta, apud prudentes è cantu, vt auis, cognoscitur, & horretur. Socrates calumniatorem nequaquam admittendum esse idcirco suadebat, quia non ex beneuolentia tecum, sed maleuolentia loquitur: & quemadmodum aliorum arcana tibi detexit, similiter etiam, quæ tu dixeris, exponet alijs. Vt ergo metuendus, sic fugiendus est: neque enim tibi experieris, quàm alijs, fideliorem, cùm idem sit, hoc est, calumniator; à quo quid potes aliud, quàm calumniam expectare? Tange illum, & vel modicum offende, mox videbis eum linguam in promptu habere, sicut scorpio caudam, quam ad quemuis afflatum vibrat. Itaq; gratiâ sæpe seipsum antè, quàm alterum priuat.

Antonius in Melissa par. 1. ser. 35 Max. ser. 10.

II. Secundò delator debet timere alium delatorem; qui si desit, tamen sæpe veritas cum tempore emergit, venitque in lucem; & calumnia non rarò, se ipsam prodit. Quid tunc non refundit malorum in authorem suum? Notam illi in frontem, aut saltem in famam inurit; odium creat; fidem omnem adimit; adeò, vt immendacio deprehensus, postea quoque, cùm vera dicit, fidem non merea-

mereatur. Vix enim quisquã prudens ei credit, à quo se deceptum meminit. Refert Xenophon, Cyrum dicere ad Armenium solitũ; non solùm à calumnijs abstinendum, sed omnino mentiendum non esse: *Apertum enim mendacium hominibus maximè impedimento esse ad veniam consequendam.* Danda est quippe his venia, qui ex inscitia, vel errore mentiuntur: qui data opera apertè calumniantur, nulla venia digni sunt, nec fide. Vnde falsos testes, ipso jure infames esse, ex Eusebio Papa docet Gratianus in hæc verba: *Constituimus cum omnibus, qui nobiscum sunt Episcopis, vt homicida, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, suspecti, criminosi, perjuri, & qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos diuinosq; concurrerunt, similesq; eorum, nullatenus ad accusationem, vel ad testimonium sint admittendi; quia infames sunt, & juste repellendi, quia est funesta vox eorum.* Fit itaque infamis calumniator, qui alterum voluit infamare. Quid hoc aliud, quàm pati, quod alteri parasti patiendum?

Xenoph. li. 2 Pædiæ.

Gratian. cauſſa. 3. q. 5. ex Euseb. Papa epist. 3. ad Episcopos. Thusciæ.

Tertiò illico calumnia ipsum verberat calumniatorem: quàm diu enim apud ipsum est memoria calumniæ factæ, tam diu factæ conscientia illum mordet ac flagellat. Hoc est, quod dicitur: *Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo.* Quemadmodum enim delectat hominem, se calumniando vindicare, aut alteri, cui adulatur, in gratiam commendare; ita scrupulus residet in eo (qui est velut *calculus in ore*) vt eum cruciet, dentesq; identidem offendat, quibus alterius bonam opinionem momordit. Quòd si quidam ita sunt cornei, vt nullum conscientiæ stimulum ampliùs sentiant, & sibi ipsis de calumnia plaudant; iam hoc ipso calumnia cæcitate plectit calumniatorem; quia *mendacia si non habent, quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur, sicut ait Psal. Mentita est iniquitas sibi.* Quartò nulla calumnia, apud alterum, tantum decerpit de laude, quantum ipsi adimit adulatori: discipulum enim, immò filium eum diaboli esse ostendit. *Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem, sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium,* ait S. Augustinus. *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere,* ait Veritas. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. cùm loquitur mendacium, ex propris loquitur, quia mendax est, & pater eius,* mendacij scilicet. At

III.

Prou. 20. 17.

S Chrys. in cap. 21. Matth.

Ioan. 8. 44.

quid detestabilius est, quàm esse filium talis parentis? Talem autem se esse ostendit, quisquis alteri calumniam impingit. Vtrum ergo magis infamat, alterum, an se ipsum tali patre oriundum?

IV.

S Augustin. lib. de cõflict vit. & virt. Et habetur 22. q. 2. Nec artific.

Quintò, si *nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet quemquam decipere, quia quomodolibet mentitur quis, occidit animam;* si Dauid Deum compellans ait: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium;* quantò magis affliget calumniatorem? cui dixit: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium?* An non igitur æquissimum est, vt qui calumniam facit, calumniam vicissim patiatur, aut certè à iustitia atque magistratu ipse sibi perniciem accersat? Idcirco talem Deus olim legem posuit: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum, & judicum, qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentissimè perscrutantes, inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui: vt audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non miserebéris eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Quàm clarè hìc falso testi, seu calumniatori pœna talionis statuitur? Congruum enim est, vt quod quis supplicium falso testimonio alteri injustè irrogare voluit, id justè ipsemet patiatur.

Psal. 5. 20.

Deuter. 5. 20.

Deuter. 19. 16.

V.

Clarissimi exempli historia est apud Danielem de Susanna pudicissima femina, quam duo libidinosi senes de adulterio commisso falsò accusarunt, cùm enim eius corpore frui non possent, morte illius voluerunt sese delectare. Instituta igitur calumniosa accusatione, cùm confictam à se de juuene è manibus elapso fabulam recitassent, hanc coronidem addiderunt: *Huius rei testes sumus. Credidit eis multitudo, quasi senibus, & judicibus populi, & condemnauerunt eam ad mortem.* Iamque ducebatur innocens lapidanda, neque quemquam habebat, à quo defenderetur. Non illam nobilitas parentum; non honestissima educatio; non sanctissimũ coniugium; non vitæ præteritæ optima fama; non amantissimus maritus; non luctus & lachrymæ cognatorũ, à calumnia liberauerunt. Testes erant omni exceptione maiores; cum quibus loquebatur veneratio senectutis, auctoritas magistratus; denique, qui

Dan 13. 42.

judices

judices fuerant, facti sunt accusatores. Ergo vndique deserta ad eum solum confugit, qui verè nouerat innocentem. *Exaudiuit* igitur *Dominus vocem eius*, & excitauit Danielem, à quo mendacij conuicti falsi calumniosiq; testes iustam calumniæ mercedem retulerunt. *Exclamauit itaq; omnis cœtus voce magna, & benedixit Deum, qui saluat sperantes in se. Et consurrexerunt aduersus duos presbyteros (conuicerat enim eos Daniel ex ore suo, falsum dixisse testimonium) feceruntq; eis, sicut malè egerant, aduersus proximum, vt facerent secundùm legem Moysi; & interfecerunt eos: & saluatus est sanguis innoxius in die illa.* In alto virtutis gradu erat innocens Susanna: senes in profundo iacebant peccatorum; vnde illam calumniâ, velut saxo petebant, saxis ipsi digni; hinc ea ex alto in capita illorum reuolarunt, Susannâ intactâ, vt fieret, quod dicitur: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.* Dan. 13. 60. Eccli. 27. 28.

VI.

Fuit & Christus lapis angularis, quem Iudæi in altum miserunt, cùm eum sustulerunt in crucem, multis magnisque & contumelijs & calumnijs affectum; qui in caput eorum cecidit. An non enim calumnia fuit, quando *cœperunt illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse?* Quæ falsissima accusatio, apud Pilatum plurimùm valebat, cupientem vtique & regnum, & tributum Cæsari seruare indemne. Poterat hæc calumnia refelli ipsorummet testimonio, à quibus interrogatus Christus, Vtrùm liceret censum dare Cæsari, responderat disertè: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Testes quoque Romani erant, aut Iudæi Publicani, qui Cæsaris vectigal colligebant, Christum non solùm soluendum Cæsari tributum docuisse, sed ipsum quoque solitum soluere. Nam cùm venissent *Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait: Etiam.* Postea tametsi ostendit Seruator, se ad tributum soluendum non obstringi, nihilominus dixit Petro: *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* Adeò non solùm pauper erat, vt nec staterem secum tunc haberet, sed etiam circumspectus, vt vel miraculum facere mallet, Luc. 23. 2. Matth. 23. 17. ib. v. 23. Matth. 17. 25.

mallet, quàm negato censu alios scandalizare. Et tamen Iudæi, repugnante licet conscientia, per summam iniuriam, & malitiam Christo obijciunt odiosum crimen, quod scirent, eò verosimilius Præsidi videri posse, quòd Herodianorum tunc secta vigeret, qui dicebant, non licere Iudæis regi alienigenæ tributa pendere: itemque colorem addebant, quando dixerunt, eum sese tamquam regem iactare. Si enim rex erat, dubitari non poterat, quia tributa Cæsari danda negaret. Ob has tales calumnias clamauerunt iterum iterumq; *Matth. 27. 23.* *Crucifigatur.* Vt vocem igitur, ita & ipsum Saluatorem: tamquã lapidem sine manibus excisum in altum miserunt; qui super capita eorum cecidit, eosq; grauissimè percussos contriuit. Quod ipse ait, palam prædixit futurũ illis verbis: *Numquã legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.* An non contriti sunt calumniatores Iudæi, quando à Tito & Vespasiano obsessa est Hierosolyma? an non omnia paria illis reddita? an non & alibi hoc prædixit? *Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas IESVS, dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Et scimus, quid factum sit, malum pro malo, non iniuria, pro iniuria est reddita. Ex ore suo judicati sunt Iudæi. Clamauerunt enim: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros;* id est, nos, & filij nostri, si qua in hac accusatione calumnia, aut condemnatione iniustitia est, præstabimus: nos pœnam luemus. Et luerunt insigniter, tempore excidij Ierosolymitani, quo nonnullæ matres suos edere infantes coactæ sunt, quemadmodum Iosephus testatur. Et vox est extrema patientium mala, qui mori vellent, nec possunt, dolorisque magnitudine victi montibus clamant: *cadite super nos.* Non ergo tunc tantùm *lapis super caput* calumnia-

Matth. 21. 42. *Psal 117. 22.* *Act. 4. 11.* *Rom. 9. 3.* *1. Pet. 2. 7.*

Luc. 23. 27.

Matth. 27. 25.

Ioseph lib. 7. de bell Iudaico. c. 8. *Luc. 23 30.* *Eccli. 27. 28.*

lumniatorum, sed toti montes si cecidissent, melius eis fuisset, quam eam pati calamitatem. Vnde videant, qui calumnijs alios euertunt, quæ eos maneat calamitas, si non in hac vita, saltem in futuro judicio. Enimuerò videant, quantum sit flagitium calúmnia. Si enim Deus non punit vltra meritum, sed citra, vt Theologi docent, & tamen tam seuerè punit calumniantes, potest vtique ex pœnæ atrocitate intelligi sceleris magnitudo.

VII.

Hæc, vt homines à calumnijs deterreat, ex ipsis pœnis à Deo inflictis agnita, in causa est, ne pœna semper in alteram vitam differatur, sed in terris quoq; detegat calumniarum fabros. Narrat Eusebius, Narcissum Hierosolymitanum Episcopum à tribus falsis testibus de infami crimine fuisse accusatum, mox ipsos infamia maxima fuisse notatos. Primus accusator jurauerat, vt ni verum esset hoc eius Præsulis crimen, Deus eum igne perditum iret: secundus morbum sibi regium imprecabatur, ni vera accusarentur: tertius, si falsum diceret, oculis voluit orbari. Falsum probrum, verum illico plexit supplicium. Nam primus in domo noctè incendio correpta, cum omni familia sua flammis vltricibus conflagrauit. Alter non rex, morbo tamen regio à capite ad pedes correptus & absumptus est. Quorum pœnâ perculsus tertius resipuit, sed mulctam non euasit. Videns enim præsentem Dei vindictam ad pœnitentiam seriam confugit. Scelus igitur confessus tantis lacrymis defleuit, vt luminibus orbaretur. Redijt igitur & in hunc, quod molitus est alteri. Pro fœno nobis meritò sunt ista. *Tentamur his tentationibus quotidie, Domine,* ait S. Augustinus, *sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam. Est qualiscumq; in alijs generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc penè nulla est.* Aliquam tamen, velut digito intento, monstrant pœnæ similium peccatorum. Ideò enim vel punit, vel finit puniri calumnias cælestis vindex, vt doceat vitari.

Euseb. lib. 6. hist. c. 7.

S. Augustin. lib. 10. Conf. c. 37.

VIII.

Susannam senes primùm procando, deinde calumniando oppugnarunt: viri fœminam, senes juuenem; & victi sunt. In contrarium & femina juuenem aggressa est, atque malum, quod illi parauit, tulit, Crispum Constantini Imp. ex Mineruina Filium Fausta vxor Imperatoria deperijt, atque amore impuro incensa, sæpius

Eutropius lib. 6 hist. cap 7 Auentin. lib. 2. Annal Boiorum.

fæpius de ſtupro interpellauit. Cùm omnia tentaſſet, illaque Putipharis vxorem, ille Ioſephum ſtrenuè egiſſet, tam conſtans in renuendo, quàm illa impudens in prehenſando; mœcha ſpe ſua fruſtrata; amoreque in odium verſo, furioſa mulier priuignum ſuum ad maritum detulit, mentita, ſibi vim inferre voluiſſe. Non nouit feminam, quiſquis feminæ temerè credit. Conſtantinus itaque & ipſe muliebris ingenij immemor, vxori fidem adhibuit, atq; in filium ſuum, ſola accuſatione, nulla probatione reum, exarſit iracundiâ; neque ad defenſionem admiſit. Quare inauditum Polæ in Hiſtria interemit innocentem. Viciſti, Fauſta, triumpha. jacet in ſepulchro, qui noluit jacere in tuo thoro. ſed non ſemper duranit tuus triumphus. Aliquot annis latuit innocentia, & fuit triumphata: verùm tandem in lucem erupit, teque viciſſim in triumphum duxit. Comperta enim falſiſſimæ accuſationis cauſſa, ac ſcelere vxoris deprehenſo, Conſtantinus non minùs ſeriò, quàm ferò dolens de præcipitata ſententia, filioque in præmium caſtitatis interfecto, Fauſtam docuit nequaquam fauſta alite calumniam ſtruxiſſe. Nam eam in ardentes balneas conjectam caloribus extinxit, quæ caloribus peccauit. Quare calumnioſa Imperatrix *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit*, ſeu in quam priuignum præmiſit, cuius innocentia calumniatricem poſt ſe traxit in ruinam.

Pſal. 7. 16.

IX.

Caſpar Bruſchius in Chronolog. German. pag. 27. Matth. Rader. p 2. Bauar Sanctæ pag 102. Thegan. de reb geſtis ab Ludouico Imp. p. 296. c. 2. ap Bithæum.

Non omittam hîc inſerere, quod Caſpar Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ, quin etiam Cruſius, Friſchlinus, Munſterus (quorum fidem tamen ſubleſtam facit, non ſine cauſſa Raderus noſter) de ſanctiſſimi nominis femina memoriæ prodidit. Hiltegardis ea eſt, Hildebrando Sueuorum Duce, & Regarda heroina domo Bauarâ, nata, coniuge Caroli Magni. Anno Chriſti 783. defuncta: quam antiquiſſimus author Theganus *beatiſſimam* nominat, Chronicon Mindenſe & Andecenſe prænomine & titulo *Sanctæ* honorant. Bruſchius de ea ita loquitur: *Fundatrix ſancta vocatur, non quòd canonizata ſit à Romanis Pontificibus, ſed quòd ab incunabulis Chriſti doctrinarum ac præceptionum ſtudioſiſſima, ſummo ſemper ſtudio egrotos inuiſerit, & verbo Dei conſolata ſit; quòd è partu laborantibus feminis Imperatrix etiam adfuerit; quòd omnibus pauperibus largiſſima eleemoſynarum diſtributione opem*

ne opem summam tulerit. Cuius pietatis insigne & conspicuum hodie adhuc est in Campidunensi monasterio indicium: vbi in eius memoriam singulis septimanis bis, diebus videlicet Lunæ & Veneris, ducenti homines pauperes distributis panibus cibari, ac refocillari solent. Hæc talis Hiltegardis nobilissimi religiosorum nobilium Monasterij Campidunensis Fundatrix fuit; vel quia grata esse voluit, *quòd ex humiliori statu ad supremũ regiæ maiestatis fastigium ascenderit*, vt probabilius conijcit Raderus: vel ob ærumnas grauissimas, quas more aliorum Sanctorum exantlauit. *Usa est*, ipso Crusio teste, *ad ædificationem* eius Monasterij, *duobus ab vrbe Constantinopoli statura & robore incomparabilibus gigantibus, Sancimone, & Celebrando. Portabant ij saxa humeris suis, ad nouam ædificationem, tantum ambo in die præstantes, quantum alij sedecim. Valde autem erant voraces, ita vt hominibus admirationi, & risui essent: sicuti vetustis temporibus Hercules* Bubulcus *cognominatus, quòd totos tauros deuoraret.* Vt autem Hiltegardis templum monasterij huius, quod ædificauerat & amplissimè fundauerat, etiam sacris Reliquijs locupletaret, Romæ apud ipsum Pontificem sollicitauit. Ibi enim postquam *narrauit Pontifici de cœnobio, quod condidisset in Illergouia;* Crusio ipso, hæretico licet, teste; *petijt sibi reliquias aliquot Sanctorum in id dari. Verùm cùm hic plus dare nollet, quàm quantum ipsa minimo digito sustinere posset, inuocauit illa beatam Mariam, oraret Filium suum, vt is roboraret digitum suæ Hiltegardis.* Ita, robore diuinitus petito, cum omnium admiratione, paruo digito magnum pondus sustulit variarum reliquiarum. *Hinc reginæ nomen auctum*, ait Crusius, Sancta & magna *Hiltegardis. Post Papa iter ingrediens (Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus 350 comitatus) vnà cùm Imperatore Carolo & Hiltegarde Campidonum medio ferè Maio peruenit.* Vbi *Concursus hominum ad spectaculum dedicationis cœnobij vndique factus.* Huius Monasterij originem (quam narrare, non testari mens est) refert Bruschius ex antiquis Chronicis Campidunensis cœnobij in hunc modum. Incidit necessitas Carolo Magno belli aduersus Saxones suscipiendi. In absentia igitur sua Talandum matris suæ fratrem Vicarium constituit: cui & Imperij curas, & coniugem Hiltegardē etiam atque etiam commendauit. Qui fidelitatis atq; honestatis omnis oblitus, etiam tori vicarium acturus, non veritus est

tus est inhonesta petere ab Imperatrice. Sed qui Helenam quæsiuit, Lucretiam inuenit, immò Susannam. Neque enim tantæ virtutis femina aut maritum absentem, aut præsentem Deum voluit offendere fidelitatis pariter, ac pietatis memor. Desideratæ rei negatione magis accensus est insanus amor. Nec destitit identidem fatigare precibus castam mulierem Talandus; quem metuens Imperatrix cœpit de astu, consueto feminarum clypeo, cogitare. Tandem igitur aliquando, quasi victa manus daret, ita ei respondit: Scis, quanti res periculi sit, quæ inter nos agitur, actum est de nobis, si palàm fiat. Quare summopere cauendum est, ne resciatur. Tuum igitur erit, vt locum tutum, secretumque ædifices, in quo conuenire possimus, omnibus arbitris remotis, reliqua me curare finito. Ille spe plenus, repentè palatium insigne extrui curauit. Quo absoluto, penitiorem aditum regio apparatu ornauit, ad quem ex aula tribus ibatur portis; illuc duxit Imperatricem. Illa præeuntem secuta vsque ad intimam conclauis vltimi januam. Eò vbi peruentum est, subitò januam adduxit, diligenterque fores obserauit: quin & custodes apposuit, à quibus seruaretur. Quo in carcere diu concluſum atque emaciatum, pro meritis castigauit. Ille fame, solitudine, & supplicij metu pænè exanimatus, quotidie ad Hiltegardem misit, qui delicti veniam, gratiamque libertatis impetraret; nec tamen impetrauit antè, quàm fama esset, Cæsarem è Saxonia reuerti. Tunc enim, nimirum marito præsente, satis se tutam fore arbitrata Imperatrix, liberum eum dimisit. Plerumque vertitur gratia malignis facta in maioris malitiæ occasionem. Hinc & Talandus carcere emissus, reduci Carolo obuiam profectus est. Quem cùm salutaret, pallidus, & osseo ore, interrogauit Cæsar, quænam tam diri vultus tamque macilenti aspectus causſa esset? Perfidè, perfrictaque fronte respondit: Inuictissime Imperator, exhaustum viribus & sanguine vides; & quid mirum si color fugit è genis? mirum est, quòd vita remanserit, inter tot & tantas ærumnas. Domum tuam, imo totius Imperij gubernacula mihi commisisti hinc discedens. Suscepi lubens; & operam omnem impendi, ne quid publicæ priuatæque vtilitatis negligeretur. Pro quo labore, eam gratiam reportaui, vt à rebus gerendis remotus, & in custo-

diam

diam datus, duriſſiméque habitus pænè enecarer fame. Quam ergaſtuli pœnam tantò grauiùs ſenſi, quia innocens fui. Libenter tuliſſem, ſi meruiſſem. Cogitaſſem enim, à benefico Numine breui me ſupplicio mitique plecti, vt æterno liberarer. Nunc autem ego lui, vt alteri licentiùs peccandi eſſet occaſio, ſi cuſtos remoueretur. Iam diu expectauerat Carolus, quiſnam huius eſſet audaciæ, intelligere, & iubebat Talandum nominare temeritatis authorem. Ille igitur, ducto ex imis præcordijs ſuſpirio, & oculis in cælum miſſis, quaſi ſuperos teſtes aduocaret, Pudet, inquit, pigetque nominare authorem, ô Cæſar. Et hæc fatus, vocem preſſit, quaſi inuitus nominaret tanti ſceleris reum. Mox tamen in hæc verba erupit. Quis alius hæc talia fatere potuiſſet, niſi Imperatrix? Illa, illa, ô Cæſar, me libero, amoribus ac libidini ſuæ tam liberè vacare non quiuiſſet. Vt ergo monitore, & freno careret; tam diu me in vincula coniecit, donec audiret, te redituru. De reditu tuo, vbi intellexit, carcerem aperuit, meque in libertatem reſtituit. Magnis viris, magnæ ſunt iræ, quando offenduntur. Ita igitur, his auditis, exarſit Carolus, vt in palatio ſuo non diuerteret: enimuerò, vt mandaret, mœcham in proximè præterfluentem præcipitari. Quod vbi ad Imperatricem emanauit citiùs, fuga ſibi maturè conſuluit, atque vulgo ignota, in gynæceo cuiuſdam ſatraparum Imperij, latitans vitam ſeruauit. Ibi tuta ſibi videbatur. Sed quid eſt in hoc mundo tutum? Haud multò pòſt accidit, vt Imperator, ex itinere, apud eumdem ſatrapam interiungeret, repentinus hoſpes. Ibi Hiltgardis, communi mulierum curioſitate, per feneſtram proſpiciens, obſeruabat aduenientes; ſed & ipſa à Talando obſeruata, & Cæſari prodita eſt. Illico igitur ira vetus pænè ſepulta reuixit. Quare ſubito impetu incaleſcens mandauit, vt ad ſiluam rapta oculis priuaretur, ibique omni ope deſtituta relinqueretur feris laceranda. O fortuna quàm mutabilis es! ò quàm inſatiabilis infelicitas! Iam ſe putabat Hiltgardis aſylum reperiſſe, iam in portu nauigabat; cùm noui ſeſe ſcopuli offenderunt. Solus loci dominus, & mater familias antè nouerant, quam inter reliquas gynæcei nymphas hoſpitem alerent. Poſtea vbi agnitam, & ad tam miſerabilem lanienam damnatam viderunt, non potuerunt ſatis eius calamita-

tem deplorare. Ipsa quoque quàm diu oculos habuit, quibus lachrymas funderet, à fletu non cessauit. At nihil iram Zelotypi lachrymæ molliuerunt. Ducitur in siluam, ne alios quoque moueat ad miserationem, si habeat carnificinæ suæ spectatores. Iamque arbori alligatur exoculanda, cùm rursus mirabili Numinis prouidentia, aurei vellerisEques Freidenbergensis genere superuenit; isque à sorore Imperatricis Adelinda missus, qui eam sub cultro iam constitutam, è manibus lictorum eripuit. Ne verò id Imperatori innotesceret, canem illis obtulit, cui oculos eradicarent,, quos deferrent ad Cæsarem. Ita rursus pia ac innocens femina experta est fortunam fauentiorem, Carolo bona fraude decepto, nec quidquam inter caninos & humanos oculos discriminante. Hiltgardis etiam hoc periculo defuncta, inde Romam profecta est exulatum, fidissima sibi virgine Rosina de Bodman in comitem assumpta. Romæ, ne esset otiosa, aut nihil boni faceret, artem exercuit, à prima iuuentute traditam; vt scilicet salutares herbulas legeret, variasque inde conficeret medicinas. Nouerat enim omnium graminum & radicum vires, *Seminaq;, & flora, & succos,* per quos afflicta valetudo redit in vigorem. Arti ac peritiæ Deus iunxit felicitatem. Plerosque quos curabat, sanabat. Et, si pauperes essent, sanabat gratis. Quibus rebus factum est, vt breui temporis spatio longè lateq; inclaresceret, neque jam Romæ dumtaxat, sed etiam passim alibi ars illius celebraretur; multique ad eam se deferri curarent, qui desperatis morbis affecti, ab alijs medicis auxilium nullum accipiebant. Interea nec defuit diuinus oculus, qui de cælo respexit super filios hominum, & sicut Hiltgardem calumnias passam, morborum prosperè curandorum gloria extulit; ita vicissim in impium calumniarum architectum Talandum animaduertit. Nam qui caussa erat, vt Imperatrix pænè oculos suos perderet, ipse diuinitus perdidit vsum oculorum, justissimâ pœnâ talionis. Neque in oculis solùm inflicta est pœna: totum præterea corpus illius fœdissima lepra est perfusum. Itum est ad omnes medicos, tentata sunt remedia omnia. Nihil vel hominum ars, vel graminum natura profecerunt. Dum vbique inquiritur, fama crescit, Romæ esse feminam, velut nouam aliquam sæculi Medeam, quæ omnes nôrit morbos sanare. Talandus,

landus, desiderio sanitatis, siue bonis illa artibus, siue Thessalis vtatur, statuit cum fratre Imperatore Romam proficisci, atque opem illius feminæ implorare, quæ nullum sine ope à se dimittere ferebatur. Committit se viæ, & Romam appellit. Nec fuit difficile, Romæ, illam reperire, quæ jam in toto orbe celebris habebatur. Quem postquam Hiltgardis de fenestra vidit, illico agnouit. Sed & caussam aduentûs intellexit. Quid tunc eam facere jussisset affectus, nisi virtus naturæ imperasset? Scilicet malum malo addidisset, si fuisset ipsa mala. *In oculis suis lachrymatur inimicus: & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine: & si incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem. In oculis suis lachrymatur inimicus, & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas.* At non talis fuit heroina illa. Incidit vtique illi in mentem: Hic est Talandus ille. Hic est ille impurus adulter, perfidus sollicitator, mendax calumniator, qui famam, qui vitam meam ad extrema duxit. En vt, qui in caussa fuit vt mihi oculi essent eradendi, ipse cæcitate & nocte plenus, horribili scabie plenus est! En, vt mea ope indiget! Noui herbas, scio pharmaca, perspectam habeo vim lapidum qui sanare, qui cruciare possint. Non sanabo, cruciabo. Haud me videt cæcus; nec tot ærumnis mutatum vultum agnoscunt, qui eum comitantur. Age anime, refrigera te, vindica tam grauem calumniam; & dolorem pro dolore repone. Hæc atque alia talia suggesit vtique memor tam atrocium iniuriarum animus. Sed virtus eum subegit, & suasit meliora. Misit itaque ad eum Rosinam suam, jussitque primùm caussam tollere morbi, postea quærere medicinam, de qua ipsa sit interim prospectura. Ne autem caussam ignoraret, ad sacerdotem eum ablegauit, cui peccata sua confiteretur, ob quæ vtique in hæc mala incidisset. Ille seu amore sanitatis, seu quòd ictus saperet, crimenque suum agnosceret, paruit. Confessione, pœnitentiaque peracta, intra paucos dies, visum recuperauit, totoq; corpore mundatus est, cùm pariter & mentis & corporis saniè emaculasset. Pro miraculo ea res habita est. Et æquè Pontifex atque Imperator Carolus fæminæ peregrinæ consilium auxiliumque admirati, eam ad se accersiuerunt; ea autem ad palatium neutrius consentiens venire, respondit, postero se die in D. Petri Ecclesia vtrique locuturam. Aderat dies al- Eccli. 12. 16.

sera, aderat & Hiltgardis Rosina comitante. Venit & cum Pontifice Imperator. Magna est omnium expectatio mulierem peregrinam tot mirorum patratricem videre cupientium. Sed omnem superauit expectationem, quòd eam primo statim aspectu Carolus agnosceret, & tamquam Imperatricem coniugem salutaret. Agnita Hiltgardis & Pontifici, & marito omnem totius calumniæ seriem denarrauit, Deoque & grates, & laudes dixit, qui electos suos *deducit in via mirabili, & facit mirabilia magna.* Neque discrimina dumtaxat recensuit, quæ euaserat; sed etiam innocentiam suam, & Talandi calumniam detexit. Carolus veritatem edoctus, ingenti gaudio, illam in vxorem recepit, filijs quoque matrem Roma reducturus. Mox deinde ira omni in Talandum conuersa, cogitauit, quibus eum supplicijs è medio tollendum mandaret. Sed ad clementiam ab incunabulis educata Hiltgardis, inimico suo capitali vitam impetrauit. Haud tamen impetrare potuit, quin in exilium, extra Imperij fines, relegaretur. Tum noua lætitia, nouumque festum Romæ extitit, Pontifice eos denuo coniungente ac benedicente, & Carolo quidem *Magni*, Hiltgardi autem *Magnæ* nomen tribuente. Hæc vbi Romæ gesta sunt, reuersi in Germaniam, communi consensu, duo insignia pietatis monimenta exædificarunt, ad honorem Dei Matris ac Virginis: Hiltgardis quidem ex voto vnum Campiduni, Carolus autem Magnus Aquisgrani alterum: quod vtrumque voluerunt esse grati animi æternum testimonium; ob innocentiæ ac veritatis antè oppressæ, nunc autem manifestatæ victoriam & triumphum. Atque hæc verissima est vtriusque ædificij sacri origo, teste Bruschio.

Sap. 10. 17. Psal. 135. 4.

X. Quod num ita sit, ego neque jurare volo, neque litigare. Narrata narro. Authores do, non fidem; quæ sit penes authores. Scio, esse, qui moneat, *in acta Hiltgardis prodigiosa fabularum monstra, qualia nec Phryx olim fabulator cogitauit, nec Phædro in mentem fuerunt, nec in Parnasso Ascræus somniauit, irrepisse, & à quibusdam in historiam, tamquam certa legitimaq; recepta admissaq;.* Ego hæc pro certis non vendo. Monstra tamen fabularum non agnosco, nec somnia, qualia Æsopus aut Phædrus somniauit. Non enim bestiæ in his gestis feruntur locutæ; sed talia narrantur, qualia passim

alijs

alijs quoque heroibus leguntur contigisse. *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Ita eorum exercet virtutem; ita probat patientiam, ita illustrat sanctitatem; ita denique ostendit, calumnias ad extremum in ipsorum calumniantium infamiam redundare. Enimuerò, si demus hæc ficta esse, an nihil ex illis discere licet? *Fabula etsi vim veritatis non habeat,* ait S. Ambrosius, *tamen rationem habet, vt juxta eam possit veritas manifestari. Referunt seculares, virum quemdā fuisse, vt quoties beneficio virium suarum destitutus, amicam & nutricem terram impulsu aduersarij cōtigisset, de solo surgens magis in aduersarium prænaleret; & sic occasio prostrati occasio fiebat triumphi. Dabat infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Cui hæc conuenient, nisi Christo, qui ad hoc cecidit, vt glorioſior resurgeret?* Hæc D. Ambrosius. Licet ergo pari modo siue historiam, siue fabulam Hiltegardis etiam nobis ad mores accommodare.

Pſal. 67. 63.

S Ambroſ. lib 3 de officijs.

Ac sanè multa inde hauriri possunt documenta. 1. Etiam magnatibus suas cruces, suasque ærumnas esse; vt inde humilientur. Immò quò quisque est maior ac potentior, eò magis patet ad ictus Fortunæ excipiendos. 2. Hinc solatium est minorum gentium hominibus, si videant etiam Principibus, Regibus, Imperatoribus suos esse casus, seque tantos socios habere miseriarum. 3. Monentur Principes, vt videant, cui fidant. Talandus frater fuit Caroli Magni, nec tamen fidus fuit. Nimirum *fratrum quoque gratia rara.* 4. Si tantus Princeps, Si frater Cæsaris non fuit fidus custos castitatis, quid mirum est alios quoque esse eiusdem virtutis insidiatores? Dolendum. heu sanguineis lachrymis deplorandum est, quòd multi pædagogi, multi Parochi, multi Pastores; pueros suos, subditos suos, oues suas ad scelus solicitent! quasi primis stipendium, secundis beneficium, tertijs merces detur, vt animas ducant ad Infernum. 5. Discimus nullam feminis esse excusationem, si se sinant allici, & in fornicationes, adulteria, incestus consentiant. Hiltgardem habent, Hiltgardem imitentur, & decipere volentes bono dolo decipiant. Ad hoc à natura astutiam acceperunt, vt astum malum, bono illudant; non vt maritos suos decipiant. 6. Ex his gestis intelligimus iudicia Dei, & *mirabilia opera Altissimi.* Sinit innocentes pati; sinit honestissimos infamari; sinit castissimos turpissimis calumnijs infa-

XI.

Eccli. 11. 4.

Sap 3. 6. mari; finit morti adiudicari vita dignos. Sic eos expolit, sic *tamquam aurum in fornace probat*; sic ad maiorem gloriam atque honorem promouet. Quis enim dubitet, Hiltgardem receptam, quàm primò acceptam Imperatori fuisse longè chariorem honoratioremque? Et debebat vtique Carolus hanc illi compensationem. Vno verbo, Hiltgardis nulla alia re *Sancta* nomen magis potuit mereri, quàm patienti fortique exantlatione tantæ calamitatis. 7. Quod maximè spectat historia, discant hinc falsi delatores, quale eos maneat præmium suæ accusationis. Ad tempus nocere possunt, cum tempore prosunt, & exaltant, quos deprimere voluerunt: ac per quod ipsi voluerunt emergere, per illud ipsum tandem in paria, immò maiora mala deijciuntur. Verè enim dictum est: *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.* Psal. 71. 4.

XII.

Ven. Beda. tom. 3. in vita S. Arnolfi

Cuius rei manifestum paradigma etiam Venerabilis Beda de S. Arnolfo Episcopo his verbis narrat. *Quidam homo scelestus nomine Notto, ausus est irrogare cum complicibus suis episcopo sancto iniuriam, asserens scilicet, eum non esse cultorem Dei, sed potiùs hominem deditum voluptati: ad cuius lectum nocturnis horis, non solùm rex, verùm etiam regina, tamquã consilium flagitantes interdum properarent. Cùm ergo vir ille die quadã, aluo referto vino vnà cum detrahente socio suo strata petiisset, iubente Domino, omnia vestimenta illorum vallantur vndiq; flammâ. Quibus illicò cum ingenti clamore prosilientibus, aquam circa nates ac genitalia loca, vbi camisiæ illorum acerrimè cremabantur iniicientibus, nec omnino flammam diuinitus missam extinguere valentibus, tandem ad instar porcorum luto voluptabri sese pariter involuunt, & ibi diu vociferantes, vix ad vltimum pœnam, quam meritò patiebantur, euãserunt. In quibus profectò impletum est hoc, quod scriptum est in Psalmo: Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar: in tantũ, vt & illud diuina censura factũ esse non ambigamus quòd detractores isti vehementissimè cremabantur in partibus illis, vbi libido, de qua calumniabantur virum iustum, regnare non dubitatur. nec multò pòst auctor huius detractionis, præfatus videlicet Notto, in huiusmodi criminibus diffamatus apud regem, vt scelera eius vnà cum vita regalis gladius amputaret; nec non & filius eius eidem sententiæ subiaceret.*

CAPVT

CAPVT L.

Aliud valdè insignis calumniatoris exemplum & supplicium.

VErti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos, ait Ecclesiastes. His ergo, vt fiam consolator, ostendam, Deum esse auxiliatorem, ac vindicem. Vt autem parum refert, siue lacte caprarum, quæ lentisco pascuntur, siue alio pharmaco sanes ægrotum; ita nihil interest, siue fabulis, siue historijs calumniâ afflictum consoleris. Æsopus, qui meritò sapiens æstimatus est, vtilia monita sua non seuerè, neque imperiosè præcepit: sed, vt Philosophis mos erat, salubriter ad perspiciendum mentes animasque hominum causſa, audiendi quadam illecebra induxit. Vt enim apis ex amarissimis floribus & asperrimis spinis mel suauissimum ac lenissimum colligit; sic etiam ex incredibilibus fabulis, vtcumque decerpi potest aliquid vtilitatis. *Apud authores seculariũ litterarum*, ait S. Augustinus, *vt apud Horatium, mus loquitur muri, & mustela vulpecula, vt per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax referatur significatio. Vnde & Æsopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia. Ita & in sacris libris, vt in libro Iudicum, cùm ligna sibi regem fecerunt, & loquuntur ad ficum, & ad vitem, quod totum fingitur: ficta quidem narratione, sed veraci significatione hæc dicuntur.* Et vtiliter dicuntur, quia quemadmodum iris nihil aliud est, quàm relucentia solis refracti in nubibus: ita fabula quædam est veri repræsentatio. Verum autem dicere, vtile est; licet sæpe ingratum audire; vt videre fuit in Pharisæis, & vniuersim apud Iudæos, quorum alios parabolis suis perstrinxit salubriter, alios non sine solatio erudiuit Christus, qui *locutus est eis multa in parabolis; & sine parabolis non loquebatur eis.* Quoniam igitur multi sunt, qui non solùm calumnias struunt, sed etiam calumnias calumnijs superaddunt, vt mendacium mendacio tegant,

I. Eccle. 4. 1.

S. Augustin. contr mendacium.

Matth. 13. 34 & v. 34.

(Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor,
Et reuocat cupidas alea sæpe manus)

Ouid. lib 1. de art.

eti-

etiam nos medicinæ medicinam apponemus, siue ea sit ex historici, siue è Poëtæ taberna sumpta. Parum id moror, in vtroq; genere possumus, seu quid factum, seu quid faciendum demonstrare.

II. Ioan Bapt. Gyrald. Cynthius part. 2. Hecatomitorum Italicor. Decade 8. Nouella. 1. pag 117. Venet. 1584. appresso Fabio & Agostin Zoppini, &c.

Author est Ioan. Baptista Giraldus Cynthius nobilis Ferrariensis, Italicus scriptor, apud quem hæc leguntur. Alfonso II. Duce Ferrariensi, Lucius honesti nominis, & copiosus mercator magnum sanè quæstum ex lana & sericis mercibus faciebat. Hic, in spem tabernæ custodiendæ, puerulum ex lapide emptum, liberaliter educabat, quem *Nutum* appellauit, *Ponirum* dictum ante, quàm emeretur, vtriusque nominis mensuram egregiè impleturũ; immò Theocrinem Tragicum Mundo daturum. Videbat enim ingenium in eo Mercurialibus negotijs aptum. Itaque confidebat, se præsertim magistro, insignes eum progressus facturum, euasurumque aliquando & ipsum ditissimum institorem. Quam ob caussam, vbi primùm adoleuit, omnem illi tabernæ suæ concredidit administrationem. In fauore indoles sæpe sanguinem præcedit. Mercatorigitur, quamuis liberos haberet haud paucos, hunc tamen *Nutum* in negotijs expediendis prætulit; neque sanè etiam minore dilectione & cultu dignabatur, quàm vnum ex illis. Postquam autem ex ephebis excessit, præter lautum victum, stipendiũ ei etiam dedit annuum non contemnendum. Quin & mantissam honororiã identidem addebat, vt & spiritus adderet. Accessit ad hanc beneuolentiam alia occasio. E mercatorũ collegio alius quispiam defunctus quingentos aureos, in testamento, reliquerat, ad arbitrium Lucij applicandos cuicumque iuueni, qui speraretur aliquando mercatorum societati profuturus. Hanc omnem pecuniæ summam Lucius *Nuto* suo attribuit, difertis verbis addens: se volente, posse illum hanc summam cum suis mercibus quæstui exponere, vt non in Lucij, sed in *Nuti* commodum excresceret fœnus: plura etiam atque maiora pollicitus, si modò, vt ad id tempus impigrè fecisset, ita virtutem & fidem porrò curæ haberet. Qua liberalitate incredibiliter exhilaratus *Nutus*, gratijs quàm potuit maximis Patrono actis, accepit conditionem, & ex totius pecuniæ in calendarium relatæ partibus triginta vnam ipse sibi vendicauit. Mala indoles, etsi habet acetum in pectore, tamen

men beneficijs non fit grata: & pecuniæ cupiditas indomita est, cùm inualescit. Interlapso biennio, ea *Nuti* pecunia incrementum sanè magnum fecit; longè tamen minus, quàm Lucij. Cœpit ergo *Nutus* suum cum heri lucro conferre, atque progressum vtriusque inter sese comparare; suspicere & admirari domini augmentum, suum contemnere, & nihili facere: denique sapienter scripsit Apostolus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* 1. Tim. 6. 9. Quod etiam huic *Nuto* accidit, quem inuida auaritia eò induxit, vt vilitatis suæ, & omnium beneficiorum oblitus, statuerit patronum suum non modò bonis & honore exuere, verùm etiam perfidissimè è vita exturbare. Et quia malis numquam voluntas, sed tantùm occasio peccandi deest, noctu diuque cogitabat, quo pacto, quæ heri erant, sua facere posset. Aliquando fortè herus nihil mali de *Nuto* suo (quem vbique ad nutum habebat obsequentem) suspicans, clauem ei Apothecæ tantisper tradidit, vt eam obseraret, pro more, mox reddendam. Et mox etiam reddidit, sed priùs clam ceræ ad id paratæ impressit. Ad eius exemplum clauem adulterinam trifurcifer fieri curauit. Noctu igitur cum fratre minore tabernam ingressus, plurimaque pretiosorum pannorum volumina, atque alia, quæ ipsius erant, sibi ipsi abstulit, & loco subterraneo paucis noto abstrusit. Lucio altùm dormiente. Facto postea die, Lucius Apothecam suam visitauit; quam vt primùm reserauit, à nocturno fure compilatam fuisse deprehendit. Ibi incredibile dictu est, quàm fuerit vehementer commotus, tantoque magis, quòd id damnum ad *Nutum* quoque pertineret. Primum ergo habuit, vt ad eum aduolaret, cui occurrenti cladem acceptam solicitè nuntiauit, ab eo solatium, ab eo consilium, ab eo opem expectans. Sed longè alia omnia inuênit. Indoles nimirum, tempore duro, se prodere cœpit. *Nutus* enim ad hunc nuntium, vultum, & colorem, & vocem mutauit, & iracundo simillimus, Superos, inferosque inuocauit in vindictam. Mox etiam in Lucium acerbissimè inuectus, non dubitauit in eum culpam conijcere, immò ipsummet furti se alligas-

se, dicere: nam clauim penes ipsum solum fuisse; claustra integra esse; seris neminem vim adhibuisse; neq; effractas fenestras; nulli igitur alij ingressum patuisse, nisi senecioni; iam demum apparere, quorsum sibi quingenti aurei, quorsum aliæ pecuniæ sint ad tempus potiùs concessæ, quàm donatæ; nimirum suam sic industriam fuisse excitandam, vt impensiùs laboraret, si heri lucra tamquam sua tractaret: nunc, cumulo satis aucto, omnia repentè subduci, vt fructus cum radice penes dominum maneret. *Nimirum hæc est merces mea,* inquiebat, *hanc pro tam fideli, sedula, ac diuturna viginti annorum seruitute gratiam fero? In hoc rem tuam auxi, vt perderem meam? Hac arte veteris, vt jam prætextu alienæ furacitatis mea mihi iustissimo titulo acquisita velis circumscribere? Iuro, si quis Ferrariæ locus est iustitiæ, effecturum me, vt tu perfidiose vetule, in malam maximam crucem tollaris.* Ad hæc tot plaustra conuitiorum obstupuit senex, neque satis capere potuit adeò inexpectatam clientis, & in eam vsque diem obsequentissimi famuli sui insaniam: atque vt erat mitis ingenij, placidissimè in hæc verba respondit: *Hæcné effutire audes, fili? Egoné vt furari, ego tua vt furari ausim, cuius amore & gratia facere quiduis & pati paratus sum? quem haud aliter ac filium amo? quem e luto eductum educaui? cui tot munera contuli? cui omnia concredidi? Sine detumescere paulisper iram; pone furorem, & opinionem quoque istam pones.* Citiùs ira potest, quam malitia placari. Quare ad hæc mitissimè dicta, *Egregiũ verò amorem,* subiecit verus litium crater Nutus, *qui tam diu, tamq; laboriosè comportatum senectutis olim meæ sustentaculum, opes minime modicas mihi audet interuertere? Itáne famulos tuos optimè de te meritos, ita tibi fidelissimè seruientes remuneras? Sed ita me superi adamassint, vt non permittam hac te de improbitate gloriari.* Dixit, & stomachabundus se proripuit ad Prætorem, nihil non comminiscens, vt Lucius ad carcerem, tandemque etiam ad furcam addiceretur. Ad id inducendum Prætorem multis rationibus contendebat. Multum in vtramque partem potest fama, quæ si bona est, tam facilè numquam creditur, quod accusatur. Quia igitur Lucius tota vrbe vir in paucis bonus & honestus habebatur, nec vllus erat, qui de iniuria ab eo vmquam accepta fuerit questus, præsumptio pro illo fuit. Quin & opulentia quoque Lucij non sine-

bat

bat credere, ad tam turpe eum facinus descendisse. Quare actorem seriò est cohortatus Prætor, videret, quid ageret; Lucium hactenus in re nulla culpabilem repertum, & cunctis honoratum; temerè rem tanti momenti, contra dominum, præsertim à famulo, ad tribunal non deferendam. At Nutus: *Equidem*, aiebat, *melius ego eum, & magis domesticè, quàm alij nouêre. Quòd si vita eius rationem patefecero, equidem in stuporem omnes dabo, quotquot bene de ipso sensêre ad hoc tempus. Interim tamen aliud à te non flagito, quàm vt, quod à te requirit iustitia, officium tuum facias.* Victus importunitate Prætor respondit, *Non commissurum sè, vt officio suo defuisse videri posset.* Itaque linguam magis *Nuti*, quàm caussam Lucij veritus, illo dimisso, hunc per accensum ad se citauit. Quo præsente, irato similis, *Nè tu*, inquit, *pulchra coronide voluisti honesta cateroqui vitæ clausulam imponere, dum religioni tibi non duxisti, illi famulo suum interuertere, qui tot tibi annis operam tam gnauam locauit.* His auditis Lucius pænè extra se positus obtestari cœpit, ne hoc de se crederet; simul vti cognouerat, candidè factum commemorauit, diras capiti suo dirissimas imprecatus, si aliter res se haberet, ac diceret; eoque Deum, & Diuos testes, ac vindices implorauit, vocauitq; innocentiæ suæ patronos & defensores. At Prætor, *Quando sera*, inquit, *nemo violauit, neq; claustris vim intulit; neque cardines effracti fuêre; neque, vt tute confiteris, prater te vnum, clauim hypothecæ in potestate habuit vllus, quis non videat, te magnis præiudicijs laborare?* Cui quidem exceptioni satisfacere cùm non posset Lucius, lorarijs mandauit, vt eum lictores in carcerem abreptum tormentis subigerent ad veri enuntiationem. Interim tamen partim ex graui senis optimi testificatione, partim ex verbis, quibus sese purgabat, & ipso vultu, quo innocentem se astruebat, animus illi præsagijt, fore vt tandem veritas proderetur. Quare, etsi tum *Nutus* quoque passim in vrbe Lucij sugillandi finem nullum faceret, commonuit secretò, quotquot nouerat lautos mercatores, vt ad prætorium concurrerent, & vincula torturamque Lucij stipulatione 20000 aureorum redimerent; donec ventilata caussa, & comperto vero, reus innocens pronuntiari posset. Factum, quod suggessit. Ita permissus tum quidem est domum se recipere Lucius, compariturus, quandocumque re-

uocaretur, & amissuris illis memoratam pecuniam, si aut fuga se subduceret, aut caussa caderet reus. Numquam fatigatur impedimentis cupiditas diuitiarum. Itaque nebulo ille lucri maioris auidus, cùm Lucium nondum neci datum esse videret, cui vitam suam in acceptis referre debebat, libereq; domi degere, decurrit ad Alfonsum Ducem, & querula eiulatione multis est dequestus, Apud Prætorem, pauperum caussis neque locum, neque aurem esse; iniurias grauissimas negligi; diuitum nempe amicitias & munera prævalere. Quod vt ostenderet, simul tanto verborum pondere, quam composuerat, fabulam recensuit, vt non de nihilo esse Duci persuaderet. Qui proinde ei promisit, effecturum se, vt posthac queri ampliùs non posset, ius sibi tributum non esse. Amandato igitur à se homine nequam, sine mora Prætorem ad se euocauit, vultuosè scisscitatus ex eo: *Cur de manifestario furto accusatum mercatorem caussam è vinculis dicere prohibuisset?* Cui ille retulit: *Rigorem legum æquitate Prætorum esse temperandum, quarum finem, non verba debeant expendere. Enimuerò cùm accusatus huc vsq; honesto semper nomine fuerit vbiq; notus, temerè se facturum fuisse, si talem virum ad vnius serui denuntiationem in carceres continuò compegisset. Immò adeò sibi videri Lucium non affluem esse intenti criminis, vt potiùs coniectura sit probabilis admodum, per summam etiam calumniam fortunas eius ac vitam peti. Inhumanum esse, afflicto addere non citra iniuriam afflictionem. Sperare se, breui emersuram veritatem. Ceterùm nihil omissurũ se, quod sui muneris esset.* Post hæc illi recensuit, vnde Coreggiarij (ex hac enim familia erat Lucius) accusatio sibi commentitia videretur; additque: *Nisi ciuibus passim integritas eius viri longè esset testatissima spectatissimaq;, haud sanè honestissimum mercatorum ordinem fidem suam ad tot aureorum, hoc est, 20000. pro eo fuisse interpositurum.* Dum hæc à magistratu geruntur, Lucius his miseris ærumnis absolui cupiens, *Nuto* per certos quosdam homines vltro spopondit, damnum se ei omne de suo resarturum; & additurum insuper 500 aureos, si actione cœpta desistens caussam suam desereret, omitteretque portò sibi negotium facessere. Sceleratus impostor, qui obuijs vlnis hanc liberalitatem debebat amplecti, nouam ex ea sumpsit occasionem Euergetæ suo lethaliter nocendi. Siquidem denuò ad Prætorem

torem cucurrit, & queſtus eſt, quòd veterator ſenecio malè ſibi conſcius, ſuppliciumque metuens, dictam modò ſummam obtulerit, eaque ſe corrumpere voluerit. Nec aliud eſſe iſtud, quàm apertam criminis perpetrati confeſſionem. Cui Prætor, *Nempe quid detrectas*, aiebat, *tam inſignem condicionem, cùm prater tuum, tantum rebus tuis auctarium accedat? Et meminiſſe debeas, exigere rationes tuas ad communis humanitatis ſenſum, vt cum eo, à quo jam inde à teneris altus atq; educatus ſis, non ſummo jure, quæ ſumma eſſe dicitur iniuria, experiare. Et vel ex hac tam inuſitatæ munificentiæ oblatione ego haud iniuriâ colligam, illius intaminatam animi magnitudinem, ſtatuamq; id ſcelus, quod tu illi affricas, minimè in illum cadere.* Hiſce velut telo perculſus, pertinaciam tamen non mutauit *Nutus*, ſed ita reſpondit: *Ego verò volo, vt de vetuli improbitate Orbi conſtet. Et, quandoquidem video, quàm ægrè tute te permoueri ſinas, vt, quod æquum eſt, pronunties, decurram ſanè rurſus ad ſummum & incorruptum iuſtitiæ myſten Ducem Alfonſum, qui & me reſtituat in integrum, & juſtum ſonti decernat ſupplicium.* Dixit, & inde ſe furioſo impetu proripiens, atque vrbem vbique inconditis replens quiritationibus, apud Ducem effecit, vt Prætori accerſito ſeueriſſimè mandaretur diligens in cauſſam inquiſitio. Ibi Prætor Duci prolixè oſtendit, quibus religionibus augeretur; Cur in carcerem rapiendum Lucium eſſe haud exiſtimârit: nec dubitare ſe, dixit, quin breui conſtiturum ſit de ſycophantia. Interea *Nutus* vt dolum malum peiore necteret, cùm aditum ad tabernam pannariam ſibi non ampliùs patere videret, ianua pluribus ſeris communita, ſubornauit quemdam, vt, per ſpeciem pannos empturi, ad tabernam admiſſus, clam aliquid inferret ſecum è tela aurea, quã ipſe ſibi clepſerat, inſereretque Lucij mercibus. Quod vbi ad animi ceſſit ſententiã, denuò fatigatum Prætorem eò adduxit, vt lictores mitteret, qui num delatoris merces inter merces Lucij comperirentur, inquirerent. Mittuntur, & opportunè Lucium in ipſa taberna reperiunt, qui dum, vt fit, ſui panni volumina hinc inde volutat, explicat, complicat, auream quoque telam deprehendens, lictoribus ſpectantibus ſubitò rubore perfunditur, & colore fatetur, cuius reus non erat. Inuolant lictores, & telam è manibus illi eripiunt, hanc ipſam quoque ſibi aſportatã queri Nutum

dicentes. Necessitatem igitur Lucio secum ad Prætorem eundi imponunt: qui haud grauatè obtemperat. Ibi rogatus de tela, ingenuè fassus est, se eam inter suas merces reperisse, sed à se ibi nequaquam repositam esse, videri vel magicis artibus, illuc venisse, vel ab ipso cacodæmone eò importatam esse: innocentiam suam mirabiliter tentari. Prætor torua fronte ferociam fingens, *Quin tandem*, inquit, *tot præjudicijs pressus celare crimen desinis? non patére sentis jam fraudem?* At ille nullum non lapidem mouit, vt innocentiam suam astrueret. Ita inter se agentibus Prætore & Lucio superuenit Nutus, & velut vnguis, quod dicitur, in vlcere, exacerbauit caussam, flammamque camino addidit: efficere tamen non potuit, vt manus aduersario, aut vincula inijcerentur. Adduci enim se Prætor non patiebatur, vt grauiùs in Lucium consuleret priùs, quàm cum Duce ipse egisset de impostura, quam conijciebat ex solicitudine accusatoris. Sensit id sceleratus *Nutus*, & rursus præuertens apud Ducem ipsum Prætorem quoque vt reum accusauit, vt qui suam contemneret paupertatem, & Lucij opes vereretur, semperque juris processum procrastinaret, nec furem dierectum mulctaret. Vrgebat autem supra modum telam auream in taberna Lucij inuentam. Et quò non venit vindictæ cupiditas, immò auiditas habendi? ausus est temerarius accusator dicere, ad suspendium se adactum iri, nisi Ducem Prætore æquiorem experiretur. Qua tam effronti audacia motus Dux sigillatim voluit à Prætore de omnibus edoceri, atque intelligere, cur carceres differret, atque ad torturam non procederet? Prætor, famam, innocentiam, agendi modum, quo Lucius vtebatur; *Nuti* autem importunitatem, & suspicandi caussas ita Duci expositit, eiq; adeò satisfecit, vt totam caussam eius arbitrio ac prudentiæ permitteret. Ita à Duce discessum est. Poterat irritari meritò Lucius tot iniurijs ab ingratissimo *Nuto* affectus, quia tamen mitis erat animi, denuò, lite pendente, honestos viros ad *Nutum* ablegauit, qui suo nomine, amicè rogarent, vt tandem à se innocente accusando desisteret; spondere se ei, non modò indemnem eum futurum, sed, præterquam, quòd in integrum eum sit restituturus, & redhibiturus 500 nuper promissos aureos, posthac, toto decennio, se ei permissurum dimidium lucrum, quod ex diuenditis mercibus è

sua

ſua taberna ad ſe ſolum eſſet rediturum. Sed, ô ingratos mortales! ô hominem effrontem! etiam his condicionibus noluit ſubſcribere *Nutus*, immò iam Chius aut Abydenus, non *Nutus*; dictitans, jam ſibi non licere, cœptam apud magiſtratum litem cauſſamque deſerere; & ſuſpicionem calumniæ in ſe vertere. Itaque vltima voluit experiri, vt aduerſarium è vita exturbaret. Abierat annus, hac calumniæ tragœdia durante. Interea vxor Lucij tantæ infamiæ impatiens, præ luctu mortua eſt. Lucius autem & tori conſorte ægrè carens, & liberis tamen obtrudere nouercam nolens, puellam deamauit haud procul à ſuis ædibus habitantem, gnaram tractandi ſericum, atq; operæ Phrygia conficiendi. Huius domum, cùm Nutus ab Lucio celebrari non ignoraret, ſperauit eius opportunitate tandem ſe exitialem tragulam illi iecturum. Miſit cum corbe fraterculum, qui in eo dibapham ædibus amaſiæ, quam domo abeſſe explorauerat, inferret, ac retro lectum deſtitueret, indeque ſeſe actutum ſubduceret. Interim ipſe curriculo ſe ad prætorem contulit, lictoreſque, qui in domo amaſiæ illius anquirerent, popoſcit. Adeò contumax eſt malitioſè perſequentis animus: adeò inquieta calumniandi libido. Sed nihil attraxit funis *Nuti*. Lucius quippe toties ictus, totque malis exercitus, tandem ſapere, & calumniatoris ſui machinationibus attendere didicit. Cùm ergo vidiſſet, fratrem *Nuti* neſcio quid pallio tectum geſtare, ac furtim ſe in ædes amaſiæ ſuæ penetrare; è veſtigio eum inſecutus, eòdem ſe intulit, puerumque dibapham, ponè mulieris lectum deponentem deprehendit. Illico igitur irruit, manus iniecit, & aduocato famulorum ſubſidio, impoſtorem cum purpura & ſportula ad Prætorem adduci curauit, eo ipſo tempore, quo lictores procurabantur, ad perſcrutandam amaſiæ domum. Puer conſpectu Prætoris conterritus, ſtrophas omnem fratris detexit: quin & hiſtoriam omnem de compilata à ſe, atque à fratre ſuo, taberna pannaria, per adulterinam clauem reſerata, percenſuit, non ſolùm Prætore, ſed etiam multis alijs, atq; ipſo quoque Lucio audiente. Quis tunc lætior Lucio, qui expeditum ſe ærumnis maximis ſentiebat? Et tamen adeò bonæ erat mentis, vt gaudium hoc non paruo dolore perturbaret, eò quòd videret, Nutum, quem à puero educarat, & tanto opere ſemper dilexerat,

dilexerat, suo loco implicari, & de capite periclitari. Etsi enim eum tam immemorem beneficij, tamque iniurium, & adeò excogitata deliberataque malitia pertinacem expertus esset, tamen antiquus amor prævaluit; & versabatur illi in mente Christi præceptum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Itaque statuit eum statim de discrimine, in quo versaretur certiorem facere, & ad fugam hortari. Iam eâ caussa è conclaui Prætoris egressus scalis imminebat, cùm illi occurrit *Nutus*, existimans omnia, quæ per fratrem minorem machinatus erat, probè gesta esse; effecturusque vt lictores maturè mitterentur ad ædes amasiæ perscrutandas. Cui Lucius, *ô Nute, ni actutum te hinc amoliris, perijsti. Patent omnia Prætori. Vincula tibi injiciet; malum maximum dabit.* *Nutus* amentia cæcus ab irato hæc dici ratus, extemplo mille in Lucium conuitia regessit. Ille autem etiam atque etiam rogauit, vt fuga sibi consuleret; non esse ampliùs simulandi locum. Quantò magis rogauit herus, tantò minùs illi credidit *Nutus*, altiusque clamauit. Qui vt caperetur, iam mandaturus erat Prætor, cùm audijt foris iurgantium voces, januaq; repentè reducta conspexit ipsissimum *Nutum* pessimis conuitijs herum suum innocentem proscindere. Neque eius aduentu motus est homo nequam; sed magis efferatus in ipsum judicem inuehi cœpit, quasi rem jam confectam haberet: Et, *Haccine Ferraria justitia est*, exclamauit, *sic jura dispensantur? Nempe qui ditior est, innocentior est? pauperem quauis suspicio facit reum? Sunt Superi, qui hæc audiunt, qui vident, qui vindices erunt.* Adhuc plura erat declamaturus, sed interrumpens Prætor, *De justitia*, inquiebat, *noli dubitare; dabit illa tibi, quod tuum est*, & cum dicto eum introduci præcepit, vbi adhuc frater eius cum corbe, & dibapha morabatur. Quo viso, ita animo concidit *Nutus, vt verbum nullum haberet in potestate.* Tandem demum ad se rediens, de furto abs se commisso est confessus, &, velut repentè alius factus, auaritiam, inuidiam, ingratitudinem, mendacia, technas, & calumnias suas accusans in genua procubuit, & misericordiam appellauit. Prætor, omnes qui aderant, iubebat horum meminisse: mox *Nutum*, vt indignitas rei poscebat, seueriſsimè increpitum in carceres abripi præcepit:

Matth. 5. 44.

pit: illud coronidis loco adijciens, *Tandem justitiam totius, non imploratam, sed irrisam atque despectam, dignam meritis mercedem Nuto daturam.* His actis, it calumniator ad vincula, fama per vrbem, Prætor ad Ducem; qui cognitis quæ acciderant, collaudata prudentia Prætoris, quòd sententiam in innocentem non præcipitârit, statuit, vt eádem etiamnum luce, teterrimus calumniator, per totam vndique vrbem virgis concideretur, tandemque cum fratre in crucem ageretur. Quia verò hic ætatis annum 14. nondum excesserat, vitæ illi gratia facta est. Itaque de tergo tantùm luit, ac postea in exilium abactus est, & corpore, & famâ lacerata; fratre & hominibus, & ventis in ludibrium facto: qui herum suũ de furto infamans, ipse non solùm de furto, sed etiam, tamquam impudentissimus, & crudelissimus calumniator, & infamatus, & in patibulum sublatus pependit; qui vt Pattæcione calumniosior, ita meritò etiam Tigellino infelicior fuit.

Multa hinc elucent documenta: mundi cursus; hominum error in seligendis, & diligendis clientibus; mortalium ingratitudo; auaritiæ atque cupiditatis, itemque inuidiæ malum; iudicum cautela; desperatissimorum audacia, mira Numinis prouidentia & iustitia. Sed ego duo dumtaxat vltima hîc proponam consideranda, quorum vnum erit pro ijs, qui patiuntur, alterum pro ijs, qui faciunt calumniam; vt & illi solatium, & isti metum hauriant, quo à calumniando deterreantur. Lucius vnum, Nutus præbet alterum documentum. Lucius passus est innocens? Fortasse non fuit innocens. Nam etsi *Nuto* nihil abstulit, quis scit, an in alijs lucris comparandis semper fuerit æquus? & si fuit ipse æquus, quis scit, an non parentes eius iustitiam violârint? cùm antiquo verbo dicatur: *Dives aut iniquus, aut iniqui hæres.* Certè cùm, defunctâ vxore, maluit amasiam habere, quàm liberis nouercam inducere, non fuit innocens. Sæpe autem, & iustissimè Deus iniurias inferri nobis permittit, in ijs rebus, in quibus sumus innocentes, vt luamus in alijs, in quibus sumus nocentes. *Ideò iustos permittit Deus hîc vexari,* ait S. Chrysostomus, *vt si quas habeant maculas hîc eas deponant. Et hoc patriarcha declarans ad diuitem dicebat, Quia Lazarus hîc recepit mala sua, vnde consolationem accipit nunc.* Atque esto, fuerit innocens Lucius, tamen debuit

III.

S Chrys. homil. 7. ad pop.

buit esse etiam patiens, si voluit mereri patientiæ coronam. An frustra toties Magister noster monuit, iniurias esse ferendas? Atqui nemo potest iniuriam pati, nisi innocens, in ea quidem re, in qua iniuriam sustinet. Grandia, & toties iterata passus est Lucius? non passus est virtute sua maiora. Nauclerus nauim per maria ducturus saburra onerat, sed onerat ad eam mensuram, vt nec onere nimio grauata mergatur; nec leuitas tanta sit, vt nullo negotio in transuersum eat. Ad eumdem modum diuinus ille mundi hominumque gubernator, ita cursum nostrum temperat malis iniurijsque, vt sint nobis in saburram, non in subuersionem, ne vel extollamur, vel opprimamur, sed vt rectè temperatis oneribus nauigemus, & ad optatum gloriæ cælestis portum perueniamus. Vix quisquam est, qui non calumnijs subinde pulsetur; immò & probetur. Vt enim vasa vitrea franguntur, cùm duriùs tanguntur, aurea atque argentea etiam malleis percussa extenduntur; ita homines pro fragilitate sua, vel patientia sua, calumnijs aut fatiscunt, aut inclarescunt. Moyses rubum ardentem, nec tamen combustum videns dixit: *Ibo, & videbo visionem hanc magnam, quomodo ardeat rubus, & non comburatur?* Magna est visio, si vides hominem inuidiæ, calumniæ, ttibulationum igne circumdatum, & velut ardentem, tamen non comburi, non vllum impatientiæ, aut vindictæ promere verbum. Talis lucet, & fit per ipsam infamiam clarior illustriorque: quando illius innocentia tandem, tandemque etiam patientia mundo detegitur. Quid enim mirabilius generosiusq, fuit, quàm Lucij patiens charitas, & tolerantia impudentissimæ calumniæ toties repetitæ? Nimirum vel Seneca teste, *Deus bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat. Quia marcet sine aduersario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatq;, cùm quid possit, patientia ostendit.* Et infrà. *Ego non miror, si quando voluptatem capiunt Dij, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit, tantoq; spectaculum est gratius, quantò honestior id fecit.*

Exod. 3, 2.

Senec lib. de prouid. c. 1.

Ibid. c. 2.

IV. Quòd si hæc non sufficiunt ad consolandos eos, qui calumnijs vexantur, meminerint illius futuri iudicij, in quo *stabunt iusti in*

sti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Tunc vicissim, & longè magis, coram toto mundo, in ruborem dabuntur improbi calumniatores. Quamquam non semper Deus vsque in alteram vitam differt hanc pœnam talionis; plerosque falsos testes, iniquos accusatores, impios conspiratores, qui alijs insidias struunt, calumniam coquunt, apud superiores, inferiores, & pares, nomen bonum proscindunt; suspiciones suas animo amaro excogitatas, pro certis atq, exploratis deponunt, & quidquid somniant, oraculum putant; vrgent, instant, inculcant, vt sententia in innocentes feratur: hos, inquam, tales Deus, plerosque etiam in hac vita sinit accusari, & in mendacijs suis deprehendi, vicissimque damnari, infamari, in odium omnium atque execrationem induci. Nihil enim est detestabilius, quàm homo, qui desperatâ malitiâ, vel ne cogatur iustum debitum soluere, (quod multos facere experimur prô dolor) vel ne sua in lucem veniant scelera; vel ne id ipsum, quod in altero accusat, credatur de accusante, alios audet calumniari. Talis quisquis est, in *Nuto* suam imaginem intueatur. *Nutus* terræ filius, è luto ex inopia eductus, habitus amanter, tractatus liberaliter, pro beneficijs maleficus fuit. Malè se vindicasset, si læsus, si prouocatus iniurijs iniurias reposuisset; peius, si non læsus, ignotum, peregrinum, læsisset; pessimè, quia amantem, sine vlla data caussa, & inuasit conuitijs, & ad judicem detulit, quem sciuit innocentem; & in tota vrbe vbique diffamauit. Quàm multi tales, etiam non quæsiti reperiuntur? à quibus sunt dilecti, promoti, adiuti, quibus vitam & omnia debent, eorum nomen proscribunt; eorum fortunis & vitæ insidiantur? atque vt eos stirpitus eradicent, nihil non mentiuntur? Neque enim solùm sunt ingrati, vt dici possit, *Decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* sed etiam infesti, & in patronos, heros, patres suos insani, vt verum sit, si talis conqueratur: *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem sprenerunt me.* O quàm verè prædixit Apostolus: *Erunt in nouissimis diebus homines seipsos amantes, cupidi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, &c.* Noui homines, qui, oblata opportunissima occasione, vt debitum aliquot millium florenorum redimere possent, ab amico quingentos precariò petierunt, vt mutuò darentur: qui,

Luc. 17. 17.

Isa. 1, 2.

2. Tim. 3. 2.

vt succurreret, ipse eosdem quingentos aliunde mutuò petijt. Redemptis postea plus quàm tribus millibus florenorum, exiguâ summâ, mutuò petitâ, quid non excogitarunt illi homines calumniarum, vt nec quingentos quidem reddere cogerentur? Itaque, qui illis succurrit, pro gratiarum actione, ipse sæpius censum, ac tandem summam omnem soluere debebat. Quid talem sensisse, dixisse, scripsisse putemus? Immò, quid illos ingratissimos calumniatores meruisse? An non & nostra ætate *Nutos* esse dicamus? qui ipsos judices cauillari, instigare, vrgere precibus & minis audent, vt procedant ad damnandos innocentes? quorum causa ad cælum clamat? *Non referre beneficijs* gratiam, & est turpe, & apud omnes habetur. *Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit*, ait Seneca: *Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus, qui non reddit. Ingratissimus omnium, qui oblitus est.* Quid ergo is, qui beneficium calumnijs compensat? barbarus, bellua, gehenna dignus. Certè dignus virgis, & furca, in qua *Nuto* sua fuit calumnia compensata. Neque enim finem suum consecutus ad opes Lucij, sed ad coruos peruenit, qui ei exequias cecinerunt.

Senec. lib. 3. de benef. c. 1.

CAPVT LI.

Non mentis tantùm & sermonis, sed etiam operis iniurias suam habere talionem, è sacris litteris ostenditur.

I. Aluminæ huc vsque commemoratæ, quoniam non in verbis dumtaxat steterunt, sed iugulum quoque aliorum petentes, per iugulum authoris redieruat, appositè possunt etiam referri ad classem eorum, qui idcirco, quia mala alijs fecére, mala patiuntur. Nunc tamen ex instituto agendum est de iniurijs, quæ sicut non iam in iudicijs temerarijs, aut verbis tantùm, sed etiam reipsa consistunt, ita etiam paribus pœnis compensantur. Quod fieri tam sacrorum, quàm profanorum scriptorum dicta, narrataque comprobant. Quorsum enim illud Terentij? *Ne quid sno suat capiti.* Quorsum istud Plauti? *Iam captor ipse captus est.* Quorsum hoc Horatij? *Gracia capta ferum victorem cepit.* Quorsum Plato ait? *Mihi videtur, ô Socrates, maximè capi ratio, quæ captabat.* Quorsum commune prouerbium? *Captantes capti sumus.* Quoties enim homines incidunt in pedi-

Terent. in Phorm. Plaut in Epidico. Plato in Theæteto.

ces, quas alijs struxerunt? Quoties qui dat operam, vt inuitati-unculis alium conetur efficere temulentum, ipse reddatur ebrius? quoties, qui finitimum molitur imperio depellere, ipse suum amittit imperium? Quoties *laqueus laqueum cepit?* quoties obseruans alterum obseruatus est? quoties *ipse homo sibi malam rem arcessit iumento suo?* quoties dolus in alterum excogitatus in caput authoris recidit? quoties commentum aliquis in proprium exitium reperit? quod Lucianus de hæredipeta scribit, qui cùm diuitem ex asse hæredem scripsisset, ac testamentum protulisset, quod diuitem ad idem faciendum prouocaret, tecti ruina subitò oppressus est, ac sua reliquit illi, cuius facultatibus inhiârat. Et quamuis à Theognide poëta dicatur, Plaut. in Amphitr.

Vincula nemo sibi cudit, charissime Cyrne.

tamen diuinæ prouidentiæ iustitiæq; leges considerans quispiam, iuxta vetus verbum iubet

Compedes, quas ipse fecit, ipsus vt gestet faber.

Denique quoties quis *suo se* dicitur *gladio iugulare?* suo se telo, sua malitia percutere? Apud Ouidium quædam heroidum queritur.

Remigiumq; dedi, quo me fugiturus abires:
Heu patior telis vulnera facta meis!

Ita &, apud Liuium, *Sentiebat Hannibal suis se artibus peti.* Ita apud Plutarchum Brasidas dux educto è corpore telo, traditur eodem confodisse eum, qui miserat. Et Marius vnus è triginta tyrannis, à milite quodam interemptus narratur Trebellio Pollione, qui adoriens dixerit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti:* nam Marius, ante imperium, faber ferrarius fuerat, & eius militis operâ in fabrili officina vsus. Liu. lib. 2. de secundo bello Punico.

II.

Similes loquendi modos è diuinis litteris suprà enumeraui. mus, quibus hîc addenda sunt illa: *Va qui prædaris, nonnè & ipse prædaberis? væ qui spernis, nonnè & ipse spernêris?* Væ tibi Sennacherib, qui depopularis Iudæam, nam vicissim præda eris Iudæis; væ tibi, qui victorijs insolens spernis & Iudæos, & Deum Iudæorum, nam & ipsi spernent & contemnent te, cùm tua castra per Angelum subitò cædentur. Quod & alijs postea Ecclesiæ hostibus ac tyrannis contigit. Nam Nero, qui Petrum & Paulum spreuit, Supra cap. 45 Isa. 33. 1.

qui primus persecutionem mouit in Christianos, spretus est & ipse à Senatu populoque Romano, in necem illius conspirante, eumque ad mortem manu sibi sua consciscendam adigente. Domitianus, qui Christianos occidit, occisus est & ipse à suis. Valerianus, qui Christianos supplantauit, supplantatus est & ipse à rege Persarum, à quo captus ei equum ascensuro dorsum, quasi scabellum, præbuit. Ad eumdem modum locutus est Christus, quando dixit: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Omnes, qui bellorum ac seditionum auctores fuerint, in eo ipso bello, quod excitauerint, extinguentur, vt Origenes interpretatur; aut vt Hieronymus & Beda, gladio peribunt, non corporali, sed spirituali, id est, diuina vindicta, quæ de illis, vel in hac, vel in altera vita pœnas sumet. Quamuis Christus eo loco non significet, necessariò omnes, qui gladium acceperint, gladio perituros esse (cùm multi gladio non pereant) sed tantùm legem alleget, quæ iubebat homicidam occidi. Est autem lex illa: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Itaque non dicit, quàm pœnam necessariò subituri sint, sed vt D. Augustinus aduertit, quàm mereantur. Christus igitur tunc Petrum reprehendens generalem citauit legem, quia vbicumque exceptio locum non habet, lex locum habet; non habebat autem locum exceptio in Petro, qui bono quidem animo, sed quo loco, & quo tempore non debuit, gladium accepit. Quid enim vnus homo contra cohortem integram effecisset? an non potiùs milites irritasset, vt Christum tantò crudeliùs tractarent? quemadmodum videmus hostem vrbe capta truculentiùs sæuire in armatos ac se ac defendere paratos. Ita quidem hic locus est intelligendus.

Baronius Anno 262

Matth. 26 52.

Gen 9. 6.

S. Augustin lib. qq. veteris & noui Testam. cap. 104.

III.

Interim diuina Nemesi fit, vt fæpe etiam eodem modo hominibus noceatur, quo ipsi nocere voluerunt, vt *qui fodit foueam, incidat in eam, & qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadat.* Dixi, exempla esse sacra, & profana. E sacris adduxi suprà quædam de Achitophel, qui suo consilio perijt; de duobus falsis testibus, qui lapides, quos in Susannam innocentem iactare voluerunt, suo capite excipere coacti sunt. His adde Pharaonem, qui *præcepit omni populo dicens: Quidquid masculini sexus natum*

Eccles. 10. 8.

Eccl. 27. 28.

Exod. 1. 22.

tum fuerit, in flumen proycite. Ita filios Israël voluit extinguere, quibus obstetrices pepercerunt. Quid illi contigit? *Factum est* Exod. 12. 29.
in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in Terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsq; ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Non ergo tantùm dentem pro dente, oculum pro oculo; sed etiam pro infantibus occisis infantum necem exegit Deus. Ioſephum fratres in cisternam, Ioſephus fratres in carcerem misit Gen. 42. 23.
tribus diebus. Vnde educti dixerunt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.* Quare neque Ioseph eos audiuit deprecantes. Quod facturus est etiam Deus illis, qui nolunt eum audire vocantem: *Stat ad* Apoc. 3. 20.
ostium, & pulsat, tangit cor peccatoris, duram inuenit ianuam, non aperitur, etiamsi tota nocte pulset, etiamsi *cincinni* eius pleni Cant. 5. 2.
sint *guttis noctium*. Quid ergo iratus dicit? *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit, &c.* In Iudicum libro, *Fugit Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum eius ac pedum. Dixitq; Adonibezec: Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Instar canis sub mensa comedit, qui alios more canum tractauit. Itaq;, quod ipse sibi intriuit, hoc illi fuit exedendum. Vt autem & illud fieret, quod Dauid dixit: *Lacum* Psal. 7. 16.
aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit. Daniel, apud Dan. 6. 3.
regem Darium, *superabat omnes principes & satrapas: quia spiritus Dei amplior erat in illo. Porrò rex cogitabat constituere eum super omne regnum: vnde principes & satrapæ quærebant occasionem, vt inuenirent Danieli malum.* Quod cùm nusquam inuenire possent, nisi vt legem, diuinæ legi contrariam statuerent, prohiberentque, *Vt omnis, qui petisset aliquam petitionem à quocumque Deo, & homine vsq; ad triginta dies*, nisi à rege, in lacum leonum mitteretur. Daniel quia ter in die *flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo suo, sicut & antè facere consueuerat*, missus est in lacum à leonibus

bus discerpendus. Sed belluæ innocentiæ pepercerunt, & illæsum reddiderunt; quasi illis custodiendus, non deuorandus traditus esset. *Iubente autem rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filij, & vxores eorum: & non peruenerunt vsq; ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.*

IV. Ne verò etiam in sacris historijs putes, Marios deesse, qui
Matth. 26. 52. suo telo sunt iugulati, aut *qui acceperint gladium*, & gladio perierunt, quid notius spurio illo Goliath? is quantus in hostem surgebat? quantas voces iactabat? quantum terrorem Israëlitis in-
1. Reg. 17. 50. cutiebat? An impunè? *Praualuit Dauid aduersùm Philisthaum in funda & lapide, percussumq; Philisthaum interfecit. Cumq; gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthaum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditq; caput eius.* Quod facere, sine gladio, non potuisset. Vt gladius non abesset, attulit ipse eum in perniciem suam vastus ille gladiator. Quamuis alia eum mente attulit, nempe vt id ipsum faceret Dauidi, quod à Dauide passus est. In quæ verba D. Gregorius ait: *Vir quoque Catholicus colligit testimonia Scripturæ, quæ hæreticus pro se affert; & erroris eius pertinaciam inde conuincit. Goliath ergo cum gladio, Dauid cum pera & funda pastorali ad prælium venit; sed Dauid Goliath suo gladio occidit.* Scriptura sacra tamquam gladio suo vtuntur hæretici, sed ab Ecclesia per ipsam quoque Scripturam conuincuntur: vt cùm aiunt, sensum litteralem
Psal. 118. 105. Scripturæ clarum esse, & intellectu facilem, iuxta illud: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis;* ipsis scripturis
Luc. 24. 27. eos iugulamus, cùm quærimus, Quòd si Scriptura semper est clara, cur discipuli euntes in Emmaus, nisi Christo interprete,
Act. 8. 31. non intelligebant Moysen & Prophetas? Cur Eunuchus reginæ Æthiopum rogatus à Philippo an intelligeret Isaiam Prophetam,
Matth. 16. 11. Luc. 18. 34. quem legebat, respondit: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Cur Apostoli multa eorum, quæ à Christo audiebant, &
2. Petr. 3. 16. nunc scripta sunt in Euangelio, non intelligebant? Cur à Petro scriptum legimus, in Pauli Apostoli epistolis *quædam esse difficilia intellectu?* Ad hæc respondere non possunt, qui dicunt Scripturam vbique luce meridiana esse clariorem; suo itaque gladio, hoc

est,

est, scripturâ iugulantur. Nos autem ad ea, quæ obijciunt, nullo negotio respondemus. Ait sanè Dauid: *Lucerna pedibus meis verbum tuum;* Sed aliud est, Verbum Dei, quando alicui semel ex diuina inspiratione cognitum & intellectum est, dirigere illum, ne erret, sicut lucerna, quæ dirigit eum, ne in foueam cadat, aut in lapidem offendat: aliud est, Verbum Dei ex se clarum esse, quod negamus cum Dauide, cuius ibidem verba sunt: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua:* item: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: Da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.* Vbi petit gratiam à Deo, vt possit Scripturam intelligere; qua ipsa petitione ostendit, Scripturam adeò esse obscuram, vt sine peculiari Dei illustratione intelligi non possit. In hunc modum mysticè Goliath suo gladio obtruncatur, dum scripturis hæretici, qui volunt scripturis contra nos pugnare, percutiuntur.

V.

Ceterùm ad litteram suo telo cecidit superbus ille Martis imitator Holofernes, qui dum ingenti exercitu imminuit Iudæis, muliebri manu est interemptus. Fortissima enim Iudith, oratione ad Deum fusa, *accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit. Cumq; euaginasset illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me, Domine Deus in hac hora, & percussit bis in ceruicem eius, & abscidit caput eius.* Inermis erat, arma ab hoste accepit, vt itidem Dauid à Philistæo. Quid molimini, mortales, cultrum acuitis in victimam? ipsi hostia fietis, quæ sub cultrum veniat. Quàm multi mortem euaderent inermes, qui armati occiduntur? quia gladium aduersario porrigunt. Vrbibus captis, facilè reliquis vita donatur, qui autem stant in excubijs, qui enses stringunt, qui vibrant hastas, sine vlla gratia perimuntur, & sæpe suis armis perimuntur, quibus ipsi hostem perimere voluerunt. Deus quoque idem facit in sceleribus hominum puniendis, eodem ferro, aut eádem pœna, immò eodem scelere sinit plurimos sauciari, quibus destinabant alios mactare; vt mensuræ paritas justitiæ demonstret paritatem. Certè ad ipsum Dauidem adulterum factum, per Nathan Prophetam dixit Dominus: *Eò quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua; Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet*

Iudith. 13. 8.

2. Reg. 12. 10.

miet cum vxoribus tuis in oculis solis huius. Adulterium igitur vnum permisit pluribus adulterijs compensari; vt, quod Vriæ in vna vxore fecerat, ipse in multis pateretur.

VI. Qua de caussa in nouo etiam testamento impia illa saltatrix, quæ caput Ioannis Baptistæ in disco poposcit, ipsa quoque caput, mirabili casu, immò mirabili Dei prouidentia amisit. Historiam Nicephorus his verbis commemorat. *Furibunda sed enim, & adultera incestaq; adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniunx, vitâ longiùs actâ, quàm priùs filiam & saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque decessit, futuri seculi Indicio, & supplicio reseruata, meras ibi quàm citissimè diuinæ iræ faces, intolerabilisq; indignationis Domini calicem hausturæ. Filiæ autem eius (dignum enim est, qui memoriæ commendetur) talis fuit obitus. Eundum ei quòpiam brumali tempore erat, & fluuium trajeciendus, qui cùm glacie constrictus, coagmentatusq; esset, pedes eum transibat. Glacie autem ruptâ, (idq; non sine Dei Numine) demergitur illa statim, capite tenus: & in inferioribus corporis partibus lasciuiens, mollisq; se mouens, saltat non in terra sed in vndis: caput verò frigore & glacie concretum, deinde etiam conuulneratum, & à reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet; spectaculoq; eo omnibus præbito, sceleſtum hoc caput, in memoriam ea, quæ fecerat, spectantibus reuocat.* I nunc, procax puella, ad conuiuantes ingredere, & dic ad regem: *Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ:* dum caput illius petis, tuum morti vendis; verè sententia tua in caput tuum reuertitur; dum pedibus plaudis terram, & comicè saltas, mereris vt paulò pòst tuum à ceruice resectum caput, per glaciem, funestum chorum cogatur desaltare. Sic caput Ioannis, capite meretricis, saltatio scenica, lethali saltatione; & gladius Herodis, glacie fluminis compensantur. Sæpius postea simili pœna saltatrices perierunt. Nam Ioannes Trithemius & Cranzius scribunt, in Saxonia, nocte Natiuitatis Dominicæ, saltantes, postea in pœnam, anno integro, prodigiosissimè saltationem continuasse: Cantipratanus in Gallia iuxta Laudunum, scribit, quosdam saltantes, rupto ponte alioqui firmissimo, aquis mersos esse. Simile quid, sub Rudolpho I. Traiecti contigit, vbi cùm iuuenes & puellæ, viri & feminæ choreas in

Niceph. Callist. lib. 1. hist. Eccl. cap. 20.

Matth 6. 25.

Io. Trithem. in Chron. monast. Hirsaugien. Albert. Cranz. lib. 4 Saxon. cap. 3.

reas in ponte frequentes ducerent, & illae venerabile Christi Sacramentum deferretur, nullo in genua procumbente, pons decidit, & ducenti propè mortales perierunt. Nempe qui saltando peccarunt, luerunt quoque de ponte salientes, vt quia filiam Herodiadis in petulantia imitabantur, ei etiam in interitu assimilarentur.

VII.

Sanctus Paulus, quòd orationis initio Principem sacerdotum Ananiam nominatim non aliquo honoratiore titulo affecisset, vel tantam innocentiam professus esset, *Ananias praecepit astantibus sibi, percutere os eius,* cui illico talionem vaticinans *Paulus dixit: Percutiet te Deus, paries dealbate.* Hæc verba docet S. Augustinus *minùs intelligentibus conuitium sonare, intelligentibus prophetiam esse.* Nam tunc Apostolus seriò, atque Apostolica quadam auctoritate, percussionis suæ authori interitum denuntiauit, tum vt eum absterreret, tum ne videretur Tribuno, qui aderat, contemnendus, quem à flagris sibi infligendis prohibuerat. *Nouimus quidem,* ait S. Chrysostomus, *quòd de hoc loco aliqui satisfacientes, loco prophetiæ velint esse, quod dictum est: nec culpo dicentes: venim istud euenit, sicq; defunctus est.* Nam diuina inspiratione sciebat Paulus, quid Ananiæ euenturum esset, *nec decet cum Caipha Paulum hac in re comparare, qui quod prophetabat, nesciebat,* ait Carthusianus. Vetat quidem Dominus, *ne quis malefacientibus malè faciat,* aut *maledicat maledicentibus,* vel imprecetur; & ipse Paulus idem præcipit, & à se sic factum scribit; tamen quandoq; licet *vtrumlibet zelo iustitiæ, & judiciaria potestate, atq; sine vindicta liuore, sine odio.* vt D. Gregorius monet, & suppetunt in eodem Paulo alia exempla, vti & in Petro, Elia, Ieremia, alijsque diuini honoris zelo inflammatis. Summus igitur sacerdos Ananias, paries dealbatus; *ita vt nomine forinsecus niteret,* ait S. Augustinus, *intrinsecus luteis concupiscentijs sorderet,* quia S. Paulum percuti iussit, vicissim percussus est, & quidem manu Dei, in quam incidere horrendum est. Manus enim omnipotentis omnipotens est.

Act. 23. 2.

S Augustin. l. de Serm. in monte. c. 19.

S Chrysost. hom. 6. de laudib. S. Pauli. Ioan. 11. 51. Luc. 6. 28. Rom. 12. 14. 1. Cor. 4. 12. S. Greg. l. 4. Moral. cap 6. 2. Tim 4. 14. Gal. 5. 12. Act. 13. Act. 8. 4. Reg. 1. Ierem. 12. S. Augustin. de mendacio cap. 15.

VIII.

Caueant igitur, quicumque alios seu lingua, seu manibus percutiunt; nihil erit apud diuinum tribunal impunitum; etsi enim id illis nullus Paulus prædicat, prædicit tamen ratio, prædicit justitiæ diuinæ æquitas, eos vicissim, nisi se ipsos iudicent, puniantq;

niantque, vel in hac, vel in altera vita, repercutiendos. Quemadmodum non aliunde, quàm à propria conscientia monitus fuit ille, de quo Martinus Delrio, alijque scripserunt; qui patri suo, in Frisia, sæpe iniurius adeò fuit, vt illum pugnis contunderet, & prostratum crinibus raptaret. Nam postea vicissim à filio suo pulsatus, atque eodem quoque modo per domum raptatus, cùm ad limen domus peruentum foret; & nefandi istius filij rabies etiam vlteriùs progressura videretur, miser parens intelligens, iusto se Dei judicio illa pati, exclamauit: *Hactenus, fili, nec enim parentem meum, auum tuum, vltra domus limen crinibus traxi.* Nullo huic alio monitore opus fuit, quàm conscientia, & ratione, quæ misero dicebat, filium à parente suo didicisse modum tractandi parentes; qui si inhumanus esset, magistro potiùs, quàm discipulo tribuendus videretur. Nec enim, nisi iustissimè, Deum permittere, vt peccatum parentis, peccato filij plecteretur.

Mart. Delrio in Senecæ Agamemnonem n. 901. Henric. in Dioptra. Ioseph. Balardin. lib 3 c. 47. Matth. Rader. in vitam S. Ephr.

IX.

Hoc etiam pacto finit aliquando errare, in sententia ferenda, ipsum Magistratum Deus. Sæpe enim, qui in vno crimine innocens plectitur, est in alio nocens. Et Senatus quidem iudicium præcipitat, est tamen aliud peccatum, quod Deus per senatum castigat. Referam melioribus verbis, quod M. Michaël Iulius rudi Minerua dedit memorijs posterorum. Basileæ Paterfamilias fuit, crudis homo moribus, & mentis indomitæ: qui si tangeretur, echino fuit asperior; Adria iracundior, si læderetur. Is coniugem habuit vtique meliore marito dignam. Nam etsi honesta esset ac pudica, quotidianas tamen rixas, & velut perpetuam simultatem pati cogebatur. De quauis re, etiam de lana caprina, illi Orbilius ille litem mouebat. Nec manebat res intra verba, & probra; à contumelijs & maledictis plerumque ad verbera, & liuorem vultus veniebatur, vt è vestigijs constaret de præterita tempestate. Diu tolerauit mulier huiuscemodi importunitates, sed tandem vt ictibus satiata, ac pertæsa iniuriarum, domo profugit ad parentes cognatosque suos, de intolerabili sæuitia ac tyrannide mariti querelam depositura, & quæsitura medicinam. Ibi professa, se frugi honestæque matrisfamilias officium sedulò suaque sponte facere; maritum autem ganeonem, omnis mansuetudinis oblitum in belluam degenerasse, neq; blanditijs,

M. Michael Iulius de laude ordinis Coniugalis cap. 5.

ditijs, neque vllis officijs delinitum deponere feritatem, rogauit, vt vel auxilium, vel in patria sua exilium sibi darent. Interea autem, illa absente, alia quæpiam mulier in Rhenum cecidit, & submersa est. Quare lapsu & agitatione aquarum Basileam vsq; deferebatur, facie sæpius ad scopulos allisa, itaque confusa ac deformata, vt satis agnosci non posset. Quia tamen habitus illius ac vestimenta per omnia respondebant amictui mulieris illius quę non ita pridem, clam omnibus, ad parentes suos se se proripuerat, non defuere, qui conijcerent, eadauer esse illius profugæ mulieris. Itaque suspicio per plures ac plures propagata est; qui mussitarunt primò, tum etiam palàm iactarunt, non alium istius facinoris esse authorem, quàm maritum, cui fermè numquam cum vxore conuenisset: assiduas inter hos coniuges fuisse lites, bella quotidiana, perpetuas inimicitias; vel igitur vxorem sponte in Rhenum insilijsse, vt se tanto malo liberaret; vel quod de tam importuno atque immiti coniuge longè credibilius esset, maritum incautam vxorem Rheni præripijs adambulantem in aquas præcipitasse. Suspicio in famam, fama sæpe in extrema erumpit mala. Quamobrem etiam tum magistratus, partim similitudine habitus in muliere aquis suffocata, partim publicis sermonibus motus, in maritum manus inijci, ad carcerem necquidquam reclamantem rapi iussit. Ibi dum crimen obiectum constanter negat, tormentis admouetur, & in quæstionem postulatur. Multi malunt citò mori, quàm diu cruciari. Itaque & ille, quamuis hac parte innoxius, vi tormentorum adductus, non dubitauit fateri, vitam se coniugi suæ eripuisse, eamque vndis sepelire voluisse. Fatentem reum magistratus morti adiudicat ducitur. supremo supplicio afficitur. Vix triduum à supplicio elapsum est, cùm mater familias, cum cerebroso marito in gratiam reditura, Basileam redijt, sed maritum haud ampliùs inuenit, cuius miserabili interitu comperto, protinus in curiam se effudit, & cum Patribus Reipublicæ illius conscriptis vehementissimè expostulauit, quòd maritum suum criminis istius exsortem è finibus humanæ naturæ exturbassent, morteque infami deleuissent. Quare non solùm mulierem sui à marito discessus, sed etiam magistratum, iniustæ aduersus innocentem sententiæ latæ

serò pœnituit: non pœnituit autem Deum, qui tam multas grauesque iniurias mulieri illatas, in occasionem habuit vindictæ marito reponendæ.

X. Quod in his talibus proiectioris licentiæ hominibus facere iustissimum reorum Iudicem tantò minùs mirum est, cùm etiam sibi magis addictos feriens talione sinat in ipsum peccatum labi, vt seipsos noscere discant, atque in viam redeant. Apud Cassianum, Abbas Machetes solebat narrare, tribus de caussis potissimùm se Monachos temerè iudicasse. Primò cùm venisset ad Monachos quosdam, qui graui tumore intra os laborantes, tubereq; vehementer eos cruciante, medicinam mali excogitabant, procurabantque, vt tuber illud exscinderetur. Quod vbi Machetes vidit, iudicauit, apud semetipsum, curationis huius solicitudinem ex defectu mortificationis prouenire. Secundò malè habebat Machetem, quòd aliqui seu vitio ætatis, seu alia necessitate compulsi, non nihil de seueritate disciplinæ Monasticæ remitterent, & pro capessenda quiete, pelle ex caprarum pilis confecta se cooperirent. Hos nimiæ sensualitatis condemnabat. Tertiò indignè tulit, quando vidit sæcularibus petentibus ex deuotione aliquid olei sibi benedici à Monachis, eorum postulatis annui. *Hoc*, inquiebat, *ingens præsumptio est, & quadam quasi sanctitatis ostentatio.* Sed ecce diuinæ bonitatis æquitatem, idem Machetes, alioqui vir sanctus, palàm vtroque fassus est, permisisse Deum iustissimo iudicio suo, vt in omnes hos tres defectus (si quidem defectus sint) ipsemet laberetur, quos in alijs antè improbauerat. Nam & tubere illo intra os (Deo pœnas temeritatis hoc modo ab illo deposcente) enato punitus est. Itaq; medicinam sectione, ob doloris magnitudinem, petere coactus est. Ex eiusdem morbi vi etiam operimento illo, seu stragulo ex pelle caprina vti adactus est. Deniq; importunitate sæcularium ita fatigatus est, vt oleum quoq; eis benediceret. Hæc de se ipso Machetes dixit, coronidemq; illam addidit, hortando, rogandoque omnes, vt ipsius edocti seu exemplo, seu supplicio, judicia temeraria, tamquam præsentissimam pestem, declinarent. Itaque nolite judicare, qui non vultis judicari; *in quo enim judicaueritis, judicabimini.*

Cassian. lib. 5. de renuntiantium instit. c. 30.

CAPVT

CAPVT LII.

Pœnam talionis, in omnibus elementis, redditam fuisse, è variis Scriptoribus sacris demonstratur.

IN ipsis quoque Sanctorum historijs sæpe fit mentio, de hominibus, qui illis ipsis armis, aut instrumentis læsi sunt, quibus alios vel læserunt, vel lædere statuerunt; aut, vt dici solet, qui in caput suum lunam deduxerunt; idque in omnibus contigit mundi elementis. Atque vt ab aëre incipiam, in eo multa eiusce modi diuinæ vltionis euenerunt argumenta. Vt enim taceam de legione Fulminatrice, & telo trisulco cum alijs iaculis in hostem retortis, quis nescit, in montis Gargani Spelæo, vel jumentum, ope D. Michaëlis Archangeli, fuisse seruatum, sagittâ ad iaculantem remissâ? Si pecudem seruant Diui, atque ita tuentur, vt arma illis *in arcum prauum* fiant, percutiantq; eos, qui eam ad se confugientem persequuntur; quippe ni idem faciant hominibus cælitum opem implorantibus? Audi Gabrielem Bisciolam; *Anno 718*, inquit, *Pelagius Theodorici olim Spatarius, fugiens impetum Sarracenorum, cum magnâ parte militiæ Gothorum, in Asturios se contulit montes, & spelunca se cum illis continebat. Quo à Sarracenis audito, exercitum in eum mouent, sed primùm insidys appetendum putant, misso ad eum Oppâ Archiepisc. Toletano, Vuitiza Regis Filio, qui magnis pollicitationibus illi deditionem suadeat. Ad quem increpitum magno animo respondit, se ope & interceßione Beatißimæ Mariæ Virginis, sperare cum illâ paruâ manu, gentem Gothorum, & fidem restauraturum, debellatâ illâ infinitâ multitudine Paganorum. Desperatâ deditione, portam spelunca sagittarij & fundibularij impetere cœperunt; sed diuino miraculo lapidibus & sagittis, ac iaculis retortis, maxima est eorum multitudo prostrata. Ex quo reliqui perterrefacti abeuntes, insequente Pelagio cum suis, pars trucidatur, Oppâ capto, pars in itinere per aspera montium, & per exundationem fluminum extinguuntur, &c.* & paulò pòst: *Porrò spelunca illa Dei Genitricis memoria dicata est, cuius quoque nomine nuncupari cœpta, dictaq; S. Maria de Couadongâ.* Aëris hæc prodigiosa iustitia est, iacula in jacientes repellentis, haud secus ac si in rupem incidissent; quæ meritò iniustè pugnantes commouere debet, ad sagittas in pharetra

L.

Martyrolog. Rom. 8. Maij.

Psal. 77. 57.

Gabriel Bisciola in Epitome Baroniana. An. 718.

Ferrarius 3. Maij. tra continendas. Apud Ferrarium, sacerdos quidam sanctus, cui Iuuenali nomen, Narnienſibus ardentiſsimè fidem Chriſtianam prædicauerat, in cuius rei mercedem impij illi eum adigere volebant, vt, Chriſto deſerto, vana Numina veneraretur. Vt ergo eum cogerent idolothytum comedere, quidam per vim, & cultro os eius conatus eſt aperire. At, cultro ſe in manu eius vertente, ipſe, qui lædere voluit, læſus eſt. Ob quod ſignum tam prodigioſum ſeptem millia Ethnicorum, cum mulieribus & virginibus, conuerſa ſunt.

II. Abduxit Ethnicos non modò à voluntate lædendi, ſed etiam ab idolis, cùm viderent cultrũ in manu furentis ſe vertere, & lædere lædere cupientem; an non & nos debet abſterrere à proximo noſtro violando, cùm intelligamus, mucronẽ, quem alijs obtendimus, diuinæ prouidentiæ juſtitiâ plerumque in noſmetipſos reflecti? *Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuum; vt deijciant pauperem & inopem: vt trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipſorum: & arcus eorum confringatur*, ait Pſalmiſta. Franguntur nimirum conſilia impiorum, & quo ferro alium voluerunt confodere, ipſi confodiuntur. Quia *gladius eorum intrat in corda ipſorum*. Faſcinat enim eos ira, quando *turbatur à furore oculus eorum*, vt non proſpiciant, quò deſtinata à ſe vulnera itura ſint; quemadmodum magi ſæpe præſtigijs ſuis id efficiunt, vt, dum videntur digitum ſuum alteri in manus dare, non ſuum digitum, ſed proprium illi naſum dent, quem iubent eum abſcindere. Si tam audax eſt, ſi vult digitum magi cultro ſecare, ſerò ſentit, ſe non digitum magi, ſed proprium ſibi naſum præſecuiſſe. Neque longè quærenda ſunt exempla. Quoties Stygius artifex alterum jubet prouocari ad duellum? cur vnus alterum prouocat, niſi vt ei vitam adimat? At obſeruatum eſt, ſæpius cadere ipſum prouocantem. An non tunc dici poteſt? *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum*, armarunt, & pyrio puluere inſtruxerunt fiſtulam ferream, addiderunt glandem plumbeam duplicem, *vt deijciant pauperem, & inopem*: qui coactus eſt vel inuitus in duello comparere trucidandus, quia noluit arridere turpibus, vel ad vomitum vſque potitare; aut rapinas vnà exercere, rectus corde. Quid ergo fit? id quod per-

Pſal. 36. 14.

Pſal. 6. 8.

Pſal. 36. 34.

modum

modum imprecantis prædixit Propheta: *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Rumpitur enim fistula: vel non reddit ignem silex; vel trepidat manus iaculantis, vt plumbum in auras irritum expuatur. Itaque ictum excipit, qui ictum destinauit. Quin etiam audiuimus, sæpe gladium ipsum instar ceræ, reflexum, atque in se se redeuntem, illum ipsum, à quo vibrabatur, interemisse.

III.

Sicut autem isti ad gladium suum iure damnantur, ita alij ad laqueum; vt iustitia summi Iudicis etiam de illis triumphet, qui in aëre sublimes conspiciuntur. Breuis est, sed ob inauditam malitiam incredibilis historia, nisi ab scriptore tam fide digno memoraretur. Coloniæ S. Andreæ Canonicus seruum equo expeditum miserat ad decimas colligendas. Via illum ducebat haud procul à patibulo, in quo recens suspensum, dilapsis iam ceteris omnibus, animaduertens adhuc moueri, aliquid in eo vitæ superesse, ex palpitatione, coniecit; tactusque miseratione, laqueum gladio incidit; restim laxauit, allataque in pileo ex proximo amne aqua hominem refocillauit. Qua refrigeratione recreatus, ad mentem, immò ad amentiam redijt suspendiosus. Adeò enim pertinax est furandi consuetudo, vt ne resti quidem ipsa se sinat tolli. Itaque resumptis viribus, desperatissimæ audaciæ fur, liberatorem suum ad proximam villam secutus est: ibi maleficium pro beneficio reponens, manum iniecit in equi eius frænum, atque elata voce clamare cœpit; eum equum suum esse, sessorem iniustum vi sibi illum abstuliisse. Vociferatio homines acciuit; qui vndique accurrentes ex agris, & abigeo indignantes, nec audito quidem aut ad excusationem admisso necem decreuerunt; factoque agmine, rapuerunt ad furcam; & ad illam ipsam furcam de qua furem eques innocens paulo priùs deposuerat. Erat enim illa vtrique loco communis. Nouum mortalium globum cùm ad patibulum confluere vidissent viciniores illi, qui furem laqueo addixerant, accurrerunt & ipsi, interrogaturi, quid rerum gereretur. Ad patibulum vbi ventum est, viderunt abesse suspensum, & adesse alium suspendendum; cui datâ pro se loquendi copiâ, auditaque rei gestæ tota serie, vultumque audacissimi furis haud parum licet sanguine suffuso denigrati agnoscentes,

Cæsarius. libr. 6. Illustr. Mirac. c. 24.

innocentem absoluerunt, calumniatorem autem patibulo suo reddiderunt. Qui proinde, iuxta prouerbium, suo ipsius laqueo captus, in ea ipsa cruce, quam alteri parauerat, bis pependit, quia sæpius meruit.

IV. Nunc & in igne videamus iustitiam talionis. Neque enim tacendum est, quod Daniel memorat, tribus pueris accidisse, qui ipsi illæsi *ambulantes in medio ignis* spectandi spectauerunt eos, extra fornacem, ardentes, à quibus iniecti fuerant. *Et non cessabant*, ait Propheta, *qui miserant eos, ministri regis succendere fornacem, naphtha, & stuppa, & pice, & malleolis, & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem: & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* Quid illi? nonne ignem sibimet ipsis incenderunt? & senserunt ignem, extra libanum, quem serui Dei in furnum calidum conditi non senserunt, suauissima aura recreati? Nimirum sæpe illud ipsum malum, quod alijs homines machinantur, incurrunt; atque ijs, quibus machinantur illud, in refrigerium commutatur, vt illis tantò ægriùs sit, si videant, se non solùm, id quod voluerunt, non effeciſſe, sed etiam technam se suam in se ipsos struxisse. Itaque tres pueros, immò tres viros illos, flamma illustrauit, Chaldæos supplicij authores deuorauit.

Dan. 3. 92.

V. Haud absimile quiddam scribitur in vita S. Elisabethæ reginæ Lusitaniæ. Habebat ea regina, inter ephebos, puerum insignem, omnibus naturæ & gratiæ donis ornatum. Nam & forma erat præstans, & ingenio vigebat, & splendebat virtutibus; præsertim pietate, ac fidelitate. Sed ô quàm periculosum est, in aula eminere! Illæ ipsæ dotes, quæ puerum reddebant amabilem, inuidiæ eum obiecerunt. Erat inter eosdem ephebos alius perditissimis moribus puer, qui non poterat pati, quòd regina alterum, præ se, præque ceteris æstimaret, & verò etiam per illum tantas (quas solebat in pauperes expendere) eleemosynas dispensaret. Maluisset enim ipse esse quæstor, diribitorque, vt nummos, pro lusibus clependi haberet occasionem. Cogitauit igitur diu, quo eum modo amoliri posset, ipseq; in officium eius succedere. Haud vtilius ei consilium incidit, quàm vt apud regem eum illis titulis accusaret, qui ob gratiam, quam apud reginam habebat, maximè pro-

Ex 2. p. Chronic. Francisc. lib. 8. c. 28. § 1 Catechismi Granat. lib. 2. c. 27. § 10.

probabiles, maximeq; eum suspectum posse reddere videbantur. Et valuit calumnia. Neque indignatio sinebat regem, secundùm leges, in reum inquirere; sed ipse sibi pro lege, quod suadebat inæmulum furor, statim exequi cogitauit. Egit itaque cum calcariæ fornacis magistro, summo silentio, & fide illius adiuratâ, vt cùm tali die, & hora puerum ad illum misisset, quæsitum: NVM MANDATA FECISSET, illico eum, sine vlla misericordia, siue superos, siue inferos inuocantem, arreptum in fornacem calcariam iactaret, infelicibus flammis vstulandum. Aderat iam dicta dies, aderat & hora constituta, qua innocentissimum adolescentulum ad se vocatum ire iussit actutum ad officinam Calcariam, atque artificem interrogare, NVM MANDATA FECISSET? It puer, ignarus ad quid mittatur. In via dum est, audit sonitum æris Campani, quo significabatur hostiæ sacræ ad populum ostensio. Qua igitur erat pietate, & more suo, ad templum diuertit, hostiam adorauit, atque ad finem vsque sacrificij inibi supplex perseuerauit. Inde egressus, in alio itidem, atque alio templo dari signum consimile audiuit, ad quod, & illa templa pius viator subiuit. Interea temporis hora quoque à rege data præterijt. Quamobrem rex, qui exitum rei vehementer scire desiderabat, illum ipsum puerum calumniatorem, à quo fuerat innocens sceleratè delatus, currere iussit ad calcariam, sciscitatum è magistro: NVM MANDATA FECISSET? Cucurrit puer inoffenso pede, neque ad vllum templum diuertit, non solitus scilicet ante aras moram trahere, aut precibus tempus dare. Ad calcis conficiendæ magistrum vbi peruenit, & NVM MANDATA FECISSET, quæsiuit, ille hunc esse puerum ratus, de quo rex mandatum dederat, inopinatò in eum inuolauit, arreptumque in calcariam proiecit, nec quidquam regis auxilium opemque in amplexu, clamantem. Arsit igitur, & in cinerem redactus est; in illa ipsa fouea, in qua alteri exitium erat architectatus. Atque *hoc modo summus ille Iudex innocentis caussam tutatus est, & reum debito supplicio affecit, & in eum illud malum conuertit, quod ipse alijs moliebatur, vt facere solet. Hoc casu rex veritatem agnouit, & pœnâ huius tam inopinati exitus alterius pueri innocentiam, & alterius improbitatem cognouit.* Ite, maligni, & perniciem alijs coquite; est in cælo, qui vos illo ipso

igne torqueat, quem alijs excitatis; immò optatis. Nec refert, siue ignis is sit, siue aliud elementum, aut bellua deuorans; quæcumque mala vos alijs paratis, scitote etiam paria pro vobis superesse: immò illa ipsa in vos posse reuerti. Nam ouum ouo tam simile non est, quàm historiæ modò recitatæ, seu historia, seu fabula, ex Italico authore ferè verbatim huc apponenda, in documentum calumniatorum, licet ea pœnam ignis non contineat, sed bestiarum.

VI. Ioan. Baptist. Girald. Cinthius Hecatomithorum part 2. decad. 8 Nouella 6. fol. 335. Venet. 1584. 4

Selimo Constantinopoli Turcis imperitante, captus à Piratis Lamprinus adolescens quidã cùm formâ, & corpore elegans, tum animo ad omnem virtutem excultus, eidem Tyranno vt mancipium muneri est datus. Qui Tyrannus etsi truculentissimus aliàs vitam extorquere captiuis Christianis soleret, generosa tamen indole commotus vitæ ei gratiam obtulit, si eiuraret Christum. Erat tum annorum XV. oriundus ex Corfu, ac quòd tenerâ ætate rerum careret experientia, nec ita quæque suis momentis metiretur, ingenti terrore perculsus, & præsenti necessitate adductus imminentis horrendi supplicij metu, si aliter faceret, externo cultu subscripturum se Machumetanigenarum superstitioni finxit, in animo soli Christianorum interim Deo facturus sacra, quoad melior adspiraret aura. Hoc facto, vt elegantia, ita gratia in dies apud herum creuit, quod multis, qui iam olim in aula seruiebant grande peperit cordolium. Erat inter cæteros Zelimus quidam, quem ita exosum habebat Selimus, vt de illo interficiendo cogitaret; hic Zelimus aduertens, quàm bono apud Selimum loco esset Lamprinus, eo patrono se receptum in gratiam obtinere posse confidere cœpit, quare illum compositissima ad omnem submissionem oratione rogauit, vt, quando ab Imperatore nihil non facillimè posset obtinere, antiquo dignitatis pristinæ loco, reddere ne grauaretur, quo excidisset, secretarij nimirum cubicularis; promittens, se gratiam, quàm posset maximam beneficio huic immortali redhibiturum. Erat eius ingenij Lamprinus, vt in perditis eum diem, & horam sibi numerandam arbitraretur, qua non obsequium alicui gratificatus fuisset, quare liberaliter promisit, si quâ re patronum eius agere posset, haudquaquam intermissurum occasionem; nec multò pòst eam nactus, tam strenuè

rem

rem eius egit, vt pro fratre meliùs facere non potuisset. Calorem tantum admiratus Selimus, nescis tu, bone, quid petas, ait, Eà enim est malignitate naturæ Zelimus, vt sperari ab eo nil boni quicquam possit, ac quamquam montes polliceatur aureos, plumbeum non præstabit teruncium, id quod multiplici me jam dudum docuit exemplo, inde plures mihi sunt & graues causſæ, cur inuisum habeam atque exocrer. Ne tamen tibi, quem tantopere diligo, rusticè aliquid negasse videri queam, Esto sanè in tuam gratiam, reddo illum officio, quamquam animus iam præsagiat, cessurum id in vtriusque nostrum grande & exitiale malum, ni Deus auertat. Senties, & vtinam vel maximâ calamitate tuâ sentias, spem de ipso à te conceptam turpiter esse falsam, promissa ventis tradita, pessimam tibi relatam gratiam. Lamprinus his omnibus nihil motus, vbi gratias egit, Zelimum Imperatori stitit, qui disertis verbis ei denuntiauit, non alterius ope, quàm Lamprini eum patrocinio dignitati esse restitutum; daret ergò operam, vt memor beneficij, ita se gereret, ne neutrum pœnitere posset: id quod se accuratè facturum appromisit. Magnas sæpe, spes vna, facit promissiones; quæ, vbi res habetur, abeunt in obliuionem. Vnde & Zelimus, ne vllum in aula & gratia Principis priorem haberet, vbi primùm sibi persuasit, non malo se esse apud Selimum loco, continuò consilium agitauit, quibus machinis efficeret, vt gratia Lamprinus excideret, & dederetur neci. Multa secum ad id efficiendum volutauerat, excogitaueratque, sed nullis se profecturum aliquid sibi poterat persuadere artibus, quòd ita in amoribus Selimo Lamprinum esse ægrescentibus inuidia oculis videbat: tandem tamen hanc strophan adinuenit. Erat inter Vxores Selimi Tamulia quæpiam principe loco, quam ad insaniam diligebat: Ortu illa quidē Christiana, cæterùm, quòd à piratis ex Corfu abducta, in eius potestatem venisset, & ob formæ elegantiam haud displicuisset, vt vitæ consuleret, multoties à Tyranno solicitata, itidem in speciem, omisso Christo, Machometigenis religione accedere se simulauit.

Huius curam Selimus fidissimo sibi, vti credebat, Lamprino credidit, imperans, vti non aliter atque oculos eam suos obseruaret & coleret; id quod se facturum diligentiùs propensiſ-

simè stipulatus est: eoque magis, quòd sororé eam esse suam cognitum haberet atque perspectum, videlicet eodam aliàs fato anno superiore Byzantium raptam à piratis, quo ipse fuerat: vnde & fiebat, cùm Tamulia etiã non nesciret ijsdẽ se cum eo parentibus genitam, vt agerent inter se confidentissimè, ac deliciarentur, nemine interim quopiam altero conscio, tam arctam sanguinis necessitudinem intercedere.

Ex hoc tam hilari, & libero agendi inter se modo sementem cepit Zelimus inuidiæ, & odij, nactúsque materiem cudendæ exitialis fabæ Lamprino. Nam cùm veluti Selimi secretarius, illi aliquando confidentiùs colloqueretur, eò diuertit orationem, vt diceret, à magnatibus maligno fato sæpenumero reijci famulorum fidissimum quemque, & officio dimitti, cùm è contrario ignauissimi quique maxima quæque apud eos possent, & ad summos honorum gradus proueherentur, qui res interim infidelissimè administrarent, atque huius rei exemplum, vt non longè abiret, peti posse ab Lamprino, quem ex capto, & capitis damnato Selimus in tantum dignitatis fastigium extulisset, vt quod vnum ex mortalibus haberet expetitissimum, chariſſimumq; Tamuliam ipsius fidei commiserit, quid autem dein? Respondere ne expectationi, & tot ac tantis Principis sui beneficijs? immò verò per summum scelus ita cum ipso agere Tamuliam, vt si maritus esset; nec dubitare se venisse illum in partem tori Imperatoris, nisi fortè illa iræ tuæ furores extimescens, facinus quo minùs perpetratum sit obstiterit. Hîc Selimus, vide quid dicas ait. Scis quantis nominibus Lamprino sis obstrictus, quidquid es, ac quantus es, ipsius es, ipsius beneficio non solùm spiras, sed in amicitiam nostram admissus palatinis facilè omnibus antiſlas. Et benefactorem tuum tantũ, tam mihi fidum, tam charum, de re tam turpi ac nefanda apud me audeas sugillare? quem si etiam grauissimè deliquisse haberes compertum, vel cum vitæ tuæ periculo supplicio deberes subducere, nunc vltro carnificinæ obtrudis, & quod crudelitatem transcendit, innocentẽ, nam quî de obiecto adulterio conuinces? cui Zelimus: si eius dumtaxat obligationis, quæ mihi cum eo intercedit, rationem habere liceret, equidem silentio hoc erratum & amici, & patroni maximè obruissem. Nunc, cùm me

pluri-

pluribus, & potioribus nominibus Maiestati tuæ obstrictum intelligam, nec potui, nec debui intermittere ad te referre ea, quæ ignorata cum summo dedecore irreparabilem tibi cladem poterant adferre, præsertim cùm perfidia tanta pro summâ fide habita summis laudibus à te sit deprædicata, & tantùm non sublata in cælum. Cùm contrà contenderet Selimus, ad se signũ hactenus nullum libidinosæ proteruiæ peruenisse, sed talem se præstitisse Lamprinum, vt ne optare, aut fingere potuerit aut voluerit castiorem. Nihilominus, his auditis, Zelimus propositum vrgens, nam quid miri sit, inquiebat, si exterus, & religionis nostræ hostis os tibi sublinat! obsequium se Deo præstiturum existimabit, si malè tibi facere possit: iniurias tibi à se illatas summam gloriam interpretabitur. Quid, quòd Tamulia vt eiusdem religionis, ita & patriæ esse perhibetur? Sic quando tu totam esse tuam tibi persuades, in consortium non inuita receptura est suum ciuem, quid si mater fiat? quid si tu curruca aliena educes pignera? quid si spurij illi, te senescente, imperium sibi vendicent Orientis? Et quæ cum matris lacte suxêre popularibus nostris vel instillent, vel obtrudant Christianæ superstitionis deliria? quæ quanti sint momenti, equidem tibi, Imperator, expendenda relinquo. Auditis hisce suspicio orta est in animo Selimi; fidem tamen tribuere noluit priùs, quàm signum quoddam ac vestigium facinoris ipse deprehenderet, neque enim amoris magnitudo, quo æquè Tamuliam, ac Lamprinum prosequebatur, præcipitare feralem sententiam sinebat; vtque certi aliquid de ijs concluderet, obstare beneficiorum erga eos multitudinem, quâ eos sibi deuinxerat, sentiebat. Itaque conuersus ad Zelimum, Quod si calumniatum esse te deprehendero, stomachabundus exclamat, Ea supplicia manent infelicitatem tuam scito, quorum acerbitas ijs experiunda erit, si proditoriè, aut perfidè mecum eos egisse comperiam. Argum agam, & si quod scelus est in apertum producam; vbi nullum erit, senties, & quidem proximo malo tuo, quàm mihi displiceant erga benefactores ingrati. Obtulit ille corpus, si sciens falleret, doloue malo inuidiam conflaret Lamprino, supplicio vel Phalaridis tauro immaniori. Imbiberat jam tot calumnijs venenum zelotypus, & quiduis, quod diceret ageretué Lampri-

Lamprinus, in deterius rapiebat. Ita crescente in dies suspicione, factum, vt cùm alia pertractaret cum Selimo Zelimus, is vltro de Lamprino sermonem inferret, ac se nunc demum intelligere affirmaret, quò spectarent familiares congressus Tamuliæ, & Lamprini. Nam vt mordicus tori fidem obseruaret Tamulia, vero tamen simillimum sibi videri, Lamprinum illi, plus quàm sit necesse, familiarem. Sed diespiter me perduit, exclamabat, nisi atrociter luet subsessor thalami nostri, indignus, qui pereat ab humana manu, lacerabitur à feris. Incredibile dictu est, quàm audire hæc iucundum fuerit Zelimo, confirmanti Dominum, vt si posset, crudeliùs etiam sæuiret in Mœchum.

Erat Selimo viuarium diuersis refertum bestijs, vt leonibus, pantheris, tigridibus, quas gratissimo subinde inter se spectaculo committebat. Huius manſuetarium cùm ad se accersiuisset, imperauit, vt, sicut erat, leonibus deuorandum obijceret, quemcumque vesperi ad ipsum amandasset, rogaturum, *An executioni mandasset, quæ Imperator ei dedisset in mandatis?* Leontarchus, ne paria cogeretur perpeti, memori mente imperata reposuit, & Orco futuram victimam est præstolatus. Subinde Selimus cùm Lamprinum ablegasset ad Leontotrophum, quæsiturum, num quæ imperator ei dedisset in mandatis, perfecisset, nescio quæ insolita hominem incessit religio, reputantem secum insolitæ legationis insolentiam, hominis in aula in paucis spectati ad homuncionem è plebis sentinâ: eapropter animo aliquid mali præsagiente, secessit in frutetum. Et cùm in genua se precabundus abiecisset, versis ad cælum oculis sic Deum cœpit compellare. *Scis ô Cardiognostes, animi imbecillitate eò (prô dolor!) me abreptum, vt cùm tua sacra medullitus sola venerer & amplectar, sacrilego fuco me Mahumeto quoq; addictum ausus sim simulare. Certè numinis tui reuerentia numquam excesſit pectore, neque animus præter te quemquam adoranit, vt par est, Deum. Quare demissimè flagito & obtestor, vt calamitosâ illa fragilitate mea insuper habita ne dedigneris clementi me respicere obtutu, & si quod me ex imperio heri, quo nunc perfungor, manet infortunium, id benignè auertere. Quin verò & rimam pandis, per quam è turpissima hac seruitute enadam? vt, excusso Mahumeto, palàm possim preces tibi allegare, vis nunc miser in secreto, te conditorem assertoremq; meum*

meum proniſsimo aſſenſu adoro atque veneror. Subinde amuleto ſacroſanctæ Crucis frontem, & pectus obarmatus, quò deſtinatus erat, pergere inſtitit. Porrò haud aberat Zelimus, cùm Selimus mandata dederat Lamprino, quare cùm ad ſummam votorum deſideria tandē ſua tendere intelligeret, nihil prius habuit, quàm vt ad leonum caueam, & ipſe quoque contenderet, hoſtiſque ſui internecione triſtiſſima crudeles paſceret oculos, & ſi ita daretur occaſio, ad maiorem rabiem leones inhortaretur. Illico ergo & ipſe ſe quoque dedit in viam, ac dum precibus tempus exigit Lamprinus, Zelimus prior leontarcho occurrens ſciſcitatus eſt, Ecquid mandatis Imperatoris paruiſſet? ille, qui catharma futurum trito calle manebat, vbi ſymbolum inaudijt, quod à rege morti ſacratum leonibus addiceret, protinus hominem inuaſit, & necquiquam reluctantem beſtijs lacerandum obiecit, nec potuit eum multoties imploratus ſeruare Mahomet, nec truces minæ, nec ſubmiſſæ preces, nec amplæ pollicitationes, nec pro quo erat ſuccedanea victima, Imperatorio iuſſu carnificinæ Lamprinus jamiam adfuturus, quin ita fœdè tractaretur, vt Pentheus, Abſyrthúſe mitiùs ſit habitus. Iam ſepulchrum nactus erat ingratus Zelimus in leonibus, cùm aduenienti Lamprino Leontarchus, nempe reſcire cupis, inquit, an Cæſaris imperio perfunctus ſim! Et annuentem illum ad caueam duxit, oſſiumque reliquias cum infelicis tabo, deinde & veſtes quoque oſtendit, addiditque, ſumma eum vociferatione contendiſſe, non ſe, ſed Lamprinum quemdam, vt belluarum ingluuiem ſaturaret ſubmiſſum; præſtolaretur igitur tantiſper; mox adfore: ſe hæc inſuper habuiſſe, & potiùs Cæſaris imperium, quàm huius tergiuerſationem, & inſidioſa lamenta curaſſe. Ex hiſce haud difficulter didicit Lamprinus, & ſcelus in authorem recidiſſe, & miſeratione diuinâ votorū ſe ſuorum factum eſſe compotem, quare actis Deo gratijs ſtatuit ſe in Chriſtianā libertatem aſſerere. Solitus erat aliàs animi ſubinde gratia domitare Aſturconem Imperatorium, quo ipſe vtpote velociſſimo vtebatur, cùm pugnas ferarum ſpectatum concederet, hunc fugæ ſuæ aptiſſimum judicauit. Ergo vbi cauſſatus mandatum à Cæſare, eum conſcendit, ac nemine interpellante, ad Chriſtianorum fines in Sclauoniam tetendit, quò vbi venit, nihil

habuit antiquius, quàm Ecclesiæ Orthodoxæ vt reconciliaretur. At Selimus, qui nihil dubitabat Lamprinum à leonibus deuoratum, cùm desideraret Zelimum, nec quisquam, quid eo ageretur, rationem posset reddere, rei insolentiam haud modicè est miratus. Interiectis diebus nonnullis sterni equum jussit, vt Ferarum pugnis intenderet, at strator se illum pronuper Lamprino cessisse respondit, qui principis eum nomine sibi cedi voluerit, ardui negotij expediendi causſa. Obstupescens Imperator si viueret Lamprinus, Ecquem ergo Leontotrophus se is obiecisset, est percontatus? cui ille, cum videlicet, qui primus ex se sciscitatus esset, *Num quæ ab Imperatore habuisset in mandatis, effecisset, Zelimum*; idque se eidem Selimo per paulò pòst superuenientem Lamprinum significari curasse. Mox Selimus haud absurdè est suspicatus, per calumniam structas esse à Zelimo Lamprini vitæ insidias, atq; vtique sanguinolentum animum, oculosque dum illius carnificina exaturare conaretur, ipsum cecidisse in foueam, quam innocenti effoderat, diuinæque prouidentiæ sapientissimam adorans dispositionem non potuit non vehementer commendare, ingratissimum bipedum ingrati animi dignum retulisse præmium. Sparserat iam longè lateque fama, ob id, quòd Tamuliæ pudicitiæ insidiatus fuisset Lamprinus, Imperatoris imperio ad bestias damnatum, & ad ipsius quoque Tamuliæ aures pertulerat, quæ haud parum mœsta, ob fratris lanienam; tantò postea magis exhilarata fuit, vbi, quod factum erat, reipsa intellexit. Nam postquam domum venit, Lamprinus ipse, vt mendacium refelleret, honorisque indemnitati consuleret, scriptis ad Selimum litteris, per calumniam famam suam arrosam est questus, de quo ne dubitandi locus esset, nolle se ipsum ignorare asserebat, Tamuliam ijsdem esse parentibus prognatam, quos ipse pro suis meritò agnoscceret, & veneraretur. Cùm verò sibi constaret de iniquissimè se apud eum traducto, & capite suo in periculum adducto, coactum fugâ sibi consulere equi beneficio, quem ne aut fidei defuisse, aut quicquam alienum surripuisse posset argui, cum hisce Domino remittere. Acceptis litteris, & agnitis à manu Lamprini, Selimus rogauit ex Tamuliâ, Ecquæ ipsi necessitudo intercederet cum Lamprino? Non alia, ipsa respondit, quàm sororis cum fratre,

neque

neque enim differi possum, fratrem illum esse meum, quo audito, duplici ex capite dolere cœpit Selimus, quod & perperam fidem improbissimo susurroni adhibuisset, & interim fidelis ministri officiositate excidisset: cumque nihil non industriæ adhibuisset, vt domum reconcilaret, frustra tum fuit. Vbi autem nequijt id homini persuadere, admirabili in barbaro vrbanitate, & donis coluit multis. Et verò non perfunctorie est cohortatus, vt quam sibi integritatem, & fidem præstitisset, eam, cuicumque tandem domino operam addiceret, præstare neu omitteret. Post paucos menses, cùm mortuus esset Selimus, Tamuliam magnarum opum reliquit hæredem, quæ pertæsa Mahometanismi, & cupida Christianismi, de eo certiorem fecit fratrem, maximopere obtestata, vt se conueniret, & ad suos abduceret. Hic, impetrato ab Solimanno Selimi successore commeatu, Constantinopolim veniens in patriam auexit sororem, quæ temporalium rerum satur Monacham induit, & quarum Domina erat diuitiarum, fratri transcripsit, qui lautè ipsi necessaria & socijs Virginibus subministrauit, vt cœnobium redderetur sanè opulentum. Atque ita malignus, ingratusque calumniator miserè perijt, Lamprinus seruitute exemptus abdicauit se superstitione, liberauit sororem, & cum ea in Orthodoxa religione multo dehinc tempore felicissimè prouixit. Huc vsque Ioannes Baptista Giraldus: quæ si ad suprà memoratæ historiæ imitationem à calcaria ad caueas bestiarum tracta sunt, & Poëticè narrantur; tamen ingenium calumniæ, pœnamque talionis ad viuum depingunt: quod vitium nullis satis vel historijs, vel fabulis potest castigari. Nunc ad ignis elementum reuertamur, vt ijdem vrantur magis, qui calumniantur.

VII. Nicol. Orland. in hist. Soc. Iesv t. 1. lib. 1. n. 58.

Compluti Ioannes Lucena pius sacerdos dum, comite Ignatio Societatis Iesv authore, stipem corrogat, *homo nobilis, vtroque conspecto, & cognito ex Lucena, quem in vsum eleemosyna cogeretur; reprehendens eum, quòd id hominum genus foueret; graui cum stomacho, elata voce, & multis audientibus, Malè ego incendio peream, inquit, nisi iste (Ignatium demonstrabat) meretur incendium. Dictum, factum. Nuntius eodem die perfertur, natum Carolo Quinto Cæsari filium (is fuit Philippus postea rex Hispaniarum, appellatio-*

ne ea secundus) *cuius natalem dum tota Hispania, pro seq; priuatim, ac publicè Complutenses de more festus ignibus gratulantur; ille quem dixi nobilis adium suarum turri conscensa, ibiq; illapsa forte scintilla in pyrium pulueres, quem ad illam celebritatem multum subuexerat, miserrimo incendio conflagrauit, conditionem fideliter implens quam sibi tulerat, si mentiretur: eodemq; se & mentitum igne demonstrans, & temerarij mendacij pœnas exoluens. Illachrymauit ad funestum casum Ignatius. Et certe, inquit, me enimuerò perinuito, hunc sibi exitum ipse optauit; ac decinit.* Quàm autem eo inuito illa ignis talio nobilem corripuerit, intelligi potest ex alio facto, quo pro igne sibi suisque socijs parando longè alium reprecatus est ignem.

Petr. Ribaden. lib. 5 de vita S. Ignatij c. 2.

Romæ anno 1546. Religiosus quidam eruditus, ex amico inimicus factus, inuidia extimulante, grauiter in Ignatium exarsit: qui etiam iactare cœpit, omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent, à Perpiniano Hispalim vsque, igni se traditurum: idq; Ignatio, qui suis verbis renuntiaret, misit. Cui Ignatius per eumdem scripto ita respondit. Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt, cremandos te curaturum dicis: ego verò id dico, & opto, vt & tu caritate flagres, & amici tui, ac necessarij, non solùm, qui in Hispania, sed qui in vniuerso orbe terrarum sunt, Spiritus sancti igne inflammentur & ardeant: vt perfectionis culmen adepti, diuinam gloriam augeant magis, & illustrent. Quod si quid, contra me, bone pater, habes, Iudices Romæ sunt, Gubernator, & Vicarius, qui nunc summi Pontificis imperio, res nostras cognoscant, vt sententiam de illis ferant: ad illos referas, queso, antequam sententiam pronuntient, vt ego, si quid debeo, solui exoluam; & corpore meo potiùs satisfaciam, quod mihi quidem erit iucundissimum, quam alij, qui in Hispania sunt, nullâ suâ culpa, pœnas indebitas pendant. Romæ apud S. Mariam de Strata 10 Augusti 1546. Superiorem talionem à Deo fuisse, dubitari non potest, vt ab imprecando deterreamur; hanc ab Ignatio profectam, diuini spiritus ignem, pro dirissimis flammarum minis, optante, legimus, vt imitemur. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius*, ait S. Paulus, hoc est, ita inflammabis ad redamandum, quasi carbones ignitos charitatis & amoris super eum effudisses. Siquidem, S. Augustino teste, *nulla maior est prouocatio ad amandum, quàm prænenire amando.*

Rom. 12. 20.

S. Augustin. tract. de catechiz. rudibus.

Ceterùm

VIII.

Ceterùm aliter Sanctorum charitas optat inimicis, aliter diuina iustitia reponit; cuius est ijsdem quoque rebus plectere impios, quibus peccauerunt. Nam siue ad ignem spectant cineres ab igne facti, siue ad aërem, quem impleuerunt, Theodoricus familiâ comes in Vuieda, professione religiosus, testis est, Confluentiæ carnificem, officio magis, quàm moribus infamem, tamen Bacchi tempora satis genialiter traduxisse. Itaque feriâ tertiâ, cùm non solùm diem totum comessationibus compotationibusque combussisset, sed noctem etiam ipsam diei iunxisset, manè rursus sitiens socio comite in tabernam vinariam intrauit, antè, quàm cineres sacros, de manu sacerdotis, vertice impositos excepisset. Eo nimirum modo dicebat, carnes hesternas esse abluendas. Iam allatum erat vinum, iam litabatur Baccho, atque eiui carniũ exequiæ celebrabantur, cùm ecce signum datur, & pulsu æris Campani homines ad officium Missæ conuocantur. Itur vndique ad templum: neque in ea ipsa taberna quisquam domi remanet, præter hos duos calicum trahones; quorum tamen alteri pocula non ita cordi fuerunt, vt carnifici salutaria non suggereret, quem his verbis est allocutus: *Certè modò diu nimis expectamus, eamus ergo ad Ecclesiam, propter sacros cineres. Cui ille mysterium cinerum irridendo respondit: Sede, ego dabo tibi cineres, & tu mihi; tollensq; cineres de foco iactauit super caput eius.* Numquam impunè in sacris rebus luditur. In alijs peccatis sæpe pœna differtur, in hoc plerumque culpam ipsam comitatur. Nam eccè vix cinerem manu sparserat, cùm illicò irrisionis merces subsecuta, tantum pulueris traxit,

Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.

Itaque nubes cinerea vndique circa os, & faciem, & totum caput eius ita aërem impleuit, vt plenis follibus ei insufflari videretur. Monstro territus altissimè exclamauit. Quando autem clamando os aperuit, tantum cineris hausit, vt propemodum intercluſa vocis via suffocaretur. Exciti è templo & vicinia multi prodigium spectarunt, vtque miserum seruarent, in proximam insulam traxêre, in qua nullus puluis, sed omnia gramine vestita erant. At neque ibi quies impio fuit, aere ipso in cineres mutato. Denique quocumque fugit, pœna eum secuta est; in pomerio, in sola-

Cæsarius Illustr. mirac. lib. 10. c. 53.

rio, in ipso Rheno, vbique cineres eum infestârunt, à turbine acti; neque antè desierunt, quàm sacrilegi ioci supplicium sustinens suffocatus extingueretur. Ita in cinere peccauit, in cinere luit. Quod exemplum non solùm hæreticis terrori esse debet, quibus consuetum est, ritus sacros Ecclesiæ irridere; sed etiam Catholicis seriò inculcandum; quorum multi, quia Bacchanalia ita in seram noctem extrahunt, vt ad cineres excipiendos, die altero, præ somnolentia, surgere non queant, morem sanctissimum, antiquissimum, & miraculis confirmatum insuper habent; & nihili faciunt. Voluit eo ritu Ecclesia homines commonefacere, pœnitentiæ, humilitatis, mortalitatis. Nam priscus mos est, vt *in cilicio & cinere* pœnitentia agatur. Et submissi animi argumentum est, non comptum, non ornatum, sed sordidatũ incedere. Deniq; ipsius Dei vox est, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, qua voluit primum hominem docere, eum reuersurum in terram, de qua sumptus erat. Quòd si igitur prædictus homo, alioqui minimè malus, ob leuem iocum, adhuc hesterna crapula stolidus tantopere est punitus, videant alij, qui mera malitia, aut pertinacia in diuinos ritus sunt blasphemi, quid mereantur.

Luc. 10. 13.

Gen. 3. 19.

IX. Sed nunc ad aquam veniamus, videamusque, an ibi quoq; pœna talionis reperiatur? Et reperitur sanè. Maxentius Imp. accepto nuntio, Constantini Magni copias Italiæ fines tenere, exercitum eduxit, sed in foro Iulij crebris prœlijs deiectus, coacto milite, cum copijs suis ad mœnia vrbis refugit, ijsque se continuit. Quintus tum agebatur annus Imperij Constantini. Maxentius solicitus de belli euentu magam consuluit (nihil enim vmquam sine mulierculârum aut augurum responsis superstitiosus Imperator gesserat) maga improba prospera omnia pollicetur, si priùs cæsis infantibus placaret aduersa numina. Quod summa vanitate cruentus princeps, facilè perfecit, secto infante. Iusserat autem antè, nauibus ad decipulam compositis, fluuium sterni, & superpositis pontibus exæquari. Cùm itaque ei diem & horam, quando educendus exercitus, & manus conserendæ essent, maga præscripsisset, sacris suis peractis, omnia magæ consilio egit; plenusque vana spe, prior ante exercitum suum furibundus è portis prorupit vrbis; immemor præ nimia vecordia fraudis à se fabrefactæ,

ctæ, pontem cum paucis aggressus, in profundum mergitur cum equo, nec vsquam cadauer eius postea inuentum. Ad hunc modum aquis haustus est nouus Pharao, in quas voluit, doloso ponte, religiosum & pium Imperatorem Constantinum præcipitare. Ita proprium authorem machina percussit. Exod. 14. 28.

X.

Ad hanc classem pertinet aquæ potus S. Emmerano Episcopo Ratisponensi negatus, de quo scribit Cyrinus Episcopus, cùm ei in grauissimis tormentis constituto, à diuinis laudibus & Psalmis Dauidicis non desistenti carnifices linguam excidissent, & abijssent, aduolasse è latibulis suis clericos, cum vicinis mulieribus. Nutu igitur ab his, corpore sanguine destituto, aquæ haustum petijt. Cui Vitalis presbyter & interpres eius, vir alioqui pius & religiosus, non sine commiseratione ac lachrymis dixit: *Quid vis refocillari, cùm sis membris corporis destitutus? Meo quidem indicio rectiùs tibi mortem optaris, quam tot affectus iniurijs vitam producere velis.* Vbi ergo fortissimus martyr intellexit presbyteri sui animum secus affectum, quàm expediret, collecto spiritu, & mutilatâ linguâ, verba, vt potuit explicans, ita eum affatus est: *Non tibi in mentem venit, sæpe me dixisse, neminem ad mortem festinare debere, sed potiùs optare, vt differatur, vt possit pijs intercessionibus faciē Domini præoccupare, vt detur spacium infirmis, ad agendam pœnitentiam, propter ea, quæ infirmitas humana perpetrauit? An verò pigritia tua molestum videtur cruentum refrigerare pectus? Ecce nunc temporariæ vitæ hanc ego propono pœnam, vt quoties ori tuo potum applicueris, mentis inops fias; nec tamen cuiquam noceas, sed inobedientiæ exemplum de te præbeas.* Dixit hoc vir sanctissimus, &, vt dixit, ita euenit. Tanti fuit sitienti Martyri haustum negauisse, siti luit, qui sitienti non succurrit. Quid luent illi, qui Martyrum Domino clamanti *Sitio*, haustum negant? Neque enim in cruce dumtaxat olim clamauit, clamat adhuc quotidie in miseris, in pauperibus & ægrotis, & quàm pauci sunt, qui de crapula sua aliquid detrahant vini, vt ad ægrotos refocillandos id mittant? An non talionem metuere debent? an non & illi vicissim aliquando clamitabunt, *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma?* Cyrin. Episc. in vita eius. c. 9. 12 apud Surium 22. Septemb. Luc. 16. 24.

Potest

XI. Potest sanè seuera illa supremi judicis sententia conijci, ex assessorum illius sententia, qui si in hac vita pœnam illam irrogant, vt siti plectant, & aqua interdicant ijs, qui non refrigerant sitientes, quid in altera vita fiet? Refert Albinus Flaccus Alcuinus Caroli Magni præceptor, S. Wilibrordum Traiectensem Episcopum magnis aliquando itineribus in Frisiam profectum, ad Christum annuntiandum, laboreque fatigatum, in cuiusdam opulenti hominis pratis lassos de via equos paululum refocillare voluisse: Sed, vt plerumque diuitiarum comes est auaritia, diuitem illum id minimè tulisse, eaque propter equos cædere, & è pascuis abigere cœpisse. At Wilibrordus, placido vultu, & mitibus verbis, Desine, inquiebat, nobis iniuriam facere; nihil enim tibi damni inferre, sed necessitate pressi, hîc quiescere volebamus. In Dei negotio versamur, Dei opus est, ad quod agendum proficiscimur, in partem mercedis tu quoque venire poteris, si nobis fueris adiumento, memor illius: *Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Itaque nobiscum amicè accumbe, & te, aliquantulum bibens, vnà refice; vt in domum tuam cum benedictione reuertaris. Lapidi loquitur, qui loquitur pertinaci. Itaque nihil ille motus Episcopi mansuetissima humanitate, etiam conuitia in eum regessit, spretaque ad vnà bibendum inuitatione, dixit: *Tu quidem me hortaris bibere, & pacem tecum inire; scito certissimè quòd tecum bibere pro nihilo habeo.* Quod verbum ex ore eius rapiens vir Dei respondit: *Si non vis mecum bibere, non bibe.* Hæc dixit, & actutum cum socijs, eo relicto, discessit. Inhumanus autem ille diues etiam ipse domum concessit, sed mox adeò sitiuit vehementer, vt ardere videretur; quæ fuit prima plaga. Sensit autem & alteram longè grauiorem. Nam cùm ita siccus æstuaret, anhelaretque, bibere nec vlla vi, nec arte medicorum valuit, nulla vel vini, vel alterius gutta, per fauces illius descendente. Ac, ne breuem fuisse pœnam existimemus, per annum integrum durauit. Quare agnita tandem superbiæ suæ culpa, Wilibrordi reditum summis votis exoptauit. Itaque vertente anno reuertenti obuiam se portari optauit, eique peccatum suum confitens, pœnamque, quam patiebatur, aperiens, Christi amore, eâ exolui flagitauit. Wilibrordus, vt erat clemens, non solùm ignouit, sed etiam

Apud Surium tom. 6. 7. Nouemb. in cap. 9. vitæ S. Wilibrordi.

Matth. 10.

etiam culpa pariter ac pœna remissa, iussit eum è suo calice bibere. Bibit, & poculum, quod priùs contempserat, suo damno, jam optata benedictione sensit salutare, sanus enim domum rediuit, imposterum semper, quoties sitiret, Wilibrordi recordaturus. Nimirum sapuit hic ictus; prudentiùs facturi sunt, qui ante ictum sapientes, dum ipsi vino, ciboque abundant, pauperum & peregrinorum, sitientium, & famelicorum non obliuiscuntur. Fortasse enim & ipsi aliquando sitient, aut esurient. Nesciunt enim, *quid serus vesper vehat.* Virgil. 1. Geor.

Ad hos sitientes, & vel malè, vel bene bibentes appono & illud, quod D. Gregorius, in pœnam talionis, accidisse memorat. Tametsi enim id nō accidit in aquę elemento, euenit nihilominus, in poculo, inter liquida annumerando, & luculentissimo talionis argumento. Verba D. Gregorij sunt ista: *Venerabilis viri* (Sabini Canusinæ vrbis Episcopi) *cùm ad exemplum vitæ sequentium in longum senium vita traheretur, eius Archidiaconus ambitione adipiscendi Episcopatus accensus, eum extinguere veneno molitus est. Qui cùm vini fusoris animum corrupisset, vt mixtum vino veneni ei poculum praberet, refectionis hora cùm iam vir Dei ad edendum discumberet, ei pramijs corruptus puer hoc, quod ab Archidiacono eius acceperat, veneni poculum obtulit. Cui statim venerabilis Episcopus dixit: Bibe tu hoc, quod mihi bibendum prabes. Tremefactus puer deprehensum se esse sentiens, maluit moriturus bibere, quàm pœnas pro illa tanti homicidij culpa, tolerare. Cumq; sibi ad os calicem duceret, vir Domini compescuit, dicens: Non bibas, da mihi, ego bibo, sed vade dic ei, qui tibi illud dedit: Ego quidem venenum bibo, sed tu Episcopus non eris. Facto igitur signo crucis, venenum Episcopus bibit securus. Eademq; hora in loco alio, in quo erat Archidiaconus eius, defunctus est, ac si per os Episcopi ad Archidiaconi viscera illa venena transijssent. Cui tamen ad inferendam mortem venenum quidem corporale defuit. Sed hunc, in conspectu aterni Iudicis, venenum sua malitia occidit.* Quod sæpius accidit, quàm animaduertatur, Deo Sanctos suos protegente, & virus in venefi-cos refundente. Libet Sabini facto cantu applaudere. S. Gregor. lib. 3. dial. c. 5.

In sanitatem ceterorum ceteri,
Sed innocentes, si venenum misceas,
Sibi salutem, ceteris mortem bibunt.

XIII. Omnium elementorum exempla, quæ recensuimus, in terra contigerunt, quamobrem etiam terræ possunt ascribi. Addam tamen vnum alterumué adhuc peculiare, quod circa D. Ambrosium euenit, qui etsi, vt mundi incola, cum D. Paulo, non existimauit, se hîc habere manentem ciuitatem, &, vt in prouerbio est, terram pro terra libenter commutasset, diuino tamen præsidio defensus est, ne in exilium mitteretur, eo ipso misso, qui illi exilium parauit. Ita enim de eo scribit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus. *Mediolanum reuersus, innumeras insidias & persecutiones passus est à Iustina Imperatrice matre Valentiniani iunioris Ariana, muneribus & honoribus contra eum populos concitante. Cùm autem multi ex Arianis præcipuè eum in exilium mittere niterentur, vnus cæteris infelicior (nomine Euthymius) in tantum furorem excitatus est, vt domum sibi juxta Ecclesiam Ambrosij locaret, hac de causa, vt in eadem quadrigam paratam haberet, quò procurante Iustina facilius raptum in exilium deportaret. Sed Dei judicio ipsa die, qua eum rapere arbitrabatur, in eadem quadriga de eadem domo in exilium ipse pulsus est. Cui tamen Ambrosius reddens bona pro malis, sumptus & necessaria ministrauit.* Ita sæpe quis sibi parat malum, quod alteri parat, & qua re alium vult in exilium vehere, vehitur ipse. Memini Augustæ aliquando virum ita viribus defectum, vt pro deposito haberetur; cui vxor futuro mariti funere læta, jam capulum parari iusserat, & ante oculos constituebat. Hoc vbi vidit maritus nolens vxori tam improbæ moriendo gratificari, animo pariter ac viribus resumptis è lecto surrexit, offam comedit, & non secus, ac si numquam ægrotasset, foras ambulauit. Quod videns vxor in insaniam versa ipsa decubuit, & defuncta in illo ipso feretro est elata, quod curauerat pro marito præparari; inciditq; in foueam sepulchri, quam marito fecit, sed ad D. Ambrosium reuertamur.

S Antonin. part 2. tit. 10. c. 7. §. 3.

XIV. Alterum itaque eiusdem justissimæ diuinæ vindictæ exemplum idem author, ibidem memorans ait: *Quadam die Ambrosius ad palatium Macedonij magistri officiorum, vt pro quodam intercederet, venit. Sed cùm fores clausas inuenisset, nec intrandi copiam habere potuisset, ait: Et tu quoque ad Ecclesiam venies, &, non ianuis clausis, sed apertis ingredi non valebis. Post aliquod tempus timens Macedonius*

cedonius inimicos, qui eum insequebantur, fugit ad Ecclesiam, sed apertis ianuis intrare non potuit. Audite hæc, qui januam pauperibus, qui miseris aures clauditis, & eliminatis à vobis mendicantes, aut Christum inferre ad vos volentes. Quemadmodum Macedonius Ambrosium excludens è palatio, exclusus est è templo; ita vos Christum excludentes è domo, vicissim excludemini è cælo. Tunc enim dicetur: *Et clausa est ianua*, quando nimirum vos dicetis: *Domine, Domine aperi nobis.* Tunc enim & ille respondebit: *Amen dico vobis, nescio vos.* Cuius rei Tragicum exemplum nobis suppeditat Ioannes Duegenius, in speculo tristium, de homine, quem à multis virtutibus laudat. Nulli enim erat obnoxius blasphemiæ in Deum. Nulla in eo erat superbiæ nota. Demisso esse animo videbatur; demisso vultu incedebat. Abstinentiâ quoque, & castis se se moribus vbique commendabat. Hic talis in vita, morrem quoque parem putabatur habiturus. Sed secus euenit. Nam postquam extremum diem obijt, funus ductum est, & cadauer in templum solenni pompa perlatum. Ibi, dum Episcopus sacris operatus est, nouum planè, & admirabile spectaculum præsentium se se oculis obiecit. Quotiescumque enim Episcopus ad populum conuersus dixit: *Dominus vobiscum*, toties illi visa est lignea Christi Domini in crucem suffixi imago, manus ambas clauis eximere, digitisque aures suas obturare, ne preces pro defuncto factas excipere cogeretur. Eo monstro attonitus Præsul, statuit, peracto demum sacrificio, tam stupendæ rei caussam exquisitiùs indagare. Quod vbi fecit, nihil ab eius aut vicinis, aut familiaribus aliud potuit exprimere, quàm præclarum vitæ laudabilis testimonium. Et creuit non parum inde admiratio, donec tandem certis authoribus accepit, quàm asper ille atque immitis extiterit in egenos; à quibus iuuandis adeò abhorruit, vt, ne vocem quidem eorum mendicantium ferre posset. Qua de caussa, remotiùs ab ædium ianua, & prospectu in plateas, nouum sibi domicilium struxit, vbi conditus nullos vel maximos pauperum clamores percipere posset. Hac inclementia cognita, facilè intellexit Episcopus vrbis, non immeritò Christum Dominum preces pro mortuo fusas audire noluisse, quem sciuerat & ipsum ad clamores pauperum aures suas occlusisse. Hoc etiam vtique in

Matth. 25. 10.

Ioa. Duegen. Hisp. in speculo tristium cap. 3.

supremo judicio faciet, atque coram Patre suo, cuius vel imago id mortalibus ostendit, manibus aures suas obstruens. Quidenim
Prouer. 21. 13. aliud vaticinatus est Salomon, cùm dixit? *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

CAPVT LIII.

Cladem Ierosolymitanæ vrbis ac Iudæorum, ob Dei Filium tam crudeliter tractatum, illatam imaginem esse pœnæ talionis, & eorum, quæ etiam impœnitentes Christiani merentur, dum per quæ quis peccat, per eadem & punitur.

I. MVlti dolent & flent, si socijs, aut amicis calamitas accidat; & neque dolent, neque flent, de calamitate sibi impendente. Quod etiam Christo Domino nos redimente, euenit. Luc. 23. 28. *Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas IESVS dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Bonum fuit vtique, vt Christi innocentis morte dolerent, immo malum fuisset, si non doluissent; sed, quasi diceret ad turbam Christus: Matth. 7. 5. *eijce primùm festucam de oculo tuo;* aut, *medice cura te ipsum*, ita iubet turbam illam *flere super se, & super filios suos;* quibus non videntibus grauissima mala impendebant, ob Christum Seruatorum tam truculentè habitum & occisum. In quo si cælestis Pater peccata aliena tam seuerè puniuit, quid Iudæis futurum erat, ob peccata sua, & illam ipsam immanitatem, qua Redemptorem suum iniquissimè interemerunt? Luc. 23. 31. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quoniam autem Iudæi illi vera quædam imago sunt induratorum, impœnitentium, & Christi passionem ac sanguinem contemnentium, ostendendum est, quàm iustè primum illi, iuxta omnia, quæ ipsi in Christum patrarunt, eadem passi sint; deinde, quòd eadem nobis, nisi pœnitentiam agamus, sint metuenda, Christo dudum illud oraculum ponente: Matth 7. 2. *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Sumam autem omnia ex probatissimis authoribus, qui plerique, quare tanta mala

Ioseph. lib. 7. & seqq. Antiquit. Tacit.

mala inuaserint Iudæos, indagant, dum alij Iudæorum id rebellioni, alij idololatrijs tribuunt; Iosephus tradit, existimatum ob necem illatam Iacobo Iusto, tanta mala Iudæos apprehendisse; qui tamen, ante illum, jam & alios sanctissimos viros ac Prophetas occiderant ad se missos, nullam ob id talem tantamque vindictam experti. Ex Euangelij vaticinijs, SS. Patrum attestatione, & immanitate ac similitudine pœnarum constat, nullum, nisi illud maximum omnium & maximè execrandum facinus, esse, cui eæ calamitates potiùs ascribi possint, nisi quod in Dei Filium, tot oraculis Prophetarum testatum, tot miraculis illustratum, tot testimonijs declaratum, ante annos triginta octo immanissimè commiserunt: quem quia pluribus iniurijs affectum occiderunt, pluribus quoque plagis sunt castigati, & quidem manifestam similitudinem præ se ferentibus, cum ijs malis, quæ Messiæ suo intulêre; vt vera fieret illa prædictio: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

lib 5 hist. Sueton. Plutarch. Dio Phlegon, Hadriani liber. tus. Cæsar Baron. An. Christi 72.

Matth 7. 2.

II.

1. Igitur, sicut olim *omnia in figura contingebant* Iudæis, & Prophetæ atque Patriarchæ Christum venturum prædixerunt, vt Iudæi nullam habere possent excusationem, quòd eum non agnoscerent, ea de caussa, Christo dicente: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis*: Ita, etiam postquam Iudæi Christum crucifixerunt, non eos statim puniuit Deus, sed per triginta octo annos eorum pœnitentiam expectauit, eosq; vt pœnitentiam agerent, seriò præmonuit. Siquidē, per integrum annum, terribilis flammæ cometa gladio similis, supra Ieruſalem stetit. Visi sunt etiam in aëre igniti currus & infestæ acies prœliantium. Audita est quoque in templo formidanda quædam vox Angelorum clamantium: *Migremus hinc.* Et Iesvs quidam Anani filius, per septennium totum & aliquot menses, assiduè per omnes vbiq; vicos & plateas clamitans: *Væ Hierosolymis*, nec minis, nec flagris compesci potuit, vt ita non clamitaret; donec tandem in ipso ciuitatis muro insanè vociferans: *Væ Hierosolymis, & mihi*, tormenti hostilis lapide ictus interijt. Hunc ergo (sicut quondā ad Niniuitas Ionam) sicut & alia prodigia, ad præmonendam gentem illam misit Devs: sed frustra; non enim obstinata

1. Cor. 10. 11.

Ioan. 5. 39.

Ioseph. lib 7. cap. 12.

stinata corda peccatum suum voluerunt agnoscere, neque pœnitentiam egerunt; sicut neque quondam, Noë diluuium Mundo prædicante; immo sicut neque ipso Christo super Hierusalem flente. Neque enim ille discipulis suis dumtaxat eam cladem prædixit, quibus & caussam, & tempus horum malorum reserauit dicens:

Luc. 21. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant* (& vidit sanè illa omnia ea ætas & generatio, quæ ab illo prædicta sunt, quippe non nisi triginta octo annorum spatium intercessit) verùm etiam quando sollenni pompa & triumpho Ierosolymam

Luc. 19. 41. intrauit, coram Pharisæis & omni turba, *vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te vndiq;, &c.* Monuit Christus hæc

Lactant. l. 4. cap. 21. apertè; monuerunt & Apostoli, nam, vt Lactantij verbis vtar, *futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicauerunt: & ea prædicatio in memoria scripta permansit; in qua cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurum dixerunt, vt post breue tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum solo æquaret, ipsos autem fame sitiq; confectos obsideret. Tum fore, vt corporibus suorum vescerentur, & consumerent se inuicem: postremò vt capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo acerbissimè coniuges suas vexari cernerent, violari & prostitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia denique ferro igniq; vastari, captiuos in perpetuum terris suis exterminari: eò quòd exultauerant super amantissimum & probatissimum Filium Dei.* At dura gens Iudæorum, vti Prophetias de Christo cæca mente non agnouit, ita neque Christi aut Apostolorum prædictionibus credidit, neque signis de cælo missis adhibuit fidem. Quemadmodum multi etiam hodie peccatores à Deo, ab Angelis, ab hominibus, à propria conscientia moniti, obsurdescunt. Quidquid illis dicas, non ad aures, non ad animum admittunt: induruerunt non secus, ac si lapidi loquereris. Vt ergo isti tales DEVM à se excludunt, ita vicissim cùm clamitant ad eum in extrema necessitate merentur non exaudiri. Quod prædixit illis verbis: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

III. 2. Quia Iudæi ingressum mitissimè Saluatorem, de quo dictum

ctum erat: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis*; è ciuitate sua eduxerunt, pessimis modis exceptum; quem & lapidare voluerunt: idcirco diuinus iudex alium misit, Titum scilicet, qui truculentus intrauit, & illos eiecit. Immo, vt Philo testatur, ante Titi aduentum cùm Iudæi plurimis locis etiam extra Iudæam habitarent, vbique furori populari expositi fuerunt, vbiq; cædebantur impunè, spoliabantur bonis, impetebantur sordibus & saxis, omnibus exosi, omnibus ludibrio; nec quemquam capiebat eorum miseratio. In ipsa verò Iudæa affligebantur à Præfectis, & milite Romano, qui maximas illis clades inferebant. Nimirum qui Christum vel non admittunt, vel à se expellunt mansuetè venientem, atque eos ad pœnitentiam vocantem; videbunt illum venientem in nubibus cum potestate magna. Interim, ante eum diem varios mittit seu hospites, seu hostes, cum luctu & vastitate necessariò recipiendos & tolerandos ab ijs, qui homines à Deo missos, qui Angelum, qui veritatem Catholicam, qui Christum ipsum non admiserunt, aut expulerunt, aut etiam lapidauerunt durissimè contra eum locuti. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Matth. 21. 5. Isa 62. 11. Ioan 10. 31. & 11 8. Philo in Flaccum, & in legatione ad Caium.

Matth. 7. 2.

IV.

3. Diu admodum & sæpe Iudæi Christo sunt insidiati Enimuerò & consilium aliquoties inierunt, quo modo, quibusue dolis vel in verbo, vel in facto aliquo illum caperent. Absque dubio, etiam tempus capiendi in consilium venit: cùm & illud in concilio dixerint: *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Quamuis placuerit illis illud tempus, quo maxima vndique ad diem festum multitudo proficiscebatur. Elegerunt igitur tempus Paschale totius anni celeberrimum; quo, ex lege Moysis, vndique Iudæi ad festi celebrationem confluebant. Huius consilij causa fuit, quòd Christi nomen, ob amabiles mores, ob uitæ sanctitatem, ob tot patrata miracula, tot curatos infirmos, & diuinum quid spirantes conciones, famamque celeberrimam, longè lateq; erat notum, multisque persuaserat, hunc esse Messiam. Quare; vt nomen hoc obscurarent, eo tempore, quo vniuersis ex prouincijs confluxerat innumerabilis hominũ multitudo, morte turpissima illum tamquam impostorem, & hominem ipso latrone Barabba sceleratiorem, inter homicidas, publicè crucifixerunt.

Matth. 26. 5.

Cùm

Deuter. 21. 23. Cùm enim jam ab antiquo *maledictus* esset *omnis qui pendit in ligno*, & abominabilis haberetur, sperauerunt, hoc pacto, Christum quoque tamquam blasphemum & furciferum, vnaque eius doctrinam & fidem contemptum iri. Nam ignominiosa illius mors, per omnes illico prouincias vulgabatur, in quibus quantò priùs melior fuit de illo opinio, tantò putabant homines posteà peiùs locuturos, si audiuissent, fuisse veteratorem. Quoniam igitur, ad Christum capiendum & crucifigendum illud præcipuè tempus elegerunt, quod ad illius infamiam & contumeliam maximè seruiturum arbitrabantur, iusto Dei iudicio factum est, vt Vespasianus Titum filiũ suum, Paschali quoq; tempore miserit ad ciuitatẽ Ierusalẽ obsidendã, quam die 14. Aprilis cœpit obsidere, quo tempore iterum Iudæi ex omnibus prouincijs, ob festi sollennitatem ingenti numero erant congregati. Putabant nimirum Iudæi, Vespasianum & Titum Coss. quòd ad arma ciuilia diuertissent, de Hierosolymis in præsentiarum minùs fore solicitos, sed ad stabiliendum Imperium omne studium ac operam nauaturos, ac proinde hoc saltem anno ab Hierosolymorum obsidione temperaturos. At hæc eos spes miserè fefellit. Collectis igitur vndique legionibus; eo tempore vrbem cinxerunt, quo, vt ex victimis, in Paschate, offerri solitis Iosephus colligit, Hierosolymis, vigesies centies & septies centies mille homines fuêre; & quidem tantùm eorum Iudæorum, qui mundi panibus azymis vesci poterant; non annumeratis ægris, peregrinis ethnicis, quorum vtique etiam haud exiguus numerus erat. Quò numerosior autem in vrbe fuit populus, tantò obsessorum fuit grauior calamitas, quæ se se in tot hominum necessitates extendebat. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Peccauit ingens multitudo consentiens in necem Christi, luit ingens multitudo.

Ioseph. de bell. Iud. l. 6. c. 4. & 18.

Matth 7. 2.

V.

4. Christus passionem suam in monte Oliueti cœpit; vbi sanguinem sudauit; vbi osculo proditus est Iudæis; vbi captus est à cohortibus militum *tamquam ad latronem exeuntium.* Vnde etiam respiciens ciuitatem fleuit super eam, vt qui præ oculis haberet durissimam omnium cladem, quam passuri essent à Romanis. Itaque vicissim etiam in oliueti monte eorum calamitas initium habuit. Nam ibi, teste Iosepho, prope Hierosolymam Titus,

Matth. 26. Luc. 19.

Ioseph. de bell. Iud. loc. cit.

tus, in ipso monte Oliueti, posuit castra. Ibi ergo vbi cum gladijs & fustibus alijsq; armis Christum quæsierunt, armis quæsiti sunt ipsi postea. Vt enim in monte Oliueti Christus, ob instantem sibi passionem, *cœpit pauere & tædere, & mœstus esse*: ita, hoste in eodem monte castra ponente, incussus est timor & formido Iudæis obsessis; vt non solùm Christo mons ille fuerit tremendus, sed etiam postea tot armis relucens, toti ciuitati fieret metuendus. Et vt tanto esset maior comparatio, sicut ibi, cùm Christus caperetur, illi solum Christum, non item discipulos eius quæsierunt, ipso Domino dicente: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*: ita, ante obsidionem, multi qui iam Christiani erant Hierosolymis, inde diuina Prouidentia duce, recesserunt. Quod sanè vtrumque vt diuinæ illius potentiæ, ita & prouidentiæ meritò debet adscribi. Nam alioqui profectò saltem Petrus non euasisset, qui, coram tota cohorte, & tribuno, & ministris Iudæorum, *habens gladium eduxit eum*, audacter sanè, nec eduxit tantùm, sed etiam *percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram*. Quod mirum est seruo Pontificis passos esse fieri tot armatos. Sed Christus voluit ostendere, quantam habeat suorum curam. Hoc etiam fecit, in lamentabili illo excidio Hierosolymitano; quo ingruente, ait Iosephus, quàm plurimi futurorum malorum non falsi coniectores Hierosolymis elapsi in alias regiones emigrarunt. Ex quibus fuisse Christianos, qui tunc ibi degebant, testatur Epiphanius. Hi in exteriorem prouinciam recedentes, maiore ex parte, Pellam incoluêre, quia sic eos Christus, vt antè, quàm obsidione cingerentur, aliò se reciperent, olim admonuit. Hic enim annus, & hoc tempus est à Domino designatum, quando de ventura Iudæorum clade verba faciens dixit: *Cùm videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes*. Atque huc respexisse Christum Origenes quoque & D. Augustinus scripserunt. Admonuit autem Dominus, vt primo exercitus Romani aduentu fugam captarent, quia vidit postea non ampliùs liberum fore ijs, qui Hierosolymis erant, inde recedere. Quippe sequenti post Christum 69. anno sic ciuitas Zelo-

Ioan. 18. 8.

Ioseph de bell. Iud. l. 2. cap. 25.

S. Epiphan. hæres. 29. & 30.

Matth. 24.

Orig. tract. 24. in Matth. S. Augustin. epist 80. ad Hesichium.

tarum est arctata custodijs, vt nulli ampliùs egrediendi sit data facultas, nisi qui fortè ingenti vi pecuniarum eam redemisset. Quia igitur Christiani Hierosolymis agentes erant pauperrimi, jamque diu omnibus bonis spoliati eleemosynarum collectione indigebant, probabile est, eos Anno Christi 68 excessisse, & cum Angelis dixisse: *migremus hinc.* Erat autem non vrbs tantùm regia excidenda, sed circumposita quoque prouincia vndique & vndique deuastanda, quod cœptum est Anno 69. quando à Nerone Vespasianus in Iudæam est missus. Idcirco Christus non tantùm suos monuit, vt Hierosolymis exirent, sed *omnes*, inquit, *qui sunt in Iudæa, fugiant ad montes.* Aliquos tamen Hierosolymis mansisse Christianos, quorum itidem rationem habuerit Deus, scripsit D. Augustinus, cuius hæc verba sunt: *Non enim debemus ambigere, quando euersa est Hierusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcisione crediderant, siue fuerant credituri, electi ante constitutionem mundi, propter quos breuiarentur dies illi, vt tolerabilia mala fierent.* Hæc S. Pater in illa verba: *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Breuiati autem sunt, quia diuinæ prouidentiæ consilio inexpugnabiles munitiones à Tito citiùs fuerunt expugnatæ; si enim Romani diutiùs obsidionem continuassent, & vrbe seriùs potiti essent, obsessi omnes fame perijssent. Quare & reliqui Iudæi, ob electos hos *breuiatis* illis *diebus*, à Christianis istud beneficium acceperunt, vt ex ijs plurimi, nimirum ex plebe immensus numerus, ex populo autem, vt Iosephus tradit seruata sint plusquam quadraginta millia. *Abbreuiati* sunt autem *dies illi*, quia ab obsidione vsque ad expugnationem ciuitatis, nec quatuor integri menses interceserunt. Vrbs enim 14. die Aprilis obsideri cœpta, octauo die mensis Augusti à Romanis est capta. Ita non solùm electis succurrit Deus, sed etiam alijs, propter electos vnà habitantes: quemadmodum & olim, vel propter decem iustos voluit Deus parcere Sodomitis.

S. Augustin. epist. 80. ad Hesichium.

Ioseph. de bell. Iud. l. 7. cap. 15.

Gen. 18 32.

VI. 5. Christum ita solum captum, vt nos in libertatem poneret, Iudæi noctu, in aula Principis sacerdotum Caiphæ, carcere clausum armata militum manu custodierunt. In obsidione Titus ita conclusit Iudæos, vt illis omnem exitum, ne quis vel ad herbas

herbas pascendas egredi posset, prohiberet, aggeribus quinque contra vrbem extructis; quod opus cœptum duodecima mensis Maij, vigesima nona eiusdem mensis perfectum est. Aggeribus tamen his, per Iudæos erumpentes, dissipatis, Titus nouum opus aggressus est; murum enim construxit circa ciuitatem, vt omnis penitus exitus interciperetur; & quidem tanta celeritate consummatum est hoc opus, vt planè superet humanum captum. Quod Iosephus admirans ait: *Murus quidem vno minus quadraginta stadiorum erat. Ad hoc autem foris castella tredecim ædificata sunt: eorum gyrus denis stadijs numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, vt tamen dignum mensibus videretur; celeritas verò fidem caret.* Hoc pacto factum est, quod dixit Christus exitium vrbis deflens: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te* (nempe muro) *& coangustabunt vndiq;*. Et ipse Iosephus ait: *Tum ergo velut in carcerem tota gens conclusa est, & farta hominibus ciuitas obsidebatur.* Itaque Iudæi tamquam feræ in cauea, aut rei in carcere claudebantur, vt nemo exire, nemo fugere posset. Verè dictum: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nam & ipsi Christum ligatum in vinculis habuerunt; vicissim capiendi & ligandi.

Luc. 19.

Ioseph. l. 7. de bell Iud c. 17.

Matth. 7. 2.

6. Vt autem Christum sic capere possent, vilissimo pretio à proditore Iuda Deum emerunt. Triginta argenteis venditus est, cuius sunt omnes thesauri totius mundi. Si iam lytrum vile pro magno belli duce peteretur, ignominiam is sibi illatam putaret. Iudæi pro illo, qui *dux est & legifer noster*, ipsi *pretium constituerunt*, & quàm vile? Pro eo, pro quo tot martyres vitam & sanguinem posuerunt; pro quo tot Confessores Mundum reliquerunt, non dederunt, nisi 30. argenteos. Ita qui cælum & terram creauit, apud iniquissimos homines, non valet plus, quàm ager figuli. Quare vt *in qua mensura mensi fuerant, remetiretur* etiam illis, innumeri Iudæi à Tito capti, vilissimo rursus pretio venditi sunt. Captiuorum autem à Iosepho numerantur nonaginta septies millies; è quibus, qui infra decimum septimum annum erant, immancipia, quasi teruncio vendebantur. Immò non erant, qui eos emere vellent. Et, vt dicam quàm viles tunc habiti sint Iudæi etiam nobilissimi, & ditissimi, sicut illi Christum 30. argenteis emerunt,

VII.

runt, ita postea 30. Iudæi vno argenteo, immò vno denario venditi sunt. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Vilissima merx, Iudæi, animaduertite iustitiæ diuinæ æquitatem, vno denario venditi estis, qui totius Mundi pretium triginta argenteis vendidistis. Nihil est vt conqueri possitis, par pari redditum est.

VIII. 7. Nocte sacra Iudæi varijs modis Christo illuserunt, atque ex eo risui suo spectaculum fecerunt. Alij cachinnis exceperunt; alij fœda illi phlegmata in faciem iecerunt, alij venerandos illi oculos velauerunt; alij ei alapas dederunt, & tamquam falsum Prophetam, sibi prophetare eum iusserunt, à quo percussus esset? Igitur postea, vt *eadem illis mensura remetiretur*, ad immensa eorum mala & illud accessit, quòd pseudopropheta diceret, Deum omnibus polliceri salutem, qui in templum ascenderent: huic quicumque fidem habuerunt, atque eò ascenderunt, quorum fuêre ad sex milla, incendio consumpti sunt. Addit Iosephus, à seditiosis tyrannis, qui tum Hierosolymis erant, superinductos fuisse pseudoprophetas multos, qui denuntiarent populo, vt expectarent auxilium Dei, ne fugerent, aut deditionem facerent, vt sic vana spe deceptos intra mœnia continerent. Ad quos pseudoprophetas aspexit Christus, illis verbis: *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hìc est Christus, aut illic, nolite credere.: Ecce in deserto; nolite exire: Ecce in penetralibus; nolite credere. Surgent enim pseudoChristi, & pseudoprophetæ.* Animaduertit ex Iosepho Baronius, cùm esset in oraculis, appropinquasse jam tempus, quo ex Iudæa proditurus esset homo, qui summa rerum potiturus, & toti terrarum orbi dominaturus esset, quemque seditiosorum principum, vt se esse illum persuaderet, adsciuisse sibi pseudoprophetas, qui eadem in populum diuulgarent; vt hac etiam arte populi gratiam conciliantes, velut diuinitus sibi concessum imperium auspicarentur. Quò alluśit Christus illis verbis: *Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum; & tempus appropinquauit. Nolite ire post eos.* Sic verum Prophetam contemnentes à falsis seduci meruerunt. Vt de Zelotis nihil dicam. Sed & qui Christum ludibrio habuerunt, & spectaculi loco conspuerunt, postea à Tito capti, in theatra pro spectaculis introducti sunt; vbi se ipsos conficere, cum bestijs pugnare, & similia tragica ludicrè facere.

Ioseph. de bell. Iud. l. 7. cap. 11.

Matth. 24. Vide S. Augustin. ep 80.

Luc. 18.

Ioseph. l. 7. de bell. c. 13.

facere debuerunt; adeò vt Titus fratris sui Domitiani Natali die 24. Octobr. Anno Christi 73. Cæsareæ in spectaculum produxerit tantam multitudinem, vt vltra duo millia & quingenta Iudæorum fuerint occisa. *I nunc & verbis, virtutem illinde superbis*, I, & dic, *sanguis eius super nos, & super filios nostros.* I, lude cum Deo; qui ait, *se quoque in interitu tuo risurum.* Matth 27. 25. Prou. 1. 26.

8. Iudæi Christum sæpius veste exutum inuerecundè nudauerunt, exposuerunt oculis irrisorum, virgis, flagris miserandum in modum ceciderunt. Vt par pari referretur, etiam ipsi, in hac obsidione, à tyrannis in vrbe, & famelicis prædonibus sunt spoliati, profugi autem ex vrbe, vestibus, pecunijs, vita exuti. Quin Syri & Arabes in militiam adlecti, in discissis ventribus eorum pecuniam quæsiuerunt. Et quidem vna nocte duo millia Iudæorum laniata sunt ad hunc modum, in quorum fugitiuorum visceribus aurum quærebatur. Et plures fuissent ad hunc modum mactati, ni Titus id mandato prohibuisset. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Virgineum corpus denudastis, vestibus ac vita exuendi fuistis & ipsi, qui pudorem dudum exuistis. IX.

9. Clamor Iudæorum ante Pilatum factus ad cælum ascendit. Quid enim clamarunt? *Crucifige, crucifige eum. Non hunc, sed Barabbam. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Factum est, quod voluerunt. Nam primò Titus Iudæum captum in crucem agi pro muro iussit, vt eo spectaculo ceteri territi cederent. Cumque ex Iudæis complures quotidie caperentur, saltem quingenti per singulos dies, & interdum plures: eos omnes ante oculos ciuium Titus crucibus suffigi iussit; adeoque multiplicatus est eorum numerus, *vt* (quod Iosephus ait) *iam spatium crucibus deesset, & corporibus cruces.* Erant hi, qui ex ciuitate, fame vrgente, foras egredi coacti sunt, qui dum cibum quærerent, exitium inuenerunt. Crucifixi ex illis ipsis sunt, vel absque dubio illorum filij, qui clamauerunt in Christum: *Crucifigatur, crucifigatur,* & *sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Viderunt hæc spectacula obsessi è mœnibus & turribus ciuitatis, & tamen non recordati sunt, se ad hoc, Christo crucifigendo obstrinxisse; iamque in quo judicio judicauerant, esse judicatos. X. Ioseph. lib. 6. de bell. c. 7. Ibid. c. 12. Matth. 27. 23. Matth. 7. 5.

10. Iudæi Christo in summa siti fel & acetum porrexerunt; XI.

vt ergo illis *eadem mensura remetiretur*, viciſſim incredibili fame ac ſiti plexi ſunt. Muro enim ſepti, adeò fame vexati ſunt, vt innumera hominum multitudo ſit morte conſumpta: quorum corpora nullis ſepulchris ſufficientibus, cumulatim proijciebantur extra mœnia, quæ circuiens Titus, vbi plena cadaueribus omnia vidit, altamque ſaniem tabefactis corporibus defluentem aſpexit, ingemuit; & extentis manibus Deum teſtabatur, factum illud ſuum non eſſe, ſed ex Iudaica pertinacia proficiſci. Cumq; fames magis magiſque in dies inualeſceret, eò neceſſitatis ciues compulit, vt foras potiùs ſponte optarent progredi, ſeque vltro dedere Romanis crucis ſupplicium ſubituros, quàm intus fame perire, ac cruciatu tam diuturno. His acceſſit noua calamitas: eorum: namque, qui vrbe egreſſi ad Romanos confugerant, cùm alij auido ſtomacho cibo guſtato protinus interirent, alij verò moniti aliorum exemplo cibum lentè capientes euaderent, eos Syri & Arabes immaniſſimè euiſcerarunt. In ipſa autem vrbe cùm neque herbæ aut gramina eſſent, quibus veſci poſſent, à ſtabulis fimum in cibum quæritabant, collectoque ſtercore tamquam ſcarabæi veſcebantur. Sed ea inedia magis in dies inualeſcente, eos nec ab humanis carnibus temperaſſe teſtatur Ioſephus; vti & calceamentis, cinguliſque, ac inſuper corijs, quibus ſcuta tegebantur detractis, inſumptis; veteriſque fœni laceramentis magno pretio venditis. Quæ his carebat, eò immanitatis redacta eſt, fame improba compellente, femina nobilis ac prædiues, Maria nomine, filia Eleazari, à ſeditioſis jam exuta vitæ ſubſtantijs, vt ſibi conſuleret, fame rabida impulſa, lactentem filium occidit, quem comeſtura mox coxit; cuius nidoris odore illecti milites, qui ſibi victum, quacumque poſſent, raptu quærebant, cùm eius peruaſiſſent domum, partem aſſati filij, quæ ſupererat intuiti, deteſtati facinus, abiêre. *Moxq; repleta eſt eius ſceleris famâ tota ciuitas*, ait Ioſephus, *ante oculos ſibi cladem proponens, tamquam hoc ipſa admiſiſſet, horreſcebat.* Hoc futurum prædixit Chriſtus: *Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros: quoniàm ecce venient dies, in quibus dicent: Beata ſterilis, & ventres qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt.* Si hoc autem factum eſt à diuite illa, quid de ceteris nec diuitibus, nec nobilibus

Ioſeph. de bell. Iud. l. 6. c. 14. & 15.

Ioſeph. lib. 7. de bell. c. 6.

Ibid. c. 8.

Luc. 23. 28.

bilibus erit cogitandum? Quis autem fuerit numerus eorum, qui intus fame consumpti periére à 14. die Aprilis, qua cœpit obsidio, vsque ad Cal. Iulij, custos vnius portæ Mannæus Lazari filius transgressus ad Titum testatus est, per eam scilicet portam sibi commissam, elata fuisse cadauera centum quindecim millia & octoginta, absque illis, quæ propinqui domi, vel in hortis sepelijssent. Post hæc nobiliores profugi, mortuorum egenorum sexcenta millia portis eiecta nuntiabant; aliorum verò numerum minimè potuisse comprehendi: nam cùm cadaueribus efferendis non sufficerent, congesta dicebant in maximis ædibus cadauera esse inclusa. Quia autem non solùm fames ipsa pestem trahit secum, sed etiam præ inedia lacertas & serpentes, & venenata animalia comederunt, idcirco ingens quoque pestis, per illos, grassabatur. Vnde muscarum instar conciderunt mortui, omnibus vndiq; malis appetiti. *Qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.*

11. Iudæi in tunicam inconsutilem Christi sortem miserunt, quis quid tolleret. Vt ergo par pari referretur, tempore obsidionis, ipsi inter se Iudæi sortiti sunt, vter alterius carnifex fieret, atque alterum occideret, ne in manus hostium deueniens grauiora pateretur. Et quia clamarunt: *sanguis eius super nos, &c.* ideò postquam Titus est ciuitate potitus, omnes obuij mactati sunt, omnia cum ipso templo incensa: ita, vt quamuis incendijs omnia lucerent, plus tamen sanguinis, quàm ignis videretur, & multis locis flamma ipso sanguine extingueretur; quasi aquæ, non sanguis, essent affusæ. Sunt, qui scribant in sola vrbe Ierosolymitana per tempus obsidionis decies centena hominum millia fame, peste, igne, ferro interijsse; nonaginta septem millia capta. Ite, Iudæi, vincula inijcite Messiæ vestro; accusate innocentem, percutite, cædite, occidite, ouis instar obmutescentem: non erit semper tempus tacendi. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* XII. Ioan 19. 24.

12. Iudæi Christum non solùm eduxerunt è ciuitate sua grauissimo crucis trunco oneratum, sed etiam enixis precibus à Pilato impetrârunt, vt in cruce auersus ab vrbe, versus occidentem suspenderetur, indignum eum iudicantes, qui vrbem aspiceret. Pari pacto & ipsi, non solùm ex vrbe Hierosolymitana, sed etiam XIII.

etiam ex tota patria sua sunt exturbati, venditi, capti abducti, itaque vbiq; contempti fuerunt, vt ad nullum honestum officium admitterentur, sed teste Ammiano, non aliter quàm *olidi & fœtentes Iudæi* appellarentur. Ita odor ille compensatus est, quem Christus inter mortuorum ossa, in monte Caluariæ, sustinuit. Quin & Ælius Adrianus postea edicto cauit, ne quis de Iudæorum gente ampliùs circa rudera ciuitatis compareret. Certè Iudæi non solùm exuti templo, sacrificijs, ciuitate, per diuersas orbis partes (vt olim profugus Cain) vagati sunt, & adhuc vagantur, sed etiam omnibus gentibus odiosi & abominabiles redditi fuerunt. Sic impletum est illud: *disperge illos in virtute tua, & depone eos*, vt omnibus in opprobrium dati, testimonium essent, iuxta vaticinia Prophetarum, iam Messiam venisse, sed à Iudæis agnitum non esse; ejicientes ergo Christum ejecti sunt. Atque *Captiuorum quidem omnium*, ait Iosephus, *qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus: mortuorum verò per omne tempus obsidionis, vndecies centum millia.* Ite, exules, *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Inde expellimini, vnde Dominum vestrum expulistis.

l. 19. de Iud. Cod Theod. Ammian. Marc. lib. 2.

Psal. 58. 12.

Vide S. Augustin. in Psal. 58. Iosephi l. 2 d. bell. Iud. c. 17.

XIV.

13. Quia autem Iudæorum de Christo consilium fuit, *eradamus eum de terra viuentium*, ideò non solùm ipsi, at etiam eorum templum, & ciuitas, & Resp. est eradicata. Licet enim Titus per se, perque Iudæos, qui ad castra Romanorum confugerant, Iudæos ad deditionem honestam sæpius inuitaret, quin etiam rogaret, vt si non sui, saltem templi rationem haberent, ne irruentes illud milites inflammarent, tantum abfuit, vt ipsorum saluti consulentes audirent, etiam his omnibus superbè spretis, obstinato se animo omnia libentiùs experturos mala iactârunt, quàm vt se dedere vellent Romanis. Titus igitur contestatus Deum & homines, se ad vrbis & templi excidium compelli. Quod & fecit inuitus; immò contra eius iussum incensum est à militum furore, ita vt *nec lapis super lapidem remaneret.* Incenso templo, à Tito licentia militibus data est etiam ciuitatis inflammandæ, & solo æquandæ. De quo excidio hæc Iosephus: *Postquam, quos occideret, quidue raperet, non habebat exercitus, quòd iratis animis omnia deerant, neque enim parcendo, si esset, quod agerent, abstinuissent;*

Ioseph. l. 7. de bell. c. 2.

Vide Baronium qui hæc omnia fusè persequitur An. 72. Luc. 21. Ioseph l. 7. de bell. c. 18.

uissent; iubet eos Cæsar totam funditus iam eruere ciuitatem, ac templum, relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phasselo, & Hippico, & Mariamne; muriq; tanto, quantum ciuitatem ab Occidente cingebat, vt esset castrum illic custodiæ causſa relinquendis: turres autem, vt posteris indicarent, qualem ciuitatem, quámue munitissimam Romanorum virtus obtinuisset. Alium verò totum ambitum ciuitatis ita complanauerunt, diruentes; vt qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent. Eant nunc, & dicant: *Eradamus eum de terra viuentium.* Eraſi sunt ipsi, & templum eorum; qui templum corporis Christi destruxerunt in triduo reædificatum. Ite Iudæi, destruite templum hoc. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

His malis affecti Iudæi, vt saltem lacrymis, quod aliunde non possent, solamen aliquod inuenirent, consueuêre, anniuersaria die, persoluto tamen pretio (cùm aliter non liceret) ea adire loca, lachrymas fundere, & miserè lamentari. *Vsque ad præsentem diem*, ait S. Hieronymus, *perfidi coloni, post interfectionem seruorum, & ad extremum Filij Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem: & vt ruinam suæ eis flere liceat ciuitatis, pretio redimunt: vt qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lachrymas suas. Videas in die, quo capta est à Romanis, & diruta Hierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisq; obsitos, & in corporibus, & in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναϛάσει eius, de Olineti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, vt illis flere plus liceat. Et dubitat aliquis, cùm hæc videat, de die tribulationis & angustiæ, de die calamitatis & miseriæ, de die tenebrarum & caliginis, de die nebulæ & turbinis, de die tubæ & clangoris? Habent enim & in luctu tubas; & iuxta prophetiam, vox solennitatis versa est in planctum. Vlulant super cineres sanctuarij, & super altare destructum, & super ciuitates quondam munitas, & super excelsos quondã angulos templi, de quibus quondam Iacobum fratrem Domini præcipitauerunt.* Talibus lachrymis & lamentis luerunt Iudæi, qui causſa fuerunt, vt non solùm Pe-

XV.

S. Hieronym. in Sophoniã cap. 1.

trus fleret amarè, sed etiam Dei Mater, & quotquot à cruce reuertebantur pectora sua percutientes. Ite Iudæi, & Christum, & Matrem Christi, & Apostolos, & omnes pios iubete plorare. Matth. 7. 2. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Ite & vos, frigidi Christiani, qui viduis, qui pupillis, qui egentibus lachrymas duritiâ vestrâ excutitis; veniet & vobis tempus flendi, gemendi, lamentandi; vt eamdem mensuram experiamini, quam vos alijs adhibuistis.

XVI. Ita quidem Iudæis potest peccatum & supplicium exprobrari, & nobis; quare cum illis flentibus meritò & nos flemus. Nam videntur illi mihi dicere: Suspendimus organa nostra: flemus, vt meruimus, à nemine deplorandi; quia nullius nos amplius lachrymæ iuuant. Vos Christiani, *Flete super vos, & super filios vestros. Si enim in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si nos Iudæi, qui Christum non agnouimus, ita plectimur; quid vobis eueniet, qui Christum profitemini, & sæpe crudeliùs tractatis? Hierusalem Dominum occidens exemplum & imago est, cuiusque animæ, vrbis, regionis, immò totius Mundi Christum repudiantis, contemnentis, & crucifigentis. Mala, quæ fecit, tulit Hierusalem: sensit talionem. Vos quoque talio manet, qui sceleribus Iudæos imitamini. Sic euenit non solùm in extremo iudicio malis omnibus, sed etiam multis in hac vita. Et quidem 1. illis, qui veros & veridicos Prophetas nolunt audire, sed se sinunt decipi à falsis dicentibus, pacem esse, & non est pax; ponentibus *lucem in tenebras, & tenebras in lucem.* Quàm multis prædicit Christus interitum, & non credunt? monet, & non audiunt? quàm flet super multos? & non sentiunt? Mundo autem vanissima promittenti, & vanissimè, omnia credunt; quasi nullum venturum sit tempus vindictæ. 2. Illis, qui Titum Christo præoptant, & præeligunt. Plurimi enim dominos sæculares æterno Deo anteponunt, & nesciunt, quàm durum iugum sint passuri; sed serò oculos aperient, cùm repentina eis superueniet calamitas. 3. Quàm multi ipsum tempus Paschale eligunt, pro occasione peccandi? Nam, vt taceam, diebus festis omnibus ludo, compotationi, Veneri, per totum annum maximè litari; quot jam ipso Paschatis tempore, sacrilegè confitentur, & communicant instar

Iudæ

Iudæ proditoris; Christumque crucifigunt denuo, & sacrosanctum sanguinem eius pedibus conculcant? 4. Quanti ad montem Oliueti in tenebris eunt, vt cum Iuda osculum captent, dum amasijs suis in ipsis templis insidiantur; &, alijs cum Christo sanctissimè orantibus, ipsi occasionem quærunt saltem oculis libidinandi? 5. Quanti Christum toto anno in SS. Eucharistia inclusum sinunt quasi in carcere esse, neque eum visitare, aut sumere appetunt, in pectoris sui hospitio collocandum. 6. Quàm vili pretio aut labore eum emunt? vix ad templum eunt, vix se ad confessionem præparant: vix vnum dolorem, aut suspirium, aut emendationis propositum eliciunt: multi ne vnam quidem lachrymulam pro eo darent, ne vnum gemitum; quid enim dicam, ne vnum ieiunium, cilicium, aut flagellum? 7. Immò ei, cum Iudæis, illudunt mille modis. 8. Eum flagellant, è domo educunt; eijciunt è ciuitate; è pectoribus suis, è memoria, ex ipsis iconibus eradunt. Quid enim aliud est, obliuisci monitorum Christi, eiusque beneficia nolle meminisse? 9. Quid de magis & sagis dicam, qui hostiam sacram, in conuentibus suis concriminantur, & acubus, cultris, pugionibus conuulnerant, neque se sinunt miraculo sanguinis inde emicantis commoueri? Clarissimum prodigium cùm vident, rident; cùm animaduertunt, contemnunt. An non hoc est dicere: *sanguis eius super nos, & super capita nostra?* Qui per cruenta bella venit super capita nostra: vt satis diu experti sumus. Necdum tamen pœnitentiam agimus, vt etiam in obduratione Iudæorum contumaciæ, tandemque etiam pœnæ assimilemur. Et sanè gladius hostilis nondum est in vagina; Turcicus in ceruices Christianorum acuitur. Sicut ergo Iudæis Christum occidentibus, & pœnitentiam non agentibus, ita nobis fieri potest. Nisi eum tandem aliquando conciliemus, paria reddentur.

XVII.

At conciliamus, per pœnitentiam? per veram, non fictam. Verè recens quidam author scripsit: *Nullo modo exaudiuntur, qui à calamitatibus liberari cupiunt, nec inimicitiam, quam cum Deo exercent, ponere vel afflicti cogitant. Ignouit Cæsar multis, qui impium contra Maiestatem suam bellum gesserunt, cadibus, incendijs, stupris grassati sunt. Nullius illa oratio fuit: Veniam se cupere, reddi suis pro-*

uincijs & opibus, restitui sibi honores & dignitates; interim odisse se adhuc Cæsarem, inimicitiam profiteri, contra eius honorem, voluntatem, commoda, imperium, omnia moliturum, amicis infestum fore. Nemo sic insanit, vt sic ignoscentiam flagitet, adeoq; precibus conuitia & execrationes in Cæsarem coniungat. Quod in terrena & creata fragilitate Maiestate colenda ac deprecanda detestamur, multi cùm ad increatam creatricem Maiestatem veniunt oratum, vsurpant: Victoriam, opes, securitatem, pacem, incolumitatē precantur; clades, rapinas, exilia, carceres, seruitutem, mortem deprecantur: nec impios tamen affectus, malamq; voluntatem delinquendi, qua se Deo inimicos esse norunt, animo excutiunt. Cetera mala fugiunt, summum malum, quod in Dei odio cernitur, contumaciter retentant; cetera bona concupiscunt, summum bonum, quod in Dei amicitia consistit, abominantur. Audiamus, obsecro, qualis sit in auribus Dei Sabaoth oratio eorum, qui flagellantur, nec tamen pœnitentiam agunt, sed in delictis contabescunt, & obdurantur.

XVIII. Magne Deus, Domine exercituum, triumphator, immitte hostibus pauorem & fugam, nobis victoriam concede; hoc inimicus tuus peto, affectu, aut etiam facto in odio tui perseuerans; victoria munus tuum, quod postulo, me inclytum & glorioſum faciat; ne tamen in altum elatus inferiores opprimere, arroganterq; calcare desinam; quin & nomen tuum blasphemare pergam. Nec enim hæc mea facta detestor; nec emendandi propositum habeo, etiam Principi meo obstare conor, ne legibus crimina vlciscatur. Vis aliud orationis paradigma? Deus refugium meum & virtus, da securitatem, ne perpetuo in metu & trepidatione anxiam cogar animam habere. Securitatem ab hoste; securitatem huius mundi: da hoc inimico tuo, vt sine metu fruar delicijs, ne voluptates, quibus immersus hæreo, quas eripi mihi, etiam te iubente, nolo, infaustis calamitatum nuntijs turbentur. Deus pacis amator & conciliator, bella aufer de medio, cessent prædæ, incendia, cædes, da inimico tuo, mihi, inquam, qui tecum bellum gero, qui legem tuam rumpo, qui iterum Filium tuum crucifigo, qui pacis bonis, ad opes, ludos, libidines vti cogito; da pacem cum hoste & mundo; tuam tibi pacem habeto. Deus, qui es vita nostra, da corporis sanitatem, vt vires mihi sint ad deijciendos alios, ad epularum assiduitatem, ad luxuriandi potentiam: illa hactenus commissi; illa mihi in posterum scopus sunt, & vitæ finis. Deus judex iuste, Deus odio habens iniustitiam

tiam & dolum, redde tribunalia & processus; vt legibus contortis proximum euertam, munera vt captare, sententias vendere liceat. Deus omnium largitor, dines in omnes, redde veteres, da nouas opes, vt edes mihi splendeant, mensam dapes onerent, edendi, potandi, inebriandi, insultandi, luxuriandi nullum adferatur obstaculum; inimicis tuis diuitias dedisti multas, mihi quoque dona, quamuis ad tuam contumeliam vsuro. Deus, cuius templum est domus orationis, redde Ecclesias, census integros repræsenta. Non vt in illis te orem, tibi psallam, sed vt in illis fericatus inambulem, cultui tuo, & sacrificijs vana colloquia, risus immodestos, verba obscœna, tamquam libamina admisceam & faciam, vt nomen tuum blasphemetur, vt sacras opes, Filij tui patrimonium pauperibus debitum in profanos vsus, luxumq; conuertam, vt multa sacerdotia congeram, nec vno rite fungar. Ista me fecisse non pœnitet, & in futurum promitto, non omissurum. Mihi enim meam voluntatem reseruo; mihi, non tibi obtemperaturus, mea non tua lege victurus. Nemo sic orat, &, si quis sic orat, malè orat, vt in concupiscentijs insumat. Sibi veniam petunt, ne bello vexentur, alijs ignoscere nesciunt, quorum fortunis & vitæ insidiantur. Peruersa oratio, criminosa flagitatio, quæ tamen in nullo auditur templo, quam lingua proferre trepidat; sonat tamen in auribus Dei scrutantis corda & renes. Quisquis enim fide orthodoxa instructus est, inimicum se Dei nouit, quàm diu de peccato præterito non conteritur, de futuro non concipit emendandi propositum. Inimicus Dei est, cui adhæret vel in facto delicto complacentia, vel in præsente voluptas, vel in futuro voluntas. Ille hunc in modum corde & cupiditatibus orat, inimicus Dei voluntarius, & bonitate Dei ad ipsius contumeliam abutens, non spoliatus, & exul, nec metu impendentium gladium mentem in scelera ardescentem mutat. Quid talis aliud speret, quid expectet, nisi talionem? Quare & iste, & omnes, qui conspirant cum isto, sciant sibi dictum: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

CAPVT LIV.

Alijs etiam prafanorum hominum dictis, & exemplis, & quidem ob varia scelerum genera, demonstratur pœna talionis.

I. PLeraque, quæ modò attulimus, sacri scriptores de rebus sacris, tradiderunt, supereſt nunc, vt eamdem talionis legem, etiam vel profanorum authorum testimonijs confirmemus; vel, si qui authores non erunt profani, saltem exemplis profanis, vt pateſcat hanc diuinam Nemesin vbique gubernantem nulli, aut nusquam non esse mentuendam, seu in aulis is degat, seu in templis. Regis Alfonsi ea sententia fuit, vt qua quisque re peccaret, eadem etiam plecteretur. Hinc cùm equitem luxuriosum, & bonorum suorum decoctorem punire vellet, quibusdam ab eo enixè petentibus, ne in corpore lueret debita, quæ ille plurima per luxum libidinemque contraxerat, respondit: Equitem hunc neque sui regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorum, ære alieno suscepto, tam grande patrimonium profudisse; sed omnem suam substantiam corpori indulsisse. In corpore igitur luere æquius esse, vt pœna malefactis ex æquo responderet. Eiusdem sententiæ sunt omnes qui, dum potestate pollent, peccantes per illa ipsa puniunt, per quæ delinquunt. Sic in multis Religiosis Ordinibus, curiosis oculi ad tempus obligantur, ne circumspicere possint; garrulis & linguacibus silentium indicitur, vt os refrænetur; inquietis & gyronagis, limites ponuntur, quos non licet transilire. Prudentes quoque Confessarij, gulosis & ebriosis ieiunia, abstinentiam, temperantiam; luxuriosis & libidinosis cilicia, humicubationes, flagella imperant. Quibus in rebus etsi contraria contrarijs curari videantur, tamen ea ipsa corporis membra castigantur, quæ sunt prævaricata. Cur non iustè sic iudicent homines? ita ipse quoque olim iudicabit DEVS. Nulli enim in inferis locis sensus suo cruciatu carebunt, qui hîc fuerunt instrumenta flagitiorum.

Panormitan. l. de reb ab Alfonso rege gestis.

II. Ita Reges, & Duces, & Iudices iudicarunt: nec secus fecerunt subditi Iudicum, Ducum, Regum. Rufinus, apud Arcadium præfectus

fectus prætorio, quia auariſſimus fuit, & manus ad opes colligendas nimiam extenderat, à militibus exercituque Romano interfectus eſt. *Capite verò Rufini reſecto, & lapide in os eius immiſſo, haſtæ idinfixerunt, & in ſublime ſuſtulerunt. Dextram quoque eius abſciſſam, per vrbem circa opificum officinas circumtulerunt, verbis his vtentes:* DATE STIPEM INEXPLEBILIS AVARITIÆ VIRO. *Et ridicula ea mendicitas multum ſatis auri collegit. Perlibenter enim in iucundo & grato ſpectaculo homines aurum contulerunt. Ac Rufinũ quidem imperij affectatio ad eiuſcemodi vitæ finem perduxit.* Sublimatus eſt, ſed in haſta, vt caput eius emineret, qui caput omnium eſſe voluit; & in ignominiam dextra eius defuncti mendicauit, quæ ad nimiam potentiam, viua pecunias collegit. *δι' ὧν γὰρ τις ἁμαρτάνει, δι' αὐτῶν καὶ παιδεύεται.* Sic ſuperbia, ſic auaritia mercedem recepit, pœnâ talionis. Quod & experta eſt libido Valentiniani Heſperiæ Imperatoris. *Cùm enim vultu venuſto & rebus alijs ornatam maximè in matrimonio haberet coniugem, iunioris Theodoſij filiam, Eudoxiam, alienas nuptias turpiter fœdauit &c. tandem vitam fœdiſſima morte finiit.* Maximus enim, quòd Valentinianus vxorem eius ſtupraſſet, remotis ijs, qui impedire poterant, *Imperatoris regiam ingreſſus illum interemit, & coniugem eius Eudoxiam rapuit, eidemq; per ſtuprum vim intulit. Per quæ enim quis peccat, per eadem etiam caſtigatur*, ait hiſtoricus. Hæc talio debebatur luxuriæ. De ira, vel odio, vel immatura vindicta, apud Zonaram legimus, Leonem Armenum Græcum Imperatorem impium, quadam ratione vitam cum imperio amiſiſſe. Ipſo quippe Natali Chriſti die, de Michaële Balbo maieſtatis reo ſumpturus ſupplicium, deprecante Auguſta, diſtulit pœnam, ſine dubio conſilio vindicis DEI: quandoquidem in ipſum vertit. Etenim nocte inſequenti Balbus è carcere elapſus, contrahit veterum coniuratorum manum, cum quibus ſub monachorum habitu ſicas ferentibus, Imperatorem in ſymphoniacorum choro canentem tollit è medio. *Eo modo, quo perimendus erat, clanculum perimit peremptorem.*

Niceph. Calliſt. lib. 13. hiſt. cap. 1.

Idem Nicephor. lib. 15. cap. 11.

Zonaras t. 3.

Ita Alexander Pellegrinus in Matthæi Euang. c. 1. Paradoxo 12. III.

Quoniam autem ſæculum noſtrum ferax eſt eiuſmodi machinationum, quæ meritò talionis ſecuturæ minis terrendæ ſunt, accipe aliud politicum eiuſcemodi exemplum ex Hugone Falcando,

cando, de rege & regijs viris, qui etiam non nominati facilè venire possunt in coniecturam. Rex quidam antè, quàm fatis concederet, quia filium relicturus erat regni successorem, admodum iuuenem, cùm sciret, neminem sapere ante annos, viros ei adiunxit eruditione & prudentia claros, quorum sapientia dirigeretur. Quos ille, per ætatem, & viuo patre, sustinuit patienter. Vbi autem paulò adolescentior factus est, & pater è viuis excessit, libertatem nactus, sapientissimo parentis consilio insuper habito, omnes à se reiecit. Vnicus erat in aula, homo vafer, qui & ingenio, & eloquentia eminebat, à puero ad omnem simulandi artem educatus, itaque adulari doctus, vt nemo alius: Proteum dixisses. Nam etsi probrosa voluptate immersus tenebatur, poterat tamen, ficta quadam honestatis fronte, delicias suas tam artificiosè cælare, vt Hyppolytus putaretur. Neque Venus illum dumtaxat & Cupido vinctum tenebat, sed etiam, quia ingenio superbus erat, insuper incredibili dominandi libidine flagrabat. Quocirca omnes ad iuuenem regem aditus obseruabat. Et ad votum cecidit conatus. Nam regius iuuenis, ceteris omnibus posthabitis, hunc probauit, prætulitque. Nullus enim se indoli illius magis sciuerat accommodare. Quæcumque nouerat ei placere, laudabat; quæ ingrata esse, damnabat, totus ad Genium illius factus. Hunc ergo rex, præ omnibus amauit æstimauitque, huic regni sui gubernacula tradidit, commissa ei suprema regij Præfecti dignitate, ratus se in Iosephum aliquem incidisse.

Ad hunc iste honoris potestatisque gradum ex humillima conditione euectus, breui eam sibi, apud regem, parauit authoritatem, vt non solùm à gratia principis, sed etiam à rebus agendis reliquos omnes pedetentim amoliretur. Non satiat, sed inflammat ambitiosos honor, semperque vlteriùs grassatur. Itaqi hoc quasi portu potitus Præfectus, animum ad regnum occupandum transtulit. Quod ne emanaret, varijs artibus texit. Nam regem mendacijs maximis ludificauit, adulationibus assiduis ita deliniuit, vt omnia esse in tuto atque integra arbitraretur; cùm interea Præfectus nihil omitteret eorum, quibus consilium suum firmaret. Agebat tum in vrbe regia Archiepiscopum Ecclesiæ cathedralis homo eiusdē fermè ingenij. Erat enim vir industrius,

sed

sed ipse quoque corporis voluptati deditus. Cum hoc, similitudine morum amicos conciliante, Præfectus regius consilium iniuit, de rege amouendo, quem dicebat inutilem esse sceptro, & procedente vlteriùs tempore facilè in tyrannum degeneraturum. Vt autem ambitionis suæ cogitatio, ne Archiepiscopo quidem in suspicionem veniret, natum regi iuueni filium, dicebat longè accuratiùs in spem regni posse educari. Ad hoc consortium magis firmandum Archiepiscopo ianuam ad regis familiaritatem patefecit. Existimabat enim futurum, vt, quidquid ipse regi suggereret, id accedente Archiepiscopi comprobatione, maius pondus haberet.

Numquam malorum technæ ita felices habent processus, vt nulla se illis obijciant impedimenta. Igitur & in hac aula Comites aliquot erant boni publici amantes, atque intentum oculum ad regni incolumitatem habentes. Quibus stimulum addebant haud exiguum consiliarij veteres, qui nondum concoxerant dolorem conceptum, ob officij sui amissionem, quam nulli nisi Præfecto regio tribuebant. Quod, ob eorum frequentes conuentus, & clandestina colloquia, non ignorauit Præfectus, alioqui gnarus, neque iniurias citò deleri ex animo læsorum; neque carere inuidiâ, si quis è plebe oriundus, inter satrapas, ad summum emersisset. Quare cauendum sibi ratus, prædictos & Comites, & consiliarios, data occasione, infamia rebellionis notauit, regemque induxit, vt hunc exueret vita, illum è regno exterminaret, alium oculis & lingua priuaret; vel alijs modis perderet.

Vnum è Comitibus, quia erat vacillantis fidei, mirabili modo sibi conciliare satagebat. Nam multis adductis rationibus regem impulit, vt illius oppidum quoddam occuparet, & quòd satis esset munitum, & quòd multis rebus opportunum. Quo facto sciebat Comitem vehementer irritatum iri. Ne verò dati consilij ipse author videretur, Comiti mentem regis aperuit, quam aiebat, se omnibus modis improbasse, iurauitque contrarium prorsus suasisse; atque vt regem in tyrannidis suspicionem vocaret, addidit, ab eodem verba iactata fuisse, quæ coniecturam faciant, breui fore, vt pauci nobiles in regno superstint: ita enim velle opes omnes ad se se potentiamque trahere. Hæc Præfectus,

in summo secreto se Comiti concredere dicebat. Sed nolebat ea esse secreta Comes, qui culpam omnem in eum regerebat, dicitans, Si quidem talis sit rex, eius officio incumbere, vt id ceteris quoque indicaret, quorum periculum ageretur: omnes enim promptè Reip. in deterius labenti opem laturos. Atq; hoc ipsum Præfectus, quamuis inuito vultu, sibi responderi cupiebat. Siquidem hinc occasionem arripuit, conspirationem, quam in pectore fouebat, contra regem propagandi. Ergo repentè à se ipso alius, Quando video, inquit, te quoque cordi habere res communes, non cælabo, plures esse, qui idem & tecum, & mecum sentiant, regemque judicent solio mouendum. Atque in primis huius sententiæ est Archiepiscopus, & alij multi præclari viri; qui quidem me ipsum in locum regis destinant. Verùm ego, non meo merito, sed regis errore in Præfectum regium assumptus, agnosco meam imbecillitatem, atque exiguas ingenij animique vires, quæ tantæ dignitati nequaquam sunt pares. Magis igitur censeo, filio seruandam esse paternam sedem; in quo est jus successionis; authoritas sanguinis; & vtique etiam totius populi fauor.

Nouerat mores Palatinorum Comes, cui Præfectus regius dudum erat spina in oculis; itaque cum vulpe vulpinandum ratus simulauit, se omnia amicissimo animo accepisse; adiecitque, se minimè passurum, vt filius regis parenti succedat, iniurias vtique paternas seuerè olim vindicaturus. Enimuerò neminem vllum esse Præfecto ipso vel ingenio, vel vsu experientiaque rerum ad regni negotia aptiorem. In hunc modum Comes Præfectum mulcebat, contra quem jam antè cum alijs nobilibus iniuerat societatem, quorum votum erat, vt, interfecto rege, filius regis substitueretur, & à Præfecto proditionis pœna exigeretur. Quamquam igitur antè jam satis, inter Proceres, constabat, Præfectum atque Archiepiscopum aliquid moliri, longè tamen certiùs, id per hunc Comitem innotuit: vt quem sceleris socium habere cupiebat, eum maximè aduersarium experiretur. Crescebat fama, & augebatur animus nobilitatis ad Præfectum vel vi, vel arte opprimendum: & ipsa quoque contra eum conspirantium multitudo fiebat in dies maior. Eorum igitur aliqui munitissimum quoddam regis castrum occupant, in quod recepti, mittunt, qui protestentur,

testentur, nullum se regi malum machinari; sed illud dumtaxat agere, vt contra Præfecti regij, atque etiam Archiepiscopi vim se tueantur; cùm palàm sit, eos de rege interficiendo conspirasse, & Præfectum totis viribus ad regnum occupandũ anhelare. Magna sæpe est, etiam in magnis Principibus cæcitas, vt nihil de eo mali credant, de quo semel bonam opinionem hauserunt. Quare neque rex ille fidem habuit denuntiationi; quin potiùs fidelitatem Præfecti putauit caussam esse, vt ab inuidentibus accusaretur. Vnde pactionibus certis interpositis, castrum recepit, & motus publicos omnes compescuit, salvo Præfecto suo, omnia salua arbitratus. Quoniam autem audacia vires sumit à felicitate, animaduertens Præfectus, bonam existimationem de se, in regis animo esse stabilitam, tantò magis erectus, eò consilia sua direxit, vt regem in dies redderet magis odiosum: cumque ipse omnium esset author, tamen apud obuios quosque regis consilia, jussa, amentiam & crudelitatem palàm traduxit; vt & tot querelis oppresso, ipse altiùs emergeret. Et quod omnium erat miserrimum, sic occupatus erat regis animus, vt nemo de Præfecto, apud eum, quæstionem mouere auderet. Præfectus innocentia, Præfectus oraculum, Præfectus tota curia, totus senatus, Præfectus omnia erat. Væ Principi, qui se subdito suo subdit, & regi potiùs, quàm dirigi finit, soloque nomine contentus, seruum finit dominari! Cùm Præfectus videret, neminem esse, qui jam regem de hoc rerum statu auderet certiorem facere, cœpit ipse amicitias emere, & beneuolentiam sibi vbique conciliare. In primis stipem largam pauperibus elargiebatur. Deinde confessionem crebrò repetebat, apud tribunal sacerdotis. Accedebat etiam frequenter ad sacram synaxin, idque publicè & in omnium conspectu. Clericos honoribus demulcebat. Milites præmijs affecit; alios largitionibus, laudibus alios studuit sibi demereri. Inter suos denique amicos & clientes præcipua officia ac dignitates distribuit. Ita per omnium fauores grassatus est ad coronam, quæ sola illi deerat, vt rex vocaretur.

Vt sol, cùm in meridie ad summum venit, in declinat, atq; iterum descendit, ita homines plerumque, quando ad altissimum prouecti sunt felicitatis gradum, iterum deficiunt, immò cadunt.

Tali modo & Præfectus regius expertus est, se non tam in summo, quàm in præcipiti stetisse. Rumore, immò famâ in viciniam quoque versus delatâ, nihil jam Præfecto, præter nomen regis, deesse, tumultus exoritur. Neque enim ampliùs suspecta erat illius potentia, sed palàm formidabatur. Ea seditio, quàm primùm illi innotuit, videbatur haud segniter compescenda. Ad quam rem nemo illi magis idoneus erat, quàm nobilis quidam iuuenis, in omnem astum promptus; quem cùm multis alijs sibi beneficijs deuinxerat, tum etiam filiæ illi in matrimonium desponsæ vinculo obligatum tenebat; vt neque de dexteritate, neque de fide illius quidquam dubitandum arbitraretur. Hunc misit ad tumultuantem populum componendum. Qui quidem initio aggressus est innocentiam Præfecti, quibus poterat modis, tueri. Sed Deo tandem finem malitiæ atque ambitionis statuente; is ipse, quo tutore vti voluit, exitium eius fuit. Quippe à factiosis obrutus, & persuasus multis rationibus, cum ijsdem fœdus contra Præfectum inijt; eoque conatus processit, vt filia Præfecti contempta, atque in locum eius filia Comitis promissâ, ipse negotium susciperet Præfecti interficiendi, ad quem defendendum venerat. Callidè tamen mentem hanc suam occultans ad Præfectum regreditur, omniaque fausta ei nuntiat, tantoque eum incautiorem facit, quantò securiorem. Nihil igitur metuens, sceptrum jam sibi in manu habere videbatur, si regem interfecisset; cui proinde rei patrandæ certam decreuerat diem: certam horam. Sed antè cum Archiepiscopo conueniendum erat, de tutela regij filij, deque regij thesauri custodia. Ibi nouum ortum est dissidium, nam vtroque illam sibi deposcente, fœdus amicitiæ, quod inter improbos non potest esse diuturnum, rampitur, adeò, vt arctissimi conspiratores capitali repentè odio à se inuicem distraherentur; & alter alterius vitæ insidias strueret. Diuersis vijs itum est in mutuam necem. Præfectus veneno rem agere, & clam voluit; Archiepiscopus ferro, & palàm. Præuenit Archiepiscopus, qui secutus erat in scelere Præfectum; cædisque ministrum habuit eum ipsum Iuuenem, cuius amicitia & fide Præfectus nitebatur. Nobilis enim ille juuenis, vt jam antè alijs quoque promiserat, magna militum manu armatus, redeuntem cum suis eum, nocturno tempore,

pore, intercepit, atque miserandum in modum, in ipsis plateis, contrucidauit. Hic fictæ amicitiæ, & simulatæ virtutis, regnique, per summum nefas, affectati fructus fuit: hæc tot cædium designatarũ compensatio. Quamquam neque ipse etiam iuuenis tam funestum & atrox facinus impunè tulit. Nam rege, ob patratum scelus, illi grauiter offenso, aliud maius facinus cogitauit: vt supplicium euaderet. Quippe, restaurata conspiratione, id effecit, vt rex captus in vincula duceretur. Vnde tamen populi impetu ereptus, iuuenem in custodiam abripi jussit; ex quo tota intellecta est conspiratio. Iuuenis oculis orbatus, deinde incisis supra talos neruis gradiendi facultatem, demum etiam vitam miserrimè perdidit. Tandemque ceteris etiam rebellibus domitis, ac locis munitissimis recuperatis, rex, per multos annos, regnum deinceps tranquillum tenuit.

Hæc est vita aulicorum; quæ multa docet. Nam primò, cui ea placet, eam eligat. Mihi videtur tutiùs inter Scyllam & Charybdin nauigari. Deinde etiam atque etiam considerent Principes, quanti discriminis sit, veteres, & fideles consiliarios ab aulis remouere; atque eorum loco, obscuros, nouos, adulatores, quadruplatores suscipere, qui Sirenum more suaues potiùs, quàm vtiles occinant cantilenas; totamque Reipublicæ nauim, non in portum, sed in scopulum inferant. Videant etiam quàm periculosum sit, vni omnia committere; vnum audire dumtaxat; vni omnia credere; querelas còntra eum delatas, tamquam ex inuidia ortas repudiare; plures oculi plura vident. Animaduertant quoque, quàm temerè se se exponant potentiæ in alium à se translatæ; dum enim ipsi à se labores molestiamque in talem reijciunt; reijciunt vnà etiam authoritatem. Nec rarò cum authoritate regna ipsa amittuntur. Quæ, si diuina protectione, ad eiuscemodi inuasores non transeunt; tamen satius est, nec sibi metuendi, nec alij facere sperandi occasionem. *Vidisti aliquando canem missa frusta panis aperto ore captantem?* ait Seneca, *quidquid accepit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem euenit nobis, quidquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti & attoniti in Epicureum illud chaos incidimus: inane sine termino est.* Ambitioso primùm

IV.

Senec. ep. 15.

mùm gratia placet, & sustentat fauor Principis; postea potestas concessa erigit; mox titillat gloria; denique vt flamma in incendium, ita delectatio honoris erumpit in libidinem dominandi. Quod adeò commune est, vt etiam in ipsis Religiosis Ordinibus, cui nimium fiditur, nimium insolescat, coneturque tandem eum de gradu ipsum deijcere, qui ei nimium se fecit familiarem. Quòd si Rex, si Princeps attendere debet, ne cui nimium credat, quænâ erit inter ipsos aulicos amicitiæ constantia? quod confidentiæ fundamentum? Illiné tu fidis, quem Principi suo vides non esse fidelem? Illius fœdere niteris, qui, vt placeat, virtutem mentitur? Maximum indicium malæ mentis est fluctuatio, & inter simulationem virtutum, & amorem vitiorum assidua iactatio. Quid de illo tibi promittis, quem scis noctu ad lupanaria, voluptatis caussa; interdiu, famæ gratiâ, ad templa accedere? Politicorum nunc ista ars esse dicitur. Hi tales maximè aulis idonei putantur; qui in Machiauelli schola, aliud promptum in ore, aliud clausum in pectore habere didicerunt. *Verba bilinguis, quasi simplicia.* Nihil putes sincerius: *& ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris;* quia veneni instar, tunc demum sentiuntur, quando admittuntur. Itaque nihil his in aula perniciosius. Nocent domino, nocent seruis. Quia *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios:* vident enim, se non libenter audiri, si non sciant mentiri. Atque hoc ipsum inter aulicos, quam gignit opinionem? quam fidem? Ægyptijs olim, quia nullus mentiendi modus, summaque eius vitij impunitas erat, nemo credidit; & Epænetus dicere solebat, *mendaces omnium scelerum & iniuriarum authores esse.* Qui enim semel à veritate deflexerit, hic non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci consueuit. Hoc itaque fieri necesse, vt, vbi tales maximè idonei censentur, vel omnes tales sint, vel tales putentur Si tales putantur, quid illis fiditur? Fortasse ille ipse est proditor tuus, qui fidissimum se fingit? Enimuerò, esto bonus sit; esto sit verus amicus, quis id certò nouit? quis non timet? quis non suspicatur? præsertim in eo loco, in quo quotidianum est, vel fallere, vel falli? Et vel ideò quotidianum, quia *mendacia, si non habent, quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur. Sicut ait Psal. Mentita est iniquitas sibi.*

Prou. 18. 8.

Prou. 29. 12.

Alex. lib. 6. cap. 10.

Plutarch. in Lacon.

S. Chrys. in c. 21. Matth.

Quid

Quid multa disputo? justissima talionis pœnâ, mendacia à mendacijs, & ficti amici à fictis amicis puniuntur; insidiæque insidijs compensantur; & qui, ad modum Præfecti regij, vt occideret, mentitus est, meritò ipse mendacijs decipitur, vt occidatur.

V.

Albertus Cranz. in Saxon. lib. 4. cap. 24 Siffr. presbyter in Epitome Baron. tom 10. Anno 998.

Ne quis autem existimet, Principes, aut Reges ista talia pati tantùm, non etiam agere, Albertum Cranzium adeat, apud quem inueniet, An. Christi 998. Othonem III. Imp. Romam profectum, quo in itinere, iuxta Mutinam in villa Amula dicta diuertit. Ibi ea acciderunt, quæ magna admiratione digna metro scripsit Gotefridus Viterbiensis. Augusta vxor illius, Maria nomine, Regis Aragonum filia eodem hospitio vsa, hospite quoq; abuti voluit. Nam loci dominus erat Comes, vir integerrimus, æquè formâ ac genere & opibus præstans. In hunc procax femina, Imperatrix oculos coniecit. Oculos secuta est cupiditas: hanc impudentia, qua præualescente, non verita est ab eo crimen petere. Horruit Comes iniquam petitionem, & fortiter reiecit, nouus sæculi illius Ioseph. Sed & illa Putipharis vxori libidine par, eamdem contempta, furore quoque est imitata. Siquidem repulsam passa, atque amore in odium verso atrocem calumniam vertit in innocentem, eumque apud Imperatorem accusauit, quasi pudicitiam suam pertentasset. Nimirum credulus est zelus maritalis, ea de caussa & Otho vxoris calumniæ fidem adhibuit, atq; subito calore abreptus Comitem extemplò capite plecti iussit. Quod vbi ad coniugem Comitis fuit perlatum, dolore amens cucurrit, & sublatum de terra mariti caput, ingenti audacia, (quam pudoris ac timoris nescius furor ministrauit) ante Othonem pro tribunali sedentem in medium proiecit, incredibili vociferatione, viri sui innocentiam protestans, & immeritæ necis illatæ vindictam expetens: neque alium iudicem, neque reum in terris quærens, quàm Imperatorem ipsum, tunc iura reddentem, & iniuriam innocentissimo sanguini facientem. Et quia alij testes deerant, ad naturam atque elementum prouocauit, contrectationem ferri candentis in probationem, & veritatis indicem offerens. Non potuit Imperator contra eiuscemodi testem excipere. Parantur omnia, ferrum ignitur. confluunt spectatores, sedet Otho, & vult in muliere Scæuolam spectare. Mulier innocentiæ

tiæ mariti interfecti conſcia, metallum candens ambabus manibus arripit, atque illæſa non ſecus ac vernos flores contrectat, quo ſolùm prodigio attoniti Imperatoris præcordia exurebantur. Exultat primùm ipſa victrix. Muſſant deinde, capitibus inter ſe collatis, qui ad ſpectandum confluxerant. Palàm tandem ab omnibus mulieri tam heroicæ acclamatur: quæ tum miraculo, tum applauſu animata, poſtulat à gladio Imperatoris, talionis vindictam in ipſum Imperatorem. O quàm alia tunc fuerunt ſæcula! nunc mille prætextus excogitarentur ad Principem, in huiuſcemodi errore, excuſandum. Otho clara veritate convictus, & culpam agnouit, & reum ſe faſſus pœnam non detrectauit; iugulumque pro iugulo ſpopondit, ſolis inducijs, ad negotia quædam expedienda, poſtulatis. Mirus iuſtitiæ amor. pro morte innocenti illata, vult mortem oppetere Imperator; & vidua Comitis audet eam vrgere! Sed non permittunt id aulæ Proceres; circumſtant feminam, & pro vita Imperatoris rogant; neque eam multis precibus exorant, fuitq; fruſtra diu laboratum; donec tandem iudicium ea eſt conditione tranſactum, vt, quæ prima ſceleris cauſſa fuerat, Maria Regis filia, Imperatoris vxor, Auguſta illa, & adultera, & calumniatrix, rogo adiudicaretur. Fuit & hoc arduum Othoni, ſed fecit. Arſit igitur infelicibus flammis Imperatrix, quæ illicito atq; impuro igne accenſa ita exarſit, vt quem ad facinus inducere non poterat, per calumniam, in interitum nefariè præcipitaret; ſed exitio alterius in exitium ipſa incurrit, atque in fumum abijt libidinoſa, & calumnioſa maieſtas. Quo facto ſuam vitam redemit Imperator, & viduam tribus caſtris donatam, vt contenta abiret, roganit.

VI. Talionem vides? immò vides æquitatem? Sed Viduæ audaciam miraris? *Putas, neminem debere cogi ad iuſtitiam? cùm legas patrem familias dixiſſe ſeruis: Quoſcumq; inueneritis, cogite intrare?* Miraris patientiam Imperatoris? *Iuſtitia verò ſic amanda eſt, vt ab eius operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant, &c. Hinc eſt, quod ille fortiſſimus iuſtitiæ dilector exclamat: Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* ait S. Auguſtinus. Et cogi igitur, appellatione illa, immò prodigio illo ad iuſtitiam potuit

S. Aug ep. 48.

Idem ep. 144.

Rom. 8.

Impera-

Imperator; & mortem velle pati. Quod sanè mirum videbitur sæculo nostro, Imperatorem voluisse mori; neque probaturo, ipsam Imperatricem morti adiudicatam. Nimirum *sicut palato non sano pœna est cibus, sano suauis est: & oculis ægris odiosa lux, qua incolumis gaudet obtutus: ita displicet iniquis iustitia Dei, cui si subijcerentur, non conturbarentur.* Hinc multi memoratam historiam fabulis ascribent; illi scilicet, qui putant, Principes debere suo commodo, non iustitiæ legibus, Rempublicam administrare; cùm vetus sit illud: *Sine iustitia, ne Iouem quidem posse Principem agere.* Plutarch. lib. de doc. Princip. Iustitia autem est clausis oculis, non aspicit pœnam; delictum expendit; nec parcit vxori; nec Principi iniuriarum licentiam concedit. Heu quàm deploranda igitur iustitia est illis, qui non solùm summis capitibus, & verticibus Rerumpublicarum volunt omnia impunita esse, verùm etiam licita arbitrantur, neque in quæstionem vocanda! quasi non aliquando vel illorum oscitantiâ, vel ignorantiâ, vel auaritiâ, vel crudelitate, vel iniustitiâ, mille homines, iterumque mille & mille in exitium trahi sinerentur? Quasi non tot villæ, pagi, arces, & vrbes pessum darentur? Vbi talionis pœna? Sæpe (quandoquidem talium cladium authores ipsi se non vocant ad tribunal) Deus eos afficit talionis pœnâ, cùm illis similia mala immittit: Sæpe illis maiora reseruat supplicia in Acheronte, quia non sufficit illis talionis pœna. *Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Sap. 6. 2.

VII. Quòd si verò Principes, Duces, Reges, ac Imperatores, ob delicta sua, si non atrociùs, saltem lege talionis puniuntur; quid expectandum erit militibus illis, quibus tota militia nihil est aliud, quàm rapiendi, cædendi, occidendi licentia? Putantné, si desunt tribunalia in terris, nullum in cælo superesse judicem?

Immò sentient aliquem esse, qui omnia videt, & compensat. Hinc enim experiuntur, quicumque rapinis, alijsué malis artibus diteſcunt, se cribro aquam hausisse, atque opes perinde vt attractæ sunt malè, malè rursus diffluere: rarumque est, militum filios esse opulentos. Verè dixit Isaias: *Cùm consummaueris depradationem, depradaberis.* Euaneſcunt enim spolia, & ingentes gazæ, non aduertentibus illis, dissipantur, vel per conuiuia & compotationes, vel per ludos, quibus sæpe tota patrimonia impendunt; vel per luxum vestium; vel per dona in mulieres & meretrices effusa; vel per furta, rapinas, lites, fraudes, & mille technas, vt ijsdem vijs abeant, quibus venerunt. Atque vt externa hæc fortunæ bona mittam, quid aliud milites minitantur & spirant, quàm vulnera? nonnè & ipsi vulneribus notantur? & quidem hoc ipso iustissimè, quia illi ad hostes sauciandos conscripti, socios, amicos, &, si possint, Diuos non verentur plagis temerare. Sed ita plectuntur, vt negari non possit, diuinam manum non abesse. *Anno 1580. 9. & 10 Iulij Oliuerius Tempelius,* vt post I. Lipsium scribit Ferreolus Locrius, *vir quamquam militiæ gnarus, & acer, verum tamen peßimarum satagens, par ausum, pari euentu terminauit, nisi quòd hic à conuitijs in Virginem abstinendi duo reportarit documenta: vnum in Ioanne Zvvykio comite, cui glans plumbea ex vrbe dimissa, nasum ferit, & aufert, quòd anteà palam iactasset:* Se suis manibus Hallensi mulierculæ (*Dei parentem intelligebat*) nasum abscissurum. *Posterius in Ioanne Rysselmanno, eiusdem perfidiæ scurra immanissimo; cui quòd sacratam se statuam Bruxellam adducturum, atq; ibi igne subiecto publicè crematurum, ore impudentißimo profudisset; ictu tormenti & os, & mentum, & paulò pòst vita conciderunt.* Ignem istec minatus, ab igne laceratus est: ille meruit, vt ex boue ipso lora sumerentur, quibus vapularet. Ita ergo in scurrantem olim libuit iocari.

Isa. 33. 1.

Ferreol. Locrius in Maria Augusta lib. 2. cap. 25.

Zvvickius Hallensi nasum defringere Diua
Dum voluit, nasum perdidit ipse suum.
Nam, cum Tempelio, venientem Virgo Thrasonem
Audyt horribiles euomuisse minas.
Audyt, ac dicto citiùs vindicta cruenta
Militis impuri fecit in ora manus.

Exempla

Extemplò scurra, conceptum fistula plumbum,
Indignata nefas, expuit in faciem.
Cur tetigit nasum, quem funditus abstulit illi?
Nasutus nimium Zvvickius antè fuit.

VIII. Hæc talia militibus diligenter sunt inculcanda, quibus iocus est, in Diuos dicta iacere; quos qui contemnit, in cælo non videbit. Neque putent verba sua dumtaxat ad aures Iudicis venire; vulnera autem ignorari. Omnes ictus iniquos & spectat, & numerat diuinus oculus, & verò etiam, in tempore compensat. Memini virum fide dignum, in Principis mensa narrasse, Anno Christi 1633. Eluaci, se præsente, in festo S. Thomæ Apostoli, super mensam, dum alij alia glorianter jactarent, Capitaneum quemdam Suedicum, cum sarcasmo professum esse, *se octo animas habere in conscientia sua, à se occisorum.* Permissus est hoc dicere; vt constaret de iudicio Dei, quo, eo adhuc ipso die, ipse quoque cultro interfectus est; vtque à singulis eum animabus accusatum constaret, octo lethalia vulnera accepit. Hoc postquam ita vt dixi, relatum est, subiunxit alter, Parisijs aliquando duellatorem captum, atque ad gladium damnatum, cùm decem validissimos ictus ceruice excepisset, & carnifex obstupescens exclamasset: Mirum, me, qui tot vno ictu expediui, hunc vnum non posse capite plectere, tot plagis saucium vicissim exclamasse: Duo adhuc ictus à te mihi inferendi sunt, quia ego duodecim duellis, duodecim homines interemi. Quod & factum. Ne putate, ô milites, eum qui vno delicto vel huius, vel alterius vitæ mortem commeruit, de cetero impunè peccaturum. Omnia peccata exactissimè numerantur. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quod si autem militi vnius hominis iniusta mors, vel complura duella ad mensuram computantur; quid illi erit expectandum, qui, per iniustum bellum, tot mortalium millia in exitium trahit? nec iam homines, sed ciuitates integras, integras prouincias, integra regna & imperia mutilat, affligit, extinguit? Sed quantum sit malum, aut cur hoc tantum belli malum iustissimus Deus permittat, propriam exigit disputationem.

Matth. 7. 2. Marc. 4. 24. Luc. 6. 38.

CAPVT LV.

Ingressus, quo belli mala, & causse perstringuntur.

L. IN itinere eram aliquando, siluamque cum socio ingressus, vehementer admodum fatigatus vmbram sectabar. Occurrit locus in medio nemore maximè opacus & frigidus. In eo iacebat promiscua turba hominum in gramine quiescentium; viri, feminæ, iuuenes, senes. Alij ponè se infanter habebant corbibus, alij cunis impositos; alij sarcinas ferebant adhuc dorsis alligatas: nonnulli, præter baculum quo niterentur, nihil. Quidam etiam fascijs obligati, vulnera vt inspicerent, crura, brachia, capita retexerant. Ibi substiti, & ipse lassitudinem discussurus. Data igitur acceptaque salute, interrogaui: Vnde venirent, aut quò tenderent? Respondit seniculus macie exhaustus, fame contractus, rugis & canis obsitus, itaque præter cutim & ossa nihil hominis retinens, vt ligneus videri posset, nisi verba vocemque edidisset. Erant autem verba ista. Ne interroga, mi bone, Vnde, aut quò proficiscamur; primum scimus, sed tædet dolorem memorando renouare: alterum nobis est incognitum, & prorsus incertum. Fortunam, quam in patria nouercam experti sumus, in exilio matrem quærimus, nescij quibus sedibus talem inuenturi. Ea nobis domi, præter hos centones, omnia ademit, in eo solùm benigna, quia ex rusticis Philosophos fecit: *En omnia mea mecum porto*; quod & isti faciunt, quibus & lares, & rura, & ouium caprarumque greges, & nonnullis non iumenta tantùm, sed tota etiam armenta, omnisque pagana opulentia fuerat. Iam, vt vides, equis ligneis vtimur, & liberi nostri in dorsis nostris habitant, sicut ciconiæ in tectis. Mirabar senem iuuenari, illumque verbis risum ciere, cuius miserabilis aspectus vel à Democrito lachrymas extorsisset. Institi ergo tantò cupientiùs, vti fortunas suas narrare ne grauaretur. Tum ille, numquid satis est, nos passos esse, quæ passi sumus, an recordando tibi bis vapulabimus? Assidebat huic seni anus, quæ non interrogata, insito huic sexui naturæ vitio, intergarriens, Exules sumus, vt vides, è Sueuia in Austriam migramus, seruitute victum quæsituri, hostis domo nos eliminauit; immò fames, cùm enim domi nihil reli-

nihil reliqui feciſſet, foris victum quæritamus. O mi Domine, quàm multa poſſent de noſtra calamitate narrari? Ego mulier ſum octoginta ſeptem annorum, cum viro hoc ſeptuaginta annis viuo; mala plurima vidi, quæ me, quæ maritum meum, quæ alios mihi notos non infrequenter obruerunt, lites, rixas, iniurias, rapinas, cædes, incendia, direptiones, ſterilitates, ſiccitates, peſtilentias, nihil ſimile vidi ijs, quæ nunc ex Orco emiſſa bella Germaniam inundauerunt. Fuerunt multæ graueſque procellæ, ſed iſte fluctus belli eſt decumanus. Verè dixit, qui dixit, *Bellum eſſe malorum omnium compendium.* Quamquam de hoc compendio non facile eſt facere compendium. Et jam erat ab ouo exordium deductura, cùm garrulitatis femineæ pertæſus ſenex, in dexterum cubitum erectus, ita orationem eius interrupit: Sanè non facile eſt facere vllius rei compendium vobis crepitaculis. Tace, mulier blateratrix & multiloqua; ſi tamen lingulaca tacere vlla poteſt. Non horam, diem totum hîc tereremus, ſi tibi auſcultandum foret; & antè lucis, quàm ſermonis finis eſſet.

Obſtruxit quidem hoc edicto os vetulæ, non tamen ligauit manus in pugnam prurientes. Sed interpoſuerunt ſe aliquot viri, vt videbantur, non ineruditi, neque de plebe, qui lepidum ſenecionem libenter audiebant garrientem. Vxori igitur ſilentium & quietem, marito Neſtorem acturo, oratoris munus impoſuerunt. Mox ille, ceteris ſilentium tenentibus, ita belli mala orſus eſt enumerare. Tam multa ſunt, quæ bellum infamant, vt qui non ſenſit, non poſſit ea credere. Aiunt in libris ea referri. Sed quantus is liber eſſe debet, qui omnia comprehendat? Minas dumtaxat cùm vellet nobis ſignificare, cometam quantum, Anno 1618. Deus cælo inſcripſit? Neque enim aliud illud ignitum, & tandem ab Oriente in Occidentem extenſum ſignũ fuit, quàm funeſtus belli nuntius, & character, aut virga cæleſtis, quæ tergo noſtro imminebat. Sed tunc vix quiſquam metuebat plagam vel tam diuturnam, vel tam longè lateque porrigendam. Stultus fuiſſet habitus, qui dixiſſet, triennem fore, quæ fortaſſe triginta annos eſt duratura. Interim, qui metus? quæ vexatio? quæ exactionum grauiſſimarum ſeruitus? quàm dura hoſpitia militum nulla liberalitate contentorum? quibus poſtquam multa dederis, II.

plura tamen secum auferunt abeuntes. Vt meritò dicas, milites esse aues spinturnice inauspicatiores. Nimirum iocus & ludus sunt in militia, domos diripere, templa spoliare, virgines rapere, solidas vrbes atque oppida incendere: denique corrumpere, quod retinere non valeas. Hæc sunt belli decora: profuisse nemini, nocuisse quàm plurimis; nullo respectu aut recordatione præsidentis mundo Dei: vt hoc demum videatur esse verè ac germanè militare, nihil arbitrari æqui ac boni propter se esse sancitum, nulli se juri esse subditum, se in vagina leges omnes cum ferro gestare: quidquid conscelerato animo collibuerit, id solum esse jus atque æquum. Atque vtinam hoc Sueuia nostra dumtaxat esset experta, è qua jam sexta vice eijcior. Tota Germania, Bohemia, Gallia, Italia, Suecia, Anglia, Hollandia, Hispania est in armis. Belligeramur assiduè, gens cum gente colliditur, regnum cum regno, ciuitas cum ciuitate, princeps cum principe, populus cum populo, &, quod Ethnici quoque fatentur impium, affinis cum affine, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre, denique, quod ego sanè puto his omnibus atrocius, Christianus cum Christiano. Et, ô cæcitatem mentis humanæ, hæc pauci mirantur, pauci detestantur. Sunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem plus quàm Tartaream, sanctam appellent, ac Principes vltro furentes instigent, oleum, quod aiunt, camino addentes. Sunt qui tam diu regnum suum stare putant, quàm diu bellum durat. Sunt, qui quotidie pacem promittunt, & quotidiè nouas belli caussas ferunt. Hæc omnia sanguineis lachrymis deflenda sunt. Atque vt, me tacente, res ipsa loquatur, hunc meum considera miserum comitatum. Nemo nostrum est, qui non aliquot funera domi reliquerit insepulta; nos, qui effugimus gladium, aut incendio nos eripuimus, nihil nobiscum, præter egestatem, & vulnera exportauimus: neque portum scimus vllum nostrarum calamitatum: quæ tantæ sunt, vt nullo vmquam sæculo maiores fuisse videantur. Neque enim arbitror, ab vllo authore aliquid simile memoratum. Taceo Religionem, quæ & ipsa paullò pòst, è Germania exulabit; vno Varronis verbo, omnia dicam, Qui floruimus, qui fuimus in nobili Sueuia, *Nunc summa in rutuba.*

Plin. lib. 10. cap. 13.

Hæc

III.

Hæc senex plorabili voce perorauit, qui quia videbatur ab exemplis audire velle consolationem, mutato repentè vultu, vt erat lepidus in ærumna, coronidem hanc querelis suis subridens adiecit: Nimirum *bellum ea solùm de caussa videtur inductum, vt in eo pauperes intereant.* Cui ego, quia animaduerti aliquid aliud sub pannis eius, vti & sub nonnullis comitibus illius latitare, quos & Latinè nosse, & laurum Delphicam aliquando ambijsse intellexeram, illud Antisthenis reposui: *Immò in bello pauperes non intereunt, sed plures fiunt.* Nam plurimi, qui antea Domini fuerunt magnarum opum, per illud ad incitas rediguntur, & mendicitatem: longè proinde vobis miseriores, quia plus amiserunt. Vobis enim multum auferri non potuit, quia numquam multum habuistis. Sed, vt videas, etiam olim nostri sæculi calamitatibus pares extitisse, fuisseque, qui illas commemorarent, legam tibi vel paucula verba, quæ è S. Asterio excerpta hîc mecum fero. Sunt autem ista. *Absque auaritia non foret hæc in vita mortalium inæqualitas, hoc dissidium; neq; tam varijs cladibus atq; calamitatibus, insuauis ea nobis ac lachrymabilis redderetur. Hinc homines naturalem erga homines charitatem exuunt. Hinc ferrum acuunt, aciesq; instructus inter se arietant, summaq; cum immanitate, tamquam bellua depugnant. Cetera deinceps quis enarrauerit? Muri validi & excelsi machinis conquassantur, vrbes expugnantur, coniuges abducuntur, liberi ad seruitutem rediguntur, agri vastantur, & vruntur: arboribus ipsis, tamquam iniuriam intulerint, haud temperatur. Cades fit magna iuuenũ ac virorum, riuiq; sanguinis a strage cadauerum profluunt ac voluuntur. Facultates deniq;, & fortunæ eorum qui vincuntur, præmij loco, victoribus cedunt vniuersæ. Quid deinde viduarum lamenta, pupillorũ fletus, & parentes suos, & libertatem amissam eiulantium? Qui nudius tertius multarum magnarumq; diuitiarum possessor, tum frustum panis, protensa dextera mendicat. Qui seruos plures habuerat, textores, ædesq; vestibus refertas, lacero detritoq; malè tectus panniculo, seruitutem ipse seruit, & aggerere aquam, equili stercus abradere, & huiusmodi fœda subire ministeria cogitur. Alia sexcenta mala sunt, quæ summatim oratione complecti impossibile.* Hæc Asterius, qui si vnicus est author, ecce alterum S. Gregorium Nysse-num ita loquentem, de belli maiore calamitate, vt dicat, ob eius magnitu-

Stob. ser. 48.

S. Asterius serm. de auaritia.

S. Gregorius Nyssen. lib. de beatitud. orat. 7.

magnitudinem, priuatarum miseriarum sensum hebetari. Verba eius sunt. *Communis calamitas dolore superat incommoda singulorum. Ac quemadmodum medici de corporis incommodis dicant, cùm duo simul in vno corpore morbi concurrerint, solius exuperantis sensum existere, ac latere quodam modo mali inferioris dolorem immensâ atq; insuperabili magnitudine prævalentis celatum. Itidem incommoda belli exuperantiâ acerbitatum efficiunt, vt proprias calamitates homines singulares non sentiant. Quòd ad priorum incommodorum sensum animus quodammodo torpet, communibus si belli malis conflernatus,* maioribus ita occupetur & crucietur, vt etsi minora quoque illa priuata sentiat, tamen neque sentire, neque æstimare videatur. Multò autem minùs vllo voluptatis sensu frui potest, quisquis belli tam enormes ærumnas sentit. *Vbi arma & equi, vbi ferrum acutum & tuba sonans; vbi phalanges hastis inhorrescentes, & scuta cohærentia scutis; vbi galeæ cristis ad terrorem compositis nutantes; vbi conflictus, impressiones, manuum consertiones, prælia, cædes, fuga, persecutiones, gemitus, vlulatus; vbi terra sanguine madet; mortui conculcantur, & obteruntur; saucij derelinquuntur; atque omnia fiunt, quæcumq; in aspero bello accidere solent; numquid in his rebus occupato otium vmquam erit, cogitationem adrei alicuius iucundæ recreationem conuertendi? Quòd si quando animum subeat etiam alicuius rei iucundissimæ memoria, nonnè recordatio charissimorum, in tempore periculi cogitationem subiens, accessio calamitatis sit?* Vsque adeò non solùm mala in bello dolorem gignunt, sed ipsa etiam bona, quæ adhuc habemus, augent doloris acerbitatem.

Ita videtur locus iste in authore mutilus implendus.

IV. Hæc vbi è S. Asterio & S. Gregorio Nysseno recitaui, protulit comes meus è sinu Virgilium, & legit sequentes versus veteris querelæ rusticorum.

Virgil. lib. 1. Georgic.

Quippe vbi fas versum atq; nefas: tot bella per orbem,
Tam multæ scelerum facies: non vllus aratro
Dignus honos, squallent abductis arua colonis:
Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum.
Vicinæ ruptis inter se legibus vrbes
Arma ferunt: sæuit toto Mars impius orbe.
Vt cùm carceribus sese effudêre quadrigæ,

Addam

Addunt se in spatia: & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Lecta hæc carmina, mox in vernaculos rhytmos ita dexterè transtulit, vt cum Latinis Germanica de gratia certarent. Ego, vt Poëtæ similitudinem de indomitis equis currum rapientibus, auriga licet renitente, explicarem; cum Sallustio dixi: *Omne bellum sumitur facilè, cæterùm agerrimè desinit. Non cuius in potestate initium, eius & finis est.* Nam vt prudenter scripsit Polybius, *quemadmodum si quis siluam semel accenderit, non amplius ad ipsius arbitrium fertur incendium, sed depascitur, quidquid deprehenderit, ventiq; regitur, & subiecta siluæ consumptione; ac sæpenumero ipsum incensorem cum primis, præter expectationem, corripit. Ad eum modum & bellum, si semel à nonnullis excitatum exarserit, tum quidem illos primùm perdit, postea verò fertur iniustè, singula, quæ incidunt, perdens, agitatum temeritate, & ab ignorantia accedentium, velut à ventis inflatum.* Itaque malum quoddam est bellum, & grande malum, & malum incendio siluæ par, quod facilius est accendere, quàm extinguere. Neque enim prœlium dumtaxat, aut conflictus armorum, sed etiam professio illa & durabilis voluntas aduersariæ partivi & armis nocendi, bellum nuncupatur.

Sallust. in Iugurtha.

Polyb. lib. 10. historiar.

V.

Veteres Poëtæ, qui rerum vim ac naturam sagacissimè perspexerunt, & aptissimis figmentis adaptarunt adumbraruntque, tradidêre bellum ab inferis immitti, idque Furiarum ministerio: neque quamlibet Furiam ad hoc negotij conficiendum esse idoneam. Putarunt enim deligi omnium pestilentissimam, *cui nomina mille, Mille nocendi artes:* quæ innumeris armata colubris Tartareâ buccinâ præcinat. Dehinc, apud eosdem Pan insano tumultu complet vniuersa. Bellona furiosum quatit flagellum. Furor impius, ruptis omnibus vinculorum nodis, euolat horridus ore cruento. Grammatici, & cum illis D. Hieronymus, bellum κατ' ἀντίφρασιν dictum volunt, quòd nihil habeat neque bonum, neque bellum: nec alia ratione bellum esse bellum, quàm sit lucus, qui minimè lucet, Parcæ, quæ minimè parcunt; aut Furiæ Eumenides. Alij malunt cum Festo bellum à belluâ deductum, quòd belluarum sit, non hominum, in mutuum exitium congredi. Hinc illæ exclamationes:

Erasm. Chiliad. 4. cent. 1.

D. Hieronymus ep. 127. ad Fabiolam.

Tibull. lib. 3. eleg. 10. Lucan. lib. 4. Pharsal.

Quis furor est, atram bellis accersere mortem?
Et *Heu miseri, qui bella gerunt!*

VI. Tanti itaque huius mali causſam alij inferis, alij superis ascribunt; putant enim Furias esse & Bellonas, veriùs dixissent, damnatos Angelos esse, qui mortales ad arma inflamment, atque ad mutuam cædem; vnde Orco infertur maxima messis animarum.

Fauſtus Andrelinus in Diſtichis. Fauſtus Andrelinus, Deum facit bellorum authorem, dum ita canit:

Perfurit, & totum miscet Mars impius orbem,
Heu diro inuenta est ab Ioue tanta lues.

Neque dubium est, humani generis hostem bella spirare, &, quà
Iob. 1. 12. potest, promouere. Sed nihil ille potest, nisi ei frena laxentur è cælo. Si enim neque in vnum Iob potuit tota inferorum potentia manum extendere, nisi potestate à cælo accepta, eaque limi-
Matth. 10. 30. tatâ; quantò minùs id poterit in totum aliquem populum? Si capilli capitis nostri omnes numerati sunt, nos ipsi non curabimur? si passerculus *vnus non cadet super terram, sine Patre nostro*, tot millia hominum in prœlijs cadent, Deo ignorante? Vtrimq; ergo bella oriuntur, ex Orco, & Cælo. In Cælo decernuntur, in Orco arma cuduntur. Ita pariter & Dei imperio, & dæmonis ministerio classicum canitur. De dæmone non potest ambigi, qui
Apoc. 12. 12. vt *magnam habet iram*, ita magna molitur mala, &, si ei annueretur, totum genus humanum euerteret. De Deo clarè id testatur
Ierem. 47. 2 Ieremias, cùm ait: *Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ ascendent ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans, & operient terram, & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius: clamabunt homines, & vlulabunt omnes habitatores terræ, à strepitu pompæ armorum, & bellatorum eius, à commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis: pro aduentu diei, in quo vastabuntur omnes Philistijm, & dissipabitur Tyrus, & Sidon cum omnibus reliquis auxilijs suis. Depopulatus est enim Dominus Palæsthinos, reliquias insulæ Cappadociæ. Venit caluitium super Gazam: conticuit Ascalon, & reliquiæ vallis earum: vsquequo concideris? O mucro Domini vsquò non quiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. Quomodo quiescet, cùm Dominus præceperit ei aduersus Ascalonem, & aduersus maritimas eius regiones, ibiq; condixerit illi?*

Neque

Neque alia de caussa gladium bellatorum *mucronem Domini* vocat S. Spiritus, quàm quia Dominus præcepit, vt contra hostes suos stringeretur. Ita etiam illi milites clamauerunt, *Gladius Domini, & Gedeonis.* Vtriusque enim erat; quia bellum tunc Gedeonis quidem manu, sed Domini auxilio atque authoritate gerebatur. In eumdem sensum ait Abigail ad Dauid: *Faciens Dominus faciet tibi domino meo domum fidelem, quia prœlia Domini, domine mi, tu prœliaris.* Habemus igitur & dæmonem belli incentorem, & hominem executorem, & Deum authorem; qui siue immittat siue permittat bella quia iustus est, numquam debet accusari; sicut neque excusari dæmon, cuius voluntas semper est mala: homo autem instrui, quia vel iustè, vel iniustè potest arma vsurpare. Quæ si paulo deductiùs à me vultis audire, Exules, spero vos præsentes belli calamitates, non solùm patienter, vt facitis, sed etiam cum consolatione laturos. Cùm itaque nutu alij, alij claris vocibus dicere me jussissent, in sequentem ingressus sum orationem.

VII.

Iudic. 7. 20.

1. Reg. 25.

CAPVT LVI.

Magno Dei beneficio cacodæmones prohiberi, ne plura bella suscitent, quæ ne homines quidem debent temerè suscipere, etsi licita sint, quæ iusta sunt.

I.

Diabolo bellorum incentori velle concionari, est Æthiopem lauare. Præterquam enim quòd ille magna est belli tuba, Martemque, quoties, & vbicumque potest, cantu suo accendere conatur, ita tamen insuper in malitia induruit, vt nullis possit argumentis emolliri. Semper sæuit. Et, si penes ipsum foret, semper bella sereret. Sed ea est Dei bonitas, vt consilia illius plerumque dissipet, machinationesque eludat; neque sine iustissimis caussis frenum illi subinde laxet. Quemadmodum enim olim *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti,* ne noceret Tobiæ; ita Deus sæpe malos dæmones coërcet, ne bella aliaque mala suscitent. *Et vidi Angelum,* ait S. Ioannes, *descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, & satanas, & ligauit eum, per annos mille:*

Tob. 8. 3.

Apoc. 20. 1.

mille: & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Ita ligat hostem Deus, ne mille excitet hostes. Hoc ni faceret, mundus jam dudum perijsset. Bella minùs frequentia, minùs nocent. Nemo putet, multa esse, quæ Deus permittit; cogitemus potiùs, quot & quantis obstet. Non est comparatio eorum quæ fiunt, cum ijs, quæ fieri possent. Multis annis terra quieuit, & cùm Mars fureret, etiam multis locis. Possent vbique, possent semper bella durare. Atqui tot obstat calamitatibus immensa Dei bonitas, quot possunt esse, quot non sunt. Cur inclementiæ accusemus beneficam illius naturam, cùm vna se opponat tot phalangibus dæmoniorum, & vna restringat fluxum totius diabolicæ malignitatis? Non mirandum est, permitti aliquando Acheronticis hostibus, vt hostes nobis & bella excitent; mirandum est, quòd non plus faciant. Sed hæc est diuinæ misericordiæ magnitudo, quòd sanguinem humanum, sine satietate sitienti bestiæ rufæ ne millesimam quidem partem permittat. Sunt enim omnes damnati Angeli, itemque omnes impij tyranni, velut efferati leones in perniciem nostram promptissimi, sed ita diuina potentia cohibentur, vt nihil, nisi eádem permittente, cuiquam nocere possint; nec plus, nec diutiùs possint, quàm ipsi justissimè videatur. Itaque neque excedit nostram culpam, nec satiat, sed refrenat dæmonum iram furiamque. Gratiæ ergo Numini sunt agendæ, quòd nobiscum tam clementer agat, & nos contra tot pericula protegat, hostemq; omnium immanissimum coerceat; ne semper inter arma conflictemur. Contra ipsum autem Stygium Fetialem, non paci, sed bello faciendo ex Orco egredientem, non verba perdenda, quibus non flectitur, sed arma sumenda sunt, & semper pugnandum, ne eum vmquam audiamus. Quid enim, præter insidias, expectari potest ab hoste iuratissimo consilia suggerente?

II. Aliter cum hominibus agere licet, quibus etsi magna viuendi pro arbitratu licentia est concessa, multa tamen possumus bonis rationibus dissuadere, ne faciant, aut Stygio suggestori auscultent. Quem in finem etiam Poëta Horatius bellum ciuile detestans ita militantes compellat:

Quò, quò, scelesti ruitis? aut cur dexteris Horat. in lib. Epod Ode. 7.
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus
Vmquam nisi in dispar feris.
Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? Responsum date.
Tacent: & ora pallor albus inficit,
Mentesq; perculsæ stupent.

Sæpe homines in campum non procederent, si meminisse vellent, incertos esse exitus belli, Martemque communem, nullumq; bellum esse iustum, nisi aut pro rebus repetitis geratur, aut certè ob alias iniurias decretum denuntiatum sit & indictum. Suscipienda quidem bella sunt vt sine iniuria in pace viuatur; attamen *in euertendis vrbibus diripiendisq;, valde illud considerandum est, ne* Cic. de offic. *quid temerè, ne quid crudeliter fiat. In omnibus negotijs, priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens. Parua enim sunt foris arma, nisi sit consilium domi. Bellum autem ita suscipitur, vt nihil aliud nisi pax quæsita videatur. Item temerè in acie versari & manus cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est: sed cùm tempus necessitasq; postulat, decertandum manu est, & mors seruituti, turpitudiniq; anteponenda: nam occidi pulchrum est, si ignominiosè seruus.* Hæc Ethnicus Cicero; cui Oratorum principi, princeps Poëtarum assonans canit:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Virgil. lib. II. Æneid.

Et subscribit Augustinus Viues, cuius ad Henricum octauum Angliæ regem hæc sunt verba: *Bellum non est facilè suscipiendũ, nec* III. Augustin Viues in epist. ad Henr. oct. Angl. reg. *certa pax sperata victoriâ permutanda. De nullare magis, aut crebriùs deliberandum est, quam de bello, in quo non licet bis peccare: & ad quod princeps descendere vix debet, etiam ineuitabili necessitate pressus, omnibus primò remedijs tentatis, & frustra consumptis. Nullum est tam felix bellum, quo non potior sit iniqua pax, siue curas, siue sumptus, siue discrimina consideres, & contempleris. Itaque de iure suo citiùs decedat princeps, quam de summa periclitetur, & tantam fortunæ plagam leui lateris inflexione declinet. Varij sunt belli casus, & exiguo mo-*

mento varias res voluit. Vnde Mauortem veteres nominauerunt bellum, in cuius manu est, suscipere non deponere. Initia belli penes principes sunt, exitus penes fortunam, seu verius Deum, cuius voluntatem erga nos, non sine caussa ignoramus: videlicet nescij, quàm apud eum gratiosi simus. Itaque non secus, quàm pecunia nostro arbitrio alea exposita, illico alieni fit iuris, incertum cui cessura sit: Ita princeps & tota ditio in sortem euentus conijcitur, moto bello. Quàm multos pœnituit belli vel prosperè cœpti? Nec vlla Respublica instabilior est, quàm quæ sæpe mouet arma. Quoties in extremum discrimen Athenæ venerunt? à Persis exusta, à Lacedæmonijs oppressa, ac spoliata manibus: à Philippo fracta, ab altero Philippo afflicta: à Mithridate occisa: à Sylla propemodum deleta. Bellatrix illa Roma a Tatio capta est, à Porsena obsessa, à Gallis incensa, à Pyrrho territa, ab Annibale concussa, suis denique armis dilacerata. Dicet aliquis: Armis & bello crescunt regna. Sed & eisdem quoque pereunt. Minus forsan est in pace splendoris & gloriæ, falsæ illius quidem, sed plus quietis; minus controuersiæ ac periculi, & proinde firmitatis plurimum. Non laboro, inquit Theopompus Rex sapientissimus, quàm amplum filijs regnum tradam, sed quàm mansurum, ac stabile. Nihil ab alijs repetij, sed non abs te alij: in quo cum vtroque est periculum, siue cum fortiore congrediaris, siue cum debiliore, quippe nihil est tam infirmum, cui sua ad nocendum vires desint: destituatq; facultate omni iuuandi, ac benefaciendi, multum adhuc ad ladendum supereſt, tanto videlicet promptius est, malefacere, seu robore sui, seu imbecillitate nostra. Sapienter S. Gregorius Nazianzenus scripsit: Quamquam Salomonis illud laudem, qui vt alijs omnibus rebus, ita bello etiam ac paci tempus suum, veluti lata lege, decernit: hoc vnum tamen adijciam, quòd licet vtriusque temporis habenda sit ratio, quandoquidem iuxta illius (Salomonis) legem atque authoritatem præclarè ineerdum bellum suscipitur; quamdiu tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus. Hoc enim sublimius est, & diuinius.

S. Gregorius Naz. orat. 3. de pace.

IV. Itaque non temerè, neque præcipitanter ruendum est ad arma; sed diu apparandum est bellum, vt vincas celeriùs: quia longa belli præparatio celerem facit victoriam. Malè vicit, quem pœnitet victoria. Melius est enim ignoscere, quàm post victoriam pœnitere. Interim nihilominus in Rep. maximè conseruanda sunt iura belli. Nam cùm duo

Senec. ep. 15.

sint.

sint genera decertandi, vnum per disceptationem, alterum per vim; cumq; illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si vti non licet superiore; in quo homines feroces & violentas pugnas belluarum imitantur. Quod quia malè fieri potest, & bene; magna prudentia opus est, non solùm in suscipiendo, sed etiam gerendo bello: cuius, Aristotele teste, finis est pax. Siquidem, vt S. Augustinus ait, *non pax quaritur, vt bellum excitetur; sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo etiam Bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vtilitatem perducas.* Manichæorum hæresi fuit, quam etiam Wiclephus amplexus est, vniuersim omne genus bellorum damnandum esse: vt de priore D. Augustinus, de posteriore Thomas Waldensis testatur. Iulianus Apostata, vt Christianos deterreret à propulsatione & vindicta iniuriarum, voluit illis persuadere, saltem Christianis illicitum esse bellare, vt de eo docet D. Gregorius Nazianzenus. Id, vt probaret, attulit illa Christi: *Si quis te percusserit in vnam maxillã, præbe & alteram; & Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit:* & illud Pauli: *Nulli malum pro malo reddentes.* ac infrà: *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ: Scriptum est enim: Mihi vindicta, & ego retribuam.* Et rursus: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

Aristot. lib. 7. Polit cap. 2. & 14. S. Augustin. ep. 107. ad Bonifacium. Vide S Augustin. lib. 22. contr. Faustũ c. 74. & Thomam Waldensem to 3. de sacramentalib. tit. 14. cap. 169. n. 7. D Greg Naz. orat. 1 in Iulian Matth 5. Matth. 26. Rom. 12.

Hæc contra bellum allata præcepta, bellum iustum non tollunt. Est enim vis illorum duplex. Prima, vt ad iniurias, patienter ferendas, quæcumq; inferantur, animo simus præparati; adeò, vt non solùm ad vnam, sed etiam ad alteram alapam æquanimiter accipiendam simus parati; non vt re ipsa alteram maxillam porrigamus. Ita satisfieri præcepto Christi, docet ipsius Christi exemplo D. Augustinus, qui percussus in facie, non fecit contra suum præceptum, *tametsi non præbuit percutienti alteram partem, sed potiùs prohibuit, ne, qui fecerat, iniuriam augeret, dicens: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis?* Hoc cùm diceret, impleuit cumulatissimè suum ipse præceptum, quia *paratus venerat non solùm in faciem percuti, sed etiam pro his, à quibus ista patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Altera præceptorum illorum vis est: oportere nos iniurias illatas ita æquanimiter

V.

Ioan. 18. S. Augustin. ep. 5. ad Marcellinum.

nimiter pati, vt illa priuata authoritate non velimus vlcisci. At bella iusta non priuata, sed publica, & communi, & idcirco diuinitus accepta authoritate suscipiuntur. Ideò scriptum est, *Mihi vindicta* &c. Et *Quicumque acceperit gladium &c.* ille enim ibi dicitur accipere gladium, qui sua propria auctoritate illum accipit, & non diuinâ sibi datum. Sicut enim iudex, & carnifex non aduersantur his præceptis, quando secundùm iustitiæ normam, & idcirco etiam diuina authoritate, aduersus malefactores vtuntur; ita neque illi qui itidem publica, & hinc etiam diuina authoritate improbos bello coërcent. Bella enim ob commune, immo etiam illorum bonum, qui debellantur, suscipi consuerunt. *Agenda sunt multa cum inuitis benigna quadam asperitate plectendis. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur*, ait S. Pater.

S Augustin. ibid.

VI.

Prophetæ sanè vaticinati sunt, futurum vt in aduentu Christi bella cessarent. Hinc eum *Principem pacis* vocat Isaias. Apud quem & illa leguntur: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Et apud Michæam: *Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltra belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit, qui deterreat.* Hæc sanè prædicta sunt, sed & impleta, tempore aduentus Christi, quo Angeli cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et certè tunc pax erat, cùm describeretur vniuersus orbis ab Augusto. Quod ideò factum S. Hieronymus & Ambrosius monet, vt in toto mundo peruius esset orbis terrarum pergrinationibus & prædicationi Apostolorum. Quamquam etiam pax spiritualis quæ in animo & conscientia cum Deo, tempore Christi futura erat, à Propheta prædicta fuit, quam & Christus se dedisse indicauit cum diceret *Pax vobis.* Hoc ergo vaticinati sunt Prophetæ, non autem, quòd post aduentum Christi bella nulla vmquam ampliùs futura sint; aut quòd non licitè futura sint. Illud enim plurima bella secuta, manifestè falsum demonstrant; immo ipse Christus futura prædixit: *Audituri estis prælia, & opiniones prœliorum.* Istud autem, scilicet licitè,

Isa. 9. 7.
Isa. 2. 4.
Michæ. 4. 3
Luc. 2. 14.
S Hieron. in c 4 Michæ.
S. Ambros in Psal 45.
Luc 24. 36.
Matth. 24. 6.
Luc. 21. 9.

tè, etiam Christianos, bella gesturos, multæ cum exemplis, ostendunt rationes, quæ partim stant pro bello vniuersim, partim pro bello Christianorum.

Nam in primis *factum est prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius.* Vicit Michaël cum Angelis suis, & triumphauit. Quis non laudauit Michaëlem cum exercitu suo iustissimè, contra diuini solij iniquissimos inuasores depugnantem? Si bellum ex se aliquod malum esset, etiam in Angelis esset malum: neque Deus id imperare hominibus posset, quem *mali aliquid iubere non posse, nemo, qui ei seruit, ignorat*: imperauit autem sæpius. *Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos.* Item: *Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quacumq; fecit Amalec Israëli, quo modo restitit ei in via, cùm ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius &c.* Vt autem non iuberet Deus bella, si semper mala; ita neque laudaret, si numquam bona essent. Laudat autem & bella & bellatores. Ita enim Abrahæ reuertenti ex cæde Chodorlahomor & regum, qui cum eo erant, per Melchisedech benedixit: *Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Ita ipse Christus *illius Centurionis fidem laudauit*, ait S. Augustinus, *non militiæ desertionem imperauit dicentis: Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni huc, & venit &c.* D. quoque Lucas ait: *Vir autem erat Cornelius Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum.* Qui etiam ibidem dicitur ad se vocasse militem *metuentem Deum ex his, qui illi parebant &c.* Ita D. quoque Paulus ait: *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Immo in militia spirituali iubet imitari nos studium bonorum militum in bello sęculari: *Labora vt bonus miles Christi* IESV. Quæ omnia in militum & militiæ laudem non dicerentur, si militia omnis mala esset.

VII.

Apoc. 12. 7.

S. Augustin. lib. 22 contr. Faustum c 75.

Num 25. 17.

1. Reg 15. 2.

Gen 14. 19.

Matth. 8. 9.

S Augustin. lib. 22. contr. Faust. c. 74.

Act. 10. 1.

Hebr. 11. 34.

2 Tim. 2. 3.

Luculentus testis accedat Ioan: Baptista. *Interrogabant eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos?* Et ait illis: *Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.*

VIII.

Luc. 3. 14.

S. Augustin. lib. 22. contr. Faust. cap. 74.

Ex quo loco Augustinus probans non omne bellum esse illicitum ait: *Alioqui, cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? responderet eis: Arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percutite: vulnerate, prosternite neminem. Sed quia sciebat, eos, cùm hac militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis, neminem concutiatis, &c.* Quo tempore non tantùm pro Iudæis, sed etiam pro illis, qui Christiani erant futuri, respondit Ioannes; neque militiam dumtaxat tolerandam, sed etiam minimè malam indicauit. Cùm enim doceret, fugiendum à ventura ira, & fructus dignos pœnitentiæ esse faciendos, militesque interrogassent, quo modo id præstare possent, non respondit, à militia tamquam mala & iram Dei prouocante, & cum vera pœnitentia pugnante desistendum esse; sed monuit illud tantùm, vt neminem immerentem vel vi, vel fraude vexarent, spoliarentue, sed vt stipendijs contenti essent. Stipendia enim tunc dabantur, nec permittebantur milites, stipendij loco, obuios quosque amicos inuadere, exuere, diripere, vt prô dolor nunc fit apud Christianos. Ad Christianos autem etiam pertinere responsum Ioannis, disertè idem S. Augustinus epist. ad Marcellinum docet his verbis: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potiùs militibus consilium salutis pœnitentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma seq; militia omnino subtraherent. Dictum est autem eis, Luc 3. Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit.* Quid autem illis faciendum, quibus stipendium nullum soluitur? non militandum. Sed jam nomen militiæ dederunt, vnde vel militandum, vel pendendum est illis. Quid tum facient? in extrema necessitate rapient, ne fame moriantur. Sed viderint illi, qui eos adigunt ad necessitatem rapiendi. S. Ioannes Baptista, qui bellum non improbauit, numquam approbauit rapinas; sed dum permisit milites stipendia facere, permisit militare.

S. Aug. ep. 5. ad Marcellinum.

IX.

Matth. 22, 21

Quid quòd Christus ipse Magister noster militiam approbauit, cùm diceret: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari?* Nam dum iussit tributa & census dari, iussit ea dari, quibus milites contentos esse,

esse jussit Ioannes Baptista. *Audiant Manichæi*, inquit S. Augustinus; *ipsum Dominum* IESVM CHRISTVM *hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi: Reddite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei, Deo. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessaria militi stipendium præbeatur.* Quod ipsum clarè indicat Paulus ita de sæculari Magistratu loquens: *Dei minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Idèo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Et id ipsum confirmat Petrus cùm milites seu ministros regum & ducum jubet, *subiectos esse propter Deum, non modò regi quasi præcellenti, sed etiam ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Certè Deus numquam fauet peccatis, neque opem fert singularem malè agentibus. Si ergo illicitum esset bella gerere, nequaquam peculiare auxilium tulisset prœliantibus, neque pro eis ipse bellauisset, aut in eorum gratiam miracula fecisset. Nonnè *cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israël*, & exercitum Amalec ad internecionem cædebat? Quàm clara sunt illa: *Nolite metuere, neq; timeatis eos, Dominus Deus, qui dux est vester pro vobis ipse pugnabit.* Ac rursum: *Quo modo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia. Nonnè ideò, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?* Atque alibi: *Hæc dicit Dominus vobis: nolite timere, neq; paueatis hanc multitudinem: Non enim est vestra pugna, sed Dei.* Et infrà. *Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos, ô Iuda & Ierusalem.* Dauid quoque ait: *Qui docet manus meas ad prœlium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Hæc quo modo dici possent, si prœliari esset peccatum? idem enim dixisset, si dixisset, *Qui docet manus meas ad prœlium*, ac si dixisset: *Qui docet manus meas ad peccatum.*

& S. Augustin. loc. cit.

Rom. 13. 4.

1. Petr. 2. 13.

Exod. 17. 11.

Deut. 1. 29.

Deut 32. 30.

2. Paralip. 20. 15.

Psal. 17. 35.

X.

Neque iuuat Deus tantùm prœliantes, sed non rarò stupendis quoque miraculis illustrat. Quantum fuit illud, quando *ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextera eorum & læua. Persequentesq; Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris. Iamq; aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum*

Exod. 14. 22.

citum eorum: & subuertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum, &c. Ob quod prodigium futurum meritò dixit Moyses ad
Ibid. v. 13. populum: *Nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsq; in sempiternum. Dominus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis.* Quod etiam fecit, quando, nullo ariete mœnia percutiente, neque vllis machinis adhibitis, ad solam populi vociferationem & clangorem tubarum in circuitu, *muri* Iericho *illico fundituscorruerunt;* itemque quando Gabaonitarum hostes, & quinque regum Amorrhæorum exercitus in fugam coniecti sunt, &
Iosu. 10. 11. *Dominus misit super eos lapides magnos de cælo vsque ad Azeca: & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israël. Tunc locutus est Iosue Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël, dixitq; coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntq; sol & luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Quantum hoc miraculum, quantum non iam terræ, sed cæli quoque auxilium, in gratiam bellatoris factum? Quàm euidenti prodigio Assyrij ob-
4. Reg. 7. 6 sidionem Samariæ soluerunt, quando *Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum, & equorum, & exercitus plurimi,* vbi tamen exercitus nullus erat? Quid aliud quàm miraculum fuit, quando vna nocte *venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia?* item quando
4. Reg. 19. 35. 2 Machab. 10. 29. *apparuerunt aduersarijs de cælo viri quinq; in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conseruabant: in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.* Quod idem postea contigit cum Legione, quæ
Baron An. Christ. 176. Apud Iustin. mart. post orat ad Antonin. dicebatur Fulminatrix, & quando, sub Marco Aurelio Antonino, strata humi Christianorum Legio Deum precata hostibus internecionem, & Romanis militibus vltimò discrimine laborantibus aquam obtinuit, vt eiusdem Imp. ad Senatum Rom. epistola scripta testatur. Quis nescit, Constantinum Imperatorem signo Cru-
Euseb. lib. 9. c. 9. Theodoret. lib. 5. c. 24. cis in cælo diuinitus conspecto, vidisse etiam, atque audiuisse Angelos sibi astantes, dicentesque, *Constantine ἐν τούτῳ νίκα*, id est, *in hoc vince.* Ita enim narrat Eusebius alijque. Theodoretus refert,

Theodo-

Theodosio contra Eugenium Tyrannum pugnaturo, & posi oratione obdormiscenti apparuisse Ioannem & Philippum Apostolos, victoriamque pollicitos, postea mirabiliter eam ipsi peperisse. Innumera sunt exempla, quibus ostenditur, Deum militantibus non solùm auxilia manifesta attulisse, sed etiam perspicuis miraculis adfuisse. Quæ, qui vult legere, Valentinum Leuchtium, Surium, eum authorem, qui *præsentium calamitatum originem, causas, & medicinas*, itemq; *Artes feliciter bellandi ac debellandi* scripsit, aliosque adeat. Ex his satis constat, etsi homines bella non debeant temerè inchoare, non tamen posse vniuersim damnare, aut illicita esse dicere, cùm non omnia bella ex Orco, sed multa etiam è cælo oriantur: immò cùm nullum, vndecumque originem trahat, sine diuina permissione, prouidentiaque aut confletur, aut indicatur.

CAPVT LVII.

Octo caussæ, ob quas bella sapientissimè à iustissimo Mundi Gubernatore Deo esse permittuntur.

SAnta fuit Pythagoræ apud suos discipulos authoritas, L.
vt illis ea sola sufficeret pro ratione. Quidquid audiebant, credebant; dummodo audirent illud αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit*. Cur non eadem sit apud nos Numinis authoritas? Bene fieri credendum est, quidquid constat fieri à Deo. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*, ait rex ille. Quamcumque igitur mirabilis res sit aliqua, iustissima censeri debet, si *à Domino facta est*. qui, vt alij cum admiratione dicebant, *Bene omnia fecit*. Quare nemo etiam conqueri debet de bellis, cùm constet ex dictis, ea à Deo esse. Sed quia rerum seriem & caussas scire appetit humana curiositas, neque facilè acquiescit intellectus, etiam si sciat, quo primo authore res fiant, nisi etiam cognoscat, quas ob caussas sic fiant, age dispiciamus, quas nam ob caussas, & per quos belli mala vel permittat, vel immittat diuina bonitas. Fines enim multos bonos habet: neque malam potest habere intentionem, vti homines, qui nisi, præter legitimam authoritatem & iustam caussam, etiam habeant rectam intentionem, vt scilicet bellum suscipiant studio communis boni & pacis, sed alios ob fini-

Psal. 117. 23.

Marc. 7. 37.

S. Augustin. lib. 22 contr. Faust. c. 74. stros fines, illicitum bellum ineunt. *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc sunt, quæ in bellis iure damnantur*, ait D. Augustinus. Damnantur autem ita, vt sine recta intentione, bellum sit quidem illicitum, pro natura siniſtri finis, ad quem refertur; non tamen vt sit etiam iniustum, si quidem adsit legitima authoritas, & iusta causſa. Hinc quia iniustum non est, non inducit obligationem restitutionis; sicut inducit, quando vel legitima authoritas, vel iusta causſa deest; vel certè quando oblata condigna satisfactio fuit repudiata. Quo capite multi non solùm militum, sed etiam ducum à restituendis rebus ablatis excusantur, etsi à peccato non excusentur, si vel innata petulantia, vel nocendi cupiditate, vel vlciscendi crudelitate, vel libidine dominandi militiæ dent nomen. Prima belli liciti conditio est, licita intentio; ad bellum autem vt etiam iustum sit, duæ præterea conditiones exiguntur.

II.

S. Aug. lib. 22 contr. Faust. c. 75. *Interest*, ait S. Doctor, *quibus causſis, quibusq; auctoribus homines gerenda bella suscipiant.* Quia igitur Deus, per homines bella hominibus immittit, aut permittit, nihil dubitandum est, iusta esse ea bella, in quibus, præter æquitatem causſarum, reperimus etiam legitimam authoritatem belli indicendi; est enim ea authoritas à Deo, quæ, vt dixi, sola sufficeret, vt crederemus, etiam causſas esse legitimas. Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo*, ait Apostolus, *quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quid autem? num quisque habet legitimam potestatem belli inferendi? nequaquam. Sed legitima authoritas à Deo accepta est solùm penes Remp. perfectam, hoc est, penes Magistratum, à quo Resp. gubernatur, siue is sit vnus aliquis Princeps, siue senatus aliquis Optimatum, pro ratione regiminis cuiusque Reipublicæ. Resp. autem perfecta est, quæ in gubernatione politica est per se quoddam totum, & non quasi alicuius totius pars. Arist lib 3 Phys. tex 63. Siquidem omne totum est in suo genere perfectum; cùm totum sit, cui nihil deest. Eiuscemodi verò Resp. tota est illa, quæ in Iurisdictione sua non habet Superiorem aliquem, ad quem sit recursus, sed ipsa finit lites: vt sunt Regna, & quidam Ducatus in Italia, & quædam Resp. liberæ, vt Veneta: non autem Principatus

patus in Germania, qui ita recognoscunt Imperatorem, vt habeant recursum ad vnum commune tribunal Imperiale. Imperfecta itaque Resp. non habet authoritatem indicendi belli; cùm enim ea pars sit alicuius perfectæ Reip. habet Superiorem ad quem potest recurrere, eumque ad compensationem acceptæ iniuriæ implorare. Qui Superior, si alia via possit iniuriæ compensationem procurare, non est necessarium bellum, nam quia id tot secum vehit incommoda, nequaquam est sine necessitate suscipiendum. Quando autem non est Superior, ad quem recurratur, tunc habet talis supremus Magistratus authoritatem vlciscendi iniurias Reip. ab alijs, siue subditis, siue non subditis illatas. Quicumque enim tali Reip. nocent, fiunt ei ita subditi, vt saltem ab ea per iustitiam vindicatiuam puniri possint. Puniuntur quippe authoritate Dei omnium superioris, cuius legitimus Magistratus minister est in ijs, quæ ad bonum & salutem Reip. spectant, iuxta illa Apostoli: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Si autem malum feceris, time: non enim sine caussa gladium portat, Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* Hinc sicut à Rep. iniuriæ Reip. vel eius membris illatæ compensantur in iudicio erga subditos, ita compensantur bello erga non subditos, seu alienos. Diuina enim authoritate etiam isti, in propulsandis & vindicandis iniurijs Reip. perfectæ subijciuntur. Atque hæc authoritas perfectæ Reip. requiritur ad indicendum inferendumque bellum offensiuum: non item ad bellum, quod sit dumtaxat defensiuum. Siquidem, iure naturæ, defendere se quisque potest etiam priuata authoritate. Ex quibus perspicuum est, bella mouendi potestatem esse in primis apud Deum, deinde etiam à Deo in supremos Magistratus deriuari. Neque hoc quidem titulo authoritatis deficientis vllam esse mortalibus caussam conquerendi.

Alphons. à Castro lib. 2. de iusta hereticor. punitione. c. 14.

Rom. 13.

III.

Videamus nunc etiam, an, & quàm iustas Deus caussas habeat, vt per homines, siue iusta, siue iniusta bella sinat in terras irruere. Nam vnum & idem bellum, circa vnam & eamdem rem, per se & ex rei natura, non potest ex vtraque parte esse iustum, cùm actus contrarij, circa idem, per se, & ex natura rei, ad vnam & eamdem virtutem, adeoque etiam iustitiam pertinere non possint.

Nullum

Nullum enim bonum est bono contrarium, sicut neque vllum verum vero: omnes autem actus virtutis moraliter sunt boni: quo modo igitur possent sibi inuicem aduersari? Quæ iustitia esset, si eadem iuberet Romam defendi & oppugnari? Immo quæ virtus, sibi ipsi per suos actus contraria, staret? quis iudex conatur idem factum vlcisci, & vltionem eiusdem prohibere? Quare necesse est, vbicumque bellum exardescit, ibi ex vna bellantium parte iustitiam, ex altera iniustitiam reipsa esse. Quamuis, ob inuincibilem alterius partis ignorantiam, possit aliquando formaliter, vt loquuntur, vtrimque iustum bellum inueniri. Quando enim vna pars pugnat pro re, quæ verè est illius, vt v. g. Israëlitæ olim pro terra sibi à Deo donata, altera autem pro eadem, quam putat inuincibiliter esse suam, licet re ipsa sit alterius, sicut Amorrhæi contra eosdem Israëlitas, qui videntur inuincibiliter ignorasse, quòd Israëlitæ pugnarent iustè & ex mandato Dei tribuentis eis ius in vitas & fortunas Amorrhæorum, tunc ex parte veri Domini est bellum iustum per se, atque ex natura rei; ex parte autem alterius, est bellum iustum per accidens. Vnde & Abulensis putat, Amorrheos pro sui & rerum suarū defensione ob ignorantiā illam iustè bellauisse. Quid igitur? cur Deus bella siuit gliscere, cùm ea saltem re ipsa, si materia spectetur, ex vna parte iniusta esse sit necesse? atque ex altera quoque parte, vbi iusta sunt, tamen sint damnosa? denique cùm ibi, vbi ignorantia non excusat, bella manifestè iniusta ex vna parte agantur?

Abulens. in cap. 11. Iosue.

IV. Prima caussa est generalis, quòd scilicet Deus, qui bonus est, plurima, quæ vulgus malorum titulo infamat, arcanis suis consilijs idcirco decreuerit, quia reuera non mala, sed bona sunt, quippe quæ bonos faciunt. Quoties enim ob eiuscemodi plagas homines facti sunt meliores? quoties afflicti ad Deum, corde, spe, precatione confugerunt? Numera beatos, numera damnatos: longè plures in prosperis, quàm in aduersis perierunt. Rectè Petrus Cellensis: *Infelicior est illa miseria, qua anima interficitur, quæ est prosperitas stultorum, quam miseria, qua corpus exacerbatur, quæ est pœna malorum.* Breuis est vita hominis æterna præmia expectantis; præmia autem quî mereretur, nisi essent labores? Labores æternitati respondentes, in tam contracta vita longi esse non possunt;

Petr. Cell. lib. de conscientia.

possunt; sunt ergo multi; vt longitudinem numero compensent. Hæc diuinæ sapientiæ ars est, vt non solùm ex dispendio naturæ compendium gratiæ præparet; verùm etiam per tristia ad læta, per molestias ad beatitudinem homines perducat. Verissima ad coronam perueniendi via est, pugna. Sine hoste autem pugna non est; sicut neque sine pugna, victoria. Qui plus patitur, plus meretur; quid ergo mortales mererentur, si nihil paterentur? quid autem paterentur, si omnia prosperè atque ex animi sententia illis euenirent? Miseriam peccando meruimus. Quàm clemens pœna est? miseri sumus, vt fiamus felices. Hoc infinitæ sapientiæ est inuentum, plectit nos calamitate, vt donet felicitate. Quis enim non cuperet semper manere in terris, si omnia illi fluerent ad voluntatem? quis cæli desiderio exardesceret, si illum caduca ista & mortalia satiarent? Quis Dei recordaretur, si non indigeret ope Dei? Quis ad illam pacificam cælestis Hierusalem aspiraret sedem; nisi eum hinc bella exigerent? Si tot ærumnis pressi, adhuc eas amamus; quid faceremus, si non premeremur? Obliuiscimur Creatoris, cùm creaturarum voluptas stillatim nos titillat; quæ apud nos maneret memoria illius, si veniret agminatim? Toties decepti, toties à fortuna illusi, adhuc ei credimus; quid ageremus, si illa fidem semper seruaret? Quærimus fugientia, & diligimus nostra damna: quales essemus, si illa perennarent; aut non nocerent? Lacessimur tot iniurijs Mundi, & illi adhæremus; quid fieret, si numquam non blandiretur nobis? Vt ergo ad æterna mentem humo attolleremus, terra fuit spinis & tribulis conserenda, quibus salubriter sauciati, spretis illecebris perituris, animo ad veriores delicias euolaremus: quemadmodum exulantes Hebræi ad terrestrem illam suam Ierusalem anhelantes dixerunt: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flenimus: cùm recordaremur Sion: in salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra.* Gen. 3. 18. Psal. 136. 1.

Secunda causa est, quæ primam fulcit, quòd spoliationes, cædes, vulnera, funera aliaque mala, quæ bellum gignit, etiam à sapientibus mundi, bono communi, & Reip. incolumitati postponantur. Priuatum enim bonum minus est publico, quare meritò minoris æstimatur, & pro illo datur. Sicut enim brachium pro capite se se exponit, à quo totius corporis salus pendet; ita V.

quodlibet membrum communitatis se se debet pro tota communitate exponere. Si secus facit, & propter priuata incommoda horret damnatque bellum, non est virtutis, sed cuiusdam potiùs timiditatis, pugnantis cum fortitudine, ad quam spectat, spretis vitæ ac fortunarum periculis, actiones arduas, ob bonum maius excellentiusque non fugere, neque detrectare. *Quid enim*, ait S. Augustinus, *culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum.* Quod si ergo, vt febrim discutiamus, non dubitamus brachium nudare, & venam præbere à chirurgo incidendam; neque alia nostra priuata incommoda æstimare debemus, si Reip. ægrotanti est succurrendum. Sed nostra magis sentimus, quàm communia mala? Malus ille est sensus, & qui nos ad grauiora mala trahit. In quæ ne incurramus, hæc ipsa mala nos admonent. Sicut & amor Reipublicæ nos docet, propter amorem Numinis & beatitudinis, (qui est vtiq; pluris faciendus, quàm quæuis Respublica, *quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quàm dabit homo commutationem pro anima sua?*) & bella, & quæuis alia à Deo venientia mala longè libentiùs promptiusque esse toleranda.

S. Augustin. lib. 22. contr. Faustū, cuius verba referuntur etiam à Gratiano 23. q. 1. Can. Quid culpatur?

Matth. 16. 26.

VI. Tertia causa est, quam modò attigi, vt per miserias belli discamus horrere miserias æternas Inferorum, quem locum Iob vocat *Terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Nulla igitur belli mala sunt cum Inferorum malis comparanda. Ibi rixæ, ibi verbera, ibi captiuitates, ibi clamores & eiulationes, ibi vincula & catenæ, ibi incendia, & tormenta non bellica, sed Acherontica, ibi compendium omnium malorum. In illa ne cæci ruamus, vtilissimum nobis est, in hac vita experimentum capere aliquod ærumnarum; & prælibare calicem damnandorum, cuius vel minima gutta est, quidquid in hac vita amarum est: quia in altera vita *pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Cauere docet pœnas, qui periculum facere finit alterum, num palato illius sapiant. Mortem adhuc nullam viderat Adam, & peccauit: minas mortis audiuit, si positam sibi legem transgrederetur, & transgressus est. Fortasse non peccasset,

Iob. 10. 22.

Psal. 10. 7.

si vi-

si vidisset alium ante se morientem. Contempsit itaque, cuius nullum habuit prægustum. Nobis per bellicas ærumnas, per vastationes, per tot cædes Deus Infernum depingit & ante oculos ponit, vt doceat detestari, quod finit experiri. Itaq; paternè nobiscum agit, dum minora ista mala ostendit, vt declinemus æterna mala, illorum comparatione formidata.

VII.

Quarta caussa est, quia, postquam *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*, necesse est, varias dari vias, per quas mors homines abducat, vt mundum vacuet, & locum det successoribus, vt ita tandem impleatur numerus saluandorum. Neque enim sufficit, quosdam hinc decedere è vita, ob naturalium virium defectum. Cùm enim hæ plerumq; sint ita firmæ, vt multis annis possint durare, augeretur in immensum numerum hominum multitudo, nisi extra ordinem aliqui è terra tollerentur. Multi coniuges, singulis annis, tamquam autumnales arbores, fructum ferunt: ac ne deficiat humanum genus, quædam matres pariunt gemellos; & inuenta est nuper in hac vrbe, quæ tergeminos, vna vice, dedit. Iam hi vbi matuescunt, dant & ipsi censum suum. Sic crescit ab vna stirpe numerus innumerus,

Rom. 5. 12.

Et nati natorum, & qui nascuntur ab illis.

Virgil. lib. 3. Æneid.

Vixit Adam centum triginta annis: & genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocauitq; nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni; genuitq; filios & filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. Si ergo singulis annis singulos liberos, vel certè liberos liberorum suscepit, quot necesse est, eum nepotes vidisse? Idem cogitari potest de Seth, cuius *facti sunt omnes dies nongentorum duodecim annorum*: idem de Enos, cuius *facti sunt omnes dies nongenti quinque anni*: idem de Cainan, cuius *facti sunt omnes dies nongenti decem anni*: idem de Iared, cuius *facti sunt omnes dies nongenti sexaginta duo anni*: idem de Mathusala, cuius *facti sunt omnes dies nongenti sexaginta nouem anni*; idem de Noë, cuius *impleti sunt omnes dies nongentorum quinquaginta annorum*. Quantam ab his necesse est prolis multitudinem descendisse? Neque refert, vitam homi-

Gen. 5. 3.
Gen. 5. 8.
Ibid. v. 11.
Ibid. v. 14.
Ibid. v. 20.
Ibid v. 27.
Gen. 9. 29.

num fuisse postea breuiorem; vt enim taceam, eos, qui plures duxerunt vxores, plures quoque liberos habuisse, & vel solum Salomonem, *cui fuerunt vxores, quasi regina, septingentæ, & concubinæ trecentæ,* implendæ hominibus ciuitati satis amplæ sufficisse, certè pænè toto terrarum orbe iam habitato, nasci quotidie ingentem numerum infantium necesse est, vt vel è numero parentum possit æstimari copia liberorum. Angusta nimis fierent terrarum spatia, si mors naturalis omnibus foret expectanda. Diuinæ igitur prouidentiæ fuit, congruè naturis hominum, etiam alios casus permittere, quibus Mundi incolæ minuerentur. Quemadmodum igitur morbos, & pestilitates, & ruinas, & naufragia, & incendia, & mille alia corporum pericula, ita etiam bella esse finit, quibus homines feriuntur, tolluntur, sepeliuntur. *Hac ratione,* ait doctè pius author, *impeditur, ne numerus impiorum inualescat: nam cùm longa prosperitate genus humanum excrescat vltra modum, & veluti arbor in opimo solo inutilium & impiorum hominum multitudine tamquam frondibus & stolonibus luxuriet, Deus hac falce Bellorum vt peritus frondator, noxiam fruticum siluam resecat, frondemq; inutilem distringit, luxurie castigata, vt quod superest, non opprimatur, sed iniquo liberatum onere idoneum fructum proferat.* Sicut & ingentes opes, quas aliqui per fas & nefas corraserunt, Deus (tamquam medicus nimium sanguinem) bellis tollit, atque ex ærarijs priuatis protractas, in militem dispergit, alios exonerans, alios locupletans.

3. Reg. 11. 3.

Leonard Lessius lib. 13. de diuin. Perf. cap. 9.

VIII. Quinta causa est, quia bellum dum alios tollit, alios extollit. Mirificè enim laudati sunt milites, qui fortiter fecerunt. Hinc Apostolus eorum fidem virtutemque prædicat, qui *fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum,* arces munitissimas expugnarunt, muros ferreos penetrarunt. Abrahamum ex cæde Chodorlahomor & regum, qui cum eo erant, reuertentem Melchisedech *rex idem hominum diuumq; sacerdos,* his verbis salutauit: *Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt,* hæc dicens, &, tamquam sacerdos, panem & vinum proferens, acclamauit triumphanti. Ipse Christus *illius Centurionis fidem laudauit, non militiæ desertionem imperauit* (ait S. Augustinus) *dicentis: Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic*

Hebr. 11. 34.

Gen. 14. 19.

Matth. 8. 9.

S Augustlib 22. contr. Faust. c. 74.

huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit, &c. D. quoque Lucas ait: *Vir quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.* Et paulò infrà dicitur idem Centurio, *vocasse duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his, qui illi parebant.* S. Ambrosius, postquam multis exemplis probauit, excelluisse quoque in populo Dei multos fideles bellicæ fortitudinis laude, deinde his verbis concludit. *Habes fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti ac decori forma est, quòd mortem seruituti præferat ac turpitudini.* Quæ res multos accendit, vt Martem spirarent. Apud Poëtam certè, ea fama pro tuba est, *pulchrumq; mori succurrit in armis.*

Act. 10. 1.

Ibid. v 7. S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 40. & c. 41.

Virgil. lib. 2. Æneid.

Ne autem hæc gloria sit inanis, arma eadem, quæ honorem pariunt, pariunt & fortitudinem aliasque virtutes, honoris fundamentum, quæ sexta est bellorum caussa, quia scilicet multarum virtutum caussa sunt, quæ in Achille, ab Homero, in Ænea à Virgilio, Poëtis; in Alexandro à Curtio, in Scipionibus à Liuio, historicis, alijsque ab alijs describuntur. Cùm Lacedæmoniorum Rex polliceretur, se funditus euersurum quamdam ciuitatem, quæ sæpenumero Lacedæmonijs exhibuerat negotium; non permiserunt Ephori, vt testatur Plutarchus, dicentes: *Nequaquam abolebis, neque subuertes iuuenum cotem.* Vrbem infestam appellabant cotem iuuentutis, quòd per eam iuuentus ad bellandi peritiam acueretur, & fieret fortis. Maxima autem in milite virtus est fortitudo. *Nemo vires suas in pace cognouit*, ait S. Augustinus. *Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt.* Quid dicam de ipsa Religione, quæ armis defenditur, contra suos oppugnatores? *Quia quidam*, inquit Leo IV. *in Romanorum portum Saracenos clam furtimq; venturos esse dicebant, nostrum congregari præcepimus populum, maritimumq; ad littus descendere decreuimus.* Hac ipsa de caussa D. Gregorius Gennadium Imperatorem ad hæreticos bello compescendos his verbis hortatur: *Sicut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarũ fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Ecclesiæ eius, omni vivacitate mentis, & corporis obniare, quatenus eius ex vtroque triumpho magis ac magis enitescat opinio, cùm & forensibus bellis aduersarijs Catholica Ecclesia pro*

Plutarch in Lacon. Brus. lib. 3 c. 15.

S. Augustin. in Psal. 84.

Ita refertur in Canone Igitur. 23. q. 8. S Greg. lib. 1. ep. 72.

Christiano populo vehementer obsistitis, & Ecclesiastica prœlia, sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est enim hæretica religionis viros, si eis suppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgere, &c. sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum cervices iugo rectitudinis premat. Nec Religio tantùm bellis defenditur, sed pax, sed tranquillitas, sed iustitia, sed salus illorum sæpe ipsorum, qui vincuntur, hoc velut remedio aut conseruatur, aut recuperatur. Audi S. Augustinum: *Si terrena,* inquit, *Respub. præcepta Christiana custodiat, ipsa bella sine benevolentia non gerentur, vt ad pietatis iustitiæq; pacatam societatem victis faciliùs consulatur.* Audi ipsum S. Spiritum: *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

S. Aug. in ep. 5. ad Marcellinum.

Eccli. 4. 33.

X. Hîc septima caussa emergit, vt scilicet, in bellis quoque omnipotentiam & auxilium Dei discamus agnoscere, implorare, laudare; atque inde magna spe & fiducia armati in hostem procedamus, sicut processit olim regno dignus pastor, inermis iuuenis, contra armatum gigantem, dicens: *Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manus meas, & percutiam te, & auferam caput tuum à te: & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ: vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. Et noverit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.* Quod quàm luculentè factum sit, perspicuè ostendit lætissima victoria subsecuta. Ita olim etiam, quando Iosue pugnauit contra Amalec, *cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Et alio loco dicitur: *Nolite metuere, neque timeatis eos: Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit.* Et rursum: *Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? Nonne idèo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit eos?* Atque iterum: *Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non enim est vestra pugna, sed Dei.* Ac infrà: *Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state; & videbitis auxilium Domini super vos, ô Iuda & Ierusalem.* Ob eiusmodi singulare

8. Reg 17. 45.

Exod. 17. 11.

Deut. 1. 29. Deut 32. 30.

2. Paralip. 20. 15.

lare auxilium, Dei opem agnoscens Dauid in illas laudes incaluit: Psal. 17. 35.
Quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus, qui præcinxit me virtute, qui docet manus meas ad prœlium, & posuisti vt arcũ æreum brachia mea. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Confringã illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Et præcinxisti me virtute ad bellum. Disputat Vegetius copiosè de ijs qui sint maximè idonei ad bellum, ratione scientiæ, patrij cæli, constitutionis corporis, educationis, exercitij. Laudat rei bellicæ artes, quia nemo facilè metuit, quod se bene didicisse confidit. *Etenim in certamine*, ait, *bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est, quàm rudis & indocta multitudo exposita semper ad cædem.* Postea de diuersitate patriæ disputans inquit: *Constat quidem in omnibus locis & ignauos & strenuos nasci. Sed tamen gens gentem præcedit in bello, & plaga cæli non tantùm ad robur corporum sed etiam animorum plurimùm valet, & omnes nationes quæ vicinæ sunt soli, nimioq; calore siccantur, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicuntur: ac propterea constantiam & fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui exiguum sanguinem se habere nouerunt. E contra Septemtrionales populi remoti à solis ardoribus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes, sunt ad bella promptissimi. Tyrones igitur de temperatioribus eligendi sunt plagis, quibus & copia sanguinis suppetat ad vulnerum mortisq; contemptum, & non possit deesse prudentia: quæ & modestiam seruat in castris, & non parum prodest in dimicationibus vti consilijs.* Hæc & plura ibidem Vegetius disserit ad audacem, fortem, prudentem, vno verbo, bonum militem cognoscendum. Et vera esse fino. Sed hæc omnia superat auxilium Dei, quod fortes facit & prudentes milites; & victoriam affert. Quis enim vinceret omnipotentem? Vegetius lib. 1. de re militari cap. 1. 2. & seqq.

Octaua causa, quia naturali ratione Philosophi, & nominatim Philosophorum Princeps Aristoteles, cognouerunt emolumenta belli. Hinc Aristoteles bellum numerat inter ea agibilia, quæ vitæ humanæ vtilia & necessaria sunt. *Diuisa*, inquit, *est vita in negotium & otium, bellumq; & pacem.* Et paulò pòst: *Bellum*, ait, *gratia pacis, negotium autem gratia otij, necessaria & vtilia gratia honestorum.* Ac rursus, *Oportet posse & in negotio versari, & in bello, præferen-* XI. Lib. 7. Polit. cap. 14.

præferenda est tamen pax & otium. Quia scilicet hæc sunt fines, illa media. Vnde in eodem libro ait; *Patet igitur quòd rei bellicæ studia bona sunt existimanda, sed non vt finis supremus, sed gratia illius.* Itaque lex ipsa naturæ suggerit hominibus, eos ius habere propulsandi à se iniurias aliorum, idque duobus modis, vel defendendo scilicet & prohibendo ne inferantur; vel etiam aliquo modo vlciscendo & amouendo illas, vt sic denique satis tuti & incolumes esse possint. Verùm contingit subinde, vt id non alia ratione, nisi vi bellica efficere possint, quando nimirum non est aliquis vtrique parti communis superior, ad quem pro obtinenda iniuriæ compensatione & vindicta recurratur. Quare iure ac meritò tunc ex ipsa lege naturæ bellum est suscipiendum. Si igitur *bella gerimus, eam ob caussam,* teste Philosopho, *vt in pace viuamus*, an non caussam habet Deus, vt bellari sinat? *Suscipienda bella sunt,* ait de officijs disputans Tullius, *vt sine iniuria in pace viuatur.* Cui itidem de officijs differens S. Ambrosius adstipulans ait: *Fortitudo, quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel alatronibus socios, plena iustitia est.* Cui hæc caussa permittendi belli non sufficit, nihil sufficit, estque Meneclidi similis, qui Epaminondæ gloriæ inuidens, suasit populo, vt pacem haberet bello potiorem. At Epaminondas ei dixit: *Fallis ciues tuos, qui otij nomine eos ad seruitutem vocas. Pax enim bello paratur: nec enim tueri licet, nisi ciues sint ad bellum instructi.*

Eod. lib. c. 2.

Aristot. lib. 10 Ethic. c. 7.

Plutarch. in Epaminond.

XII. At in bello multa & magna scelera perpetrantur? & semper pars altera caussam fouet iniustam, cùm iustitia pro vtraque stare non possit? Ita est. Sed communis est ista quæstio, cur Deus peccata permittat? & cur permittat bellum vnde sunt peccata? At non est necesse, vt qui bellum gerit, etiam contra Deum pugnet ac peccet. Nam inprimis, etsi non potest vtriusque partis iusta esse caussa vt bellet, potest tamen fieri, vt neutra peccet, quando scilicet pars altera inuincibiliter ignorat, se habere caussam iniustam. Deinde si bellis & peccatis necessaria esset connexio, nemo militaret sine peccato. Vnde ergo tot sanctos milites haberemus? cur Abraham, cur Moyses, cur Iosue, cur Gedeon, cur Dauid, cur Machabæi, cur alij tantopere laudarentur? Atq; esto bellum multis sit occasio, cupidè, auarè, crudeliter, impiè agendi;

sgendi; num ideò nullum esse debet? quid tandem in mundo esse oporteret, si omnia, quæ sunt occasio peccandi, tollenda forent? Tollendum esset *vinum, in quo est luxuria,* & ebrietas; tollendus esset cibus, sine quo crapula non foret; tollendæ essent vestes, quibus superbitur; tollenda esset pecunia, quæ multis occasionem offert furandi, prædandi, latrocinandi; tollendæ essent mulieres, sine quibus nulla adulteria committerentur; denique ne longum faciam, tollenda essent ipsa diuina Sacramenta, per quæ multi blasphemant, & quibus innumeri abutuntur. Vel Poëtam audiamus. Ephes. 5. 18.

Nil prodest, quod non ladere possit idem,
Igne quid vtilius? si quis tamen vrere tecta
Comparat, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modò dat medicina salutem,
Quæq; iuuat, monstrat; quæq; sit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur ense viator,
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
Discitur innocuas vt agat facundia causas,
Protegit hæc sontes, immeritosq; premit. Ouid. lib. 2. de tristibus.

Quid dicam de ipso Deo, cuius iustissimum regimen hi ipsi calumniantur, qui putant non solùm peccata, verùm etiam bella ipsa permittenda non esse. Sed de permissione peccatorum, & bellorum immissione ex instituto agamus, est enim vtilis ac necessaria tractatio. Et habet circa bella peculiarem difficultatem. Quia famem, pestem, incendia, terræ motus, Deus directè potest velle & immittere, nempe per causas naturales, & absque vllo culpæ interuentu: bella autem saltem quæ iniustè suscipiuntur, etsi sine peculiari diuinæ prouidentiæ permissu non gerantur, non tamen directè à Deo decernuntur, sed permittuntur dumtaxat: quia vbi tale bellum est, necessariò etiam peccatum est, & iniustitia, minimùm materialis.

CAPVT LVIII.

Cur Deus peccata, quæ non solùm in bello, verùm etiam in toto Mundo plurima perpetrantur, permittat?

I. MExat multos ista quæstio, cur Deus aut mala, aut malos, immo peccata ipsa, quæ sola sunt verè mala, in mundo esse permittat? In qua Plato jubet quiescere: Dauid autem ait: *Os meum annuntiabit iustitiam tuam; tota die salutare tuum. Nam etsi non cognoui litteraturam*, tamen *introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Deus docuisti me à iuuentute mea: & vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua, & vsq; in senectam & senium: Deus ne derelinquas me.* Inter mirabilia autem maxima est, quòd permittat peccata. Cuius rei multas licet afferre causas: generalem indicat illam D. Augustinus, ex altissimo diuinæ sapientiæ ingenio petitam: *Melius iudicauit de malis benefacere, quàm mala esse non permittere.* Quàm mirabilis hæc sapientia est? malis bene vti; de venenis facere medicinam; de ipso vulnere procurare sanitatem? atque in ipsis exitijs salutem reperire? Quam verò salutem? vt nimirum ipsa peccata, quibus nihil est Deo magis contrarium, sint occasio immensæ illius clementiæ, patientiæ, bonitatis, beneuolentiæ, beneficentiæ, omnipotentiæ, iustitiæque cognoscendæ. E quibus agnitis oritur incredibilis amor, & salutaris timor ac reuerentia Dei. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* ait Apostolus. Percurramus singula.

Psal. 70. 15.

Rom. 2. 4.

M. Primò numquam Marius gladium fabricasset, quo se sciuisset interimendum. At Deus hominem fabricauit, à quo se sciuit millies violandum. Quis figulus è limo formaret ollam, à qua sciret, se ignominiam, multaque alia incommoda reportaturum? Deus è limo terræ finxit hominem, quem ab æterno præuidit præuaricaturum, & præcepta illius contempturum; quodque vidit, seipsa est expertus. Quis nostrum tantæ esset patientiæ, vt eum ad maximos honores ac dignitates promoueret, à quo certò sciret se maximis contumelijs afficiendum? At Deus hoc facit, tantæ sunt *diuitiæ bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis.* Nec primùm

mùm dumtaxat hominem condidit, omnibus naturæ & gratiæ donis exornatum, quem præuidit, vxoris suæ, quàm Conditoris sui potiorem rationem habiturum, & veritum fructum gustaturum; sed quotidie innumeras creat animas, quas clarissimè nouit, sibi fore inimicas. Sed Deus est, & vniuersalis causa, *solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos*, in exemplum nostrum, qui tam difficiles sumus ad beneficia inimicis nostris exhibenda. Quo argumento maximè vsus est Christus, cùm diceret: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, &c. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonnè & publicani hoc faciunt? Et si saluauerit is fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonnè & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Hanc tantam illius perfectionem, si ex animo suspicimus & admiramur, amamus quoque & accendimur ad imitandam. Matth. 5. 45.

III. Romæ aliquando insignis artifex scyphum crystallinum fertur Imperatori obtulisse, ad omnem elegantiam factum; sed cùm is ei è manibus excidisset, & humi afflictus in mille fragmina dissiliisset; artifex extemplò se inclinans, frusta omnia collegit, & haud secus ac cerea essent ita rursus artificiosè compegit, inter se, vt Imperator diceret, maiore ingenio scyphum refectum, quàm factũ. Hominis naturam si aspicias, fragilis est & plus quàm vitrea: eam tamen quàm pulchram & elegantem Adamo tradidit Deus? Sed illius culpâ lapsa est. Excidit itaque homo gratiâ diuina, & perdidit integritatem; neque se ipse potuit colligere, & restituere in integrum. Adfuit ergo sapientissima Dei omnipotentia, & tanta arte culpam emendauit naturamque humanam reparauit, vt jam Ecclesia sibi gratulans, non dubitet *culpam* illam *felicem* vocitare, quæ talem habuit Redemptorem. Nisi enim homo peccasset, Deus non factus esset homo. Vnde tantus nostri generis extitit honos, tantus decor humanæ naturæ, vt homo Deus sit & appelletur: quod Angelis non contigit. Neque hîc fuit terminus diuinæ bonitatis. Ni peccatum fuisset, Deus pro homine non passus esset se in crucem suffigi. Nunc summa pati-

buli ignominia, cessit in summam Dei gloriam, cuius immensum erga nos amorem, nusquam alibi expressiùs cognoscere potuisse-
Isa. 7. 14. mus: adeò vt articulum, qui magnitudine sua naturæ lumen vincit, fidei lumine comprehendere debeamus. Hinc Isaias antè, quàm diceret: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, præmisit: *Si non credideritis, non permanebitis.*
Ibid. v. 9. Tam immensa bonitas & charitas in mysterio Incarnationis est inclusa, vt nisi credendo apprehendi non possit: credentes autem,
Rom. 5. 10. *cùm inimici essemus, reconciliatos nos esse Deo per mortem Filij eius*, maxima rapit admiratio in laudes diuinas, & gratiarum actionem gratulationemque. Paruumne lucrum est istud? an exiguum damni fructum censeamus, Deum sic mortalibus innotuisse? Per peccatum occasio data est Creatori, vt illius bonitatem, clementiam, pietatem, misericordiam, lenitatem, patientiam, longanimitatem cognosceremus. Tantus virtutum apparatus, ante pænè ignoratus, non potuit magis illustrari, & nobis commendari, quàm vt videremus, mundi Conditorem non solùm eos, quos hostes suos viderat futuros, nihilominus condidisse; sed etiam postquam omnia hostilia fecimus, nos sanguine suo redemisse. Vide igitur an non rectè *melius judicauerit de malis benefacere, quàm mala esse non permittere?*

IV. Huic D. Augustini sententiæ valde similis est illa Plotini ho-
Plotin. lib. 3. enn. 2. c. 5. minis Ethnici, qui scripsit, *ipsam mundi artificem rationem, malis, postquam facta sunt, opportunè admodum vti solere. Id autem maximæ potestatis est*, ait, *malis etiam bene vti valere.* Ac infrà: *Numquid ergo mala quæ in mundo fiunt, propterea quid præcedentia consequuntur? Fortè etiam quia, nisi hæc essent, imperfectum foret & totum. Plurima namque malorum, vel cuncta potiùs quamdam toti præstant vilitatem; quemadmodum venenosa, quamuis plurimorum vsus & ratio lateat. Iam verò prauitatem quoq; ipsam multa constat vtilia continere, multaq; reddere pulchra, pulchritudinis artificiosa more, suscitat sæpe homines ad prudentiam, neq; securiori licentia torpere permittit.* Et alio
Idem lib. 3. enn. 3. cap. 7. loco: *Quicumq; deterius è mundo tollendum censent, tollunt ipsam etiam prouidentiam. Cuiusnam amplius prouidentia erit?* Explicat
S. Thom. in Comp. Theol. cap. 142. hanc doctrinam Plotini, D. Thomæ doctrina, ita loquentis: *Nec tamen hæc diuinæ bonitati repugnat, quòd mala esse permittit in rebus*

ab eo

à eo gubernatis. Primò quidem quia prouidentia non est naturam gubernatorum tollere, sed saluare. Requirit autem hoc perfectio vniuersi, vt sint quædam, in quibus malum non possit accidere; quædam verò, quæ defectum mali pati possint secundùm suam naturam. Si igitur malum totaliter excluderetur à rebus prouidentiâ diuinâ; non regerentur res secundùm earum naturam: quod esset maior defectus, quàm singulares defectus, qui tollerentur. Hæc S. Thomas.

V.

At videamus, quid sit regere res, *secundùm earum naturam*, præsertim hominem, cuius natura exigit arbitrij libertatem, quæ quia valde conuenit homini bonum & malum discriminanti, sine violentia non adimeretur. Et si adimeretur, perirent merita, perirent præmia. *Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria* Eccli. 31. 10. *æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino.* Equis & alijs iumentis non damus mercedem, non enim sponte, sed coactè laborant. Posse peccare, & non peccare, hoc est glorioſum. *Appoſuit* Eccli. 15. 18. *tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illis quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.* Virtutes exigi ab homine, nemo negat. Atqui in hoc rerum statu, si vitia non essent, neque virtutes essent.

VI.

Quod Lactantius ex affectibus hominum, qui naturales, non voluntarij sunt, contra Stoicos ita demonstrat. *Peripatetici rectiùs, qui tunc omnia detrahi negant posse, quia nobiscum simul nata sint; & conantur ostendere, quàm prouidenter, & quàm necessariò Deus, siue natura (sic enim dicunt) his nos armârit affectibus, quos tamen quia vitiosi plerumque sunt, si nimij sint, posse ab homine adhibito modo salubriter temperari, vt tantum homini, quantum natura satis est, relinquatur. Non insipiens disputatio, si vt dixi, non ad hanc vitam omnia referrentur. Stoici ergo furiosi, qui ea non temperant, sed abscindunt; rebusq; à natura insitis castrare hominem quodammodo volunt. Quod tale est, quale si velint aut metum detrahere ceruis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quæ singula mutis animalibus data sunt, ea verò vniuersa homini simul. Quòd si vt medici dicunt, lætitiæ affectus in splene est, iræ in felle, libidinis in iecore, timoris in corde; facilius est interficere animal ipsum, quàm*

L. Cælius Lactant. lib. 6. diuin Instit. cap. 15.

ex corpore aliquid euellere; quod est animantis naturam velle mutare. Sed homines prudentes non intelligunt, cùm vitia ex homine tollunt, etiam se virtutem tollere; cui soli locum faciunt. Nam si virtus est, in medio ira impetu seipsum cohibere, ac reprimere; quod negare non possunt: caret ergo virtute, quisquis ira caret. Si virtus est, libidinem corporis continere; virtute careat, necesse est, qui libidinem, quam temperet, non habet. Si virtus est cupiditatem ab alieni appetitione frenare; nullam certè virtutem potest habere, qui caret eo, ad quod cohibendum, virtutis vsus adhibetur. Vbi ergo vitia non sunt; nec virtuti quidem locus est; sicut nec victoriæ quidem, vbi aduersarius nullus est. Ita sit vt bonum sine malo esse in hac vita non possit. Affectus igitur, quasi vbertas est animorũ naturalis. Nam sicut in sentes ager, qui est natura facundus, exuberat: sic animus incultus vitijs sua sponte inualescentibus, velut spinis obducitur, sed cùm verus cultor accesserit, statim cedentibus vitijs, fruges virtutis oriuntur. Deus itaque cùm hominem primum fingeret, mirabili prouidentia, ingeneranit ei priùs istas animi commotiones, vt posset capere virtutem, sicut terra culturam; posuitq; materiam vitiorum, in affectibus; virtutis, in vitijs. Quæ profectò aut nulla erit, aut in vsu esse non poterit; si desint ea, per quæ vis eius aut apparet, aut constat.

VII. Virtutes igitur multæ non essent, vel certè tantæ non essent, si vitia non essent, aut peccata; è quibus proinde multa bona emergunt. Vnde humilitas? vnde lachrymæ? vnde contritio, & pœnitentiæ virtus? vnde metus inferni, si peccata non essent? Psal. 50. 3. Cur Dauid dicebat, *Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam?* nonnè causam ipse subiunxit? *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatũ meum contra me est semper?* Neque meum dumtaxat, sed etiam matris meę, quia & *in peccatis concepit me mater mea.* Quàm multos à nimia diuitiarum cupiditate, à comessationibus & immisericordia deterruit diues ille epulo, Luc 16. 19. *qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè*, postea autem dicebat, *crucior in hac flamma?* Quàm multi, vt confugerent ad misericordiam Dei, tracti sunt, postquam viderunt, Luc. 7. 36. in gratiam receptũ Zachæum, Matthæum, mulierem, *quæ erat in* Luc. 23. 43. *ciuitate peccatrix?* ipsum denique latronem in cruce resipiscentem? Vnde in nobis existeret cura & solicitudo salutis, si non audiremus,

mus, tot peccare, & perire? atque inde intelligeremus, idem quod alijs contingit, nobis quoque posse contingere? Vnde gratiarum actio, si non experiremur, nos, à diuina gratia præuentos, euasisse barathrum, in quod alij inciderunt? Duplicat gaudium rei desideratæ adeptio, & formidatæ declinatio. Quantam beati in æternum sentient lætitiam, si non solùm experti fuerint, se videre summum bonum; sed etiam aspexerint se summo malo peccati supplicijque semper duraturi liberatos? Si nullum aliud bonum è peccato existeret, quàm vt dominatio Dei, & æquitas maiestatis ostendentis se gratiæ suæ arbitrum & dominum esse, eluceret, satis id esset Deo ad peccata sine reprehensione permittenda: iam verò ea etiam iudicum & magistratûs prudentiæ iustitiæque exercendæ præbent occasionem. Hæc prouidentiæ summæ ars est, non omnia mala tollere, sed ordinare ad bonum; vt immensitas diuinæ bonitatis omnibus modis innotescat, & bona etiam per mala commendentur. Neque enim magis debent bona naturæ, quàm morum celebrari. At bona naturæ per monstra ipsa, quæ censentur mala naturæ, honestantur; augent enim ornatum vniuersi, qui, tamquam pulchritudo iuxta næuum, magis enitescat. Ita & peccata, quæ sunt monstra morum, ad prouidentiæ decus spectant. Vt autem in naturalibus monstris, non peccat naturæ intentio, semper optima, sed caussæ particulares; sic & morum monstra præter diuinum propositum accidunt. Itaque non peccat prouidentia ipsa, sed homines; quorum peccatis diuina prouidentia vtitur ad beneficentiam, immo & omnipotentiam suam declarandam. Vtitur enim malis bene, & ostendit, à sceleribus nostris artem atque potentiam suam fuisse prouocatam. Ita quippe omnipotens est, vt omnia possit facere, præter peccatum, quod est nihil. In ipso tamen hoc nihilo, quod facere non potest, aliquid facit; nam propter infinitam suam bonitatem, bonum ex eo extorquet. Et, ni fallor, huc aspexit etiam Plotinus, cùm dixit: *Prauitas vtile quiddam affert ad vniuersum, facta videlicet iuris ipsius exemplum, multaq; ex se vtilia pariens, reddit enim animos vigilantes, efficitq; vt diligenter excogitent, qua via potissimum à præcipitio prauitatis valeant declinare: Rursus verò, vt quantum bonum virtus sit comparatione malorum, vitiosas*

Plotin lib. 3. enn. 2. cap. 8

vitiosos animos affligentium, cognoscamus. Neque propterea hæc facta sunt mala: sed dictum est, ipsam mundi artificem rationem, malis postquam facta sunt, opportunè admodum uti solere. id autem maximæ potestatis est, malis etiam benè uti valere.

CAPVT LIX.

Diuinæ Iustitiæ notitiam, mundo maximè necessariam, è bellorum pœnâ, quam peccata nostra exigunt, elucere.

I. ALia adhuc supereſt eaque præcipua cauſſa, ob quam ſapientiſſima illa prouidentia, & peccata permittit, & bella; quia videlicet *Deus miſericors, & miſerator, & iuſtus eſt.* Deum non nouit, qui nouit tantùm miſericordem, etiam iuſtum noſſe debet. At vnde noſcet, niſi è plagis, quas vel permittit, vel immittit? Dauid poſtquã dixit: *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum;* cauſſam ſubiunxit. *Quaniã iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.* Ergo iuſtitia manifeſta fit ex pœna, pœna autem ſupponit culpam; quæ etſi ex ſe malum quoddam eſt, inde tamen boni aliquid ex ea elicitur, quia iuſtitia diuina plectendo innoteſcit. Aliter tamen quàm in aliquo creato Principe, vel gubernatore ſuperiorem agnoſcente, in quo aliquando ex peculiari contractu, vel obligatione erga Remp. vel eos, quibus ius dicere tenetur, naſcitur ſtrictum debitum. Pœna enim peccato, ſeu potiùs peccatori debetur, non quòd is ad eam ius aliquod habeat, ſicut mercenarius ad mercedem, ſed quia illi congruit, eſtq; neceſſaria, vt rectus ordo per eum violatus inſtauretur. Ob quam cauſſam etiam pœna debetur Reip. cuius peccator eſt pars, & cuius legem violauit. Huic debito reſpondet iuſtitia vindex in eo, qui Remp. gubernat, cui per officium vel pactum obligatus eſt, vt ei ius adminiſtret ſontes puniendo. Sic enim & debitum ſoluit Reip. & conſulit bono communi. Ab hac virtute Iudices iuſti appellantur, & laudibus digni. Neque bonum eſt dumtaxat atq; honeſtum, ordinem iuſtitiæ violatum inſtaurare, ſed etiam magnum Reip. decus. Adde, quòd ſine ſcelerum vindicta, legum obſeruatio, quæ eſt maximum Reip. ornamentum, conſtare non poſſit. In Deo, tamquam ſupremo Principe, *obligatio* locum non habet,

Pſal. 111. 4.

Pſal. 10. 7.

habet, cùm officium gubernandi mundi non à mundo, sed à se habeat. Vnde neque peccatoribus, neque mundo ipsi, ex nexu iustitiæ, ad peccata plectenda obstrictus est; sed solùm sibi ipsi; cùm valde deceat ipsius iustitiam & sanctitatem, atque ita statuerit ad suam gloriam & bonum vniuersi, reos non dimittere impunitos.

Itaq; quidquid Deus facit circa creaturas, vel est opus misericordiæ, vel iustitiæ vindicatiuæ, iuxta illud: *vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Ab vtraq; virtute laudabilis est. Quamquam vt benignitas, ita & ipsa quoque seueritas iustitiæ in bonum nostrum redundat. Si enim nulla esset vindicta criminum metuenda, quàm pauci saluarentur? quàm rari virtutis arduum callem conscenderent? quàm proni essent ferè omnes, vt se se in cœno vitiorum volutarent? Siquidem plerique vel iam, id quod pluris foret æstimandum, minoris faciunt; & minùs curant pœnam damni, quàm sensus. Dummodo infernus non esset, & illa æterna flammarum tormenta patienda; nihili facerent cælum; & libenter carerent gaudijs illis diuinis, si possent etiam carere pœnis sensu percipiendis. Atque hoc solatium quod non habent, fingunt sibi, qui in profundum venerunt, peccatores. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*, qui peccata vindicet. quid verò inde? *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Intremus scholam, in qua magister non est, quanti ibi clamores, quantæ insolentiæ? Spectemus exercitum sine disciplina militari, quæ non confusio, quæ non licentia, & immanitas? Intueamur Remp. in qua nemo suspenditur, nullus agitur in rotam, nemo capite plectitur, nullus carcerem metuit, an non ibi omnia furtis, rapinis, homicidijs scatent? Ita in toto mundo, si Dei vindicta deesset, virtutes exularent, vitia tenerent clauum Plus enim apud homines valent supplicia, quàm beneficia; plus minæ, quàm promissiones, naturâ iam corruptâ *& in malum prona ab adolescentia sua.* Stimulo igitur timoris opus est, etiam ijs qui in virtute profecerunt, ne se tentatione vinci patiantur. Vnde & ille orauit: *Confige timore tuo carnes meas.* Sed quid mirum? *Initium sapientiæ timor Domini.* II. Psal. 34. 10. Psal. 13. 2. Gen. 8. 21. Psal. 330. 10.

Vt hoc autem fiat confirmatius, duo in iustitia vindice con- III.

sideranda sunt, scilicet violati ordinis in vniuerso instauratio, & diuinæ iniuriæ compensatio. Nam vt de priore priùs dicam, peccator rectum perturbat; siquidem diuinæ subiectioni se subtrahendo, publicæ rectitudinis statum peruertit. Quod quantum sit malum in homine, inde intelligi potest, quia ingens foret mundi malum, si elementa sedes suas mutarent, & ignis inferiorem, aqua & terra superiorem locum occuparet. Tunc enim ignis aut ab aqua extingueretur, aut terram combureret, homo autē mille incommodis affligeretur. Elementa, & totus iste visibilis mundus in hominis obsequium sunt creata. Homo igitur ipso Mundo & elementis nobilior est. Longè ergo enormior est perturbatio, quando is se sui Creatoris subducit gubernationi, suoq; arbitrio viuere volens, se illi opponit, & quodammodo suum gubernatorem ipsum vult gubernare. Hæc tanta vniuersi perturbatio, per iustitiam vindicantem instauratur; quæ, dum pœnam homini infert, iterum eum diuinæ gubernationi, cui se subtraxerat, subijcit; eumque, qui suo arbitrio viuere voluit, iam Dei arbitrio pati cogit, quod iustitia statuit. Quemadmodum igitur inordinatio illa, quam peccatū contra rectam partium vniuersi dispositionem inducit, est grande malum & ingens Vniuersi deformitas, ita iusta vindicta, qua ea perturbatio deletur, aut corrigitur, est maximum quoddam bonum & mundi ornamentum. Qua etiam vindicta iniuria diuina compensatur, & emendatur, quæ peccato inest. Qui enim peccat, Deum contemnit, & se illi quodam modo anteponit, sibi plus sumens & Deo detrahens authoritatis. Maximum vtique malum est, contemptus & iniuria in Deum, quo nullum maius existere in mundo potest. Hoc malum tollit Iustitia vindex Dei, qui quando delinquenti debitam pœnam infert, iniuriam sibi irrogatam, quodam modo compensat. Quisquis enim aliquid contra voluntatem suam ab altero est passus, satisfactionem quamdam accipit, quando videt illum vicissim contra suam voluntatē pati: & qui ab altero contemptus est, illius pœna & depressione honoratur. *Quid enim pulchrius, & rectissimo ordini iustitia congruentius, quàm vt qui Deo iniuriam agendo irrogauit, is patiendo (cùm aliter non possit) ei satisfaciat; & qui se contra Deum extulit, à Deo infra se deprimatur; & qui voluntati & affectui nimium indulsit,*

Leonard Lessius lib. 13. de diuin perfect. cap. 3.

indulsit, ea quæ voluntati & affectui sunt aduersa sustinere cogatur; & qui subduxit se gubernationi misericordiæ, incidat in seueritatem iustitiæ?

IV. Hæc diuinæ iustitiæ vindicta probè agnita multùm potest in mortalium pectoribus. Nam inprimis ad bonum eos impellit, dum mundi Monarcham peccatoribus terribilem esse ostendit: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud reges terræ.* Psal. 75. 32. Deinde à malo vehementer absterret: *Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies? Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & parauit illum.* Psal. 7. 12. Innotescet autem hæc iustitia maximè quidem in altera vita, sed serò, & iam sine fructu puniendorum. In hac autem vita, per fidem, & Scripturæ testimonia, idcirco indicatur, vt nos moneat, faciatque cautiores. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij.* Matth. 12. 36. Sed ita sunt non pauci hebetes, vt futura, & velut à nobis longè absentia non apprehendant, præsentiaque & ante oculos versantia magis curent. Itaque vt etiam illis succurreret diuina clementia, iustitiam suam vindicatricem, sæpe quoque in hoc mundo patefacit, & scelera plectit: vt sicut diuinæ misericordiæ, ita etiam pariter iustitiæ magnitudo ex operibus cognoscatur. Caussa enim ex effectibus, & virtus ex functionibus suis, deprehenditur. Cùm ergo plurima sint iustitiæ diuinæ vindicantis opera, inter ea non minimum est bellum. *Ego Dominus, & non est alter,* ait, *formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Isa. 45. Adeò nimirum bellum est hominibus malum paci oppositum, vt per *malum* absolutè intelligatur. Quia igitur omnis afflictio, quæ nobis obuenit, est à Deo peccata nostra castigante, bella quoque opus diuinæ justitiæ esse necesse est. Quid conqueri possumus, si patimur, quod meriti sumus? immò si minus patimur? Nam mille gehennas promeruissemus, & Deus nostri amans, bello nos castigat, vt resipiscentes gehennam euadamus.

V. Est quidem nunc tempus misericordiæ, eritque præcipuè, in altero sęculo, justitiæ tempus ostendendæ, quando Dominus *reddet,*

det, coram toto Mundo, *vnicuiq; secundùm opera sua* Cælum vel Oceum; non rarò tamen, & quidem sæpe etiam clementissimo amore, edit quædam exempla vindictæ, è quibus intelligamus, esse aliquem oculum qui omnia videt, esse Mundi Rectorem, qui non dormiat; esse Iudicem qui rebus humanis attendat. Et quamuis omnis huius vitæ pœna comparatione meritò clemens sit appellanda, quædam tamen sunt satis luculentæ, vt ex ijs haud obscurè homines conijcere possint, qualibus supplicijs rei in futuro sæculo
Luc. 23. 31. sint exagitandi. *Si* enim *in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si tempore gratiæ tanta mala immittit peccatoribus cælestis Pater, quid facturus est supremus & incorruptus Iudex, tempore seueritatis? Quæ cogitatio multos reuocat à peccatis accumulandis. Itaque inter ordinarias, sed atrociores pœnas Dei, est bellum, cuius calamitate & præterita scelera puniuntur, & futuris fomenta subtrahuntur, & Dei cognitio ac timor castigatis ingeneratur, vt ad ipsum, precibus, eleemosynis, pœnitentiaque confugere, vitamq; ac mores ad frugem bonam conuertere compellantur.

VI. Ergo igitur omnia bella, motus omnes & seditiones nihil aliud sunt, quàm flagella Numinis, errores nostros, & indignitates vel corrigentia, vel plectentia. Quando enim diuturna pax, & vitæ prosperæ longa felicitas opes auget, auget & delicias, & quamdam morum licentiam ac libertatem. Hîc se se humanus animus diffundit in voluptates, & conscientia laxatur, virtus languet, mens corrumpitur, memoria Conditoris sui obliuiscitur, voluntas denique facit, quidquid lubet. Quod in potentioribus longè potentiùs euenit. Si enim Principes, Reges, aut alij Monarchæ diu floreant, si omnia illis ad votum fluant, si neminem timeant; si diuitijs & potentia crescant, crescunt & cristæ illis, & animi, & se pænè Deos arbitrantur, neminiq́ue aut homini, aut Numini volunt esse subiecti. Itaque intolerandâ superbiâ, suam prosperitatem, prouinciæ aut regni sui tranquillitatem & potentiam, non diuinæ prouidentiæ & bonitati, sed suæ maiorumq́ue suorum prudentiæ & meritis ascribunt; putantq́ue se non beneficia, sed debita accepisse. Quare non se Superis gratos exhibere studeant, sed à maiorum suorum pijs institutis declinantes, quæ illi diui-

li diuinæ iræ placandæ liberaliter fundauerunt, minuunt, abrogant, euertunt; nullo discrimine inter sacra & profana facto. Nimirum potentiam licentia sequitur; & idem est, posse, quod licere, apud eos, quibus libido pro lege est. Igitur ita paulatim viuunt, ac si ipsi omnium, & adeò juris quoque judices essent, à nemine judicandi. Principis ad mores plebs se accommodat, eademque via incedit, post præeuntem; tandemque ita omnia geruntur, ac si nullus esset in mundo Deus. Quid igitur? an non debet irasci? an non *excitetur tamquam dormiens Dominus, tamquàm potens crapulatus à vino?* præsertim Angelis omnibus, omnibusque Diuis cælitibus, quorum clientes tantopere læduntur, clamantibus: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.* Sæpe diu expectat, sæpe conniuet, quasi non videret iniquitatem; cùm tamen impleta est mensura peccatorum, & reges, & regna punit, dum scilicet eos pristina protectione destituit; dum eos excæcat; dum consilia sana noxijs finit permutare; dum denique perfidiam finit fidelitati anteferre. Ita enim loquitur: *Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem; omne robur panis, & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatorem, judicem, & Prophetam, &c.* Psal. 77. 65. Psal. 67. 2. Ios. 3. 1.

CAPVT LX.

Ob peccata, non solùm imperia Ethnicorum, sed etiam, tempore Iudicum, Israëlitas bellis fuisse à Deo castigatos.

HAnc diuinæ Iustitiæ vindictam in omnibus retro historijs reperiemus: nam & ortus, & interitus regnorum, hinc originem traxerunt. Istâ enim ipsâ de causâ mundi Moderatur, magna quædam regna, imperia, & monarchias introduxit, quæ sine magnis bellis, & funestis cladibus populorum neque inchoari, neque conseruari poterant, vt Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum. Sicut autem istorum reges in aliorum impiorum mortalium pœnam excitati sunt; ita vicissim ipsi extincti, eorumque regna, ob suorum scelerum multitudinem & immanitatem excisa perierunt. Assyrij à Nino Beli filio trigesimum aut trigesimum primum & vltimum regem habuêre. I. Diodor. lib. 3.

Iustin. lib. 1. buêre Sardanapalum; de quo Iustinus ista memoriæ prodidit. *Fuit hic omnis generis luxuriæ deditus: nec erubuit, inter scortorum greges nere, & muliebri habitu faminas omnes lasciuia anteire. Quamobrem indignati Assyrij tali femina parere, duce Arbace desciscentes, bellum Sardanapalo intulerunt. Qui victus in regiam se recepit, & extructa pyra, se atque diuitias in incendium misit.* Sic ille per bellum, cum illo opes, voluptates, diademata, & omnis regia pompa in fumum & cineres abierunt. Et quis est, qui non canat

Iuuenal. Sat. 3. *De Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali?*

Ipse certè sibi, teste Tullio, moriens hoc condidit epitaphium: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*, talibus nimirum, qui cælum suum in hac vita habuerunt. Ne talem autem Sardanapalum dumtaxat fuisse putemus, multò latiùs se se extendit mensura peccatorum Assyriæ regno permissa. Nam eam statim implere cœpit Ninus, seu Ninias Nini primi filius, qui à patre penitus degenerauit, perinde quasi luxuria cum matre Semiramide certaret. Regni administrationem Præfectis commisit: ipse delicijs effeminatus consenuit in cœtu mulierũ, pernicioſiore etiam exemplo, quàm instituto. Nequitię suę imitatores triginta deinceps Assyriorum reges habuit, alium alio nequiorem, qui omnes perinde ac si nati non essent, in tenebris ac silentio iacuerunt, verbo Reges, re autem vera mancipia voluptatis. Summa denique omnis nequitiæ in Sardanapalum, tamquam in Camerinam quamdam, confluxit; in quo fuit mensura peccatorum completa. Quare naturæ terminum, aut hostilem manum nonexpectauit, sed sibi ipsi manus violentas intulit. Rege sublato, regnum quoque ipsum Assyriorum euersum est à Persis. Sed neque Persarum luxus durauit. Alexander quippe Magnus, Thessalorum, Græcorumque sociorum armis adiutus ad Persicum bellum, traiecit in Asiam; paruâ, sed firmâ manu innumerabilem hostium multitudinem deleuit, Darioque rege tribus prœlijs debellato, Asiam subegit, & à Persis ad Macedones imperium traduxit. Ita Græcorum regnum effloruit; à Romanis vicissim attritum. Romanorum denique imperio, quid accidat, prô dolor, experimur. Cur accidat, è sacris historijs, & exemplo Iudęorum, discamus.

Cic. lib. 5. Tuscul. Dio lib. 3. Iustin. l. 1. Diolib. 17. Iustin lib 11. & 12. Plutarch. in Alexand.

II. Nam Iudęi tempore Iudicum postquam in terram promis-

sionis

sionis pedem posuerunt, deliciarum impatientes, *impinguati, incrassati*, Creatoris, Liberatorisque sui, & tot prodigiorum obliti, auerterunt se à veritate. Nec defuit vindex Deus; qui vt eos in viam reduceret, bellis flagellauit. Quotiescumque enim, patrijs legibus desertis, ritu Gentium, Deos alienos coluerunt, à Deo castigati, hostibus obiecti, & seruituti subiecti sunt: quoties autem icti respuerunt, ac per pœnitentiæ opera ad Dominum, ex animo reuersi sunt; tamquam benignus Pater, illorum ærumnis motus, Ducem egregium suppeditauit, qui eos ab hostium violentia liberaret, restitueretque in pristinum statum libertatis. Quod intra quingentos annos, cùm sub Iudicibus essent, septies illis euenit. Siquidem septies illo annorum spatio idolis seruierunt; quare septies & illi in seruitutem dati sunt. Rursumque septies ad Dominum per pœnitentiam recurrentes, iterum septies quoque liberati sunt. 1. Iosue ac senioribus, qui diuinorum prodigiorum oculati testes fuerant, Iudæosque in auita religione conseruârant, defunctis, tamquam pecus, custode remoto, errare cœperunt, & relicto Dei cultu, ritibus idolorum Baalim & Astaroth se se subiecerunt. Quapropter irritatus Dominus, eos iugo subdidit Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, cui proinde octo annorum interuallo seruierunt. Sicut felicitas facit recalcitrantes, ita afflictio docet sapere. Igitur cùm tandem illis ea seruitus vehementer molesta esset; accederentque Sanctorum virorum exhortationes, dicentium, ob peccata illos & Idola sua in eam calamitatem incidisse; culpam agnouerunt, veniam petiuerunt; auxilium cæleste inuocarunt. Neque frustra. Vt enim viderent, quàm misericors esset Deus, miseratione oppressorum tactus eduxit in lucem Othoniel, *fratrem Caleb minorem: fuitq; in eo Spiritus Domini, & judicauit Israël. Egressusq; est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chusan Rasathaim regem Syriæ, & oppressit eum.* Quieuitque terra quadraginta annis. Vidimus pœnam & medicinam belli: audiamus culpam. *Filij Israël*, ait sacer textus, *habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi: & duxerunt vxores filias eorum, ipsisq; filias filijs eorum tradiderunt, & seruierunt dijs eorum. Fecerunt q; malum in conspectu Domini, &c.*

Deuter. 32. 15 Leonard. Lessl lib de Prouid. Numinis. Ratione 14.

Iudic. 3. 5.

Ib. v. 9.

Ibid. v. 5.

Numquam

III.

Numquam tuta est habitatio columbæ cum accipitre; agni cum lupo; cerui cum leone. Hebræi siue suas filias Amorrhæis in matrimonia darent, siue acciperent, in mores & cultum Amorrhæorum transierunt, cùm potiùs (si vel maximè lege illâ diuinâ insuper habitâ vel suas, vel alienigenarum filias enubere permisissent) contrarium facere debuissent. Sed semper facilior est in deterius mutatio. De ipso Salomone quid dicat Scriptura, audi. 3. Reg. 11. 1. *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, & filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas: de gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israel:* Exod. 34. 16. *Non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum, &c. Et auerterunt mulieres cor eius. Cumq; iam esset senex, depranatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos. &c.* Quòd si hoc sapientissimo regi accidit, quid illis fiet, qui ne assem quidem aut vnciam habent de sapientia Salomonis? & tamen commercia, sermonem, & connubia miscent cum impijs? 1. Tim. 2. 36. *Profana, & vaniloquia deuita*, ait Apostolus, *multùm enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. Deuita*, inquit Vincentius Lyrinensis, Vincent Lyrin. in commonitorio. *quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solùm tactu, sed etiam visu affectuq; percutiant.* Quocirca etiam S. Cyprianus scribit: S Cyprian ep 59 ad Cornelium. *Declinent fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit.* Et infrà. *Nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia misceantur, simusq; ab eis tam separati, quam sunt illi ab Ecclesia profugi.* Quid igitur illis eueniet, qui his è diametro contraria agunt? qui nullo discrimine habito, cum alienigenis conuersantur, iocantur, conuiuantur, inebriantur? qui eis omnia secreta, officia omnia committunt? qui ab eis consilia petunt, & accipiunt, quos ne salutare quidem oporteret, iuxta illud Ioannis: 2. Io. v. 10. *Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Cùm Seruator noster ad mulierem Samaritanam diceret: Io. 4. 8. *Da mihi bibere*, respondit illa: *Quomodo tu, Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Periculosum est, agere cum peste laborantibus, & non infici. Quæ de-

de cauſſa S. Irenæus ſcribit: *Tantum Apoſtoli, & horum diſcipuli habuerunt timorem, vt neque verbo tenus, communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem. Ioannes diſcipulus Domini in Epheſo iens lauari, cùm vidiſſet intus Cerinthum, exiluit de balneo non lotus, dicens, quòd timeat, nè balneum concidat, cùm intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Et ipſe Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti, & dicenti ſibi, Cognoſce nos, reſpondit, Ego cognoſco te primogenitum Satanæ.* Itaque rectè dicitur illis, qui pacem optant, & bella horrent: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli, cum infideli?* Itaque qui non volunt bellis affligi, vitent cauſſam belli; aut qui non vitârunt, *clament ad Dominum, vt ſuſcitet eis Saluatorem.* 2. Cor. 6. 14. Iudic. 3. 9.

2. Quàm diu vixit, apud Iſraëlitas, Othoniel, tam diu viguit religio, eo autem è viuis ſublato, *addiderunt filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini: qui confortauit aduerſum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conſpectu eius. Et copulauit ei filios Ammon, & Amalec: abytq; & percuſſit Iſraël, atq; poſſedit Vrbem palmarum. Seruieruntq; filij Iſraël Eglon regi Moab decem & octo annis.* Quare malum tunc *fecerunt in conſpectu Domini?* Nimirum rurſus aliarum gentium conſuetudine, velut æſtu quodam abrepti, tam beneficijs, quàm mandatis Dei oblitteratis, à ritibus ſanctis ad idololatriam tranſierunt. Quid inde ex hac coniunctione ſunt conſecuti? Nimirum vt malè cohærentes, ab ijſdem idololatris (Deo deſertores caſtigante) bello peterentur, quibus ſe ſe imitatione morum ſociauerunt. De S. Antonio eremita hæc tradit Athanaſius: *Manichæis, aut alijs hæreticis, numquam ſaltem amicabilia verba largitus eſt, denuntians talium amicitiam atq; ſermones perditionem eſſe animæ. Sic etiam Arianos deteſtabatur, vt omnibus diceret, ne juxta quidem eos eſſe accedendum. Et ipſe B. Antonius jam moriturus: Hæreticorum, inquit, & Schiſmaticorum venena vitate, meumq; circa eos odium ſectamini. Scitis ipſi, quòd nullus mihi nec pacificus quidem ſermo cum eis vmquam fuerit.* Valde igitur Deum irritant, magnamq; bellorum excitandorum illi cauſſam præbent, qui talibus Eccleſiæ & Dei hoſtibus nimis ſunt familiares, neque jam tantùm ad eos accedunt, apud eos opificia diſcunt, ſeruiunt,

IV. Iudic. 3. 12.

S. Athanaſ. in vita S. Antonij.

sed etiam intima amicitia illis se connectunt; adeò vt etiam clerici, & sacerdotes, & qui deberent esse lumina Catholicorum, eorum inter pocula nati fratres ambiant appellari; itaque contemptim de clero, de Episcopis, de Pontifice Summo, de rebus Catholicorum loquantur, vt aduersarij ipsi grauiter offensi ostendant, se esse scandalizatos. *Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et meritò. Cur enim illis se subijciunt, si nolunt conculcari? Quid mirum est, si Deus contra tales confortet *Eglon regem Moab?* Ab hoc satis calcati, vtinam resipiscant, & peccata sua detestentur! Habemus clementem Iudicem. *Seruierunt filij Israel Eglon regi Moab decem & octo annis: & postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem vocabulo Aod.* Ille audaci strategemate, regem confodit, & destitutum duce exercitum ad internecionem cecîdit, populumque suum ea seruitute liberauit. *Et quieuit terra octoginta annis.*

Matth. 5. 13.

Iud. 3. 14.

Ibid. v. 30.

V.

3. Euripo similes fuêre Iudæi, fluebant, & refluebant; jam Deum, jam Deos colebant; toties bello castigandi, quoties emendandi. Itaque *addiderunt filij Israël facere malum in conspectu Domini, post mortem Aod; & tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan, qui regnauit in Asor; habuitq; ducem exercitus sui, nomine Sisaram.* Ab his oppressi sunt viginti annis. Iugo tam duro fatigati iterum Dei recordati, *clamauerunt ad Dominum,* cùm præsertim audirent, hostem nongentos habere falcatos currus. Et tam bonus est Deus, vt calamitatem eorum miseratus, eis Debboram judicijs & prophetiâ claram mulierem, ac Barac virum manu consilioque præstantem daret, qui milite congregato copias regis Iabin dissiparent, duce eius Sisara, in fuga, per feminam fortem Iahel dictam interfecto. *Humiliauit ergo Deus in die illo, Iabin regem Chanaan, coram filijs Israël: qui crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.* Hinc rursus illis quies ab armis, per quadraginta annos, fuit. Duo hîc obseruanda sunt. Primum, Israëlitas iterum à religione deuiantes, iterum per bella in viam reductos. Alterum, eos vexatione illis intellectum dante, ad Dominum recurrisse, eique se subiecisse, simulque & ad verum cultum, & ad veram pacem venisse. Vt enim

Iudic. 4. 1.

Ibid. v. 23.

superbia

superbia initium est, à Deo recedendi; ita humilitas ac pœnitentia via est, qua ad eumdem reditur. Niti proprio judicio, vt propria commoda quærantur, dictante; non audire consilia aliorum, maiorum sapientiam contemnere; denique diuina humanis posthabere, est Deum sibi hostem facere, & belli portas aperire. Quod si igitur belli pœna nobis intolerabilis est, agnoscamus tandem nostros errores, & cum pertinacia sua superbiam abijciamus, clamemusque ad Dominum, atque, vt veritatem videamus, humiliemus nosmetipsos. Ita enim & Dioscoro suasit D. Augustinus. *Non aliam,* inquiens, *tibi ad capessendam & obtinendam veritatem viam muniui, quàm qua munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquã Deus videt infirmitatem. Ea est autẽ prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem: non quo alia non sint præcepta, quæ dicantur; sed nisi humilitas omnia, quæcumque benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit; & proposita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus; & imposita, quæ reprimamur; iam nobis de aliquo facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe cetera in peccatis; superbia verò etiam in rectè factis timenda est; ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate, amittantur. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentia præceptis obseruari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse; cùm quæreretur, quid secundò, eamdem pronuntiationem: quid tertiò, nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse. Sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem, liberet, etsi fortè alia dicere necessitas cogeret.* S. Augustin. epist. 56.

VI.

4. Israëlitæ, vbi quadraginta annos quiete potiti sunt, quasi otio marcentes, rursus antiquâ inconstantiâ à Deo defecerunt, & *fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian septem annis, & oppressi sunt valde ab eis. Fecerunt́q; sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca. Cumq; seuisset Israël, ascendebat Madian & Amalec, ceteriq; Orientalium nationum: & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant, vsq; ad introitum Gazæ: nihilq; omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israël, non oues, non boues, non asinos, &c.* Hoc scilicet erat auxilium, quod filij Israël impetrauerant à Baal, cui aram extru-

Iudic. 6, 1.

Ibid. v. 25.

extruxerant, & nemus, quod circa aram erat, consecrarant. Quasi qui spinas apprehendit, vt se sustentet lapsantem; ita est qui nititur falsa religione. Vulneratur, non seruatur, qui manus extendit ad Deos alienos; quia auxilium quærens, exitium inuenit.

Ibid. v. 6. Quare etiam tunc *humiliatus est Israël valde in conspectu Madian, Et clamauit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.* Eratné tunc, toties rebellis populus, dignus vt exaudiretur? O bonitatem Numinis infinitam! etiam tunc exaudiuit ad se clamantes. Sed vt eis ostenderet, quàm iustam habuerit caussam illos affligendi, ac deserendi, priùs grauibus verbis corripuit.

Ibid. v. 8. Nam *misit ad eos virum Prophetam, & locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ego vos feci conscendere de Ægypto, & eduxi vos de domo seruitutis, & liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: eiecíq; eos ad introitum vestrum, & tradidi vobis terram eorum. Et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam.* Quæ bella igitur non meruistis? quibus plagis digni non estis? Nihil tamen illi desperantes, perstiterunt ad Deum clamando; immò tantò ardentiùs supplicauerunt. Meruissent, vt toties irritatus Dominus aures eorum precibus non præberet; aut etiam vt præberet illis duces ineptos, venatores, potatores, amatores, perfidos, proditores, vt suis ipsi copijs perderentur. Sed clemens Pater etiam hac vice viscera misericordiæ eis ostendit, deditque illis virum cordatum, fortem, & qui non solùm ab armis, sed etiam à pietate ac diuinis signis prodigijsque habiturus esset authoritatem, Gedeonem videlicet, ab Angelo perhonorificè salutatum, ad pugnam animatum, atque admirandis signis de victoria futura edoctum; qui paucitate militum, & nouitate armorum ingentem edidit stragem. Nam trecentis viris dumtaxat, ijsque sola buccina, & vase fictili faces tegente instructis, contra hostes processit, *Diuisitq; trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasq; vacuas ac lampades, in medio lagenarum: Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite.*

Iudic. 7. 16.

Ibid. 7. 23. Itaque per circuitum castrorum, tribus locis, buccina perstrepentibus, & vasa fictilia complodentibus, *omnia castra turbata sunt, & vociferantes vlulantesq; fugerunt,* inter fugiendum autem *mutua se cæde*

cede truncabant, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium. Qua in pugna & bonitatem suam ostendit Dominus, & potentiam. Nam Israelitas iuuit immerentes, & pauciſſimis plurimos interemit; palàm faciens, nullam hostium multitudinem esse formidandam, si Deus pugnet pro nobis. Iudic. 8. 10.

VII.

Pugnabit autem pro nobis, si priscos pietatis ritus non deseramus; aut desertos instauremus. Ad quod faciendum, sat multos nobis mittit Prophetas. Quotquot nos ad religionem orthodoxam, ad pœnitentiam, ad sequenda veteris Ecclesiæ vestigia adhortantur, Prophetæ sunt. Cur aliam Ecclesiam quærimus, quàm quæ ædificata est supra illam petram, contra quam portæ inferi non prævalebunt, & quæ est *columna & firmamentum veritatis*? Alliciunt nouitates? inuitat libertas? trahunt mille illecebræ? *Hæc dicit Dominus Deus Israel*: Ego aliter docui, aliter Patres vestri crediderunt. Quorum vnus ait: *Multa sunt, quæ in* Ecclesiæ Catholicæ *gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atq; gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine caussa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes hæretici Catholicos se dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Matth. 16. 18. 1. Tim. 3. 16. S. Augustin. con. ep. Man. cap. 4.

Hac ipsa de caussa strictissimè Vincentius Lyrinensis: *In ipsa Ecclesia Catholica magnopere curandum est, vt id teneamus, quod vbiq;, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim verè proprieq; Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioq; declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem vniuersitatem hoc modo, si hanc vnam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab his nullatenus recedamus sensibus, quos sanctos maiores Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoq; itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pænè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasq; sectemur.* Vinc. Lyr. in common. c. 3.

Ita Deo conciliati, pacem obti-

nebimus. Contrarium qui agunt, qui mutant, qui religionem in postremis habent, quibus perinde est cui Deorum, vel Dearum litent, illi *faciunt malum in conspectu Domini:* illi eum ad iracundiam prouocant, illi sunt caussa bellorum. Quid mirum est eos habere hostes homines, qui habent Deum hostem? Sed ad Israelitas redeamus.

VIII. Iudic 8. 33. 5. *Postquam mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israel, & fornicati sunt cum Baalim. Percusserunt q; cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum, nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium, per circuitum: nec fecerunt misericordiam cum domo Ierobaal Gedeon iuxta omnia bona, quæ fecerat Israeli;* Non solùm Deo suo, sed etiam Duci suo Gedeoni ingrati, cuius septuaginta filios, fratres suos, vt solus regnaret, Abimelech interemit, Iudic. 9. 57. interemptus vicissim. Et *Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, & venit super eos maledictio Ioathan filij Ierobaal.* Nam ab eo ipso Abimelech, cui malè adhæserunt, puniti sunt. Vtque Iudic. 10. 6. malum malo contexeretur, *Filij Israel peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt idolis Baalim & Astaroth, & Dijs Syriæ ac Sidonis, & Moab, & filiorum Ammon, & Philisthijm: dimiserunt q; Dominum, & non coluerunt eum. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthijm & Ammon. Afflicti q; sunt, & vehementer oppressi, per annos decem & octo, &c. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & seruiuimus Baalim.* Videtur rotam, in qua ex peccato bellum, ex bello pœnitentia sequitur? Sed ne putes Deum tanta inconstantia non offensum, aut deniq; Iud. 10. 11. semper ad ignoscendum se offerre, audi, quid ad eos dicat: *Numquid non Ægyptij & Amorrhæi, filij q; Ammon & Philisthijm, Sidonij quoque & Amalec, & Chanaan, oppresserunt vos, & clamastis ad me, & erui vos de manu eorum? Et tamen reliquistis me, & coluistis deos alienos: idcirco non addam, vt vltrà vos liberem: ite, & inuocate deos, quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Quàm sæpe id ipsum nobis obijcere posset? Quoties manifestè nos iuuit? quoties nos ab hoste fortiore liberauit? & deseruimus eum; & ad nescio quos Deos conuersi sumus, sperantes in humano auxilio? in callidis promissis? spe lactati, non firmati. Quid mirum, si tandem

dem dicat, *Ite, & inuocate deos, quos elegistis, ipsi vos liberent, in tempore angustiæ?*

Sed neque sic desperandum. Nam his ipsis verbis auditis, *dixerunt filij Israël ad Dominum: Peccauimus, redde tu nobis, quidquid tibi placet: tantùm nunc libera nos. Quæ dicentes omnia de finibus suis alienorum deorum idola proiecerunt, & seruierunt Domino Deo: qui doluit super miserijs eorum*, & dedit illis Iephte, de meretrice quidem natum, sed virum fortissimum, qui vno impetu viginti ciuitates Ammonitarum occupauit, eorumque iugum excussit, populo suo in libertatem vindicato. Sæpe peccauimus, sæpe puniti sumus. Et quidem digni non sumus, quibus Dominus toties relapsis ignoscat. Quia tamen misericordiæ eius non est finis, adhuc paratus est nobis veniam dare, si errorem nostrum tandem agnoscamus, emendemus, & sacros Ecclesiæ Catholicæ ritus, consuetudines, ac præcepta non contemnamus, profanas illas aulicorum cerimonias pluris facientes. Deus bone, quanta cura attenditur ad titulos ne quis omittatur, quando loquendum scribendumue est ad magnates? qua solicitudine præparantur verba ad salutationes? ad præeundi, aut priore loco sedendi honorem? At ritus Ecclesiæ, cerimoniæque sacræ, paulatim haud aliter æstimantur, quàm res quædam superstitiosæ! Veteres Iudæi, qui pænè innumeras habebant cerimonias præscriptas, quàm fuêre ad eas intenti, vt ne minimam quidem præterirent? Quod cortex arbori, folia fructibus, sal carnibus, hoc ceremoniæ præstant Catholicæ religioni. Neq; enim temerè dixit S. Augustinus, absque externis cerimonijs impossibile esse seruare religionem. Ceremoniæ enim, apud rudes, scripturæ & picturæ vice funguntur. Ex ceremonijs baptismi, ante cuius susceptionem infantes exorcizantur & sufflantur, & iubentur per os gestantium diabolo & pompis eius renuntiare, D. Augustinus ostendit, necessariò concedendum esse, dari aliquod peccatum originale. Si enim nulli peccato obnoxij essent, cur insufflatione egerent? aut ad quid diabolo renuntiarent, si is eis non dominaretur? Cerimonijs Catholici ab hæreticis, & ab omnibus infidelibus discriminantur. Sunt enim quædam velut tesseræ militares; aut signa, quibus castra à castris discernuntur. Qua de causa Ecclesia statim ab initio

IX. Iudic. 10, 15.

S Augustin. lib 19. contr. Faust. c. 19.

tio, Sabbathum in diem Dominicum mutauit, vt à Iudæis discreparet; ac postea noluit Pascha 14. luna mensis primi celebrare, ne Iudaizare videretur, vt Eusebius testatur. Olim sanè sancti ritus Christianos tanti fecerunt, & adeò ab Ethnicorum cultibus abhorruerunt, vt quiduis potiùs pati tormentorum mallent, quàm aut illos deserere, aut hos admittere. Apud Tertullianum, quidam Christianus miles, nullum non supplicij genus potiùs pati voluit, quàm corona laurea coronari, quòd tunc mos esset Christianis, laurea non coronari, ne idololatræ putarentur, qui ad honorem falsorum Numinum se se solebant laurea insignire. At nunc quàm plurimi, sicut quadam sæculi leuitate vestes, ita mutant & mores. Neque in habitu tantùm, sed in incessu quoque, in victu, in potu, omnium gentium ritus imitantur. Ea verò quæ Ecclesiæ veræ sunt in vsu, tamquam futilia contemnunt. Quis aquæ benedictæ, quis agni cerei sacrati, quis luminum piorum, quis palmæ vsus? Quàm rari cùm exeunt domo, vel redeunt, cruce se consignant? quod olim ad principium omnium negotiorum facitabant. Et hæc talia quidem priuatim. Publicè autem multò magis negliguntur, immo erubescuntur. Quàm pauci in templis pectus pulsant? quàm modicè genua curuant? quàm parcè Deum adorant? vt iam templa non ad precandum, sed ad confabulandum facta videantur. An non dici potest, *Filij Israël dimiserunt Dominum, & non coluerunt eum?* An non meritò *Dominus iratus tradat tales in manus Philisthiim & Ammon?* Eamus ergo, & clamemus ad Dominum, dicamusque: *Peccauimus tibi.* Sed Israëlitis similes sumus. Certamus cum Deo benefaciente malefaciendo.

Euseb. lib. 5. hist Eccl. c. 23.

Tertullian. lib. de coron. militis.

X.

Iudic. 13. 1.

6. Iephte defuncto, vix viginti quinque anni ierant, cùm filij Israël ab hostibus erepti, iterum in antiquam siluam, & ad lucos redierunt: spretoque vero Deo, quem toties beneficum experti sunt, idolis, ob quæ in tot bella se sciebant incidisse, adhæserunt. Ad vomitum regressos iterum voluit Dominus flagellare. Annis itaque quadraginta à Philisthinis afflicti sunt; donec iterum eos misericordiæ oculis respiciens per prodigiosas Samsonis vires corroborauit, ac Philisthinos multis cladibus eneruauit; vt populus toties castigatus, quoties præuaricatus, iterum haberet tempus respirandi. Habuit autem à Deo, per Nazaræum, per fortissimum

Iudic. 14. & seqq.

simum bellatorem, vno verbo per Samsonem. Nos quoque, vbi cælum pulsauimus, speremus per eos auxilium, qui sunt nostri Samsones, quos ad tempestates sedandas, & decumanos fluctus frangendos officium obligat, potentia adhortatur, potestas impellit: quorum siue in negligentiâ, amissæ patriæ (si pereat) crimen accusabitur; siue in vigili diligentiâ seruatæ, si non pereat, labor gloriâ coronabitur. Samson ille futurus Hercules, *Vidi*, Iudic. 14. 2. inquiebat, *mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum: quam, quæso, vt mihi accipiatis vxorem. Cui dixerunt pater & mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere vxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt?* Habent nostri Christiani Samsones, quos loco Parentum venerantur, & tamquam Patres audiunt; modò isti Samsonios Parentes imitentur, & moneant, si declinare eos ad Philisthijm animaduertant. *Propter Sion non tacebo*, ait Isaias, *& propter Ierusalem* Isa. 62. 1. *non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius, vt lampas accendatur.* Tacent multi, quos instar canum latrare oporteret: at non est tempus tacendi, cùm Galli Capitolium conscendunt. *Hostis habet muros*, quid facis in turri vigil? Miles stricto ense latus patris tui petit, & obmutescis? Summa periculi, vel ad vocem mutorũ ciendã valitura, extorquet loquendi necessitatem. In opulentissimi regis gnato olim, cùm periclitaretur parens, natura linguam soluit; in vobis idem non valeat charitas, amor patriæ, zelus religionis? Ecclesia, Christiana Sion? denique cælestis illa Ierusalem, quæ manet bene consulentes, & neq, hominum fauorem diuinæ gratiæ, neque aurum Christo anteponentes? Cui pietas cordi est, intrepidus stat etiam *ante reges & præsides*, & coram summis loquitur, sicut coram æqualibus, quia religio, & veritatis amor facit omnes in Christo pares. Qui religionem vehementer amat, vehementer sentit religionis interitum. Ardor succurrendi non patitur dissimulationem. Nec fucum debet facere, qui vult alterũ sincerè pro Rep. pugnare. Quod si summa capita aliter statuunt, excusati sunt Patres conscripti, qui aliter consuluerunt. Etiam Samson monitus, ne *vxorem acciperet de Philisthijm*, non paruit, sed *dixit ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit, oculis meis. Parentes autem eius nesciebant, quòd res à Domino* Iudic. 14. 3.

A. Gell. lib. 5. Noct. Attic. cap. 9.

Matth. 10. 18.

fieret, & quareret occasionẽ contra Philisthiym. In communi Ecclesiæ, aut regni clade, priuati, sepositio colendæ maiestatis ritu, dicant, quod sentiunt. Si dissentiunt magnates, ipsi Deo rationem reddent, si malè dissentiunt. Audire est illorum, non obedire. Nam & illos Superi regunt. Et fortasse per illos *Dominus quærit occasionem contra Philisthiym.* Hæc sufficiat à Samsone didicisse.

XI. 7. Post Samsonem Israëlitæ iterum, velut mare in malacia, longa pace corrupti, identidem scelera super scelera addiderunt. Veteres ergo contra eos hostes Dominus excitauit, eosque rursus Philisthinorum ferro obiecit, à quibus de filijs Israël
1. Reg. 4. cæsa sunt triginta quatuor millia, Arca capta, & primarij sacerdotes Ophni & Phinees interempti. Quæ calamitas anno quadragesimo Heli accidit; ipso quoque Heli filijs suis nimis indulgente, & blandè magis, quàm fortiter eos increpante. Itaq; Philisthæis hostibus; Israëlitarum captiuitas, cædes, funera, crudelissimam voluptatem attulerunt; quæ afflictis ipso tormento videtur acerbior. Omnium enim cruciatuum complementum est, si hostilis insultatio accedat. Vltimum hoc belli malum est, vt victor, postquam receptui cecinit, & ensem reposuit in vaginam, aduersariũ voce & vultu torqueat; & quod gladio ampliùs non facit, verbis percutiat, & cruciet exprobrando. Victis Israëlitis asperrimũ fuit, audire captam esse arcam Dei, & captam idolo tamquam victori in spolium oblatam. O quantus est dolor, videre religionem in ludibrium ductam & triumphatam! Sed ita merentur, qui ipsi religionem suam pro ludo habent. Prima causa sunt huius calamitatis, qui eam patiuntur. Quid igitur? num & religio victa est, quia victi sunt, qui eam remissè coluerunt? nequaquam. Quia etiam tum, quando triginta quatuor millia Israëlitarum ceciderunt, tamen ita victi punitiq́ue sunt, vt victores Philisthæi multò graniora paterentur. Neque enim idolum dumtaxat eorum bis in terram deiectum, præsente Arca, capite tuncatum, palmisq́ue fuit mutilatum; sed etiam ipsa corpora Philisthinorum, per omnes ciuitates, teterrimo morbo fœdissimè affecta fuerunt, extremo intestino putrescente, forasq́ue effluente: quo in cruciatu innumerabiles perierunt. Accessit infinita vis murium, quæ ex agris & villis ebulliebat, & cunctos terræ fructus depopulabatur.

Hæc

Hæc plaga longè triſtior fuit, quàm ſi victi & ſub jugum miſſi fuiſſent, aut quamcumque etiam duriſſimam ſeruitutem ſeruiſſent. Vt ergo tandem juſta cauſſa & vera religio triumpharet, coacti ſunt vel inuiti Iſraëlitici Dei omnipotentiam agnoſcere, & Arcam cum donarijs, mala à Numine illata teſtantibus, honorificè remittere. Sic, tempore Iudicum, diuina ſapientia bellis & juſtitiæ pariter, & gloriæ ſuæ ſatisfecit.

CAPVT LXI.

Regum Principumq; peccata, in ſacris hiſtorijs bello punita.

CAlamitates publicas multi traducunt; multi communibus ac priuatis ærumnis in triſtitiam conijciuntur; cladibus tam luculentis multi iraſcuntur; & veluti Hecuba in canem verſa, aguntur nunc ad Deum, nunc ad homines conuitijs lacerandos. Hi nimirum malè comparatos habent animos, quia in lege Domini non meditantur, neque ſunt in charitate radicati. Aliter cogitant, quorum animos cæleſtis magiſter Spiritus Dei inſtruxit. Non indignantur, quia in aduerſis beneuolentiam agnoſcunt. Non traducunt, quia ſciunt juſtitiam diuinam. Neque mœſtitia contrahuntur, quia vident virtutis occaſionem, exercitiumque ſibi offerri. Enimuerò neque mirantur quidem, quia nihil illis nouum atque inſolitum videtur contingere ſi res humanæ turbantur. Perſpectum enim habent, homines in hæc mala conditos, & à primordio mundi ſemper in terris fuiſſe calamitates. Meminerunt igitur, Numini ex æquo omnes debere patientiam, gloriam, gratiasque, quòd ſeueris, ſed iuſtiſſimis iudicijs delicta puniens, fideles ſuos potiùs temporarijs exerceat diſciplinis, quàm ſupplicijs relinquat æternis. Facilè iram omittit, qui gratiam factam agnoſcit. Quiſquis beneuolentiam paternam, inter flagella, didicit amare, cùm ſentit ictus, debitorem ſe fatetur, non præſtat murmuratorem. Denique diſcipuli Chriſti non ſunt, qui neſciunt ſibi à Magiſtro ſuo promiſſas eſſe perſecutiones. *Non veni pacem mittere, ſed gladium*, ait. Qui tempora noſtra mirantur tamquà iniqua, qui accuſant tamquam infelicia, qui deplorant tamquam calamitoſa, animo reſpiciant ad ſæcula am-

I. Matth. 10. 34.

la antiqua eluuionibus inundata, incendijs infumata, bellis exercita; peſtilentijs exagitata. Si rectè rationem inimus, pænè continuò fuêre in terris eiuſcemodi malorum procellæ, raris malatię alcedonijs mitigatæ. Quid mirum? ſi Deus flagella non ſubtraxit? etiam homines ſua ſcelera continuauerunt. Quod ſanè Iudicum tempore factum oſtendimus. Idem factum eſt etiam tempore Regum.

II.

Saul primus inter reges Iſraëlitarum, *cùm paruulus eſſet in oculis ſuis*, quàm mirabili prouidentia Numinis ad ſceptrum promotus eſt? Ob peccata Amalec iuſſus bellum facere Amalecitis; bellum fecit, ſed non eo, quæ juſſus eſt, modo, idcirco cum tota poſteritate ſua priuatus eſt iure regnandi, amiſſoque & filio primogenito, & exercitu, vitam quoque amiſit. Præceptum à Deo datum erat: *Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vſq; ad internecionem eorum.* Peccatum fuit: quia *verſus ad prædam eſt, & fecit malum in oculis Domini.* Secuta eſt pœna: *Pro eo ergo, quòd abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis rex.* Iam meruerat regno ſpoliari, nec tamen deſinebat peccare Saul, & delicta delictis addere, itaque *Philiſthym pugnabant aduerſum Iſrael: & fugerunt viri Iſrael ante faciem Philiſthym, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe. Irrueruntq; Philiſthym in Saul, & in filios eius, & percuſſerunt Ionathan, & Abinadab, & Melchiſua filios Saul, totumq; pondus prœlij verſum eſt in Saul: & conſecuti ſunt eum viri ſagittarij, & vulneratus eſt vehementer à ſagittarijs.* Quia autem vnum ei vulnus non ſufficiebat, Aiax factus, ipſe in gladium ſuum incubuit. *Mortuus eſt ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuerſi viri eius, in die illa pariter.* Diligenter & clarè illi Samuel Domini voluntatem indicârat. Quia ad Prophetas, ad videntes, ad eruditos, ad ſacerdotes pertinet inſtruere, admonere, exhortari, opportunè atque importunè increpare, legem & mandata Domini exponere, ne Reges & Principes in iram Dei incurrant; vt voluntate diuina cognita, errantibus veritas pateſiat, timidis addatur fortitudo, maleuolis charitas reſtauretur, ſtantibus maneat perſeuerantia inconcuſſa; denique vt protectio paterna Numinis non ſubducatur. Quòd ſicubi peccatum eſt, Samuelis exemplo, nullius offenſa metui debet, ne, dum hominem veremur,

1. Reg. 15. 17.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 23.

1. Reg. 31. 1.

Deum

Deum contemnamus. Magnates autem, & summa capita, ne putent, se supra obedientiam esse. Quàmcumque quis in alto sit loco constitutus, tamen infra rationem, infra Dei ministros, infra Deum est; cui non obedire, est *quasi peccatum ariolandi*, ait Samuel. 1. Reg. 15. 23. Et alio loco ait Scriptura: *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto judicis morietur homo ille.* Deuter. 17. 12. *Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius, in die illa pariter.* 1. Reg. 31. 6. Victus est ergo Saul, quia seipsum non vicit, vt Prophetæ, immò Dei mandato se subijceret: cui quisquis se potest subijcere, potest & hostes subijcere sibi. *Hinc*, ait S. Gregorius, *per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur: Vir obediens loquetur victorias, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus.* S. Gregor. lib. 35. moral. c. 14. Quid ad me Samuel, poterat dicere Saul? vici; spolia sunt in mea manu, armenta in victimas cedent; noui & ego, quid ad Domini gloriam spectet. Habeo multos in aula mea, qui Prophetæ contraria suadent; faciam igitur, quod mihi videtur. His talibus respondet D. Bernardus: *In quo inobedientiæ crimen absq; dubio sit, apud Samuelem aduertite: Quasi, inquit, peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere: vt non iussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contentio scelus idololatriæ reputetur. Non est enim id ipsum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est: nonnumquam & infirmitatis: illud verò aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ.* S. Bernard in tract. de præcepto & dispens. Quicumque igitur, mandatis Dei insuper habitis, qui spreta religone arma sumunt, armis hostiũ victi merentur interire. Veteres Romani, militiæ laudibus insignes, vsque ad superstitionem, fuerunt augurum & religionum obseruantes. Sunt apud Christianos multi, apud quos præda, & amplificatio regionis primum locum tenent, quidquid Samueles moneant, & reclament. Quid igitur mirum est, si judex supremus de cælo prospiciens, atque inobedientem superbiam videns, sinat eos interire?

III.

Sauli occiso Deus alterum regem substituit Dauidem. Qualem domi bellique virum? qualem Dei seruum & cultorem? Sed in solio erat, sed erat in potestate ac prosperitate. Nimis multis exemplis docemur, eis quibus plus licet, plus libére, & virtutem potentiæ faciliùs, quàm disciplinæ succumbere. Itaque inter felices

2. Reg. 11. 2. lices rerum successus, *accidit, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditq; mulierem se lauantem, ex aduerso super solarium suum, erat autem mulier pulchra valde, &c. Missis itaque Dauid nuntijs tulit eam.* Fœcunda sunt scelera, facilè multiplicantur. Quare ex adulterio, mox natum est homicidium & litteræ Vriæ. Hæc duo peccata rex, & tantus
Ibid. v. 27. antea Dei amicus perpetrauit. *Et displicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid coram Domino*; qui misit ad eum Nathan Prophetam,
2. Reg. 12. 9. qui inter multas exprobrationes ei dixit: *Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsq; in sempiternum.* Quæ mala cum pluribus alijs in eum irruerunt, etiam post seriam pœnitentiam peractam.

IV. Vnicum adulterium diuina justitia tot mortalium cædibus, & tanto sanguine diluit. Quid merebitur intemperantia libidinum, quæ totas prouincias peruadit? quâ pœnâ plectetur tanta corruptela morum, tot vagi concubitus, tam aperti pellicatus, adeò violenta stupra, adeò libera adulteria, adeò nefandi incestus, & flagitia ab ipsa natura abhorrentia, quibus tota regna defœdantur? Castigantur furta, plectuntur homicidia, in impuritatem nimis leniter animaduertitur. Negligentia puniendi, audaciam parit peccandi. Hoc enim in genere aut leges seueritatis oblitæ sunt, aut potentia peccantium executionem retardat. Quid ab illis speres, qui negant se præcepta pudicitiæ posse perficere? carere arbitrij libertate? eamdemque hac in re asserunt esse hominis & canis, conditionem; paremque cibi & Veneris necessitatem? Vbi veræ religioni locus esse potest, si talibus principijs ianua aperitur? Quid mirum, tot fidei naufragia audiri? quid iniquum, eos in manus hostium tradi, qui se ipsos in tantas
Isa 1. 9. fœditates tradiderunt? *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus, &c. Ne offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* Caussam igitur maximam habent Principes vt licentiam corrigant, libidinem refrænent, legibus, pœnis

pœnis coërceant, omnes sine discrimine cohibeant. Quòd si non omnium animos possunt emendare, impetum tamen lasciuiæ possunt comprimere. Quos non facit castos virtus, saltem metus faciet continentes. Sin autem magistratus vel non possunt, vel non volunt hic vigilare, quid mirum est, si veniant vndecumque, qui gladio, fame, tormentis deliciarum desideria excludant, vt qui moribus non emendantur, mortibus deleantur?

V. Neque opus est, pluribus confirmare, impudicitiam publicis vrbium & regnorũ exitijs à Deo puniri. Docuit id totius mundi interitu cataclysmus; docuerunt Sodomorũ igniti nimbi; docuerunt cædes Beniamitarũ; docuerunt omniũ regnorum calamitates. Asia, Græcia, Africa, cùm in manus Barbarorum venirent, vnum erant lupanar. Ea de caussa & Israël, & Iudæi ducti sunt in captiuitatem. Non tacuit id Ieremias, cuius hæc sunt: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarũ? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Ieremi. 9. 1. *Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prænaricatorum.* Ac rursus: *Quid dices, cùm visitauerit te? tu enim docuisti eos aduersum te, & erudisti in caput tuum: numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? Quòd si dixeris in cordo tuo: Quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecundiora tua, polluta sunt plantæ tuæ.* Ieremi. 13. 21. Iterumque: *Vnde & ego nudaui femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua, adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ: super colles in agro vidi abominationes tuas.* Statum autem Iudaicæ Reip. qui hæc fieri à Domino, meruit, his verbis indicauit Osee: *In malitia sua lætificauerunt regem: & in mendacijs suis principes. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente.* Osee. 7. 3. Atque hæc de Hebræis.

VI. Chaldæorum vastitas Babylone profecta est, extincta ciuitas, dirutum templum, vasa per hostium manus in fanum Beli deportata. Ita quod Chaldæi scortis peccarunt, Babylonij armis puniuerunt. Quamquam nec ipsi meliores. Quis enim credat Babylonem gente vlla fuisse castiorem? Illa mundi prædatrix, illa omnibus impurior, illa meretricum & lenarum regina, illa filiarum & matrum, vxorum & liberarum fuit prostitutrix. Quid

ergo

ergo meruit? Quæ alienas libidines vlta est, suas auxit, donec data Medis & Persis, calamitatem geminauit. Tradita est Dei Ecclesia, sacerdotes, & Prophetæ, & Reges Babylonijs, grauiora delinquentibus, sed reducta illis interfectis. Africa à crudelissimis barbarorum capta est, Wandalis nimirum, secta Arianis, sæuitia immanissimis. Nulla pars imperij sæuiores experta est victores. Caussam vis nosse? Saluianum audi: *Vitijs alijs ceteras gentes, impudicitia seipsam vicit. Ac primùm vt de impuritate dicamus, quis nescit, Africam totam obscœnis libidinum tædis semper arsisse? non vt terram ac sedem hominum, sed vt Ætnam putes impudicarum flammarum fuisse. Nam sicut Ætna intestinis quibusdam natura frementis ardoribus, sic illa abominandis iugiter fornicationum ignibus æstuauit.* Ac rursum: *Quid ergo impudicitia atque impuritas, de qua loquor, numquid non ad euersionem Afrorum sola sufficeret?* Idem de Romanis à Paulo deploratum ait; idem de Gallis præcipuè Aquitanis queritur. Ab his Germania, aliæque nationes exemplum sumant, ne eorum vitia imitentur, quorum supplicia exhorrescunt. Sed hæc de Dauidis regis & peccatis & bellis satis.

Saluian. lib. 7. de prouid.

VII. Dauidi successit in regno Salomon, rex Hebræorum tertius, qui cum diuina sapientia, qua supra omnes mortales eminebat, diuitias, potentiam, gloriam & bonorum omnium copiam acceperat, longa etiam pace præ reliquis illius populi regibus cumulatus, templum à Dauide patre destinatum magnificentissimè exædificarat instruxeratque, in cuius dedicatione boum xx. ouium C. millia eoq; ampliùs immolarat. Insuper ob egregiam sapientiæ famam donis regum ac nationum egregiè cultus lætissimam Palæstinæ pacem, rerumque omnium abundantiam & peperterat, & confirmarat. Sed illum quoque res nimium secundæ pessumdederunt. Nam ad extremum otij & bonorum copia tantum virum sui dissimillimum fecit, sapientiam in amentiam vertente luxurie. *Ille omnium mortalium sapientissimus, vxoribus Dcc. concubinis CCC. ysq; alienigenis impleuit regiam. Ab his iam senex perducitur ad cultum Deorum, aris quidem, ac templis dicatis. Vsque eò difficile est amare ac sapere etiam sapienti. Ergo iratus Deus per vatem præsignificauit fore, eius vt regnum distraheretur. Itaque anno regni sui x L. moriens, Roboam filium reliquit regni labantis heredem.* Cum enim

Horat. Tursellin. in Epitom. hist. Ioseph. lib. 8. Antiq.

enim mulierum amoribus ita deditus depranatusque esset, vt in earum gratiam idolorum cultui se penitus manciparet, in vltionem tanti sceleris, diuina iustitia vindictáque, statim illo è viuis sublato, scidit regnum ipsius, decem tribubus ad Ieroboam translatis; & duabus tantùm filio Salomonis Roboamo relictis. Quanto cum gemitu dicit Scriptura: *Et auerterunt mulieres cor eius?* tam sapientis? tam pacifici? & quod plus est, iam senis? *Cumq; iam esset senex depranatum est cor eius*, ait sacra historia, *per mulieres, vt sequeretur deos alienos.* 3. Reg. xi. 3.

VIII. Quid non possunt feminæ? quid non poterunt apud insipientes? apud ebriosos, apud iuuenes? in ea ciuitate, cuius nulla pars est non plena sordibus? vbi ferè nulla platea, aut semita non est lustrum? vbi pænè omnia compita, omnes viæ aut quasi foueæ libidinum, aut quasi retia meretricum; vt etiam casti, & qui ab hac re penitus abhorrent, tamen euadere vix possint? Latronum quodammodo excubias videres, commeantium viatorum spolia captantes; aues illices, quæ blanditiarum frequentium multitudine ita omnes admodum calles, omnes anfractus ac diuerticula occupassent, vt nullus fermè tam cautus sit, qui non in aliquos insidiarum laqueos incurrat, etiam qui se de plurimis expediuit. Hinc tot ruinæ. Hinc animi tam efferati, vt aures ad omnem pietatem obturent; vt pœnitentiam omnem exhorrescant, vt misericordiam Dei propellant, vindictam prouocent; bella & hostes excitent; & alios quoque, qui pro illis preces fundunt, impediant. Clamor luxuriantium obtundit voces orantium. Ad talem ciuitatem, aut populum, aut prouinciam ait Dominus: *Super quo propitius tibi esse potero? filij tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non sunt dij: saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores & emissarij facti sunt: vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali non vlciscetur anima mea?* Ierem. 5. 7.

IX. Miseret me istorum iuuenum, quos cùm ætas, cùm sanguis feruidus, cum otium ad talia alliciat; etiam insuper impellit ipsa procacitas & impudentia, immò fraudulentia feminarum, quorum malitia tanta est, vt dicatur etiam ipsorum cacodæmonum

M. Luther. to. 7. lenenſi. M. Henric. Decimator in expoſit. Pſalmi 133. M. Michael Iulius conc. 4. de laudib. coniugij.

aſtutias & ſutelas ſuperare. Audite, quid Lutherus recenſeat. Litteris memoriæque proditum eſt, coniuges in quadam Germaniæ vrbe ætatem egiſſe duos, qui adeò vnanimes fuerint, concordiamque ſic mutuò coluerint, vt diſſediſſe ferme numquam, aut ſimultatem habuiſſe aliquam ſint viſi, vel auditi. Quoniam autem pax inter coniuges eſt ingens bonum, vnde alia multa promanant; diſcordia autem certiſſima peſtis & coniugum, & coniugiorum habetur, idcirco machinator ille malorum Satan omnem mouebat lapidem, nihilque ad ſummam diligentiam faciebat reliqui, iſthanc vt ipſorum concordiam, coniunctionemque diſturbaret. Et quamuis noctes dieſque in hanc curam excubaret, effectum tamen idipſum reddere haudquaquam illi licuit. Homines alioqui improbi, ſi quid obtinere nequeunt viribus aut humanis, aut diuinis, Acheronta mouent, vt id Tartareis viribus atque ope aſſequantur. Tunc autem Stygius Charon verſis velis nauigauit. Nam cùm omne conſilium fruſtra tentaſſet, illud tandem ſibi faciendum putauit, vt vetulæ cuiuſpiam operâ ad eam rem perficiendam vteretur. Anum igitur jam dudum Orco deuotam adit, mentem ſuam ei exponit, eamque, cui pro authoritate imperare poſſet, rogat, vt ſuam in gratiam, inter illos coniuges diſcordias velit ſeminare. Neque id eam gratis facturam ait, ſed ſtipulata manu promittit, ſi quidem id efficiat, ſe ei præmij loco rubrorum calceorum par daturum. Accipit conditionem anus, neque diu meditatur, qua arte velit hoc matrimonum tam ſanctum diſturbare; ſed illico ad matremfamilias ſe ſe confert, achiſce eam verbis affatur. Mea filia, amaui dudum te de virtute tua, optauique ſæpe mihi occaſionem offerri tibi benefaciendi, nunc tandem aliquam nactus ſum. Nam rem arcanam tibi ſignificabo, quia tua cauſſa doleo vehementer. Video enim te amore digniſſimam, & nulli non marito optandam. Quare tantò magis miror, te à coniuge tuo non amari, ſed ſimulatione amoris decipi, & cane peius & angue odio haberi. Nimirum aliam habet, cuius amoribus irretitus occupatur; cum illa conſueſcens agit; illam frequentat, &, vt ſcio, illam vult habere in vxorem, teque, vt amoueat, in animum induxit ſuum de medio tollere; ipſe longè dignior, vt interimatur. Quamobrem ſi me audis, operam vti-

que

que dabis, vt illum anteuertens nouaculam in torum tecum sumas, qua quidem guttur illi præcidas, vitamque eripias. Timidus ac suspicioſus eſt amor, facileque credit, quod metuit. Igitur & & illa materfamilias vetulæ iſtius verbis fidem adhibens, cùm perturbatur penitus, tum iracundia etiam ſtomachoque exardeſcit; ſic prorſus, vt huius dicto audiens cultrum tonſorium ſecum in lectum ſumat, & ſub cervicali occultet, parata eo ipſum dormientem iugulare. Poterat hîc anus non calceorum dumtaxat, ſed etiam chirothecarum tria paria videri promerita, apud ſuum Dictatorem; ſed illa vt inſignitè oſtenderet ſe calumniando excellere, vlteriùs progreſſa eſt. Cùm enim in hanc mentem impuliſſet matronam, mox ad maritum quoque eius adijt, dictitans. Tu verò vxori iſti tuæ in amoribus haud es. Hæc enim proſtrata pudicitia, non ſolùm alium habet te chariorem, cuius nuptias ſperat, ſed etiam vt nuptias promoueat, in animo habet, tibi arctè grauiterque dormienti nouacula guttur præcidere, vitamque exhaurire. Vt ne verò hæc fingi à me fortaſſe opinere, excute, quæſo, hoc veſpere toral & ſegeſtria lecti, reapſe comperies hæc tam eſſe vera, quàm quæ veriſſima, Credidit maritus vetulæ, tantoq; pertinaciùs credidit, poſtquam, excuſſo puluinari, rem ſic ſe habere comperit, vt iſtud diaboli organum narrarat, vel fieri potiùs iuſſerat. Quapropter ira inflammatus ac furens, repertâ nouaculâ in vxorem vitur eique iugulum præſecat, vitamq; innocentem miſerandum in modum abrumpit. Aiunt hoc facto diabolum quidem pacto ſtetiſſe, & anui par rubrorum calceorum attuliſſe, ſed id ei non niſi è pertica ſuſpenſum porrexiſſe, cum dicto: *Ad te quidem hercle haud acceſſero, quippe quæ me ipſo omnes in parte peior es atq; conſceleratior.*

Quorſum hæc? vt palàm fiat, quid poſſint mulieres, & inde viri iuueneſque fiant cautiores, quin & puellæ, quæ miſerè deceptæ decipiunt, inducuntque & pariter in fraudem inducuntur, vt de nouo quotidie dicatur, *Et auerterunt mulieres cor eius.* Detegam fraudem nouam, inauditam, & plus quàm diabolicam, hoc eſt, muliebrem, quæ ni detegatur, cauſſa erit ingentium peccatorum, quibus meritò Deus ad nouas plagas irritetur inferendas.

X.

Neque miretur quis, si dixi, fraudem me detecturum plus quàm diabolicam. Dudum dictum est:

Aspide quid peius? tigris. Quid tigride? damon.
Damone quid? mulier. Quid muliere? nihil.

Ne autem fingere quidquam existimer, magna belli capita possum producere ad testificandum, quæ reos fatentes, immò gloriantes audierunt; factum autem, apud plures, in publicis conuiuijs recensuerunt.

It noua per cunctas, uec tristis fabula mensas.

Diu jam bellamus, nec dum debellauimus, quia etsi pax speretur & promittatur ab hominibus; nulla tamen sperari potest, aut impetrari à diabolis. Illi semper circumeunt, tamquam leones rugientes; contra illos semper est militandum. Vtuntur autem partim apertis & aspectui obuijs armis; & partim occultis dolis. *Dolus an virtus, quis* in tali præsertim *hoste requirat?* Audite dolum Orco patre, venefica matre dignum. Magnum duplicem exercitum diu habuimus, vidimus, sustentauimus. Magnus exercitus sine multis militibus fieri non potest. In multis militibus magnam necesse est esse varietatem. In hac igitur varietate etiam versabantur, qui se se Ægyptios vocant, & vulgò *Cingari*, seu *Cynigeri* appellantur. Ægyptios se vocant, quamuis Ægyptum numquam viderint; etsi secta eorum inde sit oriunda. Quare larido inuncti in sole nigrescunt, vt se Ægyptios esse, colore mentiantur. Superstitiosum, & plerumque etiam magicum hominum genus, ab incunabulis doctum mendacia vendere, falsa vaticinari, ore decipere, manu clepere, fraudibus triumphare. Quid illis credendum putes, qui, vt fallant, vultum fuligine pingunt? & fuco vtuntur, vt possint de peregrina patria gloriari? Quàm multos illi prædictionibus suis fefellerunt? quoties in mendacijs sunt deprehensi? quoties de furtis accusati? Et tamen eis creditur? ab eis mendacia pretio emuntur? & multâ pecuniâ artes discuntur plenæ vanitate? Quis vmquam tam prodigus extitit, vt argento impostura præstinaret? Hoc tempore (atque vtinam non in hac vrbe) tales fuêre, qui admirabiles, improbas, pernicioſas ab eis certatim emerunt impostura. Vultis scire quas? ipsi isti Ægyptij Ducibus suis, ac Duces inter epulandum cum risu recensue-

runt.

runt, mulieres Ægyptias passim grande lucrum fecisse, non solùm apud ancillas, sed etiam apud ciuium aliorumq; honestorum dominorum filias venditâ eis prorsus nihili medicinâ. Pro quonam morbo? pro vteri tumore. Quem morbum salaces puellæ maximè timent, ne hydropicæ videantur, eaque propter tamquam non sanæ nullos maritos acquirant.

Intelligitis, opinor, quid velim dicere. Non multis mouenda est hæc Camarina. Immò mouenda, vt amoueatur. Nam 1. vniuersim prohibitum est, à talibus consilium vel auxilium petere. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminì, vt polluamini per eos, ego Dominus Deus vester.* Ac rursum: *Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contrà eam, & interficiam illam de medio populi sui.* Non est ergo iocus, non res leuis existimanda, si tales consulantur. 2. Quid, obsecro, mortales, apud mendacij patrem, apud tot fraudum matres, quærunt veritatem? Ad hos clamat Propheta: *Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ipsæ istæ Ægyptiæ mulierculæ rident vel credulitatem, vel simplicitatem istarum puellarum. Dant enim eis verba, non remedia contra partum. Dant eis radiculas, quas aut ipsæ non cognouerunt, aut passim in hortis, campis, siluis obuias habuerunt; aut fortasse etiam mandragoram, vel circeium, vt alij vocant, vt vesano gramine fœtum non prohibeant, sed foueant. 3. Quorsum autem, ô stultæ puellæ, talem artem discitis? nonnè animaduertitis matrimonijs aduersam, aduersam honestati? Nulli enim alij rei seruit, nisi vt pudicitiam liberè, ac sine secuturæ prolis metu, prostituere valeatis. 4. Itaque etiam per vos multi iuuenes corrumpuntur, qui tantò licentiùs lasciuiam sequuntur, quantò se sperant securiùs peccaturos. 5. Atque hæc iustissima Dei permissio est, vt quia Mundus vult falli, sua malitia fallatur, & de malo in malum cadat. Cùm enim iuuenes tantò audaciùs delinquant, quia putant se impunè delinquere; & puellæ tantò procaciùs pudorem omnem abijciant, quia putant se non parituras: ecce contrarium euenit. Nam paulatim, præter opinionem, grandescunt, & intumescunt, dum videntur fieri pinguiores, & animæ duæ in vno corpore maius domicilium requirunt. Tunc,

XI.

Leuit 19. 31.

Leuit. 20. 6.

Psal. 4. 3.

Plin. lib. 25. cap. 13.

tunc *extrema gaudij luctus* occupat, tunc vident se in muscipulam incidisse; tunc in aliquem pagum migrandum est, vt partus exoneretur, tunc cum nuptijs properandum, ne puella antè mater fiat, quàm sponsa; & Genethliaca citiùs quàm Epithalamia canantur: tunc de fuga circumspicitur; tunc grauiora remedia quæruntur. Nam quæ femina ita animo constituta est, vt velit medicinam sumere, ne partum concipiat, facile à Stygio sugge-store persuadetur, vt postquam concepit, partum pellat: immò vt editum in lucem strangulet, nec jam tantùm vita, sed etiam æterna beatitudine priuet; primùm impudica, deinde meretrix, mox dæmonum consultrix, deniq; proprij infantis interfectrix, tandem & ipsa carnifici tradenda.

XII. Huc denique ducunt ioci iuuenum, leuitas puellarum & familiaritas Ægyptiarum feminarum. Ob hæc Deus vrbes, prouincias & totas bellis plectit nationes. Nam hanc caussam ipse

Deuter. 18. 9. jndicauit sibi fuisse olim gentium exscindendarum. *Quando ingressus fueris terram*, inquit, *quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Ite nunc, & consulite Cingaros, & Cingaras. Hanc mercedem vobis promittit Deus. *Propter istiusmodi scelera delebit vos.* Non potest ferre hanc immunditiam purissimus spiritus. Abominatur sordes istas. Fœtent ante illum eiuscemodi homines, libidinis cœno, spurcum sibimet ipsis mutuæ impudicitiæ nidorem inhalantes. Quamquam istis tam horrida horrori non sunt, quia idem omnes fœtor infecit. Hircus capræ, & capra hirco bene olet. Non sentiunt ampliùs nauseam, quibus est vna libidinũ fornicationumq; sentina, cœnumq; quasi ex omnium platearũ & cloacarum labe collectum. *Num-*

Ieremi. 5. 9. *quid super his non visitabo, dicit Dominus, & in gente tali non vlciscetur anima mea? Ascendite muros eius, & dissipate, consummationem autem nolite facere: auferte propagines eius, quia non sunt Domini.* nec Matris Domini; vt quid enim Virgo protegeret non solùm

virgi-

virginitatis, sed etiam omnis castitatis & honestatis hostes? Si non solùm natu maiores, sed etiam illi quos pudor maximè decet, atque ætas ipsa vult esse innocentes, sunt impudici; si tam rarum est ac nouum, iuuenem esse castis moribus, quàm rarum videri potest, quemlibet ganeonem non esse ganeonem, aut quemcumque sæuum non esse sæuum, si tam infrequens est & inusitatum, adolescentem non esse impudicum, quàm nouum & inauditum, iuuenem non esse iuuenem, & adolescentem non esse adolescentem; quid mirum est, si super his visitet Dominus & in gente tali vlciscatur anima illius? Si auferat ferro, igni, fame propagines tales? *quia non sunt Domini.* Dauidi non pepercit, scidit regnum Salomonis: idem adhuc est Deus, idem Dominus, idem Iudex, æquè nunc, atque ante mille annos impietatem execratur. Qui ergo bella nolunt, causam belli amoueant; nihil coram pueris inhonestum loquantur, spurcidicos sermones non doceant; nihil agant, quod oculos offendat innocentum; aut si de filijs suis aliquid audiant indecens, non arrideant; si intelligant eos mulierem Ægyptiam consuluisse, non indulgeant, sed vultu, verbis, verberibus castigent; Deumque præueniant longè grauiùs verberaturum: qui sublato etiam bello, quos ferrum non correxit, fame, peste, morte potest emendare.

Ad reges reuertamur, regumque historiam in compendio percurrendam. Maximè huic æuo commonendo idoneus est rex Ieroboam, qui vbi è tenui fortuna ad sceptrum emersit, nulla Dei rerumque diuinarum ratione habita, ad id vnum curas omnes impendit, vt regnum suum, per fas & nefas, firmaret. Apud illum enim non mensura regnandi religio, sed regnum erat mensura religionis. itaque vt staret imperium, religio iacebat; & cultus diuinus ex vtilitate æstimabatur. Solebat populus quotannis Ierosolymam proficisci, sacrificij ergo. Metuebat ergo Ieroboam, ne, si inibi populus paulatim ad regem Iuda Roboam filiũ Salomonis se adiungeret, esset periculum regni amittendi. Erat itaque venienti malo occurrendum. Hic error est eorum, qui diuina humanis postponunt: vbi volunt maximè sapere, stultescunt; & dum asylum quærunt, in mucronem incurrunt. Ieroboam, ne populus ad sacrificia iret Solymæa, aptissimum in speciem consilium

XIII.

Vide debet fusè Pet. Ribadeneram. lib 1. de Principe Christiano. c. 14.

3. Reg. 12. 26.

consilium inuenit. Duos aureos vitulos effigiauit, geminum fanum, in Dan vnum, alterum in Bethel ædificauit, ibi idola posuit, vitulinos Deos, edixitque, vt populus nusquam alibi, nisi ibi victimas immolaret. Callidissimum hoc, & præsentissimum videbatur, sed inconsultum & amens consilium erat; nam *factum est verbum hoc in peccatum. Et propter hanc causſam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terræ,* Quare illud ipsum consilium, quod statui Politico tuendo existimabatur accomodatissimum, reipsa fuit maximè pernicioſum, regnumque non stabiliuit, sed labefactauit; non iuuit, sed funditus euertit. *Fuitq; bellum inter Roboam & Ieroboam cunctis diebus.* quin & Abiam eum prælio lacessiuit, & Asa, reges Iudaici: vixit Ieroboam multis doloribus concruciatus, grauibusque incommodis afflictus. Eo defuncto, Nadab filius eius vix duobus annis regnum tenuit. Nam quia patri etiam in sceleribus successit, seruus eius Baasa regno eum simul ac vita exuit; statimque eo occiso omnem familiam Ieroboam adeò stirpitus excîdit, vt ne vnus quidem superesset. Scriptura, cùm peccatum Ieroboam, spretamque Prophetæ monitionem memorasset, addidit hæc verba, *Propter hanc causſam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terræ.* *Talia ferè sunt consilia Politicorum (quorum iste Ieroboam clarissimum exemplar)* inquit Lessius, *qui Religionem seruire faciunt politiæ, & talem fidem ac Religionem amplectuntur, qualem regno vel obtinendo, vel retinendo, vel augendo, aliisq; scopis sibi propositis putant commodiorem. Etsi enim eorum consilia videantur speciosa & vtilia, tamen plerumque successu temporis maximis difficultatibus Principes inuoluunt, & eis perniciem adferunt: ita disponente diuina prouidentia, quæ omnibus hominum consilijs dominatur.*

Ib. v. 30. 1. Reg. 13. 34.

3. Reg. 14. 30.

3. Reg. 15. 27.

3 Reg. 13. 34.

Leonard. Lessi. lib. 1. de provid. Num. 14 Ratione.

XIV. Rege Ieroboam eiusq; filio Nadab interemptis, ad Israëliticum regnum grassatus est Baasa non minoris stultitiæ, quàm crudelitatis & ambitionis homo. Quippe qui sciuit, antecessores suos, ob cultum idolorum extirpatos, & tamen ipse idololatra esse non desijt. Quamobrem Propheta Iehu etiam illi interitum prædixit, cuius stirpem in filio Ela Zamri excîdit, pariter regni inuasor, & familiæ totius Ieroboamicæ extirpator. Multa hîc possent memorari de rege Achab, & vxore eius Iezabel quartâ furiarum;

rum; multa de regibus Iuda, de Abia, de Asa, de Iosaphat, de Ezechia; qui quandocumque, relicto Deo, Deos adorauerunt, bellis sunt flagellati; quando autem ad Deum per pœnitentiam & preces reuersi sunt, illustrissimas de hostibus suis victorias reportauerunt. Inter hæc omnia tot Deus Prophetas misit, qui Iudæos à suprà memoratis peccatis absterrerent, minando, increpando, hortando, consolando. Sed cùm semper in miserias suas, & ad vomitum redirent, neque cladibus neque promissionibus emendati, nullumque peccandi finem facerent, agris, domicilijs, vrbibus, regnis, libertate ipsa priuati, in seruitutem traditi atque in Assyriam abducti sunt; & captiuitate Babylonica alijsque immensis calamitatibus exagitati; donec lamentabile illud excidium Ierosolymitanum à Romanis illatum paterentur, quod iam aliàs descripsimus.

2. Paral. 13. 2. Par. 14. 2. Paral. 20. 2. Paral. 32. 4. Reg. 19.

Suprà cap. 53.

XV.

Bella igitur, quantumuis horrida, quantumuis mala, diuinę iustitiæ esse opus, vel hinc constat, quia ijs Numen plerumque scelera Iudæorum castigauit; ad quod opus peragendum adhibuit reges, vel populos vicinos, Assyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Romanorum, per quos acerrimè fuêre flagellati. Ita decem tribus, vbi à Regibus Syriæ magnis cladibus affectæ, tamen in sua malitia perseuerarunt, tandem iustissimâ summi Iudicis sententia stirpitus ab Assyrijs sunt eradicatæ, vniuersis vel occisis, vel in perpetuam seruitutem abreptis. Ita tribus quoque Iuda & Beniamin, quæ solæ è duodecim restabant, postea à Chaldæis attritæ sunt, & in Chaldæam traductæ, vbi per septuaginta annos durissimam seruitutem seruierunt. Inde quoque, vbi satis pro delictis suis plexi sunt, liberatæ in patriam & pristinum felicitatis suæ florem redierunt, populo, diuitijs, & delicijs auctæ, donec tandem, Messia crucifixo, & repudiata diuina sapientia, cælestique veritate contempta, clade vltima maximaque per Titum vrbi & genti procurata, perfidiam luerunt. Quemadmodum autem Iudæos, ob sua delicta, bellorum exitijs iustissimè castigauit Deus, ita etiam, vt suprà docui, alios quoque populos, ob sua peccata, hostium armis attriuit, vt de Ægyptijs, Tyrijs, Idumæis, Moabitis, Syris, Assyrijs, & Chaldæis diuersi Prophetæ perspicuè docuerunt.

Isaias à cap. 13. vsque ad. 25. & cap. 45 & 46. Ierem. 46. & seqq. Ez.

CAPVT LXII.

Etiam Christianos Reges, Principes, Populos moribus suis causſam dediſſe, vt è Terra Sancta, regnis, ſedibus ſuis, eijcerentur, aut armis caſtigarentur.

I. QVod Iudæis contigit, vt eorum ſcelera atque delicta bellis expiarentur, quis dubitet etiam euenire Chriſtianis? Paribus culpis pares pœnæ debentur. Atque vt ibi incipiam, vbi diximus, Iudæos, ob peccata ſua, eſſe deſijſſe; nos quoque Ieroſolymam poſſedimus; in noſtra manu fuit illa Terra Sancta, in qua Chriſtus ſeruator noſter natus, educatuſque fuit, quam pedibus ſuis perambulauit, ſanguine rigauit, morte ſacrauit. Ibi viri ſanctiſſimi habitauerunt. Eò ex toto vndique terrarum orbe nobiles, & ignobiles, ſummi infimiq́ue pietatis cauſſa, confluxerunt. Ibi vota ſua Principes & Reges depoſuerunt. Neque Hieronymus dumtaxat antrum Chriſti naſcentis, ſed etiam nobiliſſimæ quæque virgines, viduæ, matronæ, Romanis palatijs prætulerunt. D. Hieronymus de Paula ita ſcribit: *In Bethlehem ingreſſa, in ſpecum Saluatoris introiens, poſtquam vidit ſacrum Virginis diuerſorium, & ſtabulum, in quo agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, vt illud impleret, quod in eodem Prophetæ ſcriptum eſt: Beatus qui ſeminat ſuper aquas, vbi bos & aſinus calcant: me audiente, jurabat, cernere ſe oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præſepe Dominum, Magos adorantes, ſtellam fulgentem deſuper, Matrem Virginem, nutricium ſedulum, paſtores noctu venientes, vt viderent Verbum, quod factum erat.* Eadem pietas, idemq́; affectus in ijſdem locis ſacris fuit Helenæ Imperatricis, aliarumq́; feminarum & virorum, qui illuc proficiſcebantur, vt illis terræ oſcula imprimerent, quibus Dominus noſter IESVS Chriſtus veſtigia pedum ſuorum impreſſit. De quibus multa præclara Beda de locis ſanctis, Adamannus, & Iacobus Gretſerus poſteris tradiderunt. E poſſeſſione tam benedictæ terræ hoſtis nos eiecit, arma pepulerunt, neque eam bellis adhuc vllis potuimus recuperare. Quid ita? Cauſſam Chriſtianis, ipſi infideles indicauerũt. Nimirum ſicut peccatum primum parentem è Paradiſo, ita Chri-

S. Hieronym. ep. 27. ad Euſtochium.

ſtianos

stianos è Terra Sancta eiecit, & solum vertere coëgit. Historiam dabo.

II. Cæsarius Heisterb. lib. 4. Illustr. hist. cap. 15.

Inter Cistertienses, quidam Religiosus vixit, nomine Gulielmus, qui antè, quàm se ordini illi addiceret, ad Traiectum inferius, Canonicum agebat. Is maioribus annis, Cruce signatus, mare traiecit, vt Dominicum sepulchrum visitaret. Nondum nauis, quà vehebatur, portum Achonis attigerat, cùm ante auroræ ortum, adhuc obscura nocte, in diuersis circa ciuitatem locorum spatijs, ignes non pauci, instar facularum, apparuerunt vectoribus, qui cùm è nautis sciscitati essent, quidnam ignes illi portenderent, aut essent? Nautæ dixerunt, existimare se, tempore æstiuo, ad liberiorem frigidioremque auram captandam ciues extra vrbem tentoria posuisse, in quibus ad nocturna lumina lusitarent, quemadmodum & in Hispania, alijsque regnis ac prouincijs fieri assolet. Hac opinione persuasi, sine omnis periculi metu, nauim in portu Achonis appulerant. Eo autem tempore, quod erat, regnante Friderico Romanorum Imperatore, ob Christianorum peccata, Terra Sancta venerat in Saladini regis Syriæ potestatem, cuius filio Noradino obuenit Achonis portus cum ciuitate ipsa, quam Saraceni occupauerant. Quoniam autem Noradinus miti erat ingenio, & natura beneficus, conspecta Christianorum naui, & caussa aduentus haud difficulter diuinata, nobilem quemdam linguæ Gallicæ gnarum iussit triremem conscendere, atque aduenis obuiam ire, eisque comiter salutatis dicere, ne quid hostile timerent, neminem eorum aut vitam amissurum, aut libertatem. Pro qua gratia Nobilis quidam Germanus lethaliter decumbens, per eumdem, qui venerat, legatum regi Noradino loricam, galeam, clypeum, ensem, ceteraque arma, & cimelia sua, honoris caussa, transmisit, etiam atque etiam rogitans, vti fratres suos, qui vnà aduecti fuerant, haberet commendatos; se obseruantiæ ergo illi mittere ea arma, in quibus trium annorum spatio vouerit, Christo militare; sed quia clarè agnosceret, aliud Deum velle, meliùs ea nusquam alio loco posse collocari. Cum his iussi & alij ire nuntij, inter quos, ob linguæ Gallicæ peritiam, etiam erat suprà nominatus Gulielmus, qui Saraceno Principi munera præsentarent. Accepit tam legatos, quàm munera hilari animo Noradinus,

radinus, singulisque inspectis, atque osculo honoratis, dixit, se metipsum venturum, vt ægrum viseret. Æger tamen interea iam expirauerat, quem appenso lapide in mare deiecerant nautæ. Sed ne, eo non apparente, aliud suspicaretur rex Saracenus, alium quemdam non minoris nobilitatis virum morbo extremè afflictum in locum lectumque eius reposuerunt. Alterum sol exortus vbi diem fecit, primò mane Rex ad littus venit, magna satrapa rum caterua comitante. Ibi diuerso colore pictas naues comitatu impleuit, tandemque & ipse conscensa prætoria naue ad Christianos accessit, ac primò quidem pro transmissis sibi lautijs magnificè gratias egit; mox ægroto ponè lectum assedit, & cum medico, quem secum adduxerat, de morbo decumbentis, deque modo eum sanandi disputauit. Tum etiam quædam nobilissimi generis poma ei obtulit, quæ dicebat, non procul Damasco, in patris sui horto creuisse. Tandemque addebat, *Propter te, omnibus Christianis benefaciam.* Pluribus postea vltro citroque dictis, ægroto pariter ac ceteris valere iussis, potestatem dedit eundi & redeundi è locis Sanctis, ac, ne eos quisquam læderet, *signo teli regalis munitos* dimisit. Redeuntem regem atque nobilem, qui primò missus fuerat, officio humanitatis comitatus est initio nominatus Gulielmus, qui inter eundum interrogatus est, *Quo modo Christiani, in patria illius seruarent legem Christianam?* Ille verecundatus fateri, quod res erat, respondit, *Satis bene:* Quo responso audito, Admiraldus, Ego, inquiebat, exponam tibi legem Christianorum, qui in hac regione degebant. Pater meus, quia erat inter eminentiores, misit me iuuenem ad regem Ierosolymitanorum, ea conditione & lege, vt apud illum Gallicum discerem idioma, ille autem vicissim filium suum parenti meo remitteret, vt linguâ Saracenicâ disceret loqui. Hinc mores & vitam Christianorum ad vnguem teneo. Igitur, quæ audiui, quæq; hisce oculis meis vsurpaui, tibi referam. Ita tunc Christiani Ierosolymis vixerunt, vt nullus adeò dives esset, qui lucri caussa, & pro pecunia vel sororem, vel filiam, vel, quod execrabilius erat, vxorem propriam luxuriæ ac libidini peregrinorum non exponeret. In compendio dicam, ita vniuersi gulæ & carnis illecebris dediti erant, vt si eos de moribus æstimares, nihil prorsus à pecoribus differrent. De

superbia

superbia quid dicam? ea adeò eis dominata est, vt numquam sibi satisfacerent in vestibus suis incidendis, stringendis, prætexendis, acu pingendis, auro illudendis, fimbria, limbo, achanto variandis. Atque vt cetera taceam, tot fuerunt vel in solis calceis mutationes, tot nouitates, tot vanitates, vt putares, eos aliud nihil dies noctesque cogitasse, quàm quo pacto vnus alterum vestimentorum pompa superaret. His recensitis adiecit: *Considera vestimenta mea, calceamenta mea, quàm sint rotunda, quàm ampla, quàm simpliciter & humiliter formata.* Habebat autem Admiraldus iste, vt retulit idem Gulielmus, manicas laxas ritu monachorum, nulla erat in vestibus plicarum multiplicitas, nulla curiositas, licet ipsa vestium materia foret satis pretiosa. Postquam igitur & simplicem Saracenorum habitum, & Christianarum vestium insolentem superbiam satis demonstrauit, hoc demum egregium epiphonema, coronidis loco, addidit: *Ecce, ista sunt vitia, propter quæ eiecit Deus Christianos superbos & luxuriosos de terra ista: non enim diutiùs potuit tantas illorum iniquitates sustinere. Putas, quia nostris viribus obtinuerimus illam? nequaquam.* Ad extremum etiam hunc adiecit, seu colophum, seu colophonem: *Neminem ex Regibus vestris timemus, neque ipsum Imperatorem vestrum Fredericum: sed, sicut legimus in libris nostris, Christianus Imperator quidam surget Otto nomine, qui terram hanc cum ciuitate Ierusalem cultui Christiano restituet. Nos ista audientes,* addit narrator, *sperabamus, quia prophetia illa implenda esset in Ottone Imperatore Saxone, qui ante aliquot annos defunctus est.* His ita Achone dictis gestisque, Noradini quoque pater Saladinus admodum fuit erga Christianos humanus. Etsi enim ab eius exercitu Christianorum copiæ partim essent deletæ, partim captæ, partim dissipatæ; tamen reliquias ciuitatum, quæ se vltro dediderunt, in ijsdem ciuitatibus manere, atque vitam degere permisit, diligenti licet custodia adhibita, ne quid mouerent. Sed quia nec dum Christiani in Terra Sancta sanctè vixerunt, denuò iram diuinam in se prouocârunt. Itaque tempore aliquo elapso Saladinus inquisiuit, quo se modo gererent Christiani? Cui responsum est, haud aliter eos viuere, atque pecudes intellectu carentes, atque in pastum abiectas. Nam totam eorum occupationem esse, ludos, comessationes, compotationes, lu-

xum & illecebras voluptatum. Hæc vbi intellexit Saladinus, ita vehementer concitatus, seuerè mandauit, vt quidquid de Christianis reliquum esset, è ciuitatibus omnibus expelleretur.

III. His ita denarratis, exclamauit Apollonius: *Prô, quod abhorret Iudæus, & quod execratur paganus, hoc quasi pro lege habet Christianus!* Mihi exclamare libet, Prô cæcitatem Christianorum, qui alieno exitio sapere non didicerunt! Sciunt Iudæos, templum, ciuitatem & Terram Sanctam, impietate sua perdidisse; nôrunt ibi Christianos pietate ac religione sua possessionem accepisse; & non vident contrarijs moribus se se omnia rursus amisisse? Enimuerò neque illud vident; etiam quæ adhuc habent in manibus bona, ob vitæ improbitatem, ad hostes abire posse? Non tolerauit Saladinus Christianos in vrbibus suis, ob improbitatem, & Deus eos toleret in Terra sua? *Et terra infecta est ab habitatoribus suis*: ait Propheta, *quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum.* Ob quam rem & Deus eos è Terra eiecit, ne porrò ab impijs habitatoribus inficeretur; eaque mala induxit, quæ illic Propheta recenset. Quocirca & D. Augustinus eos reprehendit, qui bona, quibus donabantur, fato suo, mala autem, quibus vexabantur, Christo nostro imputabant, *cùm potiùs deberent, si quid rectè saperent, illa quæ ab hostibus aspera & dura perpessi sunt, illi diuinæ prouidentiæ tribuere, quæ solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere: itemq; vitam mortalium iustam atq; laudabilem talibus afflictionibus exercere, probatamq; vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris, propter vsus alios detinere. Illud verò, quod eis vel vbicumq; propter Christi nomen, vel in locis Christi dicatissimis & amplissimis, ac pro largiore misericordia ad capacitatem multitudinis electis, prater bellorum morem truculenti barbari pepercerunt, hoc tribuere temporibus Christianis: hinc Deo gratias agere, hinc ad eius nomen veraciter currere, vt effugiant pœnas inferni.* Hæc eadem quę Augustinus Ethnicis dicit, dici possunt omnibus ab Ecclesia Catholica alienis; immò ipsis quoque Catholicis religionis tepiditate & defectu, morumque malorum enormitate, Deum ad iram, & arma prouincijs regnisque inijcienda, prouocantibus. Ac ne prolixè repetam, quæ Saluianus clarè grauiterque scribit de Afris; neque quæ Victor Vticensis de persecutione Wandalica aliquot libris

Isa. 24. 5.

S. Augustin. lib. 1. De ciuit. cap. 1.

libris recensẽt; aut quæ Gregorius Turonensis, Ioannes Vasæus, Sigebertus, & Paulus Diaconus; immo Eusebius, Socrates, Nicephorus, alijque, & ex illis Baronius, copiosè persequuntur. Paucula quædam dumtaxat, quæ nos saltem causſa, si non & tempore, & loco viciniùs attingunt, gratia exempli perstringam, vt discamus consiliũ, quod ex Deo capitur, firmius vtiliusq; esse omnibus ijs consultationibus, quæ ab humana Politici, vel potiùs Machiauellistici status ratione sumuntur: nec stabile esse regnum vllum, cuius fundamentum pietati non innititur. Rectè enim S. Thomas dixit: sapientia & potentiam germanas esse comites veræ Religionis, & tanta societate iunctas, vt hac ruente, illas pariter ruere necesse sit. Quod verissimũ esse, non ex hoc solùm cognoscimus, quòd in quibus prouincijs & regnis floret Religio, in eisdem etiam plerumque sapientia potentiaque vigeat; sed quòd etiam quicumque Principes à Religionis regula deflexerint, fallacemq; potiùs mortalium prudentiam, quàm Dei legem, in consilium adhibuerint, cum principatu simul prudentiam ac potentiam perdant. Cuius rei probandæ gratia profert Petrus Ribadeneira non solùm aliquorum Principum sacra, sed etiam profana exempla, qui cùm regni administrandi modum ad humanas & ciuiles rationes, non ad diuinas leges & præcepta reuocarent, sibi perniciem pepererunt; & quibus artibus regna sua maximè conseruata cupiebant, ijsdem prostrauerunt ac funditus euerterunt. Sacra exempla è diuinis litteris nos suprà satis multa attulimus; profana, sed Christianorum hîc aliqua in compendio apponere non pigebit.

S Thomas Opusc 20. lib. 2. c. vlt.

Petrus Ribad. lib. 1. de Princip. Christiano c. 15.

IV.

Vt ergo quædam strictim percurram, quis nescit Constantij, quis Valentis Imperatorum calamitosos, sed meritos exitus? quis non audiuit Hunrici Wandalorum regis, aut Basiliſci capitalis hostis Concilij Chalcedonensis iustissimas pœnas? Et quidem Basiliscum Zeno, Zenonem autem propria coniunx Imperio priuauit; immo & viuum hunc vxor iussit sepeliri, vino sepultum. Heraclius initio & Catholicus, & animi fortis ac generosi princeps fuit, at posteaquam hæresi attaminatus est, facta plurium ac nobilissimarum Orientis prouinciarum iactura, obscœno morbi genere infeliciter absumptus est. Philippus Iconomachus de imperio

Thom Bez. lib. 5. de Sig. Eccl. cap 11. Sig. 15. Zonaras tom. 3. Paul. Diac. lib. 7. c. 1.

perio penitus depulsus fuit, eiusque nomen è nummis abrasum, è publicis tabulis deletum, ex alijs monumentis reuulsum, & ex officio Missæ liturâ sublatum. Leoni Imperatori occidentis Imperium ablatum est, data Gregorio III. summo Pontifici iustissima caussa, vt illud à Græcis ad Germanos transferret. Christiernus Daniæ rex, Catholicæ religionis desertor, regno pariter ac libertate fuit spoliatus. Sed *his exemplis, & notissimis pratermissis, id vnum dumtaxat addamus, prater miserandos exitus, quos demonstrauit*, ait Ribadeneira, *malis Principibus, Deo vindice contigisse, eodem etiam vltore grauiter regna & prouincias puniri, in quibus Princeps improbos errores atque hæreses impiè fouet, easq; de industria permittit, vel negligentia, iniuria, & dissimulatione sustentat; quod exemplis, quæ mox subijciam, fiet manifestum. Gothi principiò fuerunt Catholici: itaq; ex eorum episcopis vnus, cui nomen Vlphilas, Concilio Nicæno interfuit. Hic à nonnullis Arianis seductus atque deprauatus Gothis venenum erroris instillauit: vixq; satum fuit hoc malum, cùm simul dissensionum & diuisionum caussa creuit; quo factũ est, vt Hunni in Gothos irruperint, eosq; victos è terris, quas occuparant, ac possidebant, deturbauerit. Quando ydem Gothi sub potestatem suam Hispaniã redegerunt, eas hæretici Priscillianistæ corruperant, & inibi magna authoritate dominabantur; vt ex historia Seueri Sulpity, & epistola quadam Leonis primi, perspicuum est.* Sed eamus in Hispaniam.

Geneb. An. 1532. Ribad. lib. 1. c. 29

Carol. Sigon. lib. 8. de Imp. occid.

Seuer. Sulpit lib. 2. hist sacr. S. Leo ep. 93

V.

Vitiza Hispaniæ rex, clementia, quam initio simulabat, in summam crudelitatem versa, conuulsis effractisque, in toto regno, iuris, pudoris, officijque repagulis, populo ad omnem turpitudinem, factis, verbis, edictis, incitato; negata per summam vim summo Christi Vicario obedientia, detracta Deo reuetentia, omni flagitiorum genere demersus & obrutus, carnificina tandem conscientiæ stimulatus, vereri cœpit, ne regnum in se insurgeret, vrbes & munitiora quæque loca, defectione facta, correptisque armis, diademate, cuius erat appetentissimus, tametsi indignissimus, priuarent. Vt ergo imminenti damno occurreret, periculumq; omne declinaret, hominis consilium secutus, vrbium oppidorumq; muros euerti, munitiones regni prosterni diruique mandauit: & ne facto tam insolenti deesset velum aliquod,

Roderic. Archiep Tolet. lib 3. cap 15. Marian de reb. Hisp. l. 6. cap. 19.

pacem

pacem opponebat, qua stante, nihil esse quod timeretur; re autē vera, vt periculo tutus coronam conseruaret. Sed cùm ea indignissimus esset, consilium à ciuili humanaque ratione profectum, Deoque inuisum, ac rationi aduersum, malè illi cessit: nam regno & oculis orbatus miserè mortuus est, regnumque adeò debile armis præsidijsque nudum, Roderico successori reliquit, vt Mauris Hispaniam oppugnantibus perfacile fuerit illud expugnare, & subiugum mittere; Deo etiam à Regis & regni peccatis pœnas debitas, acerbissimo hoc imperio miseraque & diuturna multorum annorum seruitute, reponente. Hæc post Rodericum Archiepiscopum Toletanum, & Marianam Ribadeneira.

VI.

Iacob. Meyer lib. 17. Annal.

Qui deinde ex Philippo Comineo subiungit aliam de Carolo Burgundiorum Duce historiam, cui, ob consilium (in tradendo Ludouico Luxemburgensi Comite, quem in suam fidem receperat) Politicum, nihil prosperè succesſit, sed calamitas alia super aliam addita est, tandemque victus ab Heluetijs atq; ad Nanceium miserrimè trucidatus est. Æquè infelicem exitum habuit Ludouicus Sfortia Mediolani Dux caueæ ferreæ inclusus, *relicto raro admodum documento Principibus ijs, qui in suis consilijs priuatum commodum diuinis legibus anteferunt.* Sed illud nos propiùs attingit, quod est Ioannis Friderici, Saxoniæ Ducis. *Hic (vt a fide dignis accepi*, ait Ribadeneira) *miro desiderio tenebatur familiam Austriacam Imperatoria dignitate spoliandi, quòd sensim videretur quasi hereditario iure possideri. Quod suum desiderium cùm vocato ad se Martino Luthero communicasset, auctor fuit Duci, Religionem vt mutaret, si Imperium mutatum vellet. Accepto & approbato hoc consilio Lutherum sibi adiunxit conceptæ nequitiæ aptissimum instrumentum, eiusq; impiam sectam aluit, errores fouit, fidem Catholicam in sua ditione euertit; neque his contentus, iure humano posthabito, in Carolum quintum Imperatorem ac Dominum suum, arma sumpsit, & vt Germania exturbaret, omnes machinas admouit. Sed insanum hoc consilium, stultamq; prudentiæ humanæ rationem eluſit euentus. Nam profligatis copijs victus captusq;, & dominatu, & Electoris potestate priuatus est: quam in Mauritium Ducem, Ioannis Friderici patruelem, eiusq; familiam Imperator transtulit; in qua in præsens vsq; tempus perseuerat.* Pluribus autem antè annis, immo sæculis, simile

Franc. Guich. lib. 3. & 4. histor. Ital. Paul. Iouius lib. 4. Elog. milit. Petr. Ribad. lib. 1. cit. 15. de Princ. Christiana.

Baron. to. 11. An. 1012. n. 9.

quid eidem Saxoniæ contigisse narrat è Chronico Slauorum Helmoldi Cardinalis Baronius. Anno decimo regni Henrici Germaniæ Regis mortuus est Dux Saxoniæ Benno, vir tantæ virtutis, quantæ nobilitatis, neque prouinciæ suæ magis, quàm Ecclesiæ ac religionis custos & defensor. Huic in principatu hæres successit Bernardus filius; qui vt à pietate, ita etiam à felicitate paterna longè diuertit. Ex eo enim tempore, quo Dux Saxoniæ factus est, regioni illi numquam defuit discordia, perturbatio, tumultus. Dux quippe Henrico Imperatori rebellare ausus, totam secum ad rebellandum Cæsari traxit Saxoniam. Nec satis ei fuit humanæ aduersari potestati, etiam in Superos arma mouit. Siquidem in ipsum Christum se erigens, omnes Saxoniæ Ecclesias terruit, atq; turbauit; præcipuè verò illas, quæ in rebellione in illius malitiam consentire noluerunt. Super hæc Bernardus tam paternæ quàm auitæ affectionis erga Slauos oblitus, incredibili auaritia gentem Winulorum crudelissimè oppressit, atque ad Paganismi necessitatem adegit. Illo enim tempore Slauorum dominio potiti sunt Theodoricus Marchio & Dux Bernardus, illo quidem Orientalem, isto autem Occidentalem prouinciam possidente, quorum culpa Slauos coëgit fieri fidei desertores. *Rudes adhuc in fide Gentilium populos, quos optimi quondam Principes cum magna lenitate fouerant, temperantes rigorem his, quorum propensiùs insistebant saluti, isti tanta crudelitate insectati sunt, vt excusso tandem seruitutis iugo libertatem suam armis defendere cogerentur.*

VII.

Petr. Ribadē. l. 1. de Princ. Christ. c. 29. Idem eod. lib. 1. cap. 15.

Gallias etiam infecerat hæresis Vigilantij, cùm validus Francorum exercitus irruptionem in eam fecit. Atque eos ipsos Francos magna religionis incuria ceperat, cùm Normanni bello victos domuerunt. Franciscus primus, & Henricus secundus eius filius, Galliæ reges, quamuis Christiani, & Catholici principes, cùm atrox ac funestum bellum aduersus Carolum V. Hispaniarum regem gererent, humanâ potiùs, quàm diuina prouidentia in consilium vocata; ille, Turca sibi fœdere adiuncto, instructissima perfidi hostis classe maritimas oras Carolo parentes excursionibus infestauit; hic admissos in belli societatem Germanos Principes, quos Protestantes vocant, in eumdem conatu & animis armauit, vt

Genebrard. in Chron. c. 4. An. 1548.

etiam Galliæ Historici scriptis prodiderunt. Verùm quis ex eius generis fœderibus fructus? Nullus, prater dedecus, & publicam offensionem.

Nam

Nam Turcica classis, exiguo admodum detrimento rebus Caroli illato, tractum Galliæ circa Tolonis Martij portum, in quo in hibernis egit, indignis modis igni ferroq; populata est, viresq; & portus Gallorum explorauit, vt incidente occasione Galliassecuriùs aggrederetur. Principes verò Germaniæ hæresi infecti, qui per summum nefas defecerant, bonis multati, & pluribus incommodis affecti, manus Imperatoris sui victrices vindicesq; senserunt. Atque ob eiusmodi pactiones, & iniusta cum Ecclesiæ hostibus fœdera, aliaq; nostra maleficia, quibus Numinis iram prouocauimus, permisit Deus, nobilissimum, potentissimum, ac Christianissimum regnum adeò miserè affligi, & veluti infernis ignibus conflagrare, vt nec piorum precibus, nec lachrymis comprimi, nec in tot tamq; crudelibus bellis effusi sanguinis riuis in hanc diem restingui potuerit, quin potiùs noua ceperit incrementa. Ex quo pernicioſum humanæ prudentiæ consilium, & nefaria Politicorum calliditas, Anno post Virginis partum 1588. in Blesensibus Comitijs, Henricum Guisæ Ducem, & Ludouicum Cardinalem, eius fratrem, fortissimos & clarissmos Principes crudeliter sustulit. Sed quoniam hoc consilium, quod ab Politicorum & Machiauelli schola prodierat, cum diuinis legibus pugnabat; factum est, vt anno necdum decurso, aquissimus sceleris vindex Deus à cedis auctore meritissimas pœnas exigeret. Hæc Ribadeneira.

VIII.

In Polonia cùm annus Domini ageretur millesimus vigesimus secundus, auaritiâ quorumdam Nobilium vsus Alastor rerũ & Ecclesiæ, & regni vehementer turbauit; & dissipasset omnia, nisi Regis prudentia, ac pietas maturè occurrisset, malumque in authores retorsisset, dignos perire, qui alijs, ob diuitias iniquè augendas, perniciem machinabantur. Res in hunc modum à Ioanne Longino Canonico Cracouiensi narratur. *Catholicæ religionis fidem cultumq; Satanicæ inuidiæ malignitas in Poloniæ regno, & vicinis regionibus videns in breuis temporis spatio primò quidem sub Mieszlao Duce, deinde sub Boleslao primo Polonorum Rege vehementer germinasse, & funiculos tentorij sui latissima propagine diffudisse; turbinem & procellam eodem in regno excitit, & res fidei extinguere, & quietem stabilitatemq; ciuilem nisus est perturbare. Nonnulli siquidem Nobiles Poloniæ satana suggerente, ob onerosam decimarum manipularium solutionem, onerosos Christianos ritus dicentes, præsertim hi, qui in spurcitijs genitalibus enutriti iugum orthodoxum non facilè tolerabant, ad*

Io. Longin. An. 1022. & ex eo Baron. tom. 11. ad eumdem annum n. 17.

ritus redire profanos, & vetustam sacrilegamq; vitam resumere, & decimas non reddere, tempore instituto non Ecclesias frequentare, ministrosq; & Sacerdotes de eorum Ecclesijs pellere frequenti conspiratione componebant. Nimirum tres causſæ erant, diabolus instigans, auaritia prouocans, & vitæ scelerumque libertas impellens, vt secessio fieret; ea quæ Dei sunt, Deo non darentur; ac demum, excusso disciplinæ Christianæ iugo, licentia viuendi ex libidinis imperio armis compararetur. Et meruissent amittere religionem, nisi Deus aspiciens ad Regis pietatem gladio mitiore puniuisset. Nam *id cùm ad Boleslai Poloniæ Regis aures perductum esset, non tulit fidelissimus fidei Catholicæ propugnator gliscentem conspirationē consurgere, sed in ipso suo ortu illam mox extinxit. Authores enim illius, missis militibus, comprehendit, & capita conspirationis partim capitali supplicio extinxit, partim verberibus mulctauit: ceteris minùs reis, & sola contagione fœdatis aliorumq; suasionem secutis parcendum decreuit.* Hinc apparet, è quibus scintillis seditionum bellorumque incendia nascantur, quæ nisi in ortu suo opprimas, vel difficulter postea, vel numquam domabis, si inualescant. *Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Psal. 136. 8. Surculum manu licet vellere, annosam quercum, etiam pluribus adhibitis socijs, vix eradicabis. Maturè igitur Boleslaus subuenit Religioni Catholicæ labascenti, eamque iterum erexit; ad quam rem totis exercitibus fuisset opus, si eam cadere permisisset. Facilius inclinata, quàm lapsa in statum restituuntur. Itaque currendum, quoties succurrendum; ne de fumo ad flammam veniatur.

IX.

Quod videre fuit apud Britannos, qui peregrinis erroribus atque doctrinis iam toti infecti pœnam meruerunt, quę illis manu militari fuit inferenda. Etenim de Britannia, quam nunc Angliam appellamus, *Gildas scriptor perantiquus, & veritatis amantissimus testatur, per id tempus, quo Britanni Anglos, vt sibi contra Pictones ac Scotos essent auxilio, asciuerunt, eam totam insulam hæresi Pelagiana corruptissimam fuisse, huiusq; impietatis vindicandæ gratia permisisse Deum, vt Angli in eos ipsos arma conuerterent, quibus auxilio venerant, deuictosq; ex insula pellerent, quam postea de suo nomine Angliam* Petr Ribadē. lib. 1. de Principe Christiano cap. 29.

gliam appellauerunt. Tantum porrò decursu temporis ibi creuerat errorum colluuies, vt quo tempore S. Gregorius pontifex Augustinum cum aliquot Monachis socijs in Angliam ad propagandam fidem destinasset, inuentis nouem hæreticis Episcopis, nullũ Catholicum repererit. An non hîc Deus causam habuit, hostes suos armis excindendi, aut Martia manu e terra sua eijciendi & fugandi, tamquam colubros excantatos aut effumigatos? Quid iuuat designare, & non ferire? eludere eminus, infrendere cominus? Aliter Deus regit. Expectat pœnitentiam, tempus dat emendationi, quę vbi non sequitur; sed omnia in peius ruunt, tandẽ clamat: *Finis venit: venit finis, euigilauit aduersum te, ecce venit.* Quare etiam Angelus *clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ sunt vuæ eius.* Neque Angeli similes sunt humanæ tarditati, quæ etiam maturas vuas sæpe sinit in vite putrescere. Ezech. 7. 6. Apoc. 14. 18.

X.

Post modò recitatam de Anglia historiam, subiungit Petrus Ribadeneira alia exempla. *Cùm Alboinus*, inquit, *Longobardorum rex, Italiam ingressus, Venetias, Liguriam, & Galliam Cisalpinam, (quæ nunc ex illorum nomine Longobardia dicitur) occupauit, illæ Regiones multis erroribus ac hæresibus redundabant, & in Concilium Constantinopolitanum ac Chalcedonense admodum erant contumaces. Quid illa memorem infelicia ac tristissima tempora, quæ orbis terrarum exitium atq; perniciem Mahumetum nobis dederunt? quot errores atq; hæreses contra Catholicam Religionem illis temporibus toto Oriente vigebant? nam Heraclius Imperator, hæresi infectus benevolum se ac fauentem præbebat impietatis sectatoribus, neq; ab eis huius sceleris pœnas reposcebat. Et, vt hoc caput concludam, vrbs Constantinopolis capta est euersaq; à Turcis anno nostræ salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, eo ipso tempore, quo vita functis Palæologo Imperatore, & Patriarcha Constantinopolitano (qui non multò antè in Concilio Florentino ad vnitatẽ Ecclesiæ Romanæ se aggregarant) & neglectis sanctissimi Concilij Florentini decretis, Græci, à suo capite diuulsi, a Deo etiam Opt. Max. defecerant. Quamdiu enim in Græcia floruit Religio, tamdiu floruit Imperium, & Religione deficiente, defecit quoq; Imperium, in eiusq; locum seruitus, captiuitas, strages, ruina, calamitas subintrarunt. Nostra ætate Liuonia Prouincia, quæ militibus S. Ma-* Petrus Ribaden. lib. 1 de Princ. Christian. c. 29.

via, quos Teutonicos vocant, parebat, venit in potestatem Moscouitarum, anno post Christum natam 1558. cùm non multò antè à Catholica Religione defecisset, & Lutheranæ prauitatis incendio deflagrasset. Hungariã præterea & Transilueaniã, huius veritatis rectissimos testes habemus: quam hactenus vidimus confirmatam in litteris sacris auctoritate Spiritus sancti; testimonijs sanctissimorum & sapientissimorum Patrum, exemplis, nobilitate & pietate præstantissimorum Principum; supplicijs & pœnis, quas Deus ab ijs exegit, qui ab eius tramite deflectentes, per obliquos atq; contortos viarum anfractus incedendũ sibi existimarunt; deniq; ratione & experientia, quibus docemur, Christum cum Belial, Catholicum cum haretico conuenire non posse; nec perturbationibus ac discordijs immunem fore Ciuitatem ac rempublicam, in qua licet cuiq; quam volet pro sua libidine, Religionem amplecti; nec debere Christianum Principem in suis regnis effusæ licentiæ & libertatis conscientiæ frena laxare, si ea conseruata cupiat, & debitum Christiano Principi munus persoluere. Hæc sunt, quæ in re proposita Christiana Religio nos docet; nec Religio tantùm, sed & recta ratio, quod secutus Mæcenas, Augusto Imperatori gratus & perfamiliaris, ei auctor fuit, Dione teste, ne permitteret aut introduci, aut Romæ externos Deos coli, & acerrimè in eos animaduerteret, qui sectas alienas sectantur: Sic enim fore, vt omnes ad Romanum Deorum cultum se fingerent atque conformarent, cuius sui consilij eam causſam adferebat, quòd hæc res ad Imperij pacem ac securitatem pertineret. Hæc ille, quæ sufficiunt, ad belli causſam ex neglectu religionis scaturientem declarandam.

XI. Præter has causſas alia adhuc supereſt longè grauiſſima bellorum, & sola digna centum hostibus, nimirum magorum dæmoni auctoratorum multitudo, qui cùm Deum abiurârint, sacramentum horrendum satanæ dixerint, ad nocendum omnibus vigilantes sunt, & semper intenti Dæmonum instinctu, iussu, supplicijs, sua nequitia aguntur ad alios in eadem præcipitia attrahendos. Multis tamen locis sinuntur impunè viuere, nocere, grassari, triumphare. Non desunt illis aduocati, qui crimen cùm defendere non possunt, legum interpretationibus, processuum difficultatibus maleficos ita muniunt, vt damnari haud facilè possint. Quoniam ergo in vrbibus, in pagis, inter summos & imos, passim versantur, qui pietatem quidem simulant, reipsa tamen

atque

atque in intimo pectore sunt dæmonum cultores, eiusque in omni scelerum genere administri, & iurati hostes humani generis, quos publicæ leges molli brachio persequuntur; mirum non est, manum Domini grauem super nos esse. Si regum, aut Principum quispiam vel verbo lædat maiestatem, parata sunt exquisita supplicia, documenta vndique congeruntur: cùm verò à Deo receditur, cùm dæmoni sacrificia offeruntur; cùm Satanas in throno æternæ maiestatis collocatur, negligitur Deo illata iniuria; dæmonibus præstita obsequia pro nihilo habentur. Neque magistratus tantùm ciuilis hîc conniuet, sed multi etiam concionatores obmutescunt; vel quia de hoc hominum genere emendando desperant; vel quia sibi à magis ipsis timent; quasi orcus potentior sit cælo; aut non inuenti sint etiam in hac classe peccatores pœnitentes: quales vel ego indignus concionator, & ipse peccator complures expertus sum, vel vnica historia sequenti recitata.

CAPVT LXIII.

Deum, & Magistratum ciuilem ad vindictam, peccatores autem ad pœnitentiam, ipsa multitudine & magnitudine bella merentium, eorumq; præcipuè, quæ venefici & veneficorum imitatores perpetrant, prouocari.

I. Scripsit aliquando ad D. Augustinum Victorianus presbyter, & rogauit illum, vt librum componeret, quo multis grauibusque malis pressos Christianos consolaretur; cui D. Augustinus in hunc mobum rescripsit. *Litteræ tuæ impleuerunt grandi dolore cor nostrum, quibus petisti, vt prolixo opere aliquà responderem, cùm talibus malis magis prolixi gemitus & fletus, quàm libri debeantur. Totus quippe mundus tantis affligitur cladibus, vt panè pars nulla terrarum sit, vbi non talia, qualia scripsisti, committantur, atque plangantur. Nam ante paruum tempus, etiam in illis solitudinibus Ægypti, vbi monasteria separata ab omni strepitu, quasi secura degebant, à barbaris interfecti sunt fratres. Iam verò quæ modò in Italiæ finibus, quæ in Gallia nefariè perpetrantur, etiam vos latere non arbitror. De Hispanis quoque, tot Prouinciis, quæ ab his malis dicebantur intacta, cœperunt iam talia nuntiari. Sed longè imus?* S. Augustin. epist. 122.

Ecce

Ecce in regione nostra Hipponensi, quoniam eam barbari non attigerunt, Clericorum Donatistarum, & Circumcellionum latrocinia sic vastant Ecclesias, vt barbarorum fortasse facta mitiora sint. Quis enim barbarus excogitare potuit, quod isti, vt in oculos Clericorum nostrorum calcem & acetum mitterent, quorum membra etiam cetera plagis horrendis, vulneribusq; sauciarunt? Depradantur etiam domos aliquas & incendunt; fructus aridos diripiunt, humidos fundunt, & talia ceteris communicando multos etiam rebaptizari compellunt. Pridie quàm ista ad te dictarem, ex vno loco per huiusmodi terrores, quadraginta & octo anima mihi rebaptizata nuntiata sunt. Plangenda hæc sunt, miranda; exclamandum ad Deum, vt non secundùm merita nostra, sed secundùm misericordiam suam à tantis malis liberet nos. Nam quid vtique sperandum fuit generi humano, cùm hæc & in Prophetis, & in Euangelio tantò antè prædicta sint? Non itaque debemus tam nobis ipsis esse contrarij, vt credamus, quando leguntur, & queramur, quando complentur. & paulò infrà: *Proinde etiam charissime, illis, quorum verba dicis te perferre non posse, quoniam dicunt: si nos peccatores meruimus, quare & serui Dei barbarorum ferro peremptisunt, & ancillæ Dei captiuæ ductæ sunt? humiliter, & veraciter, & piè respondè: Quantamlibet etiam iustitiam seruemus, quantamlibet Domino obedientiam exhibeamus, numquid meliores esse possumus illis tribus viris, qui in caminum ignis ardentis, pro conseruanda lege Dei proiecti sunt? & tamen lege, quid illic dicat Azarias vnus ex tribus, qui aperiens os suum in medio ignis dixit: Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in secula; quoniam iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & omnia opera tua vera, & recta via tua, & omnia judicia tua veritas, & judicia veritatis fecisti per omnia, quæ intulisti nobis, & ciuitati sanctæ patrum nostrorum Hierusalem. Quoniam in veritate, & judicio intulisti nobis omnia hæc propter peccata nostra, quoniam peccauimus, & legi tuæ non parauimus, & mandatis tuis non obediuimus, vt bene nobis esset: & omnia, quæ intulisti nobis, judicio vero intulisti, & tradidisti nos in manus iniquorum inimicissimorum transfugarum, & regi iniusto, & pessimo, vltra vniuersam terram. Et nunc non est vt possimus aperire os. Verè confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & eis qui te colunt.* Hæc Augustinus.

Si ergo

Si ergo tres illi Sancti, in fornace positi, agnouerunt, sibi iustè infligi pœnas à tyranno iniusto, cur id non agnoscerent, vel ciuilium legum judicio sententiaque rogo digni maiores illi peccatores? Immò etiam minoribus culpis obstricti justissimam Deo causſam dant, vt Ecclesiam premi sinat, hostique semper magis ac magis frænum laxet. *Quis* enim *nostrûm est sine peccato?* Sed illi maximè cogunt Deum ad vltionem, qui maxima quæque scelera non vlciscuntur, cùm id facere eos ratio, lex, officium iubeat. Plectuntur, quia non plectunt. Corriguntur, vt corrigant. Ac, ne ob ignorantiam se excusare possint, ipsa flagitiorum immanitate admonentur. Equus aratrum non trahens, scutica agitur; subsistit justitiæ minister, neque procedit ad processus faciendos, tamquam nihil videat, nihil audiat, aut quasi manus pedesq́; habeat ligatos, & non flagelletur? Meritò autem eum sæpe illi ipsi puniunt, qui puniendi essent; vt socordia redeat in authorem; qui proinde indulgentia sua & reo, & Reip. & sibi ipsi nocet. Reo, quem perire sinit, dum non emendat; Reip. in qua & malum & iram Dei relinquit: sibi, quia non rarò veneficijs læditur, atque adeò id ipsum malum patitur, seque reum facit conniuendo. *Non enim sine causſa gladium portat.* Maior pars hominum mala est. Mali metu & pœna sunt coërcendi. Si ergo dormit iustitia, vigilat malitia. Et Princeps qui, cùm potest, peccatum non impedit, facit. Ob quam negligentiam, si potentia nos armis persequentium augeatur, quid aliud dicere possumus, nisi: *Omnia quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti?* Parcere volentem, ad vltionem cogimus: &, ne parcat Deus, misericordiam illius impijs parcendo oppugnamus. Hostes nostros volumus deleri; & hostes Dei non delemus, non persequimur; immò nutrimus, & fouemus. Nemo nostrûm vult perire; pauci, ne pereant, laborant. Sic omnes sauciantur; nam propter nocentes, etiam innocentes patiuntur. Tangit enim illos sors communis, & in membra deriuatur, quod à capitibus descendit. Quamquam istis ad culpam, innocentibus ad patientiam & coronam. Quare læti canunt, *Iustus es, Domine, & judicia tua justificata in semetipsa.* Hanc cantionem, vt omnes discant concinere, in vnica historia, velut in vngue leonem, ostendam, quantas Deo dent causſas publicarum cladium, vel soli ve-

II.

Ioan. 8. 7.

Rom. 13. 4.

Dan. 3. 31.

Psal. 18. 10.

nefici, qui apud multos, impunè peccare sinuntur, quasi facinora dum sunt maxima, minima sint existimanda, de quibus non curat Prætor. Sed audite, quæ narrabo, & dispicietis enormitatem omni zelo supplicioque dignam.

III.

Florim. Raemund. lib. de Antichrist. cap. 7. Et ex eo Martin. Delrio lib. 6. Disquis. c. 1. sect. 3.

Florimundus Raemundus, in Burdegalensi curia Senator regius, vir pius, Catholicus & eruditus, in libro de Antichristo, scribit, Anno Christi 1594. in Burdegalensi curia, coram toto senatu, mulierculam Aquitanam, adolescentulam, non inscitâ formâ, vltro se se stitisse, quæ sponte sua, nulloque cogente, & sine omni tormentorum cruciatu, non jam ante Sacerdotem & Confessarium ad silentium fidemque secreti obstrictum, sed ante eos, qui vitæ necisque habebant potestatem, videns, quòd aliter vix à tyrannica mali dæmonis seruitute liberari, & veram constantemque pœnitentiam agere posset; confessa sit, quæ sequuntur. Honestis quidem & probis parentibus se ortam, illis tamen non paruisse, sed domesticæ custodiæ pertæsam, sæpe inscijs parentibus è domo exiuisse; aut, si ab illis aliò missa esset ex negotio, moras minimè necessarias foris traxisse, ac licentiùs, siue cum pueris, siue cum puellis æqualibus conuersatam esse, & mala multa audiuisse. Si olim non esset *egressa Dina filia Lia, vt videret mulieres regionis illius*, neque rapta, neque corrupta fuisset. Idem euenit huic puellæ. *Præsidium est ingens, posse manere domi.* Hæc dum sæpius prodijt, primùm in oculos, deinde in desideria, tum in colloquia, tandem in peccatum incidit. Nam Italus quidam eam seductam corrupit. Debuisset hæc, post lapsum, citò recurrere ad pœnitentiam, confiteri scelus, & audire à Confessario, fugiendas post hac peccandi occasiones, Italum vt anguem vitandum. Ar ne hoc ipsum iuberetur, confessa non est, sed, more eorum, quibus volupe est iacere in luto, confessionem ac pœnitentiam de die in diem, de hebdomade in hebdomadem distulit, vna vice postea, velut vna litura omnia deletura. Ita scilicet falluntur homines, nescij se sibi iram Dei thesaurizare, & tam diu esse in dæmonis potestate, quàm diu sunt in peccato. Fassa est igitur puella, dum pergeret Italo obsecundare, se, quæ D. Ioannis Præcursoris diem præcedit, vti sanctissimâ nocte (quod plerumq; obseruat Orcus, vt etiam ipsius temporis violet religionem) mediâ,

Gen. 34. 1.

ab eo-

ab eodem Italo in agrum quemdam abductam, luculentè profectò expertam esse, quo modo de vitio in vitium, velut per gradus veniatur, atque vnum flagitium ex altero trahatur.

IV. Obscura tum erat nox, locus horridus, magna solitudo, nec quisquam in loco, nisi Italus & puella; cui vtique satius fuisset manssisse domi. Ibi Italus, nesciente puella, quid facturus esset, faginâ virgulâ circulum in solo designauit; &, nescio vnde lumine accepto, certa quædam ignotaque verba ex libro quodam nigro lecta submurmurauit. Horrere puella debuisset, & vtique suspectas haberere cærimonias has, sed illa (vt curiosum est hoc genus) sperans se aliquid noui iucundique conspecturam, auidè rei euentum expectauit. O pernicioſa curiositas! ô audacia impia! ô sacrilega discendi cupido! Vix Italus verba absoluerat, cùm subitò adstitit hircus, grandis, ater, probè cornutus. Inter hirci cornua nigricolor candela tetrum lumen præbebat. Hircum stipabant fæminæ duæ, tamquam duo Cherubim iuxta Propitiatorium scilicet. Et fortè larua tectæ erant, ne noscerentur; aut vt ad sacrilegam imitationem Sanctissimorum Cherubim *alis faciem velarent*. Ita superbus ille Deum æmulatur. Confluxit etiam illico ingens vtriusque sexus, & ætatis multitudo, velut ad concionem aliquam, aut comitia celebranda. Vtque res sacra videretur peragenda, mox aderat vir vestitu ornatuque sacerdotali, quasi sacrificium oblaturus. Italus autem manu tenebat puellam, quasi paranymphus diabolo nouam sponsam repræsentans. Tunc prolixissimâ barbâ semel iterumque quassatâ, hircus cœpit velut humano ore loqui, & ab Italo quærere: *Quanam ista puella foret? aut quid vellet, peteretue?* Respondit ille, eam à se adductam, vt hircus in suarum nympharum numerum illam referret, ac velut monialem scilicet, in monasterij & ordinis sui cœtum ascriberet. Quo audito, tragopogon jussit vt illa signum crucis manu lævâ efformaret. Nempe simia Dei est nequam Spiritus, sed sinistrè diuinum cultum imitans. Quare & cetera, quæ in diuinis officijs fieri Deo solent, voluit fieri sibi, sed omnia præposterè. Itaque mandauit, quotquot aderant, vt propiùs ad se accederent, atque salutatoriæ venerationis officio, osculum sibi pacis darent & acciperent. *Fecêre illi, &* (venia sit dicto ac diabolicæ fœditatis veritati)

Isa. 6. 2.

ritati) singuli *osculum ei sub ipsa cauda labris impressêre*; vbi nimirũ maximè fœtebat & hirquiebat. Ea salutatione peracta, vt sollennem supplicationẽ exprimerent, singuli quoque candelas, quas manu tenebant, de funesta candela intra hirci cornua ardente accenderunt. Aderat & peluis, in quam, cùm hircum supplices adorarent, stipem pecuniariam conijciebant, quasi qui in templis offerunt ad altare. Hoc primo factum tempore & conuentu, initium fuit diabolicarum abominationum, & vice sponsaliorum.

V. Videbatur hæc res ludicra quidem, & haud satis decens puellæ, sed non admodum grauis, (quamuis grauissima esset) vt sæpe multis alijs simplicibus contingit, qui nesciunt artem Stygij veteratoris à paruis initijs ad maiora ducentis, & probè scientis illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Nemo primo poculo inebriatur; neque secundum poculum timetur; sed tandem vbi incalescunt fraterculi, ibi totis amphoris res agitur; sequitur ebrietas, furor, insania, cædes. Ita & huic puellæ euenit, paulò enim pòst insigniter profecit in schola impietatis. Hic est mos, hæc humanæ naturæ fragilitas, ista dæmonis malitia, è bonis vt fiant mali, è malis semper peiores, è peioribus pessimi, neque antè sit finis nequitiæ, quàm vitæ. Quod in contrarium quoque cùm fieri oporteret, vt è malis boni, è bonis meliores, è melioribus optimi redderentur, & *de virtute in virtutem* iretur, nec antè esset finis viuendi, quàm proficiendi; tamen plerique, quando paululum sibi videntur boni, quasi immobiles, ita in eodem gradu perstant, semperque timent, ne nimium faciant, nimisque sancti efficiantur. Cur non & mali aduertunt, se velut nauem in torrente stare non posse, sed semper, si contra torrentem non nitantur, descendere, & ruere in peius? Quod puellæ huic contigit, quæ se facilè postea secundò, tertiò, & sæpius, passa est ab Italo in eumdem iterum locum & conuentum sagarum reduci. Altera igitur vice funestas illas cum hirco, infandasque nuptias celebrauit. Hircus, itaque, tamquam sponsus, ab ea postulauit sertum, seu corollam de capillis eius. Italus sine mora capillos desecuit, & hirco obtulit, velut armillam, vel torquem, seu coronam, gestandos. Hoc signo sibi desponsam seduxit hircus à turba, & in vicinum nemus perductam consueta fœditate initiauit. Post hæc, per omnes hebdomades,

Eccli. 19, 1.

Psal. 83. 8.

domades, singulis Mercurij & Veneris diebus *Generale Capitulum* (sic enim vocabant) *celebrabatur, apud Puteum de Dame, ad quem conuentum ipsa infinitis vicibus accesserat, cum alijs plus quàm sexaginta, qui singuli candelam nigram secum adferebant, & de illa hircina inter cornua lucente, accendebant, quam hircus admotam postico posteriore illo subcaudino flatu accenderat. Quo peracto, omnes tripudium orbiculare, obuerso inuicem tergo iunctis manibus auspicabantur.*

VI. Hîc rogo Lectorem, ne offendatur ijs, quæ vel dicta jam sunt, vel mox dicentur; cùm ijs potiùs, in venerandis fidei nostræ mysterijs, vehementer debeat confirmari. Admiranda enim Dei patientia & longanimitas hominibus nusquam euidentiùs demonstratur, quàm in ijs, quæ in summum omnipotentis Numinis despectum diabolus facit, & facere permittitur. Ille, qui jam olim dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, Isa. 14. 14. etiam adhuc hodie tam superbus est, vt affectet diuinitatem, vanitatemque suam Tartaream cælesti opponat veritati. Nemo idcirco, quia is se finit impiè tamquam Deum adorari, verum Deum non esse rectè colligit. Ponit, non tollit, diuinitatem, æmulatio diuinitatis. Neque Christo aliquid præiudicat Anti-Christus, etsi conaturus sit omnem Christi cultum cultu suo abolere. Quod etiamnum Spiritus ille efficere laborat. Hinc sicut Deum ipsum, ita & omnia alia diuina peruersè imitatur, quæ ludendo, peruertendoque studet eleuare, extinguere, sibi arrogare. Igitur fassa est etiam femina illa, in singulis sagarum conuentibus, *Missa quoq; simulachrum exhibitum, quod qui peragebat (quem illa nominauit) casulâ nigrâ, crux cui nulla intexta, vestiebatur: loco sacrificij incruenti, & sacræ hostiæ, eleuabat resegmen, siue orbem ex rapa, tinctum fuligine: & eo eleuante, clamabatur à præsentibus, vnanimi voce: Magister adiuua nos. Calici, loco vini, aqua infundebatur. Lustralem verò aquam sic conficiebant. Scrobi in terram defossæ hircus immingebat: hac vnda, pura scilicet, sacrificus, & aspergillo atro cunctos aspergebat.*

VII. Horrent, qui ista audiunt, horreo & ego. Vtinam horrerent & illi, qui imitantur! Neque enim in historia narranda possum pergere priùs, quàm aliquid indicem, quod neque à me, neque à magistratu est dissimulandum, multò autem minùs à mor-

talium vllo faciendum. Quòd siqui adeò obstinati sunt, vt perfrictè pergant, & velut lapide tacti canes latrent, meritò suspecti esse possunt, de morbo occultiore. Sin aliqui innocentes, & rei grauitatem non perpendentes huc vsque fuerunt, saltem hodie discant, grauissima subesse pericula, vbi multi subesse nulla arbitrantur. Si verò etiam Magistratus hîc dormit, saltem ego meam conscientiam exonerabo, & mihi dictum putabo, quod omnibus Ma. 58 p. concionatoribus dicitur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Quæ peccata? Quæ venefici, & sagæ, nocturno tempore, & in occultis conuentibus faciunt, quæque paulatim publicè, in meridiana luce, peraguntur. Non dico illos, qui ea agunt, veneficos esse, abfit. Si putarem esse, non dicerem; quia tamen malè agunt, & nesciunt, quàm malè agant, non tacebo; vt desistant, si non magica, sed tamen magicis similia perpetrare, tantumque crimen etiam in specie sua vitare.

VIII. Ex historia recensita accepimus, diabolum, vt diuinos honores, ita & diuinos cultus affectare, & per ludibrium, in conuentibus nefandis, inducere sacerdotes, habitu sacerdotali, accendere nigras candelas, Missas habere, in peluim nummos, velut offertorium, accipere, oscula pacis diuidere; loco hostiæ sacræ rapas, loco vini aquam in calice substituere; & pro aqua lustrali, lotium vsurpare. Ignoscite, obsecro, si dixero similia palàm fieri, inter eos, qui vtiq; profitentur, se esse Dei seruos & amicos, cùm tamẽ cærimonias diuinas si non mente, saltẽ opere irrideant. Ante hac, qui potandi causſa volebant conuenire, conuentib⁹ suis nomẽ imponebant *Vstionus;* conuenientibus autem nomen *incendiariorũ*: & *incendiarius*, qui volebat alterum conuenire, compotandi gratia, dicebat: *Ego veniã, & te vram.* Et sanè ita se se mutuò vsserunt, vt metallum in crumena liquesceret. Sed ea *Vstio* malum finem habuit. Nam, Ingolstadij, author huius nominis, noctu bene potus ad lumen obdormiscens, diuinâ vindictâ, vinus exustus est, candelâ ardente illi in indusium prolapsâ, ebriumque ac arctissimè in ipsa mensa stertentem pertinacissimâ flammâ comprehendente. Postea cùm hoc nomen quoque *Vstionis* extinctum est, non extinctæ sunt tamen insanæ compotationes, quibus

bus alijs atque alijs temporibus varia indita sunt nomina; vt enim post puerperia, & baptismi susceptionem, *epulæ baptismales* dari solent, ita & qui solito lætiores esse volebant, se se mutuò inuitârunt *ad infantis baptismum*, zu der Kindstauff: cùm nimirum se se non ex institutione Christi, sed ad legem Bacchi largissimè vino baptizarent. Et subinde verè ita locuti sunt, spurios nacti, de quorum natali tamen nulla sollenitate erat triumphandum. Poëtæ quatuor mundi numerant ætates, aut sæcula. Primum ob felicitatem, aureum; secundum argenteum; æreum tertium; quartum adhuc deterius ferreum appellauerunt. In quali nos sumus, prò dolor! Ita contigit & potatoribus istis. Olim Massica, & vt vocabant Theologica, vina bibebant. Postea, Neccarica, Austriaca, Franconica; tunc enim argentum habebatur. Sed quia nimis increuerat ebrietas in Germania, Deus argentum subduxit, & pariter sustulit vini potoribus materiam peccandi. Successit ergo ætas ænea; nam postquam pauciores iam sumptus habent ad vinum potitandum; ne ebrietas, & habitus se se ingurgitandi aboleretur, induxit diabolus cereuisiæ immoderationem, quasi æreum quoddam sæculum; nam moneta tunc cuprea æreaque cudebatur, argento deficiente. Vt ergo in primo illo sęculo fuerunt *Incendiary* die Brenner/ in secundò *Anabaptistæ*, se se mutuò ad ebrietatis baptismum inuitantes, quo non infantes, sed guttura sua baptizabant; ita in tertio sæculo, extiterunt *Polygami*, seu Nuptiatores, qui se se crebriùs inuitauerunt *ad nuptias cereuisiarias*, zu einer Bierhochzeit. In quibus compotationibus minus pecuniæ, plus potus & sanitatis consumitur. Et apparuit, Christum talibus nuptijs non interesse; audiebatur quidem illud: *Vinum non habent:* sed nemo erat, qui aquam in vinum commutaret. Nimirum miseris istis contigit idem quod infantibus, quibus, absente matre, vel lacte, digitus in os inseritur, vt suctu inani sopiantur. Ita & isti, dum vinum non haberent, ad cereuisiam, velut ad palum se se exercuerunt. Atque hoc tertium erat sęculum. Ioan. 2. 4.

IX. Nunc, propter quod hæc omnia dixi, in hoc quarto, & ferreo, & miserrimo sæculo, videte quid fiat, successit enim, tamquam aqua, alba cereuisia, in qua multa occurrunt consideratione digna. Est enim typus vanitatis, numquam satiat, semper appetitur;

tur; vt de ea dictum videatur, *Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Est disciplina potatorum, nam per eam guttur distenditur & venter, & in ea magnis hauſtibus assuescitur. Est stultitiæ superborũ occasio; qui dum magnos sumptus, & certamina poculorum iactare volunt, centum se & ampliùs mensuras exhausisse gloriantur. Magnifica res, in decem homines centum cereuisiæ mensuras impendisse, quarum duæ quinque aut sex cruciferis emuntur. Est venenum sanitatis, si stomacho iam pleno ac nauseanti infundatur; refrigerat ventriculum, extinguit edendi appetitum; colorem è vultu aufert; efficit leprosos; audeo dicere, occidit suos amatores. Vtinam non haberemus, qui è sepulchro hoc concionarentur, & eos, à quibus poculis occisi sunt, de vi accusarent! Sed hæc omnia mitto, & scio bonam hanc vel creaturam Dei, vel hominum artem prodesse temperatè vsurpatam. Illud, illud est, quod tacere non possum, huius cereuisiæ occasione, fieri publicè talia, qualia in conuentibus suis fieri iubet ipse cacodæmon. Bene intelligi cupio. exhortari mens est, non conuitiari. Non dico, veneficos esse, qui faciunt, quæ narrabo; sed existimo, eos numquam expendisse id, quod faciunt, neque posthac facturos, si expendant; talia enim profectò faciunt, qualia, ad despectum Christi & Ecclesiæ, in magicis conuentibus, cacodæmones ipsi fieri concupiscunt. Sacrilegum est, cærimonias sacras trahere in ludum; ridiculè imitari Sacerdotes, Episcopos, Pontifices; contemptim celebrare Missas; mimicè thus incendere; rapas tamquam hostias, aquam, vini loco, consecrare; sordibus pro lustrali aqua vti. Hinc cæremonijs his gaudet Orcus, quia Christum ridet in cultu suo. Ignoscite mihi, si veritatem non possum opprimere, oculos vobis, ô iuuenes, & senes, volo aperire, quod si, vt Tobias patri suo, & ex Angeli consilio, facio felle, non amaritudinem medicinæ aspicite, sed vestram sanitatem.

X. 1. Tolerabilius longè fuit, quod tribus præcedentibus sæculis factum est, vt eiuscemodi conuentus *Vsliones*, *Baptismi infantium*, & *Nuptiæ cereuisiariæ* nominarentur, quàm nomenclatura præsens. Quo pacto enim comessationes & compotationes cereuisiarias nunc, quo nomine conuiuij magistros & inuitatores appel-

appellant? *Pontificem*, immo omnes potatores, vocant *Pontificatores*. Nempe, vt in templis, quando maior est festiuitas, omnia solenniùs, & ab ipso Pontifice peraguntur; ita non quilibet haustus, sed haustus solenniores, & velut *generale capitulum*, ad quod plures sympotæ conueniunt, hoc nomine honorantur. 2. Confluunt ad hoc cereuisiarium officium promptiùs homines, & manent in eo patientiùs; mutanturq;, non in meliores, velut in templo Dei, sed in deteriores, sicut in fano Bacchi; nam qui homines eò veniunt, bestiæ redeunt. 3. In Missa accenduntur cerei, & thurificatur. Hinc & hircus supradictus nigram candelam tetri odoris intra cornua gessit; & reliqui secum nigram candelã attulerunt. Neq; hoc deest, apud istos Lyæi Pontifices ac popas, afferunt enim & illi Tabaceos cylindros, & fictiles fistulas, velut fumosas & nigras candelas, quas accendunt; & quamuis temperent oleo anisi, tamen domum totam tetro odore vaporant. Itaque fœtent vestes, fœtent parietes, non secus, ac si hircum ijs se se affricantem tetigissent. Cur autem, præter cereuisiam, etiam fumum bibunt? Fumo Tabaci inebriantur, & pellunt ebrietatem; à fumo enim vertigo, à vertigine illa ebrietas, quæ tamen mox iterum abstergitur, nouo cereuisiæ haustu superingesto. An non est circulus iste vitiosus? Sic medio die potest aliquis helluo sexies inebriari, sic vnus decem, duodecim, aut quatuordecim cereuisiæ mensuras, intra breue tẽpus, impigrè exhaurire. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Quàm timendum est, ne fumus iste, quem sic bibitis, sit prognosticum illius calicis, qui in inferno vobis propinabitur! Isa. 5. 22.

4. Quamquam & alia ars est se se euacuandi. *Bibunt, vt vomant, vomunt vt bibant*, ait S. Hieronymus. Vestigia sequenti die in pileis & pallijs apparent. Hac mundissima se se mutuò aspergine lustrant, vt etiam lustralem aquam diaboli imitentur; verè albæ *cereuisiæ canales, & gurgites* appellandi; nisi quòd æquè multũ remittant, ac transmittant. 5. Vnde profanas illas raparum hostias æmulantur, nam à vomitu reuersi frusta adhuc in gutture & palato hærentia nouo haustu abluunt, & resorbent canibus non mundiores. Nimirum sic hostia & calix congruunt, in quo XI.

isti *Pontifices* item, vti venefici illi, non vinum, sed aquam coctam (nihil enim est aliud cereuisia) offerunt. Olim sic textores, & infimi opifices Genio suo litauerunt. 6. Quin & hirci oscula, oscula vtique non pacis, sed petulantiæ non desunt. Nam plerumque talia sacra in malas, vt ipsi vocant, *Vesperas*, & peius *Completorium* desinunt; & tumultuoso *Matutino* finiuntur. 7. Neque Euangelium omittunt. Deus bone! si quem turpiter infamare, si nomen illius cum ignominia subhastare volunt, *Euangelium* dicunt *se illi, vel de illo legere*. Erratis, miseri, quatuor tantùm sunt Euangelistæ. Quisquis quintus est, PseudoEuangelista est. 8. De symbolis & offertorijs nihil dicam, superant omnem modum; & accedunt ad cærimonias Anabaptistarum.

XII. 9. Sed putet aliquis deesse genuflexiones, & idololatricas adorationes, apud istos? Neque hæ desunt. Illi, quibus in templo, aut in cubiculo ante verum Deum genibus niti difficile est, qui chirotheculas sibi subijciunt, qui puluinaria substernunt, vt molliùs orent, inter pocula nihil sentiunt difficultatis, si in amasiæ suæ sanitatem aut honorem sexies, septies, aut quot illius nomen litteras habet, flexis genibus, potare cogantur. Nempe ita Venus & Bacchus, duo falsa numina, simul adorantur. Atqui hoc est falsis Dijs cultum exhibere, qui ad Deum pertineret. *Ego Dominus*, ait, *hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* An qui sculptilia non vult adorari, adorari inhonestas puellas patietur? Quoties ergo, inter propinandum, non tantùm petulanter, sed etiam impiè dicitis: *Flectamus genua*; & in honorem Vrsulæ, Anastasiæ, aut Teresiæ, aut Euphrosynæ vestræ bibentes genua flectitis, existimate, vos procumbere ante *meretricem* illam *magnam, quæ sedet super aquas multas* (multam vestram cereuisiam) *cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius*: vel esse ex illis, *qui adorauerunt draconẽ, qui dedit potestatem bestiæ, & adorauerunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ?* Si genua libet flectere, in templo hanc exercete pietatem: Et spero semper fore aliquẽ, qui cùm à propinante audierit: *Flectamus genua*, per Antichorum clamet: *Leuate*: & desistite ab impietate vestra,

Isa. 42. 8.

Apoc. 19. 2.

XIII. 10. Puella suprà dicta, vt se Plutoni tamquam Proserpina despon-

desponsaret, jussa est è crinibus sertum conficere, quam & Italus totondit, coronam illam tamquam insigne hircus gestauit. Quid hic expectatis? quam vsitatum est, vt & armillas, & torques è capillis puellarum nunc gestent juuenes? Et, quod deterius est, juuenes studiosi. Et quidem illi, qui ne Agnum quidem Dei de collo suspendunt, aut reliquias alias; amuletum illorum est, capillus, aut funiculus è cæsarie puellarum. Videte, quanta sit leuitas istorum, quàm facilè se sinant trahi, qui pilo trahuntur. Olim Samsoni capilli adempti sunt, & robur vnà amisit: his capilli dantur, & eneruantur. Nescis, ô miser, in nulla re citiùs, quàm in crinibus veneficia abscondi. Quamquam honestiores puellæ, quæ ipsæ veneficia timent, & sciunt ea sibi, per suosmet capillos posse parari, non facilè se suis capillis spoliant, ne in suum damnum caluefiant. Itaque nescius, sæpe vilissimæ alicuius ancillæ, aliquando etiam è cauda equina coctos mollitosque pilos gestas, & triumphas non solùm nido illo pediculorum, sed etiam appendice equorum; quo inhonestiora texit. Vidi iuuenem, è cuius collo, cùm prospicerent hinc inde crines, sanctum judicaui, vt, qui tam tener esset, sub sericis vestibus tamen cilicium gestaret. Sed cùm id sæpius cernerem, tandem curiosiùs eum obseruans, animaduerti, ei tamquam cani venatico funem è crinibus in collum iniectum. Interrogaui quid id esset? Respondit se à *dama* eum habere. *Damam* autem cùm capram siluestrem esse scirem, quæsiui vlteriùs, quam vim haberet? & intellexi vim illi maximam inesse, nam sic eius & amorem, & vitam, & animam alligari. Paruum est discrimen. Maga illa suos crines hirco dedit: istæ capræ iuuenibus dant, qui si non sunt hirqui, saltem hirquiunt, & in conspectu Domini fœtent. Iudic. 16, 19.

XIV. Hæc omnia, non vtique fiunt, vt opinor, ab istis talibus Catholicis, voluntate Christum, Ecclesiam, & religionem nostram despiciendi, reipsa tamen cedunt in horum despectum; sicut in conuentibus magorum, & re fiunt, & voluntate. Itaque paruus est gradus hinc, ad illam impietatem. Et certè Antichristus Christo se in omnibus, & Christianis cærimonijs opponet. Sunt igitur isti Antichristi antecessores; qui vel ignorantes hos tales abusus à magis acceperunt, vel per eos ipsi ad magiam disponuntur.

Quærent ex me quonam igitur nomine debeant suos conuentus appellare? Respondeo, eos talibus modis omnino conuenire non debere; quòd si autem conueniant, *diluuium* peccatorum eos conuentus esse nominitandos. Multi enim, immò plerique in ijs submerguntur & pereunt. Sed nomine opus non erit, si rem tollant; aut si ipsi non tollant, officium est magistratus, vt tollat. Quemadmodum sustulit puellam illam, de qua memoraui; quæ ipsa voluit justitiam experiri potiùs, quàm immania illa scelera admittere ampliùs; ob qualia vtique meritò toti mundo plagæ immitterentur.

XV. Nam, vt & Magistratus ad justitiam excitetur, & ipsâ scelerum immanitate homines sibi cauere ac pœnitentiam agere discant, accipite, quid post nefandam illam veneficorum Missam, gestum sit. Numquam dimissus erat execrabilis conuentus, quin singuli rerum à se gestarum rationem redderent, & singulis sortilegij ministeria de nouo distribuerentur. Itaque alij recensebant, Quomodo res sacras tractârint, orando sensum omnem peruertentes, & quæ diaboli sunt, ad Deum; quæ Dei sunt, ad diabolum transferentes. Ita enim fassi sunt se orauisse, *Pater noster, qui non es in cælis: Non Sanctificetur nomen tuum. Non adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, neq; in cælo, neq; in terra. Panem nostrum quotidianum non da nobis, sed, destrue fruges terræ. Non dimitte nobis debita nostra, sicut nec nos dimittimus debitoribus. Et nos inducas in tentationem. Nec libera nos à malo.* Tales plures isti faciunt orationes in templo, quando erectis manibus Deo deuotissimi esse, hominibus videntur. Sub ipsa eleuatione dici nefas est, quid dicant, quid faciant; de quo se in conuentibus suis iactant, & gloriantur. Alij recensuerunt, quàm falsas confessiones fecerint, innocentiam, sanctitatem, apparitionem mentientes; & grauissima scelera à se commissa tacentes; aut etiam ipsi confessario insidiantes. Alij narrârunt, quo pacto hostiam sacram ex ore exemptam acubus pupugerint, cultris conuulnerârint, sanguine in altum emicante, mensamque purpurante. Quæ res cùm tot experientijs & Magorum, & Iudæorum constet, & vestigia clara toties reperta sint, mirè hominem potest in fide sacrosanctæ Eucharistiæ, & veræ Christi præsentiæ confirmare. Alij retulerunt, ipsas

ipsas se eleemosynas, ipsos nummos veneno tinxisse, vt simul & stipem & pestem pauperibus porrigerent. Multi tempestates, grandines, fulmina, incendia, à se facta, & frugum, iumentorum, aliarumq́; rerum damna magnificè prædicauerunt. Non pauci dissidia inter amicos, impedimenta inter coniuges, fœtum abortus, occisos sine baptismo infantes, veneficio tactos viros ac mulieres, morbos, & mortes hominibus conciliatas, & innumera homicidia perpetrata, velut symbolam suam in commune contulerunt. Sed inter præcipuos habiti sunt, qui alios, per ebrietatem, per curiositatem, per libidines seduxerunt, pro se diabolum substituentes, & postea sicut supra dictus Italus, hirco sponsam aut sponsum offerentes; Deoq́; & Diuis & sacramentis omnibus abnegatis, diabolum tamquam Deum proclamantes, & adorantes. Hæc, & similia, quorum plurima castis auribus non sunt ingerenda, veluti bona sua præclaraq́; opera Magi obtulerunt, laudatiq́; pro meritis quisque suis noua præcepta de venenis, de maleficijs, de ligaminibus, de perdendis frugibus & hominibus acceperunt. Qui autem nihil mali à se perpetrati iactare, aut recensere potuerunt, tamquam ignaui acerrimè vapulârunt, vel alia facere, aut pati, à quib. natura abhorret, debuerunt; vt videas nihil aut vilius, aut miserius esse mancipijs diabolorum.

Hæc fere atq; alia talia femina illa, cùm diutiùs non quiuisset tolerare, Deo instigante, Angelo hortante, conscientia impellente, se ipsam magistratui pœnitens stitit, neque erubuit palàm fateri coram illis, à quibus sciebat se rogo adiudicandam. Sed maluit temporaneum, quàm æternum ignem sustinere. Ah quanta est in mundo sic peccantium multitudo? quanta sic pœnitentiã agentiũ paucitas? Est sanè ita. tanta est fœditas, immanitasq́; scelerũ in his hominibus, vt meritò magistratus ipsi æternã damnationẽ timere debeant, si suâ vel negligentiâ, vel indulgentiâ, vel humano timore aut respectu, talia flagitia maneant impunita; ob quæ Deus hostes, clades, bella, & damna innumera in prouincias & regna immittit. Sed ego hoc non vrgeo, cùm ipsa satis eos vrgeat magorum impietas, facinorum indignitas, patriæ charitas, & lex diuina. Illud vrgeo; vt ipsi qui tales sint, in se, & ad XVI.

Deum redeant; & quia vident ab hac femina sua peccata, coram ipsis sæcularibus judicibus, vitæ necisque potestatem habentibus, tam candidè, fortiter, & dolenter fuisse narrata; ipsi coram iudice spirituali, hoc est, Confessario suo, sua delicta detegere non erubescant. Prou. 28. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Homines quoque faciliùs ignoscunt alijs delicta sua sincerè fatentibus, negantibus magis irascuntur. Eccli. 4. 24. Hinc alibi dicitur: *Non confundaris confiteri peccata tua.* Et S. Iacobus ait: Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Act. 19. 18. Quia iam etiam in primitiua Ecclesia, *multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos.* Ad hoc Christus Apostolis dixit: Ioan. 20. 22. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæ sunt claues regni cælorum. Morbus, vulnus, vlcus medico est aperiendum, non tegendum, si quis vult sanari. Cur tu peccatum occulis? cur non confiteris? Deus vult te per vicarium sanare, mittit te ad sacerdotẽ, eiq; vt te ostendas iubet. Quis te excusabit, si non obedis? Si vllus in mundo esset medicus, aut chirurgus, qui sibi detectos morbos aut plagas ostensas vno verbo posset sanare, quantus esset ad eum vndique concursus? At Deus hanc potestatem dedit sacerdoti, etiamsi sis adulter, etiam si fur, si latro, si veneficus, illi peccata tua detege: dicet *Absoluo te*, & ecce iam omnia erunt salua. O quanta est bonitas Dei, qui ijs, à quibus tantopere est offensus, tam leuem ponit conditionem! dicant, *Pater, peccaui in cælum & coram te;* & illico eos amplectetur! Luc. 18. 22. ô quanta est durita peccatoris, qui tam facili via potest infernum fugere, justitiam gratiamque Dei recipere, cælum adipisci, & negligit; quia non vult sua peccata vni homini dicere, & quidem ei, qui ea non audet reuelare; quæ tamen iactantissimè dicit socijs in ebrietate, à quibus sine omni fructu vbique diffamatur! Vide peccator, quàm diu in terra es, intra cælum stas, & intra infernum. Illud supra te est, hic infra. Ad vtrumlibet potes, ad alterutrum tendes. Si pœnitentiam vis agere; si confiteri peccata tua, infernum potes euitare, & in regnum cæleste intrare. O quàm cæcus! ô quàm amens! ô quàm induratus est, qui adhuc in periculo suo perstat! Hoc ipso temporis momento quisque in-

corde

corde suo, cum Dauide statuat & dicat: *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Hoc enim audiet, si illud corde verè contrito dicat, ex quo vtiq; confessio sincera, & fidelis consequetur. Verus enim dolor de peccato facilè in verba erumpit, neq; vllam veretur confusionem, quod non solùm docuit Magdalena, in conuiuio lachrymans, sed etiam à me commemorata saga, etiam adhuc magis erubescenda coram ipso aperiens magistratu. *Impius es?* ait S. Chrysostomus, *magos tibi propone*: hos quippe infideles, Christus per stellam ad se vocauit, sicut & magam à nobis commemoratam. *Raptor es? publicanum cogita. Impurus es? animo tuo meretrix se se obiiciat. Sicarius es? latro ille ante oculos tuos versetur. Flagitiosus es? in mentem tibi veniat Paulus, qui priùs blasphemus erat, postea Apostolus; priùs persecutor, postea Euangelista, priùs lupus, postea pastor. Peccasti? resipisce. millies peccasti? millies resipisce.* Psal. 31. 5. S Chrysost. hom. in Psal. 50.

CAPVT LXIV.

Non veneficos tantùm, sed etiam blasphemos, & sibi vel alijs dirissima quaeque imprecantes, bellorum causſam esse.

AD hunc modum, qui in hoc barathrum lapsi sunt, si vel sponte pœnitentiam agant, vel à magistratu puniantur, placabitur ira Numinis, vt gladium in vaginam recondat. Quòd si nec ipsi volunt ex hac abominatione sua emergere; nec alij execrabilia hæc flagitia, tamquam incendium quoddam ex inferis erumpens, conantur impedire, quorum tamen officium est id facere; quid mirum est, si furor Domini erga nos exæstuet, si falcem stringat, si vasa mortis præparet, si arcum tendat, & sagittas ardentes in nos iaculetur? immo si prouincias, & regna tota vel transferat, vel perdat? Et quidem in homines priuatos sententia iam olim hæc lata est: *Vir siue mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur.* Nec modò ipsos magos, sed etiam illos, qui eos consulunt, Deus iussit occidi: *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.* Totas autem gentes, ob hæc talia facinora, fuisse deletas I. Leuit. 20. 27. Leuit. 30. 6.

Deuter. 18. 9. letas, idem testatus est, qui prædixit delendas. *Quando ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem; aut qui ariolos scisciteur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Dominus; & propter istiusmodi scelera delebit eos, in introitu tuo.* Postea etiam Israëlitas, mores Ægyptiorum & Palæstinorum imitatos, abiecit Dominus: *Proiecisti enim populum tuum, domum Iacob: quia repleti sunt, vt olim, & augures habuerunt, vt Philisthijm, & pueris alienis adhæserunt.* Ob hæc ipsa crimina dicitur: *Et tradiderunt se, vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum.* Eamdem ob causſam Manasses ductus est in captiuitatem; multique alij funditus perierunt. Maxima peccata, maximis pœnis sunt digna.

Isa. 2. 6.

4. Reg. 17. 16. 4. Reg. 21. 5.

II. Quid igitur putemus nobis futurum? An non & inter Christianos, immò inter eos, qui se Catholicos profitentur, inualescit hoc scelus, augetur numerus, crescit in dies maleficorum multitudo? Nihil enim dicam, de fidei nostræ aduersis partibus, quæ vt in libidinem, impudicitiã, libertatem & omnia pænè vitia ex dogmatum suorum principijs sunt proiectiores; ita faciliùs etiam in has se diaboli compedes induunt. Multitudo autem vel ex ipsarum sagarum & magarum verbis, vel haud obscuris experientijs potest conijci. Neque enim solus Christus prædixit, sub finem mundi, cognitionem Dei, religionemque veram ita defecturam, vt vix possit sincerus Numinis cultus reperiri. *Veruntamen*, ait, *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Sed ipsi etiam venefici jam sæpius vltro fassi sunt, apud diuersos magistratus, eam esse hominum istorum multitudinem, vt sæpe in conuentibus solennioribus toti campi repleantur. Addunt, breui fore tantum numerum, vt publicè, omnibus inspectantibus, etiam interdiu, in pratis, hortis, & plateis ciuitatum choreas sint instituturi. Certè, in illis tribunalibus, quæ huic hominum generi non parcunt, denuntiatorum ingens est annotata copia, syllabi grandes, immanes diptereæ; è quibus etsi possint subinde esse innocentes, plurimos tamen reos deprehendi, experientia, & manifesta-

Luc. 18. 8.

festa demonstrant documenta. Nec paruum esse numerum effectus ipsi, & quotidiana clamant exempla. Nec longè ea vel è libris, vel è regionibus peregrinis petam. Fui in loco, vbi iuuenis studiosus, cùm animi gratia, nescio quò vellet equitare, ocreas situ marcidas in culinam extulit: ibi laridum quærens, quo eas inungeret emolliretque, incidit prope focum in angulo quodam, in ollulam pinguedine ignota plenam, quam ad ocreas perungendas aptissimam arbitratus, corio alterius ocreæ strenuè infricuit. Quam vbi adipe jam saturatam putauit, non procul à prunis in foco deposuit, vt concalefacta vnguen magis imbiberet. Interim dum ocrearum alteram arripit itidem omento imbuendam, prior illa, quasi calorem sentiens, & ab igne animata, cœpit à se moueri, erigere ceruicem, & repentè de foco per caminum euolare; quam nulla vociferatione iuuenis potuit retinere, aut ad se reuocare. Nempe ea ipsa ollula erat, ad sagæ furcam vngendam deputata. Quoties audiui adolescentes queri, se noctu à prementibus sagis infestari? Et fuit vir grauis, qui mihi dixit, se nocturno tempore à felibus infestari, quas cùm stricto ense peteret, è clauso cubili euanuerunt. Alius retulit, felem, obseratis ianuis ac fenestris, ad se noctu intrasse, insilijsse in lectum suum, ac paulatim ita pellem suam extendisse, vt in feminam mutaretur; quam cùm apprehensam, sed jam altera metamorphosi rursum in felem contractam, auribus mutilare vellet, rogante vxore, incruentam quidem dimisit; sed cùm per fenestras eiecisset, in plateis tertia iam metamorphosi, rursus è fele fœmina, cœpit affatim cachinnare. Quid dicam de caupone, qui seriùs in cellam descendens vinum hospitibus allaturus, reperit sagas circa dolia sedentes in corona, & vinum sine solutione pretij potitantes, quæ superueniente eo, repentè disparuerunt? Vna tamen dominarum armillam auream post se reliquit, ne gratis mero se se ingurgitasse videretur. Armillam postea caupo passim ostendit, quam nemo tamen videri volebat, se amisisse. Alia per caminum euecta cingulum in summo reliquit, quod vna parte intra, alia extra caminum, toto die, pendere videbatur. Aliæ, in quadam domo, per aliquot horas, jam hoc, jam illo loco choreas instituerunt, varijs modis fugatæ, sed in fuga vna puluinulum mollissima pluma fartum, &

serico rubro pertextum reliquit, manè ab incolis in ipsis scalis repertum, atque alijs monstratum, postea quamuis diligenter incluſum, tamen amiserunt, sine dubio ab eo asportatum, qui sagam ipsam intulit extulitque. Quid quòd, clara die, qui fœnum in pratis colligebant, viderunt fœnum in aceruum cumulatum è terra tolli, atque per aërem, trans montem vicinum subuolare, hominibus, qui inuisi ei insidebant, alta voce jubilantibus, & exultantibus, quasi curru triumphali veherentur? Non esset finis, si omnia vellem, quæ ab auritis vel oculatis testibus habeo, vellem percensere. Sed me maximè mouet seductissima iuuentus. Adolescentes noui, qui ad nocturnas choreas puellam vnam alteramuè è vicinia aduocârant, cum quibus & aliæ venerunt, notarum speciem mentitæ, quæ vbi miseros iuuenes ad pessima quæq; seductos deceperunt, ijs spectantibus euolarunt per fenestram. O qualia & quanta in hoc genere à fide digniſſimis audiui de ijs, qui serò suam calamitatem deplorauerunt! Neque in iuuenibus dumtaxat ista contingunt. Noui pueros, qui mirissima narrauerunt, quæ sibi corruptis dicebant accidisse, & ne somnia putarentur, signa dabant manifesta, se diabolo esse mancipatos. Interfui, cùm eis in corpus aciculæ profundiùs imprimerentur ibi, vbi Stygium gerebant characterem, nec quidquam tamen doloris sentiebant. Ante omnia tamen me miseret ætatis tenellæ, quæ nondum peccati enormitatem agnoscens, palàm fatebatur, se cum matre nocturnis horis, facto humi circulo, vectari per aërem, ad loca læta & jucunda; ibi epulari, ibi paruas pupas esse viuas quibuscum ludant; ibi disci egregias artes; & vt narrationi fidem adderent, extemplò scrobes effodiebant, è quibus musculi prosilirent; quin & puluere pugillo comprehenso, atque in cælum iactato, poterant, quemcumque volebant, pulicibus & pediculis implere; pessima imitatione Aaronis, qui *extendit manum, virgam tenens: percussitq; puluerem terræ, & facti sunt cinyphes:* quod igitur tunc malefici incantationibus suis facere non potuerunt, nunc pænè infantes efficiunt. Vt taceam tot claudos, contractos, lenta tabe consumptos, immatura morte peremptos; nec pestes arte procuratas; nec imbres, nec grandines, nec tempestates, aut fulmina, aut incendia memorabo, quæ iam hoc, iam illo loco, vr-

Exod 8. 17.

be, re-

be, regione audiuntur, præter omnem naturæ ordinem, alieno tempore, excitata. Atque hæc ſola damna, cùm diſſimulantur, & ſæpe etiam excuſantur ab hominibus, ad diuinum Tribunal prouocant; & poſtulant vindictam, hoſteſque ad arma, ad arma inuitant.

III.

Huic hominum generi annexæ ſunt blaſpemiæ, & ſummæ ignominiæ myſterijs religionis illatæ. Quàm enim indignis modis tractant diuina Sacramenta? quàm ſacrilegè confitentur? quàm irreuerenter & iniuriosè ſacram hoſtiam non iam modò ore ſumunt, ſed etiam ex ore eximunt, vendunt, illudunt? Quibus verbis cælum, Diuos, Deum proſcindunt? Quodque indignationem auget, etiam alij, qui diabolo ſe non manciparunt, tamen loquuntur, iurant, imprecantur more diabolorum. Etſi ergo blaſphemiæ non ſint veneficio ac magia deteſtabiliores, ſunt tamen peccata valde enormia, eoque Deum vehementiùs ad itaſcendum prouocantia, quò ſunt vſitatiora: ob quæ etiam grauiora, quam patimur, ſunt metuenda. Hæc ita non ſolùm apud fæcem vulgi, & milites, ſed etiam multos alios eminentiores vſitata ſunt, vt pro ornatu ſermonis habeantur, vel magnanimitatis eſſe ſigna exiſtimentur. Quoties enim Creatori noſtro vel tribuitur, quod non eſt, vel negatur, quod eſt, atque adeò blaſphemia committitur? De blaſphemo eiuſcemodi dixit ad Moyſen Dominus: *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus. Et ad filios Iſraël loquêris: Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: & qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſiue ille ciuis, ſiue peregrinus fuerit. Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* Nec tantùm blaſphemijs mortis pœna decreta eſt, ſed hoc crimen publica vindicta & gentium excidio punitum. O ſuperi boni! ô miſericors Deus, ſi omnes occidendi ſunt, qui nomen tuum blaſphemant, quota pars hominum viua remanebit? Et tu dixiſti: *Va genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filys ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum.* Potentiſſimum regem Sennacherib blaſphemia perdidit: *Noli timere à facie ſermonum, quos audiſti* (ait Dominus) *quibus*

Leuit. 24. 13.

Iſa. 1. 4.

4. Reg. 19. 16.

blaſphemauerunt pueri regis Aſſyriorum me. Ecce ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terram ſuam, & deijciam eum gladio in terra ſua. Itaq; propter blaſphemiam centum octoginta quinque millia hominum occiſa ſunt. *Denique cùm reuerſus eſſet rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam quam circa eum fecerat Deus, propter blaſphemiam ſuam, & iratus multos occideret ex filijs Iſrael, Tobias ſepeliebat corpora ipſorum.* Quod etiam in hiſtoria Machabæorum indicatur. *Et Iudas applicuit in Adarſa cum tribus millibus viris, & orauit Iudas, & dixit: Qui miſſi erant à rege Sennacherib, Domine, quia blaſphemauerunt te, exijt Angelus, & percuſſit ex eis centum octoginta quinq; millia: ſic contere exercitum iſtum in conſpectu noſtro hodie: & ſciant ceteri, quia malè locutus eſt ſuper ſancta tua, & judica illum ſecundùm malitiam illius.* Quid impetrauit hæc oratio? *Et contrita ſunt caſtra Nicanoris, & cecidit ipſe primus in prælio.* Blaſphemia porrò non cõmittitur tantùm in Deum, ſed etiam in Sanctos eius, ob quam homines puniuntur. Ita Core & ſocij ſeditionis authores contra Moyſen, abſorpti ſunt à terra, quia blaſphemaſſe dicuntur Dominum in ſeruo ſuo. Ita Nabal ſubitò obſtupuit, & mortuus eſt. Ita ait S. Paulus, de Apoſtolis & ſe loquens: *blaſphemamur, & obſecramus.* At de Sanctis Dei, quàm multi vel per iocum, vel per contemptum ea dicunt, narrant, affirmant, quæ non ſunt, eaque quæ laude digniſſima geſſerunt, negant! Non vindicet Deus Sanctos ſuos, non plectat amicorum ſuorum violatores? Quid de ſanctiſſima Dei Matre non effutiunt? Sed præſtat, hæc ne nominare.

Tob. 1. 21.

1. Mach. 7. 40.

Num. 16. 29.

1. Cor. 4. 13.

IV. Cur autem iuſtiſſimus cæli terræq; iudex mala mortalibus non immittat, quæ ſibimetipſis optant & imprecantur mutuò? Si precanti dicit: *Fiat tibi ſicut vis*, quid poteſt conqueri? Quàm crebræ ſunt inter homines, quàm diræ execrationes? An non ſibi inuicem grandines, fulmina, mille mala optant? An non alios, immo & ſeipſos diabolo deuouent? An non ſacroſanctis Sacramentis, paſſione, cruce, ſanguine, morte Redemptoris, in perniciem ſuam ſibi fieri, jurant, & peierant? Olim ea de cauſſa perijt Imperium; de cuius excidij cauſſis ita ſcribit Saluianus: *Non ſufficiunt multis conſuetudinarij reatus: non ſufficiunt lites, non rapinæ, non calumniæ; non ſufficiunt violentia: non ſufficiunt comeſſationes;*

Matth. 15. 28.

Saluian lib. 4. de prou.

non

non sufficiunt falsitates, non sufficiunt periuria; non sufficiunt adulteria; non sufficiunt homicidia; non sufficiunt deniq; cuncta ista, etsi atrocitate inhumanissima, re tamen ipsa ad humanas iniurias pertinentia, nisi blasphemiâ furiosarum mentium manus iniçiant etiam in Deum. Posuerunt enim, sicut de impijs scriptum est, in cælum os suum, & lingua eorum transiuit super terram, & dixerunt: Quomodo scit Deus, &, si est scientia in excelso? Et illud: Non videbit, nec intelliget Deus Iacob.

V. Eiusce modi scelera, sine numero, sine mensura, sine fine increuerunt. Pauci sunt, qui non aliquando ad eorum cumulum aliquid adijciant. Singulis diebus, immò singulis horis, execrationum, imprecationum, juramentorum, blasphemiarum millena millia contra Deum ascendunt. Si igitur magistratibus constat, quàm furiosa insania hæc flagitia regnent, nec tamen pœnis coërcent; si parentes faciunt, liberi discunt; si paruuli cum lacte materno assuescunt blasphemias, quas non intelligunt, ructare; quis non miretur Numinis immensam bonitatem, & longanimitatem, qua ad pœnitentiam hos peccatores inuitat? quis non obstupescat, Deum toties, & tam grauiter irritatum, non pridem, eluuio, igne, fame, peste, bello, Mundum perdidisse? Quid si ipsi, quorum esset blasphemos punire, sint blasphemi? Nec dubium est, maiorem hominum sæcularium partem esse, qui plus sæpiusque blasphement, quàm orent. Sunt quidem pij, sunt, qui multùm orant pro populo, pro Principe, pro tota communitate, sed inter tot diras cogitationes, inter omnia sacra execrationibus inserta, non facilè possunt etiam iustorum orationes ad Deum ascendere. Maior est blasphemantium, quàm precantium clamor: fortior impetus multitudinis, quàm paucitatis. Esto probi pro se exaudiantur, haud tamen, nisi difficulter, veniam tot impijs exorant. Qua de causſa etiam Abraham cessauit orare pro Sodomitis, post- Gen. 18.
quam intellexit nimium apud eos esse numerum improborum. *Vnus adificans, & alter destruens, quid prodest illis nisi labor? Vnus* Eccli. 24 28.
orans, & vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Dominus? Multas passi sumus, vel per insolentiam militum, vel per arma hostium, magnasque calamitates, nondum tamen tam atrocia, quàm homines sibimetipsis imprecentur, & huc vsque sint imprecati. Quo-

ties enim pestem, quoties subitaneam mortem, quoties sibi inuicem diabolum raptorem, & cum temporali æternam mortem optant? Si votis mortalium Deus annueret, si ad Diras eorum
Thren, 3. 22. statim fulminaret, vix vllus jam hominum supereſſet. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius.* Clementia igitur illius laudanda est etiam ab ijs, quiinter medios hostes versantur. Nam dum armis castigat, mitioribus purgat meritos atrociora. Multi hæc fatentur, plurimi agnoscunt, nemo est qui ignoret; cur igitur, quando acerbior prouinciam aliquam casus, aut tristior clades affligit, vel atterit, in maledicta, blasphemias, conuitia erumpunt? cur militi, Ducibus, Principibus, hostibus, amicis omnibus dira imprecantur? cur omnes optant è natura rerum eliminatos? vt non iam regna in terris, aut Reſpublicæ Christianæ, sed vestibula Inferorum esse videantur? Omnibus malorum causſis iraſcuntur, præterquam veris, hoc est, vitijs, & sibi ipsis.

VI. Alia vitia etiam alibi sunt magna, blasphemiæ autem, apud Christianos, maximæ. Quippe hoc malum Christianis, & verum Deum agnoscentibus magis imputatur, immo proprium est. Maledicere enim idolis, & dæmonibus malis non grande malum: interdum pietas censetur. Si quis apud Hebræos, florente illa Rep. & Ecclesia, vel unicam blasphemiæ vocem protuliſſet, sine remiſsione supplicium erat lapidatio, atrox, & diuturnum mortis tormentum. Quid igitur queri potest Christianus, si damna patitur? si exactionibus attenuatur? si opes prædo diripit? si tenui victu degere cogitur? si carcer spoliatum manet, aut exilium? Nondum toto corpore tuber, nec vulnus est: nondum monte lapidum tegitur; & hoc tamen jure supplicium irrogari potuit. Si igitur remedium malis quærimus, blasphemantes, imprecantes, maledicentes, legum pœnis coërcendi sunt, ne in medio dolore & lachrymis diuinam iram prouocantes plagas nostras exasperemus. Non negligenda cetera remedia, sed hoc inprimis curandum est vitiũ, quod supplicio suo creſcit. Superbia verberibus detumeſcit: libidines ceteræ cladibus oppreſſæ miteſcunt: ira, clamor, maledicta, blasphemiæ, diræ aduersis augentur; nam ex illis oriuntur; & cùm patientia deest, in Dei hominumq; contumeliã erumpunt,

& ve-

& velut oleo caminum tribulationis accendunt. Dignus est plagis multis, qui alijs multas imprecatus est. Immò dignus est pati omnia, quæ proximum pati voluit. Hîc suam quisque conscientiam conueniat, & , si iustè iudicauit, causas & eorum, quæ patitur, & innumerabilium suppliciorum inuenit; neque jam ampliùs Deum, sed semetipsum accusabit.

CAPVT LXV.

Expositio præsentis Ecclesiarum status, ex D. Basilio Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo, re & nomine Magno.

TItulum S. Basilij seruaui, quia satis etiam nostro sæculo congruit. Rem autem ipsam huc apponendam censui, vt appareret, non nos solos tempestate iactari, sed alios quoque olim similes procellas sustinuisse: quod, vt pro exemplo est, ita etiam pro solatio esse potest. Multi enim tempora nostra traducunt, tamquam nimis iniqua, infelicia, calamitosa; quia non considerant vetera vitijs deformia, bellis cruenta, eluuionibus, siccitatibus, morbis horrida. Hinc clades publicas Ecclesiæ alij mirantur; aduersis alij nimium dolent; qui scilicet malè comparatos habent animos; qui, vt vulgus hominum plerumq; solet, sui temporis calamitates maximas esse arbitrantur; non quòd ita sit, sed quia sentiuntur acri dolore: illæ priscæ autem iucunda curiositate leguntur. Itaque qui in lege Domini non meditantur, qui in charitate radicati non sunt, qui iustitiam Dei perspectam non habent, cladibus publicis & priuatis irascuntur, Deum hominesque accusant. At quorum animos cælestis magister Spiritus Dei instruxit, non mirantur, quasi insolitum, cuius causa sit in abdito, cùm in hæc mala conditos homines norint, cùm primordio Mundi numquam defuisse meminerint; cùm socios vt culparum, ita etiam pœnarum præcessisse viderint; neque dolent, quia virtutis exercitium agnoscunt. Immo Numini non succensendum, sed gratias agendas profitentur, quia beneuolentiam paternam in flagellatione suspiciunt; persecutionem & dolores, non pacem & voluptates promitti sibi audierunt, cùm Christo nomen, corpus, animam dederunt. Audiamus ergo S. Basilium, & *præsentis Ecclesiarum status expositionem* ex illo intelligamus. Ita enim scribit: I.

Cui

II. S. Basil. lib. de S. Spiritu ad Amphilochium. c, 30.

Cui igitur comparabimus præsentem statum? Profectò simili bello nauali, quod ex multo odio, ex veteribus offensis inter ipsos per longum tempus alito, naumachi quipiam ac bellaces instituerunt. Nunc igitur in hac imagine mihi specta terribilem vtrimq; concursum, mox ira iam eò erumpente, vt sit immedicabilis, vtramq; partem simul prostratam consici. Pone si vis violento turbine circumagi classem, caliginémq; densam è nubibus incumbere, adeóq; obscurare rerum visibilium species, vt nulla sit amicorum, & hostium discretio, propterea quòd ob confusionem symbola militaria sint ignota. Huic imagini propter euidentiam addamus etiam mare intumescere, atque ab imo subuerti, rapidúmq; Aquilonem è nubibus deorsum erumpere, & horrendam insurgere ex triplicatâ maris turbatione inundationem. Posthac ventis vndiq; concursantibus, totam classem inter se cum fragore collidi, atq; in conflictu, alios quidem veluti se prodentes ad ipsam desperationem vltrò transfugere; alios cogi, vt pariter & scaphas impellant à ventis actas, & occurrant irrumpentibus, seséq; mutuò per seditionem trucident: quam seditionem partim iam ad extremum profecta inuidia, partim qua singulis adest vincendi cupiditas excitauit. Ad hæc cogita confusum quemdã & indiscretum clamorẽ, per vniuersum illud mare resonantem, partim è ventorum strepitu, partim è collisione nauium, partim ex vndarum impetu feruentium, partim ex κελεύματι vociferatione prœliantium varias voces pro singulorum affectibus emitti, vt neq; naucleri, neq; gubernatoris vocem exaudire liceat, sed prodigiosam quamdam mixturam confusionémq; incredibilium malorum, dum ob omnem spem ereptam prorsus non timent peccare. Adijce & ijsdem immedicabilem quemdam morbum, atq; insanabilem prægloriæ cupiditate insaniam, vt quum nauis iam in fundũ maris deferatur, tamen nautici duces primam assequendi laudem contentionem non remittant. Transi iam ab imagine ad ipsum mali Archetypum. An non iamolim videbatur Arianum schisma, in aduersariam Ecclesiæ Dei partem segregatum in hostium acie ipsum per se solum obstitisse? Verùm posteaquàm è longâ atrociq; contentione, vsque ad manifestum certamen inos instructi sunt, tum deniq; bellum in multas partes iuxta modos innumerabiles dissectum est, vt partim ob publicam simultatem, partim ob peculiarem suspicionem omnibus odium irreuocabile esset. Hæc verò tempestas Ecclesiarum, quâ tandem marinâ procellâ non est atrociore?

trocior? In quâ vt tota patrum ditio commota fuit, ita omne fundamentum, & si quod dogmatum munimentum conuulsum est. Voluuntur insuper, & quassantur omnia, putri basi innitentia, dumq; aly in in alios vicissim impetum facimus, aly ab alys subuertimur. Et si te prior non percusserit hostis, is qui auxiliatur, vulnerat. Quòd si ille ceciderit ictus, comprotector insurgit. Tantum inter nos habemus societatis, quantum communi odio aduersarios prosequimur. Vbi porrò praterierint hostes eos, iam videmus hostes inter ipsos esse mutuos. Hoc rerum statu quis enumerare possit naufragiorum multitudinem, vel eorum qui hostium impressione demerguntur, vel qui ex occultis sociorum insidijs occidunt, vel qui per imperitiam ducum pereunt, quum Ecclesiæ vna cum ipsis hominibus hæreticorum dolis, velut sub aqua latentibus scopulis, illisæ, perditæ sunt. Aly verò ex hostibus salutiferi spiritus, qui gubernacula occuparant, circa fidem naufragium fecerunt. Ceterùm turbationes ab huius mundi principibus proficiscentes, an non quâuis procellâ, quouis turbine horribiliùs subuertunt populos? Ecclesias verò caligo quadam adeò tristis ac mœsta occupat, videlicet luminaribus mundi, qua Deus posuerat ad illuminandas populorum animas, domo profligatis. Porrò immodica iam inter ipsos vincendi contentio, quum iam immineat terror, minitans internecionẽ vniuersi, admit mali sensum. Nam priuata simultas plus est, quàm commune publicúmq; bellum, dum aduersarios vincendi gloria præfertur publicæ omnium vtilitati, quibus præsens temporariaq; gloriæ voluptas, prior ac potior est præmijs in posterum repositis. Eóq; omnes pariter quocumq; possunt modo parricidiales manus sibi inuicem adferunt. Acerbus autem quidam clamor eorum, qui per contentionem inter se disceptant, confusáq; vociferatio, & indistinctus sonitus è numquã silentibus tumultibus, totam propè iam Ecclesiam impleuit, per excessus ac defectus rectum pietatis dogma subuertentibus. Nam aly quidem ad Iudaismum, ob personarum confusionem: aly contrà ad paganismum per naturarum contrarietatem deferuntur: vt nec diuinitus inspirata Scriptura inter illos sequestram agere possit, nec Apostolicæ Traditiones illos inter se conciliare valeant. Sed vnicus amicitiæ finis est ad gratiam loqui: ac sufficiens est inimicitiæ causa, opinionibus dissentire. Porrò erroris similitudo reos est quâuis coniuratione fidelior ad societatem seditionis. Theologus verò quilibet est, etiam si maculis innumerabilibus conscientiam habet nota-

tam. Hinc rerum nouatoribus multa copia simul adiuuantium seditionem. Itaq; qui se ipsos suis elegêre suffragijs, quiq; affectant principatum, vj Ecclesiarum Prafecturas sortiuntur, repulsâ S. Spiritus administratione: Iamq; prorsus Euangelicis ritibus ob sublatum rerum ordinem confusis ineffabilis est ad Prafecturas irruptio eorũ, quorum quisq; se palàm ingerit ad dignitates, vi depulsis cateris. Itaq; grauis quadam anarchia ab hoc principatus amore populos inuasit: vnde irrita sunt & otiosa Prafectorum exhortationes, dum nemo magis alteri auscultare, quàm alijs imperare debere, ob fastum ex insciticonceptum existimat. Hac ob res silere vtilius iudicaui, quam loqui, tamquam hominis vox per tantos tumultus exaudiri non possit. Nam si vera locutus est Eccle-
Eccles. c. 9. 17. siastes, Verba sapientum in quiete audiri: plurimum abest vt in hoc statu rerum de his loqui conueniat. Me verò etiam illud Propheticum dictum reprimit: Intelligens in tempore illo tacebit: eò quòd tempus malum est, in quo alij quidem supplantant, alij verò insultant lapso, alij verò dominantur: caterùm qui lapso manum ex misericordiâ porrigat, nullus est. Atqui iuxta legem veterem, qui vel iumentum inimici sub onere collapsum preterierit, non caret damnatione. Sed non itidem fit hisce temporibus. Quinam fieret, quando refrigeratâ omnium charitate sublata est fratrum conspiratio; Concordia verò etiam nomen ignoratur? Sublata sunt autem amica admonitiones, nusquam viscera humana, numquam lachryma ex condolentia. Non est, qui infirmum in fide suscipiat, sed tantum odium inter contribules exarsit, vt quisque magis proximi ruinâ, quàm de proprijs rectè factis exultet. Quemadmodum in contagijs pestilentiarum, etiam ij, qui summâ curâ seruant victûs rationem, tamen ijsdem morbis, quibus agroti, laborant, dum ob consuetudinem eorum, qui corrupti sunt, opplentur & ipsi. Itidem nunc omnes similes inter nos facti sumus, à contentione, qua nostros animos occupauit, ad malorum emulationem redacti. Hinc implacabiles & amari sedent erratorum examinatores, iniqui verò & malenoli rectè factorum iudices: ac tantum, vt videtur, malum nobis insedit, vt etiam brutis facti simus brutiores. Siquidẽ illa, qua sunt eiusdem generis, in eodem armento pascunt; at nobis atrocissimum bellum est aduersus domesticos. Itaq; propter has omnes causas silendum erat, sed in diuersam partem retraxit charitas, non quærens quod ipsius est, ac viuere cupiens omnem temporum ac rerum dis-

sensionem.

ficultatem. Quin & pueri, qui fuerunt in Babylonia, docuerunt nos, etiamsi nemo sit qui pietati suffragaretur, tamen per nos ipsos quod officij nostri est peragere, qui quidem ex incendio medio canebant hymnos Deo, haud reputantes multitudinem aspernantium veritatem, sed sibi invicem sufficientes, quum essent tres. Quapropter ne nos quidem deterruit hostium densissima turba, sed fixa spe in præsidio Spiritus cum omni fiducia virtutem annuntianimus. Alioquin foret omnium miserrimum, eos, qui conviciis incessunt Spiritum, tam facilè ad impiè loquendum audaciam sumere, nos verò qui talem habemus protectorem ac patronum, non audere sermonem suppeditare, qui ex maiorum traditione perpetuâ memoriæ serie ad nos vsque seruatus fuit: magis tamen excitabit impetũ nostrũ igneus charitatis tuæ non ficta fervor, morumq; tuorum gravitas ac taciturnitas, quæ res spondebant fore, vt ea quæ dicturi essemus, non prodirent in vulgus; non quòd digna sint, quæ celentur, sed ne margaritæ proyciantur porcis. Et hæc quidem hactenus.

CAPVT LXVI.

Quibusnam modis possit, ac debeat Victoria, & pax vera impetrari?

BELLI mala quantò sunt atrociora, tantò pax aurea est optabilior, magisque expetenda. In illo exitium, in hac salus nostra consistit: quæ nisi per arma spectaretur, nemo vnquam sapiens suaderet, bellum esse suscipiendum. Tantò itaque pluris facienda est pax, quantò pluris constat; sicut gemma, quæ maiore pretio æstimatur. Hebræi, & cum illis veteres Sancti, cùm vel aliunde venientibus, vel aliò abeuntibus benè precari ac salutem impertiri vellent, haud eos aliter, quàm imprecatione pacis salutauerunt. Ita fratres suos Ioseph amicissimè amplexus ajebat: *Pax vobiscum, nolite timere.* Ita senex Leuitem hospitaliter excipiens inquiebat: *Pax tecum sit.* Ita rex Dauid per legatos commeatum petens à Nabal eum salutauit: *Tibi pax.* Ita ipsa salus nostra Christus discipulos suos à morte reuisens bis dixit: *Pax vobis.* Ita instruxit & Apostolos inquiens: *Intrantes autem in domum salutate eam dicentes: Pax huic domui;* quemadmodum & rex paulò priùs nominatus legatis suis mandauit: *Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine*

I.

Gen. 43. 23.
Iudic. 19. 20.
1. Reg. 25. 6.
Io. 20. 19. & 21.
Luc. 10. 5.
1. Reg. 25. 5.

nomine meo pacificè, & dicetis: Sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcumq; habes, sit pax. Qua formula & Episcopi, in sacrificio vtuntur: nam ad populum conuersi eumq; benedicturi aiunt: *Pax vobis.* Eâdem formulâ vtebantur olim,

1. Reg. 1 17. cùm discedentibus valedicerent. Hinc Heli ad Annam aiebat:
Marc. 5. 34. *Vade in pace:* & Christus ad mulierem, quæ sanguinis fluxum pa-
Luc 7. 50. tiebatur, itemque, ad Mariam Magdalenam: *Vade in pace.* Quænam salutandi hoc verbo, precandique causa? Nimirum quia, sicut cum bello malorum compendio, quidquid ferè vbique est mali, venit; ita Pax nullum non hominis bonum comprehendit.

II. Alciatus, qui multa emblematis perquam ingeniosè expressit, inter cetera militis galeam pinxit, quæ instar alueāris staret,
Andr. Alciat. emblem. 177. vuâ dependente, atque alijs apibus vndequaque agminatim circumuolitantibus. Carmina illius sunt:

En galea, intrepidus quam miles gesserat, & qua
Sæpius hostili sparsa cruore fuit:
Parta pace apibus tenuis concessit in vsum
Alueoli, atque fauos, gratamq; mella gerit.
Arma procul iaceant: fas sit tunc sumere bellum,
Quando aliter pacis non potes arte frui.

Quàm diuersus ille fuit vsus galeæ? quàm contrarius effectus? Sub ea homines & apes poterant latitare: commodum fuit & militum & volucrum tegmen; & quam priùs plumbea grando pulsauit, postea stipauit examen apum. Antea rorabat sanguine, postea stillauit melle. Dura fuit antea, & ferreum opus, quod pressit caput bellatoris; postea fauo seruiuit pro straminea domo. Dulcior deposita, quàm nondum vertici imposita: siquidem dulce bellum inexpertis, sed qui reipsa didicerunt, quid sit militare; beatos vocant, qui pace fruuntur; & quoties illud repetunt,

Virgil lib. 2. Æneid. *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes?*

Quoties optarent, sub ea galea, qua teguntur, se domi suæ videre apes habitantes? Quoties meminerunt illius: *Et sedebit populus meus*
Isa. 32. 18. *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta?*

III. Eat aliquis, & melleam pacis dulcedinem cum belli absinthio conferat. Heu quàm fera, quàm verè ferrea, immò adamantina tunica amictus incedit Mauors! quàm lucida & jucunda stola fulget

fulget oliuifera Pallas? & formosus Apollo? Quàm longè tristior est illius framea, quàm huius cithara? Vbi splendent arma, squallent arua: & formidabilius est, videre agros ensibus, quàm falcibus relucentes; tristius intueri campos sanguine, quàm Cerere redundantes. Vtrumque est Pallas, sed numquam simul armata & litterata. Quàm difficile est, audire tubas, & adire scholas? attendere ad lituos & libros? intelligere, quid iura iubeant, & tympana? Clamosæ & rixosæ sunt leges; sed inter arma silent. Quantum inter Furias & Gratias est discrimen; tantum inter bellum & pacem. Hæc lætitiæ est mater, illud mille luctuum caussa. Quàm enim tristia quotidie noua audiuntur? Vnde inopia, paupertas, fames, morbi, mortes? vnde vulnera & funera crebriora, quàm à bello? Domi timores, foris pericula, nusquam securitas. Neque hominum tantùm, sed etiam ædium, arcium, vrbium cadauera passim conspiciuntur. Hæc bellum corporibus parit. Sed multò sunt maiores luculentioresque animarum clades. Alijs temporibus, aliæ ex Orco Eumenides emittuntur; tempore belli, omnes. Tunc enim exulat pietas; ægrotat fides, negligitur Dei cultus, contemnitur religio, opprimitur justitia; & rapina est optima disciplina. Tunc periuria diteſcunt; ebrietas laudatur; iactatur libido; scortationes licitæ putantur; adulteria adulterijs compensantur: & qui magis blasphemat, magis triumphat. Vix vlli in mentem venit, inter summas miserias, de beatitudine cogitare: nulla spes cæli, nullus metus est inferni. Viuunt inter iras, inter inuidias, inter furta, inter homicidia; inter maxima scelera, qui singulis horis de vita periclitantur; & vix est, qui audeat eos interpellare. Itaque priùs pænè in Acheronte cruciantur, quàm se putauerint morituros. Quis hoc malum non auersetur? quis non dicat

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes?

Quis non quibuscumque vult bene, dicat: *Pax vobis?* quis non quibuscumque potest modis pacem promoueat? Cùm præsertim Seruator dicat: *Beati pacifici.* Duplex est beatitudo, vna huius, alterius vitæ altera; vtráque dignus est, qui vtramque pace inducta inducit. Quàm ille bene de se, de Republica, de Deo meretur? quam dignitatem non consequitur, qui id consequitur, vt

IV. Matth. 5. 9.

vt filius Dei appelletur? Ait autem id ipse Filius Dei: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Quid ita? quia sicut Christus pacificus fuit, inter Deum & homines, ita sunt illi inter homines, immò etiam inter homines & Deum. De Christo ad Cornelium D. Petrus sic ait: *Verbum misit Deus filijs Israel, annuntians pacem per* IESVM *Christum.* Addit S. Paulus: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt.* Et alio loco: *Nunc autem in Christo* IESV *vos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, &c. Et veniens Euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem ijs qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum, ambo in vno Spiritu ad Patrem.* Christi igitur exemplo, qui sunt pacifici, non solùm *beati erunt, sed etiam filij Dei vocabuntur.* *Ac præmium quidem certaminis tantum est*, ait S. Gregorius Nyssenus, *certamen verò quod? Si fueris pacificus, inquit, adoptionis decore coronaberis. Mihi etiam opus ipsum propter quod tantam mercedẽ polliceatur, alterum donum esse videtur. Quid enim hominibus ex ijs rebus, quibus frui atque potiri student, vita pacifica dulcius est? Quodcumq; nominaueris ex ijs rebus, quæ res in vitâ suauis & iucunda sunt, pace opus ad hoc, vt iucundum sit. Nam si omnia suppetant, quæcumque in vitâ magni fiunt, atq; in pretio sunt, diuitiæ, bona valetudo, vxor, liberi, domus, parentes, ministri, amici: terra, mare propriis prouentibus & hoc & illa ditans: horti amœni, venationes, lauacra, palæstra, gymnasia: loca delicijs & voluptatibus capiendis exercendisq; pubi destinata, atq; omnia, quæcumq; voluptatis inuenta sunt, huc adyciantur iucunda spectacula, atq; musica acroamata: ac si quid est, per quod delicias sectantibus vita suauis existit. Si hæc quidem omnia suppetant, pacis verò bonum non adsit, quod illarum rerum lucrum est? quid illa prosunt, bello, quo minus bonis fruamur, impediente? Ergo cùm ipsa pax fruentibus iucunda est, tum omnia, quæcumq; in vitâ eoluntur, expetuntur, & in pretio sunt, dulcia efficit, atque iucunda. Quin etiam si qua more humano nobis in pace calamitas accidat, bono malum contemperatum, leuius ac toleratu facilius existit.* Hæc de pace pacisq; bono S. Gregorius Nyssenus, quæ meritò, cuicumq; vel mica salis in pectore est, ostendunt, bello pacem esse præferendã.

Act. 10, 36.

Col. 1. 19.

Ephes. 2, 13.

Ibid. v 17.

S Gregorius Nyssen. lib. de beatitud. orat. 7.

Quo-

V.

Quoniam autem plerumque pax talis esse solet, quales sunt pacificati, videndum est in primis, cum quibus pax sit facienda, vel non facienda. Nam & pax inprimis cum Deo, deinde cum conscientia, tum etiam cum socijs & amicis, tandem etiam cum hostibus & inimicis nostris est constituenda. Pacem cum Deo & conscientia gerendam, nemo dubitat, pauci tamen gerunt, quia pacem mundi præferunt, malorumque sociorum. Ieremiæ verba sunt; *A propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Confusi sunt, quoniam abominationem fecerunt.* Adeò erant olim Ammonites, & Moabites Deo execrabiles, vt diceret: *Non facies cum eis pacem, nec quares eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Vt enim frigida cum calidis, humentia cum siccis pugnant; vt lupi cum agnis non contrahunt amicitiam; ita pax inter probos & improbos non potest conuenire. Aut si ad tempus durat, numquam tamen perennat. Quod etiam non nemo in fabulâ expressit, verbatim huc apponendâ. *Famelica vulpes, cibum quærens sibi discurrebat per silvas & campos, ac fortè calcauit anguem, à quo icta cùm esset, magno dolore & indignatione concitata, morsu illum sauciat; atque lasi ita ambo, tum quidem discedunt, medicinam quæsituri vulneribus suis. Post annos aliquot obuiam factus anguis vulpi, animo memori & cupido vindictæ callidè vulpem aggreditur verbis: Et quantam, inquit, tristitiam cepi de dissidio nostro? neque quidquam ex illo tempore, quo simultas inter nos extitit, maiori mihi cura fuit, quàm vt gratia nostra reconciliaretur, ac post illa, te quidem nunc video primùm. Quare si videtur, obliuiscamur priorum, & amicitiam recolamus, interq; nos amanter amplectamur, qui pridem hostiliter appetymus. Quid enim magis omnibus mortalibus, cuiuscumque generis ac condicionis, expetendum, quàm pax & concordia? Quæ alia res melior, vtilior, iucundior esse possit? Hac omnia & conservat, præstatq; incolumia atque salua, & auget atque bonis multiplicibus complet. Hac verè illa est, quæ opes, diuitias, vitam denique ipsam & parat, & nutrit atque educat. Et quid multis opus? Nullum est bonum in terris pacis bono præstantius, neque optabilius. Atque hæc locutus adscnlum se erigere anguis, & vulpi oculis adblandiri. Illa verò anguis non credidit, quem scilicet nouerat natura esse implacabilem, & cùm*

Ierem. 6. 14.

Deuter. 23. 6.

Cyrill. lib. 3. Apol. morali cap. 23.

cùm sæuum, tum etiam malitiosum. Itaque eum auersata: Sic, vt loquere, est, inquit. Sed vt pace vera nihil melius, ita ficta deterrima res est rerum omnium. Hæc enim, venenum quadam dulcedine opinionis pacificæ conditum, & non vitatur, & hausta subitò necat; neque vllæ possunt inimicitiæ & bellum tam nocere, quàm simulata beneuolentia & pax. Hæc publicas & priuatas res, hæc salutem, dignitatem, vitam fortunasq; euertit ac pessumdat, nihil metuentium & securorum. Nam inimico & hosti nemo credit: ideoq; ab his non fallitur, neque decipitur quisquam, sed illa fucata verba & species honestissima bonitatis, ea in fraudem imperitiores impellunt, ea simplices inducunt in errorem ac miseriam. Ac tibi quidē laudatori pacis tantum esse responsum volo: ad reconciliationē autem gratiæ & amicitiæ nostræ quod attinet, ita habeto, neque me posteà (quæ accidere memini) tibi vnquam ex animo crediturum esse, neque arbitrari, te mihi vt fidem habeas, facere posse.

VI.

Isa. 42. 22. Quid est hoc aliud, quàm quod Isaias dixit: *Non est pax impijs, dicit Dominus?* Qua de caussa & Phryx fabulator inducit vulpeculam gallo gallinaceo in ramo arboris sedenti, ac diem cantu salutanti adblandientem, iubentemque eum descendere ad osculum accipiendum, quod gallus repudiauit tamquam periculosum, immo insidiosum. Quod osculum pacis vocatur, osculum fraudis est: & præstat à talibus sauciari, quàm basiari; cùm etiam *Meliora sint vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* De quibus Ieremias ait: *sagitta vulnerans lingua eorum, pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit insidias.* Et Psalmista: *Ne simul trahas me cum peccatoribus, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum; da illis secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam, &c.* Talis osculator fuit Iudas, talis Ioab, qui *tenuit manu dextera mentum Amasa, quasi osculans eum. Porrò Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere.* Cum fraudulentis ergo pax nulla est ineunda, neque cum impijs, neque cum ijs, quos sæpe experti sumus mendaces, *qui pacem loquuntur cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Nam hi ne Deo quidem seruant fidem: neque Deus nos vult cum hostibus suis confœderatos. Ideò sinit eos in fraudibus deprehendi, ne fidamus illis. Qui toties icti non sapiunt, digni sunt vt decipiantur. Cur vellemus cum illis esse pacifici, quos constat

Prou. 27. 6.

Ierem. 9. 8.

Psal. 27. 3.

1 Reg. 20. 9.

Psal. 27. 3.

constat nolle esse pacificos, & adeò nolle filios Dei, sed Belial vocari? contra quos Deus ipse pugnat, & nos vult secum pugnare. Tubicines vtrique præliantium parti seruiunt, non milites, non duces. *Quia nemo potest duobus dominis seruire.* Matth. 6. 24.

VII. Et quia volent aliqui sibi tales disertè nominari, vno verbo eos nomino. Mundus est talis, & quotquot mundi mores profitentur. *Pacem relinquo vobis*, ait Magister noster, *pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Hinc meritò vocatur *Princeps pacis.* Quo modo dat mundus; quo modo Christus? Mundus ait; *Venite, coronemus nos rosis*, simul bibamus, simul ludamus, simul iocemur, simul scortemur; simul detrahamus, & opprimamus iustum; simul testemur falsum; simul accusemus; simul fenestras, simul ianuas frangamus; simul percutiamus, simul occidamus: simul clamem⁹; simul blasphemem⁹; & dicamus, *Tolle, Tolle; crucifige, crucifige.* Talis pax non est facienda; quia *non est pax impijs:* repentè inter ludendum seriò res agitur: & venitur ad pugionem: ex ioco, fit furor; ex lucro, vitæ iactura: & qui vnā meretricē ambierunt, facti riuales pro meretrice se occidunt: quiq; paulo priùs in tertij caput iurauerunt, repentè in seipsos conuicijs, criminationibus, calumnijs, plagis, cædibus conuerruntur. Sic dat mundus pacem. At Christus ait: *Pacem meā do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ego pacem feci inter Patrem meū & vos. Ego pacem do bonæ conscientiæ. Ego inter homines tollo discordias, lites, rixas, duella. Hoc si & vos faciatis, Beati eritis, & filij Dei vocabimini. Quamquam neq; beati vmquam erunt, neq; filij Dei vocabuntur, qui caussa sunt, & authores malæ pacis, atque inter se in conuenticulis consociant combibones, collusores, amatores, scortatores; iuuenes cum puellis; matrimonio solutos cum coniugatis. Deus bone! estné is Christianus, qui in domo sua tales congregat, sociat, coniungit, & pacem facit inter eos, inter quos non est pax? Non est hic pacificus, sed bellificus; non Dei, sed diaboli filius appellandus. Hæc enim peccata Deum offendunt, hæc iram diuinam nobis accendunt, hæc sacra & profana arma in nos acuunt. Isa. 19. 6. loan. 14. 27.

VIII. Nam propter talia scelera Numen bella publica mittit, quæ qui vult tollere, scelera tollat. Numquam bella quibus caussis nascuntur, tolluntur. Duo ergo sunt genera pacificorum, qui beati à Christo pronuntiantur. Vnum pertinet ad Principes, Reges, Im-

peratores, vti etiam ad ipsos militiæ Duces, archistrategos & administratores, quorum omnino est, omni ope niti, vt bella, velut incendia Reipublicæ, sopiantur & extinguantur. Alterum spectat & ad Ducem & ad vnumquemque militem, immo & ad vnumquemq; hominē priuatum, qui vt peccatis suis vel bello, vel amittendæ victoriæ in bello, caussam dedit, ita pœnitentiâ suâ Deum placare, & pacem reducere tenetur, vt damnum quantum potest, sarciat. Duces, Principes, Imperatores, & omnes penes quos belli faciendi vel gerendi jus est, documentum habent ab Alphonso Aragonum & Siciliæ rege, qui cùm filium suum ad vlciscendas Florentinorum iniurias (ij cum hostibus perperam, & iniquè fœdus contra Alphonsum fecerant) magno cum exercitu misisset, post longam filij institutionem, hæc adiecit: *Nunc maximè te admoneo, fili, ne tantum aut tua, aut commilitonum audacia tribuas, vt putes absque Dei auxilio victoriam vllam haberi posse. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis, aut industria paratur, sed Dei optimi maximi benignitate & arbitrio. Scientia igitur rei militaris ita demum profutura est, si Deum nobis pietate atq; innocentia pacatum propitiumq; habuerimus. Deum igitur in primis cole, in eum confide, a quo tum victorias omnes, & optima quæq; prouenire non dubium est. Quem si quando tibi iratum suspicaberis, caue contendas: immo quidquid abeo tibi accidisse videatur, boni consule, & patientia, & pœnitentia eum placa.* In eumdem sensum scribit Antonius Sucquet, cuius hæc sunt verba: *Si quis in Rep. constitutus ad clauum à Deo est, vt Magistratum ereet, militū delectū faciat; pietatis sciat primam sibi in se atq; alijs habendā esse rationem. Quis enim nescit, ad magistratuū mores atq; exemplum alios se se componere? Et, si nemo tam improbus ferè reperitur, qui populum ac subditos ad impietatē adhortari, vel cogere velit suoq; ad flagitia simul verbo & exemplo inuitare; certè non minùs conuenit euitare scandalū, publicumq; peccatum. Si enim, quod verissimum est, exempla trahunt, mouent verba, seriò cogitandum, quantū sit flagitium, quod plurimos pertrahit in lapsum, vnaq; ruina inuoluit. Atq; hinc est, quòd Scriptura dicat: Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur: cùm non rarò contingat, eos pietate minimè ceteris antecedere, quos dignitate præire videmus.* Hæc de Magistratu.

Anton. Panor. lib. 3. de reb. gestis. Alphons. c. 51.

Anton. Sucquet. in via vitæ ætern. lib. 2. c. 17.

Sap. 6.

IX. De Ducibus autem & militibus, quos magistratus elegit ad victoriam obtinendam, ista addit. *Quod in Magistratu valet, & eius*

eius electione, multò magis in militia, siue de Ducibus agatur, siue de militibus. Si enim præter militarem licentiam, trahat ad crimen Ducis exemplum, fieri nequit, quin certum sit pietatis exitium. Cùm autem omne regnum in manu Dei sit, & cui voluerit, det illud; atq; ab illo solo victoria speranda sit, perspicuum est, Ducis crimen aut virtutem, plurimum ad hanc momenti conferre. Si enim propter furtum vnius Achan, Iosue. 7.
castra Israel fusa fuerunt; quid, quæso, futurum, si dux furtis, rapinis, sacrilegijs, luxuria atq; superbia iram Dei in se suosq; prouocet? Beniamitis castigandis eduxerant castra Israelitæ: at quia fortitudine & numero confidebant, bis fusi fugatiq; sunt. Quid futurũ, si non præsidentia tantùm laboret miles, sed omni propè vitio diffluat? Certè ex ducibus pendet, an à Deo putent victoriam impetrare improbos milites magis, quàm probos? Si hos, videre equidem debent, vt tales deligant, atque, quoad possunt, efficiant. Nam cùm illi victoria sua insolescant, & propagent impietatis regnum, quid interest Dei, hæresis, an vniuersa impietas latè dominetur? Corpus spectas in milite, nonnè pluris animum? ignauo hominem corpore recusas, ac debili, cur improbum animo Deoq; perduellem assumis? Reipublicæ putas vtilem, qui sibi inutilis? tibi fidum, qui Deo infidus? vitium vitio, igne ignem restinguere paras, pietatem propagare flagitio; virtutis regnum per illius aduersarios; Dei amicitiam per inimicos eius; honorem illius per hos, qui eum crucifigunt, templaq; animæ suæ & aliorum profanant? In sacris litteris rex Iuda vi- 3. Reg. 22.
ctus est, quòd copias cum impio iunxisset: quid si ex improbis eas collegisset? Omitto, aut milites secura ac recta conscientia esse fortes, Deumq; cum illis pugnare; aut temerarios, calcato Deo, eiusq; præceptis, non sibi, non Reip. sed ei, cui seruiunt, dæmoni, militare. Obseruent igitur Duces, quales sint ipsi, quas habeant zeli occasiones, & præclare ijs vtantur; ne latiùs pietate regnet impietas: sciantq; paucos bonos plurimu malis Dei gratia ac fauore longè præstare. Exempla vbiq; obuia: quis ambigat? nisi qui Deum negârit vltorem esse malorum, bonorum remuneratorem.

X.

Dixi, quid in populo corrigendum, quid in magistratu requirendum, quid procurandum in Ducibus, quid optandum in militibus, aut emendandum, vt placatâ Numinis irâ, victoriam; & & debellato bello pacem veram obtineamus, hostesque nostros exarmemus. *Omnes enim dæmones, & impij Reges sunt veluti feri quidam leones, parati genus humanum perdere, vel sua tyrannidi subijcere. Verùm ita virtute diuina continentur, vt nihil nocumenti cuiquam in-* Leonard. Lessius lib. 13 de diuin. Perfect. cap. 10.

ferre possint, nisi Deo annuente, & veluti habenas, quibus coërcentur, remittente. Cùm ergo Deus aliquod regnum propter peccata vult punire, vim illorum compressam relaxat, quantum, & quam diu ipsi videtur, finitq; illos veluti turbines quosdam regnum illud inuadere, eiq; bellum inferre; & simul illud regnum pristina protectione destituit, vt se tueri non valeat. Cùm autem satis pœnarum dederit, rursus habenas sensim contrahit, & vim aduersariam magis magisq; coërcet, & simul protectionis suæ dexteram ad illud regnum extendit, res omnes ita disponens, vt calamitas finem capiat, & pax desiderata subsequatur.

Venerab. Beda. tom. 5. l. 2. cap. 28. in c. 6. Marci.

Rectè Beda, *Labor*, inquit, *discipulorum in remigando, & contrarium eis ventus laboret S. Ecclesiæ varios designat: quæ inter undas seculi aduersantis, & immundorum flatus spirituum, ad quietem patriæ cælestis, quasi ad fidam littoris stationem peruenire conatur. Vbi bene dicitur, quia nauis erat in medio mari, & ipse solus in terra: quia nonnumquam Ecclesia tantis Gentilium pressuris, non solùm afflicta, sed & fœdata est, vt, si fieri posset, Redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videatur. Vnde est illa vox eius inter undas procellasq; tentationum irruentium deprehensa, atq; auxilium protectionis illius gemebundo clamore quærentis: Vt quid, Domine, recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Quæ pariter vocem inimici persequentis exponit, in sequentibus Psalmi subiiciens: Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus, auertit faciem suam, ne videat vsq; in finem. Verùm ille non obliuiscitur orationẽ pauperum, neq; auertit faciem suam à sperantibus in se: quin potiùs & certantes cum hostibus, vt vincant, adiuuat, & victores in æternum coronat. Vnde hic quoq; apertè dicitur, quia vidit eos laborantes in remigando. Videt quippe Dominus laborantes in mari, quamuis ipse positus sit in terra; quia etsi ad horam differre videatur auxilium tribulatis impendere, nihilominus eos, ne in tribulationibus deficiant, suæ respectu pietatis corroborat: & aliquando etiam manifesto adiutorio, vitijs aduersantibus, quasi calcatis sedatuq; fluctuum voluminibus, liberat.*

Quæ cùm ita sint, nemo justam causam habet de iniustitia Dei, aut nimia bellorum seueritate conquerendi. *Fugite ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est: & scitote esse judicium.*

Iob. 19. 29.

Omnia ad maiorem justissimi Gubernatoris Mundi gloriam.

RERVM ET VERBORVM TOMI TERTII.

Prior numerus Caput; alter Paragraphum significat.

Abbas ob arcum factum 39.8. Simeon sapientissimè fatuus, orat ignitè, orando liberat à suspendio socium, docet eleemosynas dandas. 38. 7. Abbatissa Gertrudis auro repudiando. 15. 9.

Abbreuiatæ dies, & cur? 53. 5.

Abdiæ misericordia erga prophetas, compensata. 13. 5.

Abimelech Gedeonis filius. 70. fratres interimit. 60 8.

Abortum procurantes stultæ puellæ. 63. 10.

Abraham Patriarcha è pugna reuertens laudatus. 56. 7. cum Lot cur non potuerit habitare? 5. 9. Eremitæ quomodo meretricem conuerterit? 46. 8.

Abusus, & usus earumdem rerum. 57. 12. & 58. 1.

Academiæ cur Veronâ Parauium translatæ? 28. 2.

Acetum Christo datum quomodo compensatum? 53. 11.

Achab decipi ipse voluit. 48. 2.

Achar puer paupertatis amantissimus. 15. 12.

Achelsus mirus opum dilapidator. 5. 8.

Achitophel proprio consilio perit. 48. 4.

Achonis portus nocturnis luminibus clarus. 62. 2.

Acquisitio diuitiarū quàm laboriosa? 4. 3.

Acus causa est, ut monachus in abbatem eligatur. 39. 8.

Adam à Deo tronicè illusus. 47. 5. si vidisset mala quæ nos, fortè non peccasset. 57. 6.

Adhortatio ad mortem fortiter obeundam. 9. 6.

Admonitio S. Augustini, ne laudes humanas appetamus. 19. 8. & Lactantij. 19. 7.

Adonibezec passus, quæ alijs fecit. 53. 3.

Adorationes impiæ potatorum. 63. 12.

Adrianus VI. præceptor Caroli quinti. 25. 4.

Aduersa ostendunt infideradicatos. 31. 4. cur patienter ferenda? 38. 10.

Adulationes à sapientibus semper repulsæ: magis vitandæ, quàm cornu. Exempla. 35. 2. eius turpitudo. 47. 2. artes. 54. 3. pernicioſa & insidiosa, in fabula Vulpis ostensæ. 35. 2.

Adulterium Faustæ quo modo punitum? 49. 8. item Dauidis. 51. 5. quantam secum ferat malitiam & pœnam? 54. 5. quàm grauis à Deo inflicta? 61. 4. adulterorum pœna. 30. 6. sustineto purgata. 36. 6.

Aegrotus in odium vxoris surgit è morbo. 52. 13.

Aegyptijs cur nihil sit creditum? 54. 4. eorum bona cur Israelitis tradita? 6. 5.

Aemilius Censorinus inuentores tormentorum quo modo remunerârit? 44. 4.

Aeneus taurus in tormentū. 44. 3. equus. 44. 4.

Aerij census. 5. 6.

Aetates variæ longauorum. 57 7.

Affectus honoris qualis sit? 19. 7.

Africa à Vvandalis punita. 61. 6.

Agathoclis arguta responsio obsesso militi data. 47. 2. egregia paupertas. 15. 6.

Agesilaus quantus honoris contemptor? 19. 1. rex sine calceis prodiens. 14. 6.

Agrippa rex haustum frigidæ remunerans,

raus. 26. 4. Menenij paupertas. 19. 6.
Aracii impatientia ob arma Achillis negata. 1. 4.
Alapa percussus, an & quomodo alteram teneatur præbere maxillam? 56. 5. empta quando pretio? 7. 2. percussus, oblusdum, Casimirus. 14. 11.
Alaricus Gothorum dux mirus opum iactator, quàm miserè perierit? 5. 5.
Alba Cerevisia miseri potatores. 63. 9.
Alboinus rex Italiæ infectus. 62. 10.
Alex bellum comparatum. 56. 3.
Alexander M. à Persis ad Græcos imperium transtulit. 60. 3. Gangæ laudis impatiens. 19. 7. ideò voluit Aristobulum in Hydaspem præcipitare. ib. cur vetuerit ab aliopingi, quàm Apelle? 20. 2. imperator lepidè monstratus Onesicrito, quid sit imperare. 23. 8. filium regis Scotiæ mirè panper. 15. 13.
Alexandria cur aquis inundata? 6. 6.
S. Alexij paupertas in patria. 15. 4.
Alfonsi regis de talione sententia. 54. 1.
Alieno casu sapere docuit Cyrus, 17. 11.
S. Amandus subetur à S. Petro Dagobertum admonere. ideò exosus, postea, charus. 35. 3.
Ambitio quomodo crescat? 54. 4. Pharisæorum quæ? 19. 2. punita. 29. 1. contempta. ib.
S. Ambrosius fugit divitem infelicem. 4. 9. quid de Vero honore senserit? 20. 5. quantopere honores fugerit? ob quod & lupas domum adduci curâuit. 39. 6. exilium ei destinatum destinanti evenit. 52. 13. fores claudentis claudentur. 52. 14.
Ambulare super aquas cur Petro fuerit facile? 8. 4.
Amici honorandi sunt, magis necessarij quàm ignis & aqua. 26. 10. Christi, sunt pauperes. 15. 3.
Amissio opum quàm luctuosa? 4. 10. seq. quàm utilis? 7. 9. ob pœnam anaritiæ. 6. 3.
Amma quid significet apud religiosos? 39. 7.
Amor Dei quomodo possit esse expeccatis? 58. 1. nimius divitiarum. 6. 1. paupertatis. 11. 1. in primitiva Ecclesia. 15. 3. & in regis filio mirus. 15. 13. seq.
Anacharsis patria? 47. 2.
Anachoretarum paupertas. 15. 10.
Anacreon acino quo periit. 39. 3 eius voluntaria paupertas. 3. 5.
Ananiæ quid præsumserit Paulus? 51. 7. eius & Sapphiræ vota violata. 14. 7.
S. Anatolia opes à se in pauperes derivat. 13. 13.
Anaxagoræ philosophi paupertas. 2. 8.
Anaximenis de honore sententia. 18. 3.
Ancilla non sine suo damno prodit S. Athanasium. 48. 6. S. Monicam reprehendendo corrigit. 35. 4. in culina servatus Sanctissima. 39. 7.
Androclydas claudus melior pugnator. 47. 2.
Angeli quo cultu bonos, quo malos excipiant ad templum euntes? 32. 3. quantùm gaudeant super pœnitente? 32. 6. in cælo bellantes. 56. 7. militibus in terris succurrentes. 56. 10. diabolum ligantes. 56. 1.
Angli Britannis in auxilium & exitium. 62. 9.
Anima sine divitijs expeditè evolat. 5. 2. eâ ponendi pro amico pulcher modus 41. 5. innocens prosperitas miseria est 57. 4.
Antagora responsio data delicias objicienti 47. 4.
Antigonus cur ab Aristobulo necatus? 5. 15. qua regibus honesta iudicarit? 29. 5. non voluit sibi obediri contra legem. ib. è morbo didicit, se mortalem. 40. 10. regnum vocat splendidam servitutem. 22. 4.

22. 4. congrũ opprobrans 47. 2. drachmam petenti respondens. 47. 6.
Antiochus cur adeo remuneri mortẽ? 9. 5.
Antiquitas Ecclesiæ quanti facienda? 60. 7. antiquos ritus in Ecclesia seruandos. 60. 9.
Antisthenes quid de honore senserit? 18. 3. quomodo Platonis superbiam notârit? 39. 3. à plerisq; laudari malum iudicauit. 35. 2. eius de bello lepidum dictum. 55. 3.
M. Antonius qui Cæsarum fastus refranârit? 40. 8. crebras ab ijs litteras accepit, nihil inde elatus. ib. qualia ijs documenta rescripserit? ib. quid in fratribus maximè soleret intueri? 40. 15. quantùm detestatus sit hæreticos? 60. 4.
Antonij Vrcei impatientia, ob librum perditum. 1. 8.
Anus garrula. 55. 1. ad discordiam faciendam. 61. 9.
Aod Victor & Israëlitarũ liberator. 60. 4.
Apes in galea symbolum pacis. 66 2.
Aphrastus de paupertate iudicium. 15. 7.
Apollonij responsum de modo tutò regnandi. 24. 1. & 23. 9.
Apostoli ad quid mulieres secum circumduxerint? 13. 12. quàm pauperes fuerint? 14. 6.
Appetitus homines excæcat. 4. 2. etiam boni, non omnis bonus. 20. 1. gloriæ quando licitus? 21. 3. cur homini inditus? 23. 4. à peccato corruptus est. ib.
Apri Senatum quanti fecerint Macedones? 24. 5.
Aqua Ægyptijs mala, Israëlitis bona. 2. 11. miraculosè erigens. 6. 6. eius haustus quomodo à principe remuneratus? 26. 4. benedictæ virtus. 28. 4. aquis cur extinctus Pharao? 46. 1.
Aquila confixa sagittâ configit iaculatorem. 45. 3.
Aras sanguine hostium, & suo tinxit Pygmalion. 44. 4.
Arborum folia quantum vectigal faciant Granatæ? 7. 2.
Area capta quæ hostibus damnosa? 60. 11.
Arcus pravus quid? 52. 1.
Arianorum hostis S. Antonius. 60. 4.
Arsolandi peccatum inobedientia. 61. 2.
Aristides paupertate gloriosus. 3. 3. filios pauperes habuit, quo damno? 3. 4. quid senserit de paupertate? 16. 3. eius consilium utile, sed inhonestum. 48. 4.
Aristippus cur naufragaturus abiecerit pecunias? 5. 14. adulator quomodo perstrictus? 47. 2.
Armatum esse, sæpe nocet. 51. 5.
Arsenius quàm pauper? 15. 7. filiorum Theodosij præceptor. 25. 3. Arcadium castigat cum vitæ periculo, sed ab eodem postea ventam petentem. ib.
Artium mater paupertas. 16. 3. cur olim tot reperta? 24. 1. quem habeant osorem? ib. honoribus acuuntur. ib. suâ pereuntes arte. 44. 3.
Aruntius noui tormenti inuentor, & punitus? 44. 4.
Assyriorum regnum natum & extinctum quando? 60. 1.
Athena quoties bellis afflicta? 56. 3.
S. Athanasius ab ancilla non sine vindicta proditus 48. 6.
Athenienses quantum honorârint Euripidem? 24. 2. capti à Samijs, quomodo signati? 30. 2.
Athesis aqua inundans templo parcens. 6. 6.
Auaritia inexplebilis. 4. 6. artes quas habeat in acquirendo? 4. 5. seqq. multorum malorum causa. 5. 1. seq. multa exempla edit. 5. 6. sitibunda. 5. 7. nec mortuis parcit. 5. 13. est causa parricidiorum. 5. 14. fratribus infesta. 5. 15.

pecuniam Deo anteponit. 5. 16. *habet aduersam prodigalitatem.* 7. 2. *est gula contraria.* 7. 3 *se ipsam plectit dire exemplo* 7. 4. *ob fraudes orco digna.* 8. 11. *est mater discordiarum* 11. 8. *Rufini quo modo punita?* 54. 2. *militum,* 55. 2. *belli mater.* 55. 3.

Auarus in exemplū 5. 6. *nescit cui congreget.* 5. 7. *panes suos sibi numerat.* 5. 11. *sollicitus curis multis.* 5. 12. *cupidus.* 5. 13. *se ipsum cruciat.* 5. 12. *aut fabulosæ comparatus,* 6. 1. *à Deo & hominibus punitur.* 6. 3. *seq. stultè decipitur.* 6. 2. *est miserior damnatis ad metella.* 8. 2. *inter opes miserè mortuus.* 8. 3. *moriturus suas pecunias comedit.* 7. 4. *à parentibus occiditur.* 7. 5. *liberalitatem suam retractat, & punitur à Deo.* 8. 8. *auro se immergens moritur.* 8. 6. *ob fraudem perit.* 8. 11. *à pictore ingeniosè iudicatur.* 44. 6.

Augures falsi puniti. 48. 1. *seq.*

S. Augustinus quid ad diuites dixerit? 10. 5. *quo modo se gesserit erga pauperes?* 30. 6. *non est Aristotelis aduersus de magnanimitate.* 39. 6. *quomodo honores & diuitias bonas iudicârit.* 20. 4. *eius de malis mundo vbique immissis sententia.* 63. 1.

Augustum ob laudis amorem reprehensus. 20. 1. *quid responderit ad palmam ex ære enatam?* 35. 2. *ei quale consilium dederit Mecœnas de republica conseruanda?* 62. 10.

Auiditas canis in cibo capiendo. 54. 4.

Auis India auaro comparata. 6. 1.

Aulicorum malorum mores. 54. 3.

Aurea statua cur Gorgia posita? 26. 8. *torques est misericordia.* 43. 3. *torquem putans, laqueum à diabolo accepit.* 8. 5.

Aures pauperi claudens, Christi aures clausas experitur. 32. 14.

Aurum amicos parit, & potentiam. 1. 2. *magno labore quæritur.* 4. 3. *& magnis sceleribus.* 4. 4. *est homini lapis lydius.* 5. 1. *quæ elogia habeat?* 5. 17. *& 7. 6. est homini intimicum.* 7. 5. *colitur instar Numinis.* 5. 17. *in simulachra conflatur.* 5. 16. *periuros facit. ib. contrectatur à morsente.* 8. 6.

Austriaca familia, quas, & in quibus insidias sit passa? 62. 6.

Authoritate publica opus est ad bellū suscipiendum. 56. 5. *eius quanta vis?* 57. 2.

Auxilium Dei in bello petendum. 57. 10.

Baal cultus quàm noxius Israëlitis? 60. 6. 60. 8.

Babyloniorum libidinet abominanda bellū plexæ. 61. 6.

Baculus Senuphij monachi Victoriam parit Theodosio Imperatori. 27. 6.

Balbus Imperatorem canentem in templo occidit. 54. 2.

Balduinus Comes obseruans parentū, præceptorū, legum Ecclesiæ. 25. 4.

Balneum, in quo hæreticus, vestatū. 60. 3.

Balthasar rex auri sui exemplo non est correctus. 4. 4.

Barba tonsa quanto pretio vendita? 7. 2.

S. Basilius quàm graphicè descripserit præsentis Ecclesiæ statū? 65. 2. *eius paupertas.* 15. 8.

Beatus tudo cælestis verum præmium virtutis. 20. 3. *est summus honor.* 23 1.

Beatos esse pauperes ex mente Ethnicorū. 16. 3. *duplices modo esse, qui pacem faciunt.* 66. 4.

Bella & lites è diuitijs. 5. 9 *ex ludo.* 5. 11. *quàm miseros faciant?* 55. 1. *malorum compendia. ib. seqq. pauperes nouit lunt, sed multiplicant.* 55. 3. *eorū principium facilius esse, quàm finem.* 55. 4. *eius definitio. ib. origo & incentores, & vnde dictum bellum?* 55. 5. *à Deo & diabo-*

diabolo quomodo sit? 55. 6. & 56. 1. *quando sit belluinum, honestum vel inhonestum?* 56. 2. *vtile, an inutile?* 56. 2. *an pacipraferendū?* 56. 2. *seq. habet pro fine pacem.* 56. 4. *an licitum, & quis id damnarit? ib. prodest etiam hosti.* 56. 5. *à Christo prædictum.* 56. 6. *angelorum aliorumq; exemplis laudatum.* 56. 7. *à Ioanne Bapt. non improbatum.* 56. 8. *nec a Christo.* 56. 9. *miraculis illustratum.* 56. 10. *authoritatem & bonam intentionem exigit.* 57. 1. *& alias conditiones, ne obligationem restitutionis inducat. ib. vtrimq; subinde formaliter, numquam vtrinq; materialiter iustum.* 57. 3. *eius vtilitas ad salutem.* 57. 4. *& causæ aliæ. ib. seqq. virtutes acquirit, auget, exercet.* 57. 8. *seqq. quales & è qua patria requirat maximè?* 57. 10. *habet pro fine pacem.* 57. 11. *abundat peccatis, sed non necessariò.* 57. 12. *ob conuitia inchoatur.* 59. 6. *est principium & interitus regnorum.* 60. 1. *punit sapius Iudæos.* 60. 3. *seqq. & magiam, ac consulentes magos.* 61. 12. *& idololatriam, ac alia crimina.* 61. 14. *seq. maximè autem etiam magistratum, ob magos non punitos.* 62. 11. *& 63. 2. est paci meritò postponendum.* 66. 1. *indicatur per galeam.* 66. 2. *quot & quanta mala secum ferat?* 66. 3. *quibus documentis gerendum?* 66. 8.

Bellona in bellis quid? 55. 5.

Bellua belli nomen dederunt 55. 5.

Benedictio olei non culpanda. 51. 10.

S. Benedictus quàm pauper? 15. 8. *duobus modis sustit honorari seniores.* 25. 7.

Benefacere reges decet. 43. 7. *benefaciendum inimicis docet exemplo Deus.* 58. 2. *benefactores cur, & quibus modis honorandi* 26. 4. *eius varia exempla. ib:*

Beneficium in tribulatione. 61. 1.

S. Bernardi paupertas. 15. 8.

Bibere ad honorem Dei quomodo possimus? 21. 3. *prohibens, ipse bibere nequit.* 52. 11. *Venenum sine damno. ib.*

Bilingues qui & quales? 54. 4.

S. Birgitta pauperum amatrix. 13. 13. *& paupertatis.* 15. 9.

Bitonis erga matrem obseruantia. 17. 10.

Blasphemia punita. 54. 7. *veneficio annexa, quàm crebra, quàm grauis?* 64. 3. *non committitur tantùm in Deum. ib. seqq. quantum olim punita.* 64. 6.

Blesilla pauperis mors pretiosa. 9. 7.

Boleslaus regnandi libidine fratricida, 5. 15. *eius Zelus pro religione.* 62. 8.

Bonitas Dei creantis hominem peccaturum. 58. 2.

Bonos fugiunt diuitiæ. 4. 7. *etiam mala iuuant.* 5. 1.

Bona quæ putantur, bona non esse. 4. 8. *bona fama quomodo curanda?* 23. 7. *bonum quomodo maximū honor?* 18. 1. *summum summè honorandum.* 18. 2. *non indiget extrinseco adiumento.* 19. 7. *quid sit, & quid de eo indicet S. Augustinus?* 20. 4. *bonus non curat, siue laudetur, siue vituperetur.* 22. 2. *cur honore dignus?* 29. 1. *in se mala, in alijs tantùm bona obseruat.* 34. 13. *Bonorum talio.* 42. 1. *Bona publica priuatis anteponenda.* 57. 5. *interiora externis meliora.* 12. 4.

Brasidas telo, quo percussus, percussit. 51. 1.

S. Brigida signo crucis infantis linguā disertā facit. 36. 4. *S. Broonē à calumnia fornicationis prodigiosè liberat. ib.*

S. Britius Episcopus calumniam patitur innocens, ab infante excusatur, prunas ardentes, illæsis vestibus, portat. 36. 5.

S. Broon Episcopus innocens infamatus, & ab infamia prodigiosè liberatus 36. 4.

Bulas egestate latro factus. 1. 6.
Busiridis crudelitas punita talione. 44. 3.

C*Adauerum aspectu quomodo metum Titum?* 53. 11.
Cacia Venti mirabilis natura. 44. 1.
Cæcilij prolege talionis responsio. 42. 3.
Cacos fieri cupidetate. 4. 2.
Cælestinarũ Annuntiatarum Ordo quis? cur sic dictus? qua eius fundatrix? 33. 1.
Cælorum regnum quàm variè accipiatur? 11. 2. *à pauperibus alijs patefactum.* 10. 8.
Cana exigua cui sufficiat? 1. 10.
Cæsari danda quæ Cæsaris. 6. 9.
Caietani opinio de appetitu honoris quo modo intelligenda? 19. 10.
Calamitates varia bellorum. 55. 2. *earum vtilitas.* 57. 4. *seqq. calamitosus quisq; se reum agnoscat.* 38. 10.
Calcaria immissus calumniator. 52. 5.
Calceis qualibus vti Apostolos Christus prohibuerit? 14. 6. *carens Agesilaus, Phocion, Masinissa. ib. ijs cur luna addita à Romanis?* 41. 1. *rubrorum par quanti sceleris pramium?* 61. 9.
Caliga S. Honorati mortuum ad vitam revocat. 27. 8.
Caligula vectigalia. 5. 6. *paupertas.* 5. 8.
Calumnia in honorem cedit. 37. 2. *patienter ferenda. ib. igne purgata.* 36. 8. *seqq. ea eversa pecunia innocentum.* 5. 6. *quantum sit malum?* 49. 3. *in Christum à Iudæis iniquissimè iacta.* 49. 6. *retorta.* 48. 3. *quæ pœna vindicata?* 50. 4. *&* 54. 5. *Calumniator quàm miserè mortuus?* 33. 4. *sibi & alijs perniciosus.* 49. 1. *seq. perdit fidem. ib. miraculosè punitur.* 49. 7. *item* 49. 12. *&* 50. 2. *bis suspenditur.* 52. 3. *pœnam ignis, alius leonum, quam alteri præparauerat, ipse patitur.* 52. 4 *seqq.*
Cambyses, ob somnium, fratrem occidens. 5. 15.
Campus Martius vnde dictus? 6. 4.
Candela nigra diabolo oblata. 63. 5.
Canis in vorando auiditas. 54. 4.
Canonici cuiusdam politica praxis. 29. 2.
Canonizatio Sanctorum quid sit? & cur instituta? 37. 10.
Cantharides sui veneni remedium. 42. 7.
Canutus Dania rex iubet sibi mare obtemperare, sanitatem suam agnoscit, coronam Cruci imponit. 30. 7.
Captus quomodo à Samijs notatus? 30. 2.
Liberandorum Ordo. 43. 7. *numerus, Solyma obsessa.* 53. 13.
Caput decollatæ loquitur. 34. 6. *mulierum, cur in templo velandum?* 27. 6. *inclinat Christi imago Ioanni Gualberto* 43. 4. *Ioan. Baptistæ.* 51. 6. *crescit cum alijs membris, vt semper emineat.* 43. 7. *quid significet, cùm in id malum aliquod reuerti dicitur?* 45. 9. *capite pensatur.* 51. 6.
Carcer iustus & iniustus in exemplis. 38. 2. *seqq. emendat dubitantem, an Deus sit.* 38. 11. *Christi. & Iudæorum.* 52. 6.
Carnifex cur 12. ictus reo intulerit? 54. 7.
Caroli M. cum Hiltgarde casus. 49. 9. *Quinti frustranea imperitio.* 62. 6.
Casus alienus docet sapere. 17. 11. *suppositum infantem manifestat.* 37. 4. *Ephræm & alios in carcerem trahit.* 38. 1. *& seqq. memorabilis ebrij rustici.* 42. 2.
Castimonia honore firmatur. 24. 7. *mira sacerdotis Gerhungi.* 36. 9. *igne probata. ib. Simplicis cum coniuge.* 36. 8. *eius testimonium ignis.* 54. 5.
S. Catharina Senensis erga pauperes liberalitas, quàm Christo grata? 43. 6. *pauperis*

paupertas honorata. 15. 1. *filiæ S. Birgittæ paupertas*. 15. 14.
Cato cur comitijs abstinuerit? 47. 6.
Cella à sagis occupata. 64. 2.
Centuplũ recipit pauper succurrens. 10. 8.
Cereuisiæ alba potatores quàm insani? 63. 9.
Cerimonias non esse contemnendas. 60. 9. *Sacras non per socum imitandas*. 63. 9.
Certandi duo genera 56. 4.
Cerinthum quàm vitarit S. Ioannes Apostolus? 60. 3.
Chagani regis strages. 5. 17.
Chaldæorum impuritas gladio punita. 61. 6.
Charitas proximi. 37. 4. *quid efficiat?* 43. 2. *remunerata contra furem*. 44. 7. *quomodo malum non cogitet?* 46. 3.
Chilon diuitiarum contemptor. 4. 7.
Choreæ complures punitæ. 51. 6. *nocturnæ sagarum* 64. 2.
Christiani olim cur se initio operiũ cruce signarint? 21. 1. *cur se fratres appellarint?* 27. 13. *ijs an licita bella?* 6. 8. *eorum erga terram sanctam pietas*. 62. 1. *impietas*. 62. 2. *culpa, ob quam inde expulsi. ibid. tempore cladis Hierosolymitanæ vbi fuerint?* 53. 3. *qui pœnam mereantur Iudæorum?* 53. 16. *eorum blasphemiæ sunt maiores, quàm Ethnicorum, cur?* 64. 6.
Christophorus Longolius cur tantopere honoratus à regibus, populis, vrbibus? 26. 6.
Christus Dominus ob paupertatem à Iudæis spretus 1. 3. *quàm voluntariè pauper?* 14. 4. *non erubescit pauperes fratres vocare*. 15. 2. *humanum genus morte sua redimens, à Cedro in imagine expressus*. 17. 9. *quo cultu honorandus?* 18. 2 *quid dixerit de ijs, qui honorem sibi tamquam finem præfigunt?* 19. 7. *exemplo suo docuit honorum fugam*. 39. 4. *à se humilitatem disci volens, an humilitatem simularit?* 40. 2. *an habere potuerit iudicium vilitatis suæ? ib. fuit summè humilis, cur?* 40. 4. *eius varia causa*. 40. 5. *seqq. passim vt peccator, & latro* 40. 8. *quantum ea re dederit peccatoribus exemplum? ib. cur peccare non potuerit? ib. cur se filium hominis vocarit? ib. an legem talionis abrogarit?* 42. 6. *cur alteram maxillam percutienti ipse non præbuerit?* 42. 5. *sibi factum censet, quod fit pauperibus*. 43. 6. *S. Catharina liberalitatem erga pauperes quomodo approbarit?* 43. 6. *retorsit dicta in dæmonem & alios*. 47. 5. *aures clausit immisericordi*. 52. 14. *venditus vili pretio, vt se vindicaret* 53. 7 *bella approbauit*. 56. 9. *eius tempore qualis pax ex prædictione*. 56. 6.
Chœrilus poëta cur semper fuerit cum Lysandro? 20. 1.
Chrysargyrum quod genus vectigalis? 5. 6.
S. Chrysostomus cur & quomodo Episcopatum petierit? 22. 2. *ob quid S. Paulum maximè beatum iudicarit?* 39. 5.
Cibi qualibus vsus Ioannes Baptista? 14. 3. *Apostoli*. 14. 6.
Cicadas quales ederit S. Ioannes Baptista? 14. 3.
Cicero ob ambitionem carpendus. 20. 1. *eius villa cur exusta?* 6. 4.
Ciconiam occidere apud Thessalos, cur capitale? 24. 1.
Cilicia Venereorum iuuenum. 63 13.
Cingarorum mores & artes 61. 10.
Circino cur similis peccator? 44. 2.
Citharœdo quàm ingratus Dionysius? 43. 5.
Clades bellorum. 55. 3.
Clamor pauperum ad cœlũ. 6. 6. & 13. 5.

S. Claræ paupertas. 15. 10. & 15. 13.
Claráne sit sacra scriptura? 51. 4.
Classes paupertatis tres. 2. 3. seqq. & 17. 1.
Claudus miles cur melior? 47. 2.
Clementiæ superiorum erga subditos illustre exemplum. 23. 5. aliud stupendum. 34. 6.
Cleobis erga matrem obseruantia. 17. 10.
Clerici immisericordes puniti. 52. 10.
Clodouæus primus Francorum regum ad Christum conuersus, & à B. Remigio baptizatus. 28. 7. eius humilitas. ib.
Codri Grammatici impatientia in paupertate. 1. 8. regis paupertas, & mors voluntaria. 17. 9.
Cogitatio, qua in aduersis suscipienda. 38. 8.
Cognitio sui, optimum contra temeraria iudicia remedium. 34. 12. qua humilem efficiat? 40. 3. & 40. 16.
Colloquia prauа, vt cancer, depranant. 60. 3.
Coluber mordens quid significet? 45. 6.
Comera belli nuntius. 55. 2.
Comitis castitas, & iniqua mors. 54. 5.
Compensatio liberalitatis. 43. 7. malè variis modis in S. Scriptura expressa. 45. 9.
Compotatorum lenitas intoleranda. 63. 8.
Concio stupenda cuidam à damone suggesta. 28. 4.
Concordia vinculum, vel dissolutio quid? 11. 8.
Confessariis quanta cautela opus, cùm audiunt feminas? 36. 9.
Confessio prapostera veneficorum. 63. 15. dilata nocet. 63. 3. eius faciendæ motiua. 63. 16.
Confusio est pœna. 30. 6. est medicina. 30. 7. eius rei memorabile exemplum. ib.
Coniuges pauperes mirabiliter ditati. 13. 6. honorandi 26. 1. quo modo, & quibus officijs? ib. duo mirè laudabiles. 37. 2. dissidium eorum ab anu. 61. 9.
Conscientia stimulantis vis. 37. 2. & 63. 16.
Consilia Euangelica ab Apostolis tradita. 14. 6. à magis petentes quantùm peccent? 64. 1. Politica malè cedunt. 61. 13. quid sit consilium? 48. 1. consultori pessimum. ib. malum quibus perniciosum? 48. 4. à magis non petendũ. 52. 9. consiliarius bonus præstat bono imperatore. 48. 7. quid debeat deponere? ib. & 54. 4.
Consolatio illorum, qui bona amiserunt. 12. 1. seqq. & 12. 12.
Conspirationes aulicæ. 54. 3.
Constantinopolis, quando, & cur à Turcis capta? 62. 10.
Constantinus in quo signo vicerit. 56. 10.
Contemptus contemptu plectitur. 27. 13.
Contentionis mater superbia. 19. 9.
Conturbationes ob auaritiam ortæ. 1. 7.
Conuersatio cum malis malos facit. 60. 3.
Conuersio ex timore Iustitiæ diuinæ. 59. 4.
Conuitiatores in ranas vers. 47. 4. conuitium conuitio dignum. 47. 1.
Conuiuia aliena supellectili celebrata. 3. 5. pauperes fecêre Aetolos. 5. 8. ijs Macedones adhibuerunt aprorum venatores. 24. 5.
Copia inops, & inopia copiosa. 3. 5.
Corona Crucis à quo rege imposita. 30. 7. cur sacerdotibus in capite? 27. 6. quàm is antiquus ritus? ib. miles ne gestaret, martyr fieri voluit. 60. 9.
Corpore luendum, si corpore peccatum. 54. 1.
Correptio sapientibus chara, stultis ingrata. 35. 3. seq. patienter ferenda. 35. 6. cur? ib.
Coruis dant Graci inuisos. 35. 2.
Cos iuuenum, hostes. 57. 9.

Cosmas

Cosma Medici in pauperes liberalitas. 43. 7.
Cosroas rex superbissimus. 30. 5. *potens vult & Deum colit, ridiculam constituit Trinitatem. ib.*
Crassus dives decoctor dictus. 4. 11.
Crates Thebanus opes abjicit. 16. 8.
Criminum gradus & augmentum. 63. 5.
Crines puellarū in abusum gestati. 63. 13.
Crispi innocentis calumniatrix punita 49. 8.
Cræsi felicitas & fortuna. 17. 10. *infelicitas.* 17. 11.
Crudelitas belli. 56. 2.
Crux cur formetur? 36. 4. *facit infantem loqui. ib. coronatur à rege.* 30. 7. *argentea à S. Catharina pauperi data, Christo data.* 43. 6. *Constantinum bellantem animat.* 16. 10. *Cruces & tribulationes in mundo semper fuisse.* 61. 1. *esse viae ad cælum.* 57. 4. *crucifigentes Iudæi crucifixi sunt.* 53. 10. *crucifixi imago caput inclinat Ioanni Gualberto.* 43. 4.
Culter lædere volentem lædit. 52. 1.
Cultus Christi. 18. 2. *B. Virginis, & aliorum sanctorum.* 37. 6.
Cupiditas frænata quàm dives est? 3. 5. *infrænata quàm crudelis?* 4. 1. *quàm cæca?* 4. 2. *humanæ laudis quàm vana?* 19. 8. *quàm stulta Themistocli? ib. quando bona?* 19. 9. *arguit non fortem, neq; virtuosum.* 19. 8. *cui similes faciat? ib.*
Cura Dei erga mundum, & pauperes. 13. 1. *seqq. matris erga infantem.* 13. 9. *minimorum.* 39. 8.
Curiositas fœminarum perniciosa. 63. 3. *& seqq.*
Currus illo in exilium vehitur, quo alium vehere voluit calumniator. 52. 13.
Curtij audax facinus ob humanam laudem. 20. 4.
Custodes hortorum serpentes. 45. 6. *seqq.*
Cyrus mendacijs ofor. 49. 2. *eius, alieno casu sapientis, dictum.* 17. 1.

DÆmon mirabilem concionem suggerens. 28. 4. *peccatorem vt capistro sumentem ducens.* 32. 3. *multis catenis vinctum tenens.* 32. 6.
Dagobertus S. Amandum admonitorem regno ejicit. 35. 3. *sed postea recipit. ib.*
Danielis prophetæ honor invidiam parit. 18. 3. *malum machinantes malum passi.* 51. 3.
Dare parum, vel multum cur possit, vel non possit? 47. 6. *Date, & Dabitur, duo fratres.* 43. 5.
David reg. pupert. 1. 3. *gigantem suo gladio occidit.* 51. 4. *adulterijs punsturi* 51. 5. *eius peccatum.* 61. 3.
Debbora quàm insignis fœmina? 60. 8.
Debita pauperum mirabilis Dei ope dissoluta. 13. 6.
Deceptores decepti. 48. 1. *seqq.*
Decoctor dictus Crassus Dives. 4. 11.
Delicia qua ex paupertate? 4. 8.
Demadis prodigalitas. 7. 2.
Democratis paupertas. 2. 8. *de pauperibus iudicium.* 16. 3.
Depauperati virijs principes. 5. 8. *avari in pœnam.* 6. 3. *quam consolationem habeant?* 12. 1. *seq. & 12. 5.*
Desiderium Episcopatus quando bonum, vel malum? 22. 2. *seq.*
Desperatum laqueo decipit diabolus. 8. 5. *conturbat valde ob librum, Ant. Vrceum.* 1. 8.
Deus sua meritò exigit. 6. 9. *compensat ea quæ fiunt pauperi.* 10. 7. *pauperibus & pauperum patronis succurrit.* 13. 5. *est liberalis erga pauperes.* 13. 8. *habet maiorem eorum solicitudinem, quàm mater erga filium.* 13. 9. *assimilat pauperem in multis rebus.* 14. 9. *Deos iratos*

ſtratos hoſtibus relinquendos. 5. 1. *Lucrinos eſſe nullos.* 5. 17. *Deum cur bonis, quos ſæpe honorat, ſæpe etiam honorem neget?* 23. 3. *ſupra omnes honorandus.* 27. 14. *habet omnes honoris cauſſas. ib.* & 29. 3. *obedientiam ſibi potiùs, quàm parentibus vult præſtari. ib. vocans, magis eſt audiendus, quàm pater revocans.* 29. 4. *agnitus ob carcerem.* 38. 11. *innocentum defenſor.* 34. 1. & 35. 5. *item* 36. 6. *ſeq. mirabilis in Sanctis.* 37. 2. *ſeq. dignus, cui fortiter geſta aſcribantur.* 24. 6. *de liberalitate certat cum Ioan. Eleemoſynario.* 43. 7. *quomodo ſit cauſſa belli?* 55. 6. *ſeq. impedit diabolum, ne plura bella ſuſcitet.* 56. 1. *adiuuat bellantes.* 56. 9. *cur peccata permittat?* 58. 1. *ſeqq. luxuriosis iratus.* 61. 7. *ſeqq. item iis, qui magos conſulunt.* 61. 12. *eius bonitas hominem creantis, à quo erat offendendus.* 58. 2. *ei qua pax exoſa ſit?* 66. 5.

Diabolus eſt magiſter ambitioſorum. 21. 3. *tentator agrotorum.* 33. 2. *præſtigiator in arce & nebula excitanda* 29. 7. *à Deo ſæpius illuſus.* 47. 5. *cauſſa belli.* 55. 5. *ſeqq.* & 56. 1. *à Deo impeditus.* 56. 1. *matrimonio inſidians.* 61. 9.

Dictum Themiſtoclis, cùm honoraretur 19. 8. *Noſce te ipſum cuius ſit?* 40. 10. *è ſacris litteris ſumptum. ib*

Dydimus ſerpentes tractat. 45 7.

Diem perdit, qui nihil boni agit. 43. 7.

Dilapidatores bonorum. 5. 8.

Dilectio proximi, proximi iniurias ſentit. 42. 7. *quam habeat regulam?* 43. 1.

Diluuium peccantium quale? 63. 14.

Dimittere alicui peccata, quid mereatur? 43. 4. *ſeq.*

Dina curioſitas quàm periculoſa. 63. 3.

Dioclesianus cur ſe imperio abdicarit? 39. 2. *eidem ſuaſit ſocio. ib. ait, nihil eſſe difficilius, quam bene imperare. ib. rei ruſtica indulget, ad nuptias Conſtantiæ uentre recuſat, quo modo mortuus? ib. qui uoluit, ut Deus adorari.* 30. 4.

Diogenes quàm pauper? 2. 8. *ob id Alexandro in admiratione.* 4. 9. *olera obſonanti, quid obiecerit?* 47. 2. *Cynicum uanaglorix cupidos non uiros, ſed mancipia eſſe aiebat.* 20. 5.

Diomedis equi quomodo compenſati? 44. 5

Dionyſius è tyranno ludimoderator. 4. 11. *ei lictoris filia in coniugem oblata ſerbis excindendæ cauſſa.* 28. 2. *ingratitudo.* 43. 5.

Diuites fabulosè quomodo apud inferos derideantur? 4. 3. *prodigi.* 5. 8. *pauperibus miſeriores.* 5. 11. *quomodo, etſi rei, apud homines plerumque euadant, non autem apud Deum?* 6. 5. *difficilè ſaluantur.* 8 1. & 8. 4. *cur tantùm, & non etiam pauperes, captiui abducti à Nabuzardan?* 8. 5. *immiſericordes damnantur.* 8. 9. *item uoluptarij.* 8. 10. *aliter moriuntur, quàm pauperes.* 8. 13. *morte peſſima.* 9. 2 *ſunt Deo ualde diſſimiles* 14. 9. *falsò & per ſomnium felices.* 16 4 *quid à Paulo, quid à Solone audierint?* 17. 10. *quàm uoluerint pauperibus ſuccurrant?* 17. 12.

Diuitiæ à Deo 1. 1, & *beneficium Dei. ib. amicos faciunt. & potentes, & honoratos. ib. Anaxagoræ uirtutibus inimicæ.* 2. 8 *quantæ putentur habere commoditates?* 3. 1. *quantæ incommoditates?* 3. 5. *quanto labore acquirantur?* 4. 3. *fugiunt bonos.* 4. 7. *regunt curas interiores.* 4. 7. *miseram habent felicitatem.* 4. 9. *amittenda omnes* 4. 10. *indifferentes ſunt.* 5. 1. *unde non culpandæ? ib. ſunt cauſſa uitiorum.* 5. 4. *perdiderunt regem Alaricum* 5. 5 *Gundiſa*

Vindicta caussâ non appetenda. 5. 10.
à poëtis magni fiunt. 1. 2. quanti à prophetis & philosophis? 1. 3. scelere partæ. 4. 4. aut malis artibus. 4. 5. quanta cura retineantur? 4. 6. quanto luctu amittantur? 4. 10. seq. sunt caussa multorum periculorum 5. 2. & criminum. 5. 4. meritò amittuntur, 6. 3. 6. 3. dantur & auferuntur aquè bonis ac malis. 6. 11. à superbis exiguntur & tolluntur. 7. 1. magna execratione digna. 7. 6. sunt laques diabolo 7. 8. sunt spinæ. 7. 7. sunt beneficium Dei, sed ob humanã cæcitatem fiunt exitij caussa. 8. 6. sunt occasio damnationis, quia faciunt immisericordes. 8. 7. habent periculosum pondus. 8. 14. cur fugiendæ? 11. 5.
Docti quomodo honorandi? 26. 5. seq. quomodo tamen se humiliare possint? 40. 11. Doctorẽ inter & stultum quod discrimen? 47. 2.
Dolus mater superbiæ. 19. 9.
Dominica dies cur pro sabbato inducta? 60. 9. oratio à Magis inuersa. 63 15.
S. Dominici oratio quàm efficax? 11. 10.
Domini à quo, & cur pauperes vocati? 12. 7. cur & quomodo honorandi à seruis? 26. 7. Domini gladium & prælium quid sit? 55. 7.
Domitiani imperatoris in iuuentute mala paupertas. 1. 4. eius iudicio misera imperantium conditio. 23. 6. & 28. 3. malus imperator habuit bonos amicos. 48. 7. ex talione moritur. 51. 2.
Domus obruens diuitem felicem. 4. 9. destructa, vel mutata in pœnam. 6. 4.
Dona superis data, etiam apud Ethnicos, pro vitiis habita. 17. 12.
Dormiunt somnum suum diuites. 5. 8.
Dorsum, ascensure in equum, quis præbuerit? 51. 2.
Draco mansuefactus. 45. 7.
Drahomira filium in fratrẽ incitat. 5. 15
Dubitans, an Deus sit, carcere emendatus. 38. 11.
Duces belli in quo peccent? 6. 7. boni & mali in bello. 60. 6.
Dulix cultus Sanctis an debitus 18. 2.
Duodecim homicidiorum reus duodecies punitus. 54. 7.

Ebrietatis damna. 45. 5. ebrij mirabilis & lepidus casus. 42. 2. eorum artes & mores. 63. 10.
Ecclesia nauicula agitata ventis similis. 65. 2. & 66. 10. ei nocere cupientes sibi ipsis noxij 62. 6. seqq. veræ quæ signa? 60. 7. eius bona inuadens anarchia paupertate punita, 6. 8. quinam ea inuadant? 6. 9.
Echo conuiuiantis imago. 47. 1.
Educatio filiorum mala ob paupertatem. 1. 4.
Electio Episcopalis diabolicè politica. 29. 2.
Electoratus cur, & ad quem in Saxonia translatus? 62. 6.
Eleemosyna est ars omnium quæstuosissima. 10. 8. à Roberto rege ipso distributa, ib. è libris. 11. 7. quantùm curata à Ioanne Eleemosynario? 12. 7. quantùm ab aliis curanda? 12. 11. quantam vim habeat? 17. 12. eius fructus. 43. 5.
Eleemosynarius morte pretiosa obit. 9. 7. magnus est rex Stephanus. 13. 10. & Guntherus ac alij. ib.
Elsa paupertas. 14. 2. Zona qualis? 14. 3. Zelus. 51. 7.
S. Elisabethæ amor paupertatis. 15. 9. & 15. 12.
Elisæus vidua succurrit. 13 5. quàm ipse pauper? 14. 2.
Eloquentia quibus magnum nomen pepererit? 26. 9.

S. Emmerano hauſtu negatus ſitis puniſ-
tus. 52. 10.
Epanetus quid de mendacibus ſenſerit? 54. 4.
Epaminondas vili officio honorem fecit. 27. 4. quomodo vanam gloriam coërcuerit? 40. 13. quid bellum diſſuadenti dixerit? 57. 11.
Ephebus pius à calumnia liberatus. 52. 5.
Ephori nolunt extingui hoſtilem urbem. cur? 57. 9.
S. Ephram quis? qualis? in carcerem mirabili Dei prouidentia coniectus & liberatus, edito voto religionis. 38. 1. & ſeqq.
Epictetus de paupertate opinio. 2. 8.
Epicurus quid de paupertate ſenſerit? 3. 5.
Epiſcopatus cur licitè peti poſſit? 22. 2. quot in eo ſpectanda? ib. eſt nomen operis, non honoris 22. 3. ſtatus perfectionis. ib. onus etiam angelis formidandum. 22. 5. exemplo S. Chryſogoni appetendus. 22. 2. eo ſponte cedit S. Gregorius Naz. 41. 5.
Epiſcoporum Sanctorum cura erga pauperes. 13. 11.
Epulo dives cur damnatus? 8. 9. ſeq.
Equus, non phaleræ eius, conſiderandus. 12. 4. animal ſuperbiſſimum Platonis ſimile. 39. 3. Ludouico XI. regi Gallorũ mutatus aſino. 40. 6. AEneus in tormentum. 44. 4. Diomedis. 44. 5. conſcenſus per dorſum imperatoris. 51. 2. equis effrenibus ſimilem eſſe belli impetum. 55. 4.
Eradicatis cur funditus Iudæi? 53. 14.
Eſſenorum vita & paupertas. 14. 8.
S. Ethelboldus, quàm liberalis erga pauperes? 13. 11.
Ethnici honorem generosè deponunt, vel contemnunt. 39. 2. mirè appetierunt eumdem, quia maiorem in cælo non ſperauerunt. 29. 12. eorum laudata paupertas. 16. 1. ſeqq.
Euagrij eleemoſyna quomodo compenſata? 10. 8.
Euangelium propter Euangelium vendi-
tum. 11 7.
Euchariſtia inhonora vindicata. 51. 6.
Euripides mirè honoratus ab Athenienſibus. 24. 2.
Euſtochium quàm amârit paupertatem! 11. 4.
Euthymius curru alij parato exit in exilium. 52. 13.
Eutropius legem malam contra ſe ſtatuit. 48. 5.
Excepti Iudæi, ſicut ipſi Chriſtum exceperunt. 30. 2.
Excludentes Chriſtum à Chriſto excluduntur. 51. 3.
Execratio diuitiarum. 7. 8.
Exempla punitorum ob auaritiam. 6. 6. de militiæ auaritia. 6. 7. diuinæ erga pauperes curæ. 13. 3.
Exhæredatus cur Themiſtocles? 6. 4.
Extra ciuitatem Chriſtus paſſus, quomodo ad vindicârit? 53. 13.
Exulum miſerorum deſcriptio. 55. 1. ſeqq.
Ezechias rex, audita morte ſua fleuit. 9. 4.

FAbella diuitiis inquietis, & pauperis quieti. 17. 5. pauperis Saturno ſupplicantis. 3. 1. Saturni reſpondentis 3. 2. de auri noxia cupiditate, & Gobalo auc. 6. 1. de Cynifco & Micyllo ſutore. 9. 3. de duabus filiabus, formoſa vna, deformi altera. 14. 3. de falſa diuitum felicitate. 16. 4. Vulpis & anguis pacem inter ſe ſimulantium. 66. 5. item Vulpis & galli. 66. 6. lupi & vulpis calumniantium. 48. 3. an ſit Hiltegardis caſus? 49. 10. ſæpe prodeſt & adhibetur, ib. Grilster. 50. 1.

Faber

Faber suas compedes gerit. 51. 1.
Fabium filo Gnostrangulatum. 39. 3.
Fabricij paupertas. 16. 2.
Fadus cum Turcis & hæreticis malè cessit 62. 7.
Fama quid sit? 18. 1. *bona non negligenda.* 20. 2. *eam qui curent, qui negligant? ibid. quando iniustè negligatur? aut quando negligenda sit?* 39. 6.
Fames ex paupertate. 1. 5. *Iudæorum Ierosolymis.* 53 10. *seq.*
Fauores inconsideratis principum quàm noxij? 54. 4.
Fausta, calumniatrix Crispi quomodo punita? 49. 8.
Fel Christo datum quomodo compensatum? 53. 11.
Felicitas infelix hospitis. 4. 9. *misera in possessione diuitiarum. ib. quàm fraudulenta?* 8. 6. *quàm falsa?* 16. 4. *Pauperum quàm vera? Cræsi.* 17 10.
Felis formâ saga marito alieno insidians 64. 2.
Femina, ob pauperum curam, laudata in Veteri testamento. 13. 12. *& in nouo.* 13. 13. *item ob paupertatem amatam.* 15. 12. *furiosa lepida refutatio.* 47. 3. *Unius garrulitas.* 55. 1. *malitia.* 61. *& seqq.*
Ferdinandus Castellæ rex fratricida. 5. 15.
Fertilitas mira agrorum. 13. 8.
Feugo, ob regnum, fratricida. 5. 15.
Fides negatur, propter opes. 5. 16. *malorum aulicorum.* 54. 4. *eius calumnia igne purgata.* 36. 8.
Fiducia in Deum quàm potens? 13. 11.
Figulus Agathocles quid responderit militi. 47. 2.
Filia matrem in carcere Vberibus alit. 25. 2. *alia patrem ib.*
Filium quomodo debeat honorare patrem? 25. 2. *exorat Vt à patre posito occidi.* 25. 2. *in parentem impium, vicissim à filio malè tractatum.* 51. 8. *à matre præ fame absumptus.* 53. 11. *eorum causa Phocion cur noluerit accipere munera?* 5. 8. *crudelitas in parentes.* 5. 14. *exitium & mors à parentibus.* 5. 15. *& 7.* 5. *probitas & Virtus felicitat parentes* 17. 10. *paupertas Vitalis in prodigo filio.* 6. 5.
Filo strangulatus Fabius. 39. 3.
Fimbria dilatatæ quid sint? 19. 2.
Finis belli pax. 56. 4. *non est in manu nostra sicut principium.* 55. 4. *& 56.* 3.
Flere Deum, qui mentiantur? 46. 1. *Iudæos quid coegerit?* 53. 15. *quid alios impellat?* 53. 1.
Fluuius auersus, vt ibi anarus sepeliretur. 5. 5.
Fores claudenti, clauduntur. 52. 14.
Formicarum agmen an insputentes Venenet? 47. 1.
Fortitudo militum laudata. 57. 8. *seq. eius eos honor.* 24. 5. *apud Varios honorata exempla. ibid. author Deus, cui etiam Ethnici fortiter gesta tribuerunt.* 24. 6.
Fortuna inconstantia. 17. 10.
Fouea fodienti noxia. 45. 1.
S. Franciscus summum honorum contemptor. 39 6. *contra vanam gloriam quomodo se gesserit? ibid. cur & quàm demisse de se senserit?* 40. 8. *eius paupertas ab Apostolis laudata.* 15. 8.
Fraternitas Mariæ de mercede qua. 43. 7.
Fratricida quantus Abimelech 60. 8.
Fratrum ex ambitione crudelitas in fratres. 5. 15. *nomine pauperes dignatur Christus* 15. 2.
Fraus in femina punita. 8. 11. *in Macario laudata.* 12. 6.
Fridericus II spectaculis depauperatus. 5. 8. *Veronâ cur studium transtulerit*

Patauium? 28. 2. *è duobus dignioremiudicat abbatia ob acum.* 39. 8. *quales voluerit habere consiliarios?* 48. 7.
Fuga tempore cladis Hierosolymitanæ. 53. 5. *claudis non prodest.* 47. 2.
Fulminatrix legio. 52. 1. *Vnde potens?* 56. 10.
Furcâ liberatus ingratus. 52. 3.
Fur, Dei iudicio, furatur sibi. 44. 7. *in horto deprehensus,* 45. 6. *innocentem furti accusans hu suspenditur.* 57. 3. *mirabiliter punitus.* 13. 6.
Furiarum in bello negotium. 55. 5.
Futura contingentia soli Deo nota. 32. 1. *sanctis subinde reuelantur.* 32. 2.

Alea belli & pacis symbolum. 66. 2.
Gallia ab hæreticis quantam sit cladem passa? 62. 7.
Gallicanus spontaneus pauper. 15. 4.
Gallienus Imperator nihil vnquam cuiquam petenti denegans 19. 7.
Gallus & gallina cocti reuiuiscunt. 37. 6. *in Ecclesia aluntur, septennio viuunt, numquam deficiunt. ib.*
Garrulitas femina. 55. 1.
Gedeonis ducis quanta virtutes? 60. 6. *filius Abimelech, qui* 70. *fratres interemit.* 6. 8.
Gentium consuetudine quoties seducti Israelitæ? 60. 2. *seqq.*
Germaniæ bello vastata. 55. 2.
S. Germanus quanta fiducia in Deum fuerit? 13. 11.
Gerungus Sacerdos mirè castus qua arte conuerterit meretricem? 36. 9.
Glacie punita impia saltatrix. 51. 6.
Gladio suo qui perierint? 51. 1. *seq. an qui gladium accipit, gladio pereat?* 51. 2. *seq. stringens pernitiosius.* 52. 2. *suo periit Marius.* 58. 1. *Domini cur sit bellum?* 55. 7.
Gloria quid sit? Vnde habeatur? 18. 1. *an & qua possit quæri?* 20. 5. *Dei in omnibus rebus quærenda.* 21. 1. *modus id faciendi & exempla. ib. diuina quid sit?* 21. 2. *cur, & quibus titulis à nobis expetatur? ib. quomodo à nobis expetenda?* 21. 3. *duplex est.* 23. 1. *cælestis quanti facienda? ib. qua fuerit & quanta primi hominis?* 23. 2. *temporalis sæpe negatur iustis.* 23. 3. *humana sæpe datur ijs, quos alia in cælo merces non manet.* 29. 12. *Ethnicis in summis votis. ib. à Diogene Cynico irrisa.* 20. 5. *ab Epaminonda spreta.* 40. 13. *ab alijs præsertim Christo & Christianis contempta in exemplis ostenditur.* 23. 6. *humana luna, cælestis soli similis.* 41. 1. *æterna quantum excedat?* 43. 1.
S. Goarus per preces morbum impetrat, vt episcopatum euadat. 22. 5.
Goballus miranda auis in Iudæa. 6. 1.
Goliath suo gladio periit. 51. 4.
Gorgias statuam auream meritus ob quid? 26. 8.
Græcorum heroum decem paupertas. 16. 9. *Græci ad coruos mittunt, quibus malè volunt.* 35. 2. *tamdiu ibi floruerunt, quamdiu ibi religio.* 62. 10.
Grando Ægyptijs cur immissa? 6. 5.
Gratitudo. 26. 3. *seqq.*
Grazaga quid sit? 2. 6.
S. Gregorius Nazianz. episcopatu, pacis causa, sponte cedit. 41. 5. *qua fuerit modestia, humilitate, patientia, charitate? ib. quomodo populum vindictæ cupidum sedârit? ib.*
Gula opum inimica. 7. 3.
Guntherus quanti? eleemosynarius. 13. 10.

Aeredipeta deceptus. 51. 1.
Hæreditates iniustæ grauiter punitæ. 8. 12. *quomodo diuisæ, suadente eremita?* 13. 13.

Hæresis

Hæresis in quas miserias conjecerit imperatores? 62. 4. *& regna.* 62. 7. *seqq. eius assecla ab Apostolis & Sanctis Virtutes.* 60. 3. *seq. an armis compescendi?* 57. 9. *eorum insania de Lucifero & Pharaone.* 46. 1. *blasphemia in B. V. punita.* 54. 7.
Hannibal suis artibus petitus. 51. 1.
Haruspices malè consulentes, malè perierunt. 48. 1. *seq.*
Haustum negatus siti punitus. 52. 10.
S. Helena terra sanctæ cultrix. 62. 1.
Heli Sacerdotis peccatum & pœna. 60. 11.
Heluetij cur Siccerint Carolum ducem? 62. 6.
Henrico Imp. Benno Dux infeliciter adversus. 62. 6. *Teutonico mirabiles præstigia dæmonis ostensæ.* 29. 7.
Heraclides draconem mansuefactum alit. 45. 7.
Heraclij deprauatio & mors. 62. 4.
Herculet cur Diomedem equis obiecerit? 44. 5.
Hermenefredum fratricida, ob regnum. 5. 15.
Hermodio conuitium retortum. 47. 2.
Herodes sespsum petijt, cùm Christum peteret. 45. 1.
Hesiods inhumana sententia corrigitur. 43. 5.
Hesperidum hortus quo modo custoditus? 45. 6.
Hiems S. Catharinæ cur non molesta? 43. 6. *cur patienter possit tolerari?* 47. 6.
S. Hieronymus terra sanctæ cultor. 62. 1.
Hilarion honoris contemptor eximius. 39. 6.
Hiltegardis qua? quàm sancta? quanta passa? quo modo defensa? 49. 9. *quo modo eius calumniator punitus? ib.*
Hircus Stygius quàm detestandus? 63. 4.
Hispania miserè fœdata à rege suo. 62. 5.
Historici quantis honoribus affecti? 24. 3.
Holofernes suo pugione iugulatus. 51. 5.
Homagium diabolo tragicè præstitum. 63. 4.
Homo quàm friuola originis? 30. 31. *non habet à se ipso, quo excellat.* 20. 1. *quid in se, quid in alijs maximè debeat inuers?* 40. 14. *idq; exemplo S. Pauli & S. Antonij.* 40. 15. *quid sit?* 40. 16. *alijs oculis videt, quàm Deus.* 32. 3. *cur ab alijs honorari cupiat, ipse verò alios honorare negligat?* 20. 3. *hominibus velle placere, quando licitè possit?* 19. 9. *quibus de causis se humiliare possit, ac debeat?* 40. 9. *eius exemplo Deus ad auaritiam plectendam inuitatur.* 6. 4. *sed non more hominum dissimulat.* 6. 5. *multiplicatio, causa merentium.* 57. 7.
Homulus maluit Vnum malum Imperatorem, qui haberet bonos consultores. 48. 7.
Honesta opera non esse ad Vanam gloriam referenda. 19. 7.
Honor qualis à diuitijs? 11. 5. *maximum bonum.* 18. 1. *è Variis rebus, quibus homines excellunt, oritur etiam ex paupertate, quas species habeat? quid ei addat gloriæ? ib. quantum bonum?* 18. 2. *stimulus Virtutum, Templum habet, ad quod per Virtutem venitur. Deo summus debetur. Quis B. Virgini? quis reliquis Sanctis? ib. est bonum iucundum.* 18. 3. *aquè malis ac bonis contingit, parit inuidiam. ib. est maximum quid inter res humanas.* 19. 5. *Virtutis præmium & testimonium. ibid. potest quatuor modis appeti* 19. 7 *Virtuti ex iustitia debetur. ib. tamen non Vt finis actionum nostrarum habendus. ib. non est sufficiens Virtutis præmium* 19. 10. *non aliter, quàm ad Dei laudem appeten-*

endum. ib. quando secundùm regulam rationis appetatur? 20. 1. quid sit? ib. à quo ad solum Deum referatur? ibid. cur non semper negligendus? 20. 2. qua ratione sit virtutis præmium? 20. 3. cur non sufficiens virtutis præmium? ib. cur Deo debeatur? 21. 1. iure, & sine vitio etiam à nobis posset peti. 21. 2. à Deo exigitur propter nostrum bonum. ib. etiam ob proprium bonum potest peti quandoque. 22. 2. est duplex. 23. 1. æternum numquam perditur. ib. est longè maior, quàm humanum. ib. temporalia quoque homini à Deo data. 23. 2. hunc perdidit homo ex se, non ex Deo ibid. Christi exemplo domandum, itemq; aliorum more. 23. 6. multa vitia refrenat. 23. 7. à Deo non frustra datus eius appetitus. 23. 4. aliquando vanus in sanctum conuertitur. 23. 5. sæpe est causa, vt magni labores suscipiantur. 23. 8. est causa reconciliationis. 23. 9. & discendarum, inueniendarum, amplificandarum artium. 24. 1. eos fortitudinis. 24. 5. eadem varie apud varios honorata. ib. pertæ, quis indignis tribuatur. 28. 1. non est iis dandum. 28. 2. cur etiam bonis sæpe non conferatur? 28. 3. est causa exitij. ib. summa sapientia fugitur. 39. 8. seqq. falsus, si contemnatur, ducit ad verũ. 39. 4. à S. Hilarione & Francisco nihili habitus. 39. 6. cur? 40. 8. ab ipsis Ethnicis generosè calcatus. 39. 2. quo affectu dignus ex simplicij sensu? 19. 7. quando iniustè negligatur? vel iustè negligi possit? 39. 6. Honorare alios iustum esse. 25. 1. varij modi honorandi. ib. qui honorandi? 25. 1. seqq. honoratorum status periculosus. 28. 3. & 4. eius luculenta exempla. ibid.

Horatij Cocliti statua pernitiosè mutata. 48. 1.

Hortensium rem quanti exercuerint? 39. 7.

Hortorum custos serpens: 45. 6.

Hortulanus serpentis imperat. 45. 6.

Horuendilus rex à fratre, ob regnum, occisus. 5. 15.

Hospitalitas erga pauperes quàm Deo grata, quàm lucrosa? 34. 2. & 34. 6. & 34. 14.

Hospitium infeliciter beati. 4. 9.

Hospitibus qui crudeles? 44. 3. seqq. ijdẽ puniti. 52. 11.

Hosti ignoscens Gualbertus quid meritus? 43. 4. hostibus à Deo immissum bellum. 56. 7. Vnus alterum excitat, Ephoris testibus. 57. 9.

Humiliatorum Ordo qualis? Vnde ortus? Vbi remissus? 40. 13.

Humilitas à paupertate orta. 11. 5. à Deo curata. 13. 2. S. Elisabetha. 15. 9. S. Catharina. 15. 11. Alexandri Regis Scotiæ filij. 15. 13. bellum auertit. quod superbia accitum 60. 5. an antiquis cognita & virtus? 19. 3 an sit eadem cum magnanimitate? ib. & 19. 4. an non sit, si quis bona Dei sibi data approbet? 21. 3. honorata. 28. 5. præmittitur ante exaltationem. 36. 1. seq. gloriosius exaltatur. 36. 1. seq. in mirabili exemplo. 39. 7. est causa exaltationis. 39. 8. est honor ipsius honoris. ib. ex qua cognitione nascatur? 40. 3. ex comparatione sui cum maioribus. 40. 11. ex cognitione sui. 40. 16.

Hunni Gothos, ob hæresim, eiciunt. 62. 5.

Hyperdulia cur B. Virgini debeatur? 18. 2.

Hypocrita in vestitu. 19. 2. quibus similes? 31. 1. qui deregantur? non possunt diu latere. ib. merito suo puniuntur. 31. 2. Vbi laudem quærunt, sæpe ignominiam referunt, simulant malitiosè pietatẽ. 31. 5. à Deo sæpe mirabiliter detegun-

tur

tur. 31. 6. *multi sunt vbiq;* 31. 8. *moriuntur miserè, & druersè à seruis Dei* 31. 7.
Hypocrisis qua paupertas? 17. 2.
Iabin Iudæorum dominator. 60. 5.
Iacobus Aragonum rex institutor Congreg: Martæ de Mercede 43. 7. *Iacobi Apostoli ope suspensus seruatur.* 37. 6.
Iahel ducem exercitus confecit. 60. 5.
Ianua clausa claudenti. 52. 14.
Iaponensis puer quantùm laudârit S. Xauerium paupertatis amantem? 12. 3.
Icarus, ob vsum vini inductum, occisus ab ebrijs. 44. 5.
Idololatria regnorum exitium, non salus. 61. 13. *seqq. per mulieres propagata.* 60. 3.
Idolothytis vescens cur non indicandus? 46. 2.
Iephte de meretrice natus. sed quàm fortis? 60. 9.
Ieremiæ Zelus, 51. 7.
Ieroboam malè sibi consulens. 61. 13.
Ierusalem quantùm vastata? 53. 14.
S. Ignatij Loyolæ Zelus animarum. 46. 5.
Ignis 3. *pueris accensus occidit occidentes.* 52. 4 *probat innocentes* 52. 5. *vindicat eum, à quo statua B. V. intentatus fuerat* 54. 7. *eo purgata calumnia fidei* 36. 8. *Gerhungum castum non læsit.* 36. 9.
Ignominia ex diuitijs & paupertate. 18. 1. *ne incurratur, multa vitantur mala sunt bona.* 23. 7.
Illudentes Christo Iudæi, quo modo illusi? 53. 8.
Imago Dei, cur in annulo gestanda? 4. 4. *earum euersor Iudam malè perit.* 48. 8. *auticarum exempla.* 54. 3. *seq.*
Imitatores Samsonis qui esse debeãt? 60. 10.
Immisericordes puniti. 38. 3. & 38. 7. *ac damnati.* 8. 7. *seqq.* & 13. 7. *vni non misericors etiam Christus fuit.* 52. 14.
Imperatores, ob hæresin, quomodo puniti? 62. 4. *mali bonis consiliarijs vsi.* 48. 7. *quo Zelo, scelere, virtute?* 54. 5. *imperare quàm sit difficile?* 23. 8.
Imperiũ cur à Græcis ad Germanos translatum? 62. 4. *quomodo possit mutari?* 62. 6.
Impiorum pax qualis? 66. 7. *militia periculosa.* 66. 9.
Impostura Ægyptiorum. 61. 10. *in alterius damnum excogitata, mirabili Dei prouidentia detecta.* 36. 10.
Imprecationes quid impetrent? 64. 4. *seq.*
Improbi cur tam multi ad dignitates perueniant? 22. 4.
Impunitas peccati mater. 42. 7. *quã noxia,* 56. 5. *quantum, & quibus noceat?* 63. 2. *eius quanta sint damna?* 59. 2.
Incarnatio Dei quantas virtutes secum vehat? 58. 1. *seqq.*
Incendium à lucerna ortum in quantam desperationem coniecerit impatientẽ? 1. 8. *simile illi esse bellum.* 55. 4.
Incipere bellum facilius quàm finire. 55. 4. & 56. 3.
Inconstantia fortunæ. 17. 11. *Iudæorum in religione.* 60 5. *seqq.*
Indifferentia paupertatis & opum quàm necessaria? 2. 7. *diuitiarum & paupertatis* 6. 11.
Indigentiam esse apud diuites, non apud pauperes. 14. 9.
Indigni cur ad honores promoueantur? 29. 6. *memorabile eius rei exemplum. cur id procuret dæmon?* 29. 7. *cur id permittat Deus?* 29. 8.
Indulgentia matrum quàm noxia? 5. 8.
Infamant infamatur. 44. 2.
Infamiæ cur quosdam occupet? 30. 1. *varia, qua reos notabat antiquitus.* 30. 2. *quibus gloriosa?* 37. 2. & 37. 4. *seq.*

Infanticidarum audacia. 61. 11.
Infantuli paucorum dierum cur locuti? 36. 4. *seq. innocentia testes. ib. eorum occisor Pharao in infantibus punitur.* 51. 3.
Infelicitas Crœsi. 17. 11.
Inferni mala docent cauere belli mala. 57. 6 *pœnæ è pœnis huius sæculi timendæ.* 59. 5.
Ingratitudo Mundi. 15. 1. *Dionysij in musicum.* 43. 5. *summa erga liberatorem.* 50. 2.
Inimicis benefaciendū exemplo Dei. 58. 2.
Iniurias iniurijs finit Deus compensari. 38. 6. *earum patientia heroica.* 41. 2. *pœna à Deo.* 41. 3. *quis est melior Iudex, quàm homo. ib. eas quare obliuisci debeamus?* 41. 4. *remissarum exempla.* 41. 5. *Iudæis diuina.* 41. 6. *cur sensus sit maior nostrarum, quàm alienarum?* 42. 7. *Deo illatas quomodo compenset iustitia?* 59. 3.
Innocentes finit Deus infamari, sed iterum suo tempore in honorem reponit, quod exemplis confirmatur. 34. 1. *defendit Deus.* 35. 5. *per ignem probat.* 36. 6 *seq. non semper innocentes esse.* 38. 2 *seqq. in Deo, non in alio* 51. 9. *ab igne immunes.* 24. 5. *ipsos quoq; pœnam agnoscere, cùm puniuntur.* 63. 1.
Instrumentis propriis quis ladantur? 52. 2.
Insultatio quàm acerba? 60. 11.
Intento bona & recta ad bellum exigitur. 57. 1.
Interiora bona externis præferenda. 12. 4.
Inuentores tormentorum sua arte puniti. 44. 3. *seqq.*
Inuidia sibi noxia auarū plectens. 7. 4. *es? peruersa natura* 20. 3. *inuidus bellum Meneclides dissuadet.* 57. 11.
Inutè pauperes. 2. 4. *quod solatium habere possint?* 12. 5.
Inuocatio Sanctorum insignis eorum honor. 27. 11. *quàm fructuosa? ib. malè impugnatur* 27. 12. *est ipsi Christo honorifica. ib.*
Ioab malus osculator. 66. 6.
S Ioannes Apostolus hæreticum fugat. 60. 3. *Victoriam promittit.* 56. 10. *Baptista paupertas.* 14. 3. *eius caput capite luit puella.* 51. 6. 15. *bella non damnauit.* 56. *Calybita pauper.* 15. 4. *Eleemosynarius cum Deo liberalitate quasi certat.* 43. 7. *nolens iudicare temerè.* 46. 8. *quantus amator paupertatis?* 15. 5. *eremita & latro cur damnati?* 38. 7. *Gualbertus inimico ignoscens.* 43. 4. *Conarsus, ob Indum, regis dat alapam.* 4. 11 *Patriarcha Alexandr. morte instante, lætatur.* 9. 7.
Iobi paupertas. 2. 3. & 2. 5. *fiducia in Deum.* 13. 14. *seq.*
Iocantes fratres usque ad necem exardescunt. 31. 8.
Ioram cur fratres occiderit? 5. 15.
Iosephi paupertas. 14. 5. *patriarcha monitio, ne litigent fratres.* 5. 9. *eum fratres carcere talionem passi.* 51. 3. *Iudæus cur Vespasiano tā fuerit Charus?* 24. 4.
Iouianus cur imperium detrectârit? 23. 6.
Iphicrati consulis non gratus factus. 47. 2.
Ira diuitibus damnosa. 7. 3.
Isaacius Angelus Imp. quàm crudeliter à fratre occisus? 5. 15.
Isaac in agris benedictio mira. 13. 8.
Isidori Alexandrini vel Umbram veneranti sunt gentiles. 26. 6.
Israëlitis cur via in mari facta? 8. 4.
Italia imbrium tempestate ablata. 6. 6.
Itali magi fœdæ artes in seducenda puella. 63. 3. *seqq.*
Iuda auaritia. 1. 4. & 5. 16 *falsum osculum.* 66. 6.

Iudas malus consiliarius in suũ exitium. 48. 8. *cur cum omni gente sua flendum?* 53. 1. *a qualia passus ijs quæ Christo fecit. ib. seq. expulsus suis sedibus cur?* 53. 13. *est imago mali Christiani* 53. 16. *ijs maledicta paupertas.* 1. 3. *clades ob peccata illis illata.* 60. 2.

Iudex futurus è iudicijs huius vita metuendus. 59. 5. *iudices iudæorum contra hostes protectores.* 60. 2.

Iudicium ex opibus vel paupertate. 6 11. *philosophorum de paupertate. ib.* 3 *seqq. &* 16. 8. *Dei aliud quàm hominum.* 37. 4. *iustum.* 38. 2. *seq. ostendet, quomodo Deus Sanctos honoret.* 23. 1. *temerarium fugiendum* 28. 9. *&* 34. 4. *seqq. mirabilis de eo historia.* 34 2. *seqq. non est curandũ.* 34. 6 *quàm graue sit peccatum? & cur?* 34. 9. *seq. cur à Deo prohibitum?* 34. 11. *quo remedio curetur?* 34. 12. *mirabile de rustico ebrio.* 42. 2. *pro iudicio à Deo reponitur* 46. 1. *& simile reponitur.* 46. 2. *quando de proximo ferri vel non ferri possit?* 46. 3. *temerarium quàm graue?* 46. 9. *quando temerarium? ibi: iudicans temerè Machetes facere cogitur, quod in alijs censuit.* 51. 10. *iudicatur.* 54. 6.

Iudith Holofernem suo telo necat. 51. 5.

Iugurtha crudelitas, ob libidinem regnandi. 5. 15.

Iuliani Senis paupertas. 15. 7. *Apostatæ impietas vindicata.* 6. 6. *& cur bella Christianis dixerit illecita?* 56. 4.

Iumentum à S. Michaele defenditur. 32. 1.

Iunij Bruti paupertas. 16. 2.

Iurisperiti quàm honorati? 26. 6.

Ius ad honorem magni, honor ipse parui faciendus. 39. 1. *alteri statutum statuens quod statutum.* 43. 1.

Iustiniani cupiditas. 5. 6. *& modi faciendæ pecuniæ, ib.*

Iustitia Imperatorũ in sua causa. 54. 5. *vindicatiua cur necessaria?* 59. 3. *seq. an Deum obliget ad puniendum?* 59. 4. *nobis prodest ad salutem.* 59. 2. *à Magistratu est administranda.* 63. 2.

Iustum utrimq; formaliter numquam utrimq; materialiter esse bellum. 57. 3.

Iuuenalis in fide constans à Deo defenditur. 52. 1.

Iuuenis iniustè suspensus seruatur ope B. Virginis, & S. Iacobi. 37. 6. *iuuenum illecebræ.* 61. 8. *seq.*

S. Iuuentius Episcopus vidua succurrens. 13. 7.

K. *Calumniatoribus pro stigmate.* 30. 2.

S. Kunigundis virginitas igne probata 26. 7. *quæ ob sepem dissipatam diuinitus sit punita?* 45. 8.

L*Abor in diuitijs acquirendis.* 4. 3. *honoribus mitigatur.* 23. 8.

Lacedæmones ex hoste fortiores. 57. 9.

Lachrymandi occasionem ementes Iudæi. 53. 15.

Lacum leonum alij procurantes, ipsi subierunt. 51. 3.

Lamprini iuuenis insignis periculum, & auxilium diuinum. 52. 6.

Lapis ad volentem reuertens quid? 45. 2. *in altum missus quid?* 45. 3. *offensionis quid? ibid. quid oneris?* 45. 4. *seq. in calumniatorem reuersus.* 49. 5. *de calo inter pugnandum decidens.* 56. 10.

Laqueum torques aureum putatus. 8. 5 *alijs positus sibi ponitur.* 45. 5.

Latria cultus cur soli Deo debeatur? 18. 2.

Latro unde Bulas factus? 1. 6.

Laurea corona olim signum idololatriæ. 60. 9.

Laus humana vana, mutabilis. 41. 1 *mansuetorum.* 57. 8. *facit sui cupidos in hac vita recipere mercedem suam.* 19. 8.

19. 8. eius amore multa mala fiunt, & multa bona fiunt. 23. 7.
Lazarum paupertas ad cœlum euexit? 11. 12. ab epulone quæ discriminâris? 12. 6.
Legum transgressio quàm scandalosa? 62. 2.
Leo Imp. ab eo occisus, quem occisum volebat. 54. 2.
Leonardi Lessij mira humilitas, & modi, quibus se demisit. 40. 11.
Lex talionis quid? 42. 1. quotuplex? ibid. etiam in sacris litteris reperitur. 42. 4.
Liberalitas à paupertate. 4. 3. & 11. 6. seq. erga pauperes. 13. 7. seqq. Gallieni Imp. nihil unquam petenti negantis. 19. 7. liberalitate compensata. 43. 6. & seqq.
Libertas pro Deo loquentium quibus tollatur? 6. 9. arbitrij cur necessaria, & quid importet? 58. 4.
Libidinis libertas Deum irritat. 61. 4. detestatio. 37. 6.
Libri vendisti in eleemosynam. 11. 7.
Limines fratres cur se mutuò occiderint? 11. 8.
Lingua est arcus prauus. 44. 2.
Lites à pecunia oriri. 5. 9.
Liuonia quando, & cur in Moscouitarum potestatem venerit? 62. 10
Locus idem pœna qui culpæ. 13. 5.
Longobardia unde dicta? 62. 10.
Lot & Abraham cur inter se colliserint. 5. 9.
Loysius Gaufredi magnus. 29. 7. qua arte authoritatẽ sibi maximam apud Gallos parârit? ibid
Lucerna incendij causa. 1. 8
Luciferianorum hæresis qua? 46 1.
Lucij mercatoris innocens patientia. 50. 2.
Lucius Nerarius quàm libenter homines depalmârit? 7. 2.
Lucrios non esse Deos, 5. 17.
Lucrum diuinum pauperum. 13. 8.
Luctus annuus Iudæorum. 53. 15.
Ludi magister Dionysius tyrannus factus. 4. 11.
Ludouicus Imp. erga pauperes quàm liberalis? 13. 8. XI. rex asino subinde, sicut equi vtens. 40. 6.
Ludus Casimiro regi alapam peperit. 4. 11. inter Fridericum & Mauritium Saxones bellum excitauit. 5. 11.
Lunulam cur calceis addiderint Romani? 41. 1.
Lupus calumnians vulpem quomodo punitus? 48. 3.
Luxuria Valentiniani talione plexa 54. 2. Orbium pernicies. 61. 8. & 61. 12.
Luxus quanto sumptu constet? 7. 2. regnorum, & eorumdem interitus. 60. 1.
Lydius lapis est homini aurum. 5. 1.
S. Lydvvina vinum multiplicat, ob pauperes. 11. 7.
Lysandri Choerilus poëta cur semper comes? 20. 1. eiusdem boues. 35. 2.

Macarium bono dolo diuitem virgivẽ decipit. 12. 6.
Macedones ad conuiuium solos, qui extra vestia aprum occidissent, admisêre? 24. 5.
Macedonium S. Ambrosium excludens excluditur. 52. 14
Machetes qua temerè iudicauit, ipse postea fecit. 51. 10.
Machiauelli quales discipuli? 54. 4. mala principia. 62. 3. consilia sequentibus quàm noxia? 62. 7.
Machometus pernicies orbis. 62 10.
Maculaus famam alterius se ipsum maculat. 44. 2.
Madianita quàm noxij hostes Iudæis! 60. 6.
Maxima paupertas. 15. 7.
Magister artis venter. 16. 3. quomodo sit, vel

vel nefas sic vocari? 19. 3.
Magistratus honorandus. 27. 2. est lex loquens, minister Dei, ciuitati necessarius, quo modo honorandus? 27. 4. Epaminonda sordidus commissus, ab eo honoratus. ib. debet muneris sui dignitatem seruare, & trium meminisse. ib. innocentem adiudicat mortis. 51. 9 non puniens libidinosos Dei pœnam prouocat. 61. 4. negligens quantum obsit? 63. 2. quantum peccet? 63. 7. & 63. 16. quomodo ex iustitia punire teneatur? 59. 1 quis possit bellum indicere? 57. 2. quomodo bella gerere debeat? 66. 8.
Magnanimitas qua virtus? 19. 3. an eadem cum humilitate? 19. 3. quas habeat proprietates? 28. 6. primariò circa honorem secundariò circa diuitias & potentiam versatur. 19. 5.
Magorum munera B. V. in pauperes distribuit. 14. 5. malorum impostura. 61. 10. detestatio. 61. 11. pœna. 61. 12. esse bellorum immittendorum causas. 62. 11. Magus Loysius Gaufredi cur honoratus? 29. 7.
Maior quo quisq; , hoc se magis debet humiliare. 41. 1. eius rei exempla. ibid. maius præmium non officit talioni. 43. 1.
Mala cur permittat Deus? 38. 8 ad Deũ nos recurrere faciunt. ib. in se vident boni, bona in malis. 34. 13. pro malis non esse reddenda 46 4. quadam putata prodesse. 57. 4 Mundi, commendare Dei prouidentiam. 58. 4.
Maledicta maledictis cur sinat Deus compensari? 47. 6.
Malitia simulantium pietatem. 31. 5.
Mamertes quanta ob auaritiam fecerit, & passus sit? 5. 15.
Manasses cur Iuditham noluerit esse pauperem? 1. 50.
Manducare quomodo possimus ad gloriam Dei? 21. 1. idem fecerunt gentes & Iudæi, ibid.
Manichæorum quantus inimicus S. Antonius? 60. 4.
Manuum portæ Hierosolymitanæ custos cur fugerit? 53 11.
Manus auara Rufini cur circumlata? 54. 2. eius summitates in vindictam abscissæ. 51. 3.
Marcadelli fidelitas. 37. 4. iniuria honore compensata. ibid.
Marcelli bona cur publicata? 6. 4.
Marcion primogenitum satanæ. 60. 3. eius assecla Pharaonis patroni. 46. 1.
Mare contra hostes succurrens. 56. 10.
B. Maria paupertas, amor pauperum, & parentes quomodo bona sua distribuerint? 14. 5. quo cultu colenda? 37. 6. suspensum viuum conseruat. ibid. sine vlla iactantia & cum summa humilitate suas dotes prædicat. 21. 3. eius ope victoria obtenta 52. 1. patrocinium. 43. 2. de Mercede fraternitas. 43. 7. vindicta in blasphemum. 54. 7. imperatricis ingenium. 54. 5. Magdalena Christum in itineribus pauit. 13. 12. Maria Victoria Cœlestinarum fundatrix. 33. 1. viduarum & coniugum speculum. 33. 2. ad opera misericordiæ quomodo incitata? & quæ ægris præstiterit? cur filium sibi mortuum doluerit? mirè insanientem restituit. ib.
Martius gladio interfectus, quem fabricauit. 51. 1. & 58. 1.
Martius vxori crudelis crudeliter occidit. 51. 9 sibi feretrum ab vxore paratum, relinquit. 52. 13.
S. Martinus cur ante episcopatum in se maiorem virtutem fuisse dixerit? 22. 5. cur antè duos mortuos, postea tantùm vnum excitarit? ib. eius liberali-

tas compensata. 43. 6. Lutheri consilium malum. 62. 6.
Mater à filia in carcere lactata. 25. 2. quæ filij noxia? 5. 8. quomodo curent infantes? 13. 9. præ fame filios suos edunt. 49. 6. & 53. 11.
Matrimonium filia lictoris, Urbis Rhegij exitium. 28. 2. ab anu disturbatum. 61. 9.
Mauritij Imp. illiberalitas. 5. 17.
Maxilla altera an præbenda percutienti? 42. 5. cur non præbuerit Christus, vel Paulus, cum percuterentur? 56. 5.
Maximianus imperium sponte seposuit. 39. 2.
Maximi virtute apud Romanos opibus minimi. 16. 2.
Mechtildis & fratris mira paupertas. 15. 16.
Medarses, ob regnum, occisus à fratre. 5. 15.
Medicina Utens non temerè indicanda. 51. 10. fallax qua? 61. 10. Medica artis quàm perita Hiltgardis? 49. 9. Medici cur honorandi? 26. 5. eorumdem summè honoratorum mira exempla. ib. quam habeant gaudendi, quam tristandi causam? 33. 2.
Melitenses quomodo honorârint S. Paulum? 27. 8. eum honorem cur admiserit? ib.
Mendacium Cyro quantum displicuerit? 49. 4. occidit animam mentientis. 49. 4. quos alios fructus pariat? 54. 4.
Meneclades cur bellum dissuaserit? 57. 11.
Menippus, amissis bonis, se suspendit. 1. 3.
Mensurâ quomodo eâdem remetiatur Deus? 43. 1. quomodo Utendum erga proximum? 43. 2.
Meretrix calumnians miraculo refutata. 36. 9. earum domos qui castè pieq; adierint? 46. 5. seqq.
Metallorum effossoribus auari miseriores. 8. 2.
Metum inferni injecit belli calamitas. 57. 6.
Meum & tuum discordiæ causa. 11. 8.
Michæas propheta non impunè spretus. 48. 2.
S. Michaël pecudem defendit ad se confugientem. 52. 1. Michaëls Paphlagoniæ Vetigalia. 5. 6. grando. 6. 6.
Migremus hinc, Vox Angelorum. 53. 1. & 53. 5.
Milites inopia non irritandos. 1. 6. paupertate fiunt fortiores. 11. 11. quales debeant esse & sint Utiles? 66. 9. stipendijs contenti esse debent. 56. 8. à militia laudati. 57. 8. sancti esse possunt. 57. 12. eorum peccata & pœna. 54. 7. insolentia & avaritia. 55. 2. non numerus sed Virtus Vincit. 60. 6. duces in quo peccent? 6. 7. cur depauperentur? 6. 10.
Minimorum cura 39. 8.
Mirabilis Deus in Sanctis suis. 37. 2. seq.
Miracula neq; à quouis, neque in quauis caussa exposcenda, aut ad ea pronocandum. 36. 10. ijs illustrata bella. 56. 10.
Miseria, ob bella, miserorum. 55. 1. magna est, profiteri paupertatem, & sectari pecuniam. 15. 6.
Misericordia salutis caussa. 8. 7. & 13. 15. Dei toties audientis præmaricatores. 6. 6. eius opera sedulò exercenda. 33. 2. studium. 36. 4. colenda fructus. 38. 7. opera eius quàm Utilia? 43. 2. quàm Deogratia? 43. 3. erga pauperes. 43. 5. eis deditos misericordiam consequi. 10. 4. seq.
Missa diabolica à magis celebrata. 63. 6.
Mithridates à fratre obsessus, & occisus, ob regnum. 5. 15.
S. Monica reprehensione correcta. 35. 4.
Monitiones non admissa. 53. 2.
Monstra natura & morum in quo paria? 58. 7.

Morbus à S. Goare per preces impetratus, ne Episcopus fieret. 22. 5. *maiorum & sensum minorum opprimi.* 55. 3.
Mores mali quàm scandalosi? 62. 2.
Mors auari pecunias comedentis. 7. 4. *à parentibus occisi.* 7. 5. *inter opes.* 8. 3. *pauperis cum morte diuitis collata* 8. 13. *pauperum pretiosa.* 9. 1. *diuitum inusta.* 9. 2. & 9. 4. *seq. pauperum optata.* 9. 3. & 9. 6. *seqq. sanctorum felix.* 9. 7. *Codri voluntaria.* 17. 9 *priorum successoribus locum facit.* 57. 7. *hypocritarũ & Deoseruientium quàm diuersa?* 31. 7. *exempla. ib. ex proximis auro se immergit.* 8. 6. *ea iam defuncti loquitur.* 34. 6. *Mortuum ad vitã reuocatur in testem innocentis matronæ. ib. aliqui ab auaris infestati.* 5. 13.
Moscouita quando, & cur Liuoniam occuparit? 62. 10.
Moysis, Eliæ prophetarum sancta paupertas. 14. 2.
Mulieres in templo cur caput iubeantur velare? 27. 6. *impudentes, & nemini parcentes.* 27. 9. *loquaces periculosa, impostoris dedita, & vnius mirabiliter detecta impostura. ib. &* 36. 10. *earum familiaritas vitanda.* 60. 3. *vis in seducendo Salomone.* 61. 7. *seqq.*
Multiplicatio generis humani. 57. 7.
Multitudo negotiorum. 64. 2. *per varia exempla. ib.*
Mundus irridens irrisus à Petro Consaluo. 30. 7.
Mures à veneficis facti. 64. 2.
Murmurandi caussa est honor negatus & & datus. 18. 3.
Murus ingens triduo ædificatus. 53. 6.
Mutatio regnorum & rerumpublicarum ob peccata. 60 2.
Mutium Scaeuola non tam fortis, quàm ambitiosus. 20. 4.
Mysteria fidei Catholicæ confirmata, per ipsum odiũ diabolis ea imitantis. 63. 6.
Naboth vinea, Achabo spina in oculis. 2. 10.
Narcissus Episcopus à calumnijs miraculosè liberatus. 49. 7.
Nasum sibi abscindit, digitum alterius petens. 52. 2. *perdit in B. Virginem blasphemus.* 54. 7.
Nationes quæ magis bello idoneæ? 57. 10.
Natiuitatis Domini noctem violantes puniti. 51. 6.
Nauis vento agitata similis Ecclesiæ 65. 2. 66. 10.
Nauigaturus cur abiecerit pecuniam? 5. 14.
Nebula mirabilis ad religiosos tentandos excitata. 29. 7.
Necessitas paupertatis in mundo. 16. 3. *in virtutem vertenda.* 17. 3. *seq.*
Neglectus ceremoniarum sacrarum quàm noxius? 60. 9. *fama & boni nominis quando vituperabilis, quando laudabilis?* 20, 2. *quando iusta, vel iniusta?* 36. 6.
Nero malos imp. malos habuit consiliarios. 48. 7. *ex talione feliciter interit.* 51. 2.
Nihil opertum, quod non reueletur. 37. 2. *nihil insultum.* 38. 2. *seqq.*
Nilamon potius mortem quàm Episcopatum petijt, & impetrauit. 22. 5.
Nimi luxus & discordia in regnando. 60. 1.
Niphi acutum responsum de optimo regnandi modo. 24. 4.
Nobilitas auro empta. 4. 5. *eius signum torques.* 43. 3. *laus in Iphicrate.* 47. 2.
Nocte natiuitatis saltantes puniti. 51. 2. *occidendum emadir.* 54. 2.
Noctuam cur captiuis inusserint Samij? 30. 2.
Nomen operi suo aut alijs rebus ascribere quando

quando Canum, quando laudabile? 29. 10. seqq.
Noradini erga Christianos humanitas. 62. 2.
Nosce te ipsum, Sarijs tributum 40.10 ex sacris litteris sumptũ quid doceat? ib.
Nottonis calumnia in authorem. 49. 12.
Nubes cur Cacias attrahat? 44. 1.
Nudus in frigore cur non frigeat? 47. 6.
Nuntij cladis futuræ non agnitis. 53. 2. belli cometa. 55. 2.
Nuptiæ diabolis cum puellis. 63. 4. seq.

O Bedientia cur præstanda etiã bellis ducibus? 61. 2.
Obscuritas generis cum connitio obiecta. 47. 2.
Ocrea per caminum volantes. 64. 2.
Octo homicidiorum reus, octo vulneribus periit. 54. 7.
Odium deponendum, diebus festis. 43. 4.
Olera Diogeni malè obiecta. 47. 2.
Oleum benedicere non est malum. 51. 10.
Olidi Iudæi cur appellati? 53. 13.
Olivetj mons Christo Passionis, Iudæis initium cladis. 53. 5.
Omnipotentia Dei in bello clarescit 57. 10.
Onerus lapis quid? 45. 4. seq.
Opera ob mercedem æternã facta pia sunt. 20. 5. ad Dei honorem & proximi salutem referenda. 19. 9. & 24. 6. bona studiosè sectanda. 33. 2. præsertim misericordia. ib. Domini mirabilia. 38. 5.
Opiani carmina cur aurea dicta? 24. 2.
Opum appetentes nesciunt, quid appetant. 4. 1. cum virtutibus pugna. 4. 4. filia, auaritia. 5. 2. & superbia. 5. 3 & bellum ceteraq; mala. 5. 11. alienis inhians propriam perdit. 51. 3.
Oratio pauperis quàm potens. 11. 10. qualis esse debeat, & exaudiatur? 32. 9. cur non exaudiatur? ib: impia impunitatem 53. 18. execranda veneficorum. 63. 15. eã pecunia & fulmina impetrata. 56. 10.
Oratores quantis olim honoribus affecti? 24. 3. orator rusticus. 55. 2.
Ordo Cælestinarũ Annuntiatarum quis? 33. 1.
Originale peccatum per ritum demonstratur. 60. 9.
Ornamentum non magis, quàm ipse equus aspiciendus. 2. 9.
Orodes fratrem occidit ob regnum. 5. 15.
Oscula insidiosa cauenda. 66. 5. seq.
Osiridem cur Typhon occiderit? 5. 15.
Ossa Scironis crudelis in scopulos versa. 44. 4.
Otho Imp: tandem mori malebat, quàm imperare. 23. 6. eum, quis dixerit, terram sanctam recuperaturum? 62. 2. Othonis III. Zelus, casus, iustitia. 54. 5.
Othoniel quàm bonus dux? 60. 4.
Otij remedium paupertas. 11. 4.
Oues scabiosæ, in Ecclesia, quæ? 31. 8.
Ouinius Camillus ad imperiũ aspirans. ob laborem cognitum respuit. 23. 8.

P Achomij ars in ambitioso corrigendo. 23. 5.
Padagogus quid docere pueros debeat? 25. 3. est colendus. ib.
Palma enascitur in ara Augst. 35. 2. quid ea nuntiata responderit Augustus? ib.
Pammachius pauperatis amator. 15. 4.
Panem quotidianum qui petant? 6. 5. seq.
Papyrius Cursor quo omine pugnarit? 43. 2. (14. 1.
Parabolarum usus quàm bonus? 6. 1. &
Parcit nonnumquã Deus, vt sæuiat. 6. 2.
Parentes quomodo honorandi: exempla. 25. 2. contra Deum non audiendi à filijs. 29. 4. ijs filij propter opes insidiati. 5. 14. unus percussor vicissim à filio suo percutitur. 51. 8.
Par pari reddendum etiam in malis. quis docue-

decuerit? 46. 4.
Paries dealbatus cur Ananias? 51. 7.
Parricidiorum causſa pecunia. 5. 4.
Partus in alterius damnũ fictus latus lapide detectus. 30. 10.
Paſchatis tempore cur Chriſtus, cur Iudæi paſsi? 53. 3.
Patibulo ſenatores ſuum nomẽ incîdi curantes. 29. 10. *miraculosè liberatus per B. Virginem, & S. Iacobum.* 37. 2. *Patientia regis Caſimiri alapa percuſſi.* 4. 11. *mira iniuriarum,* 41. 2. *quæ tamen apud Deum non ſemper manent impunitæ.* 41. 3. *memoria talionis tuatur.* 42. 7. *mirabilis exemplo.* 50. 2. *ſeq. &* 49. 9. *ſtupendæ exemplũ.* 34. 6 *in aduerſis.* 36. 3. *ſeq. &* 37. 2 *in iactura fortunarum, honorũ, ualetudinũ, libertatis.* 38. 8. *patienter pauperes.* 2. 5.
Patres uocare an liceat? 19. 3.
Patria quæ milites pariat meliores? 57. 10. *eius obſcuritas Anacharſi malè obiecta.* 47. 2.
S. Patritij paupertas ſemper gratius agentis. 2. 6.
Patrocinium Deiparæ. 43. 2.
Patroni lucifери & Pharaonis, hæretici. 46. 1.
Paucitas militum Deo adiuuante quàm potens? 60. 6.
S. Paula paupertatis amatrix. 15. 4. *terræ ſanctæ cultrix.* 62. 1.
S. Paulinus pro uidua filio ſe ipſum dat in ſeruitutem. 26. 2.
S. Paulus quam habuerit poteſtatem mulierem ſecũ circumducendi? 13. 12. *quid S. Franciſco ſignificârit de paupertate?* 15. 8. *quomodo pauperes admonuerit?* 17. 10. *quomodo à Meliten ſibus & cur honorẽ admiſerit?* 27. 8. *honorũ maximus contemptor, in ignominia ſummã gloriam ponit.* 39. 5. *ob quid eum magis beatum iudicarit S. Chryſoſtomus? ib. ſummè humilis & unde?* 40. 14. *percuſſus pœnã prædicit Aniæ.* 51. 7. *S. Paulus Simplex cordium & conſcientiarũ merus inſpector.* 32. 3. *Pauperes & diuites idem apud Deum.* 1. 1. *Saturno quomodo ſupplicarint?* 3. 1. *habent meliorem conditionẽ quàm diuites.* 3. 2. *clamant ad cælum* 6. 6. *habent mortem pretioſam.* 9. 1. *gaudent in morte.* 9. 3. *quomodo habeant regnum cælorum?* 10. 1. *quomodo regiam poteſtatem etiam in hac uita?* 10. 2. *ſeq. magni fiunt à prudentibus.* 10. 6. *ſtrutes pro diuitijs habent.* 11. 1. *potenter orant.* 11. 10. *à S. Auguſtino qua conſolatione recreentur?* 12. 1. *&* à *S. Antonio.* 12. 2. *à S. Ioanne Eleemoſynario Domini uocantur.* 12. 7. *quãtis fiant à Iaponibus, ſi ſint uoluntarij?* 12. 3. *curæ ſunt Deo.* 13. 1. *cur.* 13. 2. *cur aliquando non ſtatim inuentur à Deo?* 13. 4. *Voluntarij prophetæ.* 14. 2. *Io: Baptiſta.* 14. 3. *habent in ſuo numero Chriſtũ.* 14. 4. *& Deiparam.* 14. 5 *ſunt Deo ſimiles.* 14. 9. *ſunt amici Chriſti.* 15. 1. *fratres & familiares.* 15. 2 *ſunt mundo neceſſarij.* 16. 3 *feliciores diuitibus.* 16. 4. *diſtinguuntur in tres Claſſes.* 17. 1. *à diuitibus debent iuuari.* 17. 12 *audire nolens nõ exauditur à Chriſto.* 52. 14. *philoſophis ſimiles.* 55. 1. *in bello non intereunt, ſed augentur.* 55. 3. *ijs miſericordia exhibenda.* 43. 5. *quia Chriſto exhibetur, quod ijs exhibetur.* 43. 6.
Paupertas à Deo. 1. 1. *& malum putatur. ib. infirmos facit.* 1. 3. *Dauid, Iobum. ib. Philoſophis & Iudæis odioſa. ib. cur?* 1. 4. *amicũ caret, & malè educat liberos, ad uitia impellit. ib. Ariſtidis in filios redundat.* 1. 5. *quas arumnas habeat annexas?* 1. 7. *quanta impatientiæ cauſſa?* 1. 8. *diuitijs antepoſita.* 2. 8. *qua gloriosa?*

rioſa? 2. 9 *Vſus eius.* 2. 11. *ſua conſolatione non caret.* 2. 1 *indifferens. ib quid ſit paupertas?* 2. 2. *quid non? ib. quotuplex?* 2. 3. *eius varia cauſſa. ib. eius tres ſpecies ex Hugone. ib. qui eã inuitè ferant* 2. 4. *Socratis & Platonis amata.* 2. 8. *itẽ Democrito, Demonacti, Diogeni, Cratẽti, Seneca. ib. laudata Minutio Felici.* 2. 9. *quanta habeat commoda.* 3. 2. *quomodo Reip. profit?* 3. 4. *quàm ſit diues?* 3. 5. *quantas delicias afferat?* 4. 8 *quantas diuitias?* 4. 9 *eſt mater humiliratis.* 5. 3. *facit felicesores, quàm opulentos.* 6. 1. *ſeq. Vtilis.* 6. 5. *inducta ob Eccleſiaſticã bona. Violata.* 6. 8. *eſt res indifferens.* 6. 11. *Virtutum cauſſa.* 11. 3. *& diuitiarum. ib. & laborum.* 11. 4. *eiũ inimica & mater humiliratis.* 11. 5. *facit liberales.* 11. 6 *ſeq. pacis mater.* 11. 8. *& temperantia.* 11. 9. *ſpem habet comitem.* 11. 11. *item inſtitiam & fortitudinem. ib. eſt Virtutũ occaſio.* 11. 12. *& theſaurus monachi. ib. homines probat.* 13 14. *à Deo curatur.* 13. 8. *per parabolã preciosa oſtenditur.* 14. 1. *in Veteri & nouo teſtamento culta.* 14. 2. *ſeqq. Voluntaria Vbi elucreat?* 15. 5. *diuinitus honorata.* 15. 11. *eſt ingenioſa.* 16. 3. *Cedro.* 17. 9.

Pax cur belli comes? 55. *finis belli.* 57. 9 & 57. 11. & 56. 4. *diuturna qua vita proferat?* 59. 6. *bellũ præferenda.* 55. 2. & 56. 3. & 66. 1 *ſeq. qualis de tẽpore Chriſti prædicta?* 56. 6. *duplex. ib. ſignificatur per galeam in alueario locum abeſſe occupatam.* 66. 2. *in omnibus bello oppanitur.* 66. 3 *ad omnia Vtilis.* 66. 4. *talis eſt, quales ſunt, qui eam faciunt.* 66. 5. *quadruplex eſt. & cum quatuor generibus perſonarum facienda.* 66. 5. *cum mundo non facienda.* 66. 7. *quando non facienda?* 66. 7. *quando eã Deus ſit reducturus?* 66. 10. *eius cultores cur & quàm beati?* 66. 4. *diuerſi.* 66. 8. *de ea Alphonſi documenta, filio belli duci data.* 66. 8. *eius mater paupertas.* 11. 8. *Peccatum ex peccato naſci.* 61. 3. *in nobis eſſe. quæ oſtendant?* 38. 10. *eſt ſummum malum.* 40. 10. *eſt cauſſa, Vt nos humiliemus.* 40. 12. *ſeqq. ea nõ neceſſariò bellis annexa.* 57. 12. *à Deo multa ob cauſſas permiſſa.* 58. 1 *eſſe occaſionem Dei cognoſcendi.* 58. 1. *eorum remedium, pœna.* 42. 7. *ſimile ſtudo Cæſaris.* 44. 1. *opera manuum noſtrarum.* 45. 5.

Peccatoris intra mutatio. 32. 6. *eius dẽ introitus in templũ alius, alius exitus.* 32. 8 *palàm peccata ſua narrat. ib. boni effectus.* 58. 7. *impedimentum iuſtitiæ Dei.* 59. 2. *etiam maximo non deſperandum, ſed agenda pœnitentia.* 63. 16.

Pecunia quantorum malorum cauſſa? 4. 4. *emit nobilitatem.* 4. 5. *eſt cauſſa ſolicitudinis.* 4. 6. *miſeros facit habentes.* 4. 7. *tentationes affert.* 5. 3. *luxum fouet.* 5. 8. *abijcitur à nauigaturo.* 5. 14. *eſt auaris charior quàm Deus.* 5. 15. *non Dea.* 5. 17. *iniuſtè acquiſita, Vt liſter perdita.* 7. 9, *in Ventribus quæſita.* 53. 9. *per ludũ periculo expoſita.* 56. 3. *eius optimus Vſus.* 26. 8.

Pedibus apoſtolorũ cur ſubiecta bona? 17. 8.

Pelagius ſpe in B. Virginem contra hoſtes validus. 52. 1.

Pellibus Ventes nõ iudicandi temerè. 51. 10.

Peregrinantium deſcriptio. 55. 1.

Perſander primùm moderatè, poſtea tyrannicè imperat. 39. 2. *Vel huius exemplo arduum eſſe, imperare probè. ib.*

Perillus ſuo tauro cruciatus. 44. 3.

Peruros facit aurum. 5. 10.

Perſarum regnum, interitus, tranſlatio. 60. 1.

Perſecutio piorum, & Eccleſiæ Vbi, quo tempore S. Auguſtini. 63. 1. *Eccleſiam qui perſe-*

perſequuntur, ſe ipſos perſequuntur. 45. 1.
Pertinax Imperator non vult poſſeſſionibus ſuis nomen ſuum inſcribi. 19. 7.
S. Petrum cur facilè ambulârit ſuper aquas? 8. 14. *quid S. Franciſco paupert indicârit?* 15. 8. *eius Malchum percutientis animum.* 53. 5. *Conſalutum quomodo mundum reſtrit?* 30. 7.
Phalaridis taurus compenſatus. 44. 2.
Pharaonis patroni Marcionistæ. 46. 1. *ſalutio.* 46. 1 & 51 3.
Phariſæum malè iudicans Magdalenam. 46. 3 *eorum qua geſtes à Chriſto perſtrictæ?* 19. 2.
Pheraulas cur maluerit eſſe pauper, quàm dives? 3. 4.
Philippus Apoſtolus Victoriam promittit. 56. 10. *modeſtia Macedonis* 40. 18. *puer monitor, quid monuerit?* ib.
Philiſthæi Iudæos ob impietatem punientes. 60. 10.
Philoſophi veteres Virtutis umbram magis, quàm Virtutem agnouerunt. 19. 10. *ſummè honorati* 26. 8. *eius rei illuſtria exempla.* ib. *eorum de paupertate iudicia.* 16. 18. *ijs ſimiles pauperes.* 55. 1.
Phinees ingreſſus ad ſortium bonum. 46. 8.
Phocion cur nec pro filijs donatu voluerit acceptare pecuniam? 5. 8.
Phryne meretrix quàm dives & ſuperba? 5. 4.
Phylacteria Phariſæorum quid fuerint? 19. 2.
Pictor de auaro ingeniosè ſe ſe ulciſcens. 44. 6.
Pietas erga patriã. 20. 4. *Roma templum ſingulare habuit.* 25. 2. *cur?* ib. *ſimulata quàm mala?* 31. 5. *ephebũ liberat de calcaria.* 52. 6. & *aliũ à leonibus.* 51. 3.
Pigritia opum inimica. 7. 3.
Pittacus ſponte deponit imperium cur? 39. 2. *putat, difficulter probum eſſe imperantem.* ib.
Placere nolle hominibus quando liceat? 29. *ſibi, periculoſum.* 4. 2.
Placilla Theodoſij, quid pauperibus fecerit? 10. 6. & *eadem rei identidem admonuerit Theodoſium?* 40. 3.
Plato comparatus equo, cur? 39. 3.
Planctus materni nectores filij. 17. 10.
Plutus pro Deo à quibus habitus? 2. 10. *eadem excæcat.* 4. 2. *cur à Timone excluſus?* 14. 7.
Pluuia crudeli arte petita. 43. 2.
Poculum vino prodigioſè repletum pauperes offert. 11. 7.
Pœna à Deo nemini fruſtra infligitur. 38. 10. *ſcelerum memoriam refriçat.* ib.
Pœnitentia mira vis. 32. 6. & 8 *motiua.* 63 16 & *Iudæis ſæpe profuit.* 60. 3. *ſeqq.*
Poëtæ ſummè olim honorati. 24. 2. *munificentiſſimè, ob verſus habiti.* ib. *diuitem mors nolentem quàm pathetice deſcripſerint?* 9. 2.
Poliorcetes cur tam inſignis architectum? 24. 3.
Politicorum artes ſibi noxiæ. 54. 3. & 61. 13. & 62. 3.
Polonia quantum à religione, tantum à felicitate defecit. 62. 3.
S. Polycarpus quomodo appellarit hæreticum? 60. 3.
Polydori mors, ob aurum. 5. 13.
Polyphantes fratricida. 5. 15.
Pondus diuitiarum abijciendum. 8. 14.
Ponirus ſerum quantus nequam? 50. 2.
Pontificatores ebrioſi, qui? 63. 10.
Populiuori qui principes? 5. 7.
Porcus ſimiles auari. 5. 7. *Geraſenorũ cur à diabolo interempti?* 6. 5.
Porphyria, per prunas ab infamia liberata. 36. 7.
Portus heptaphonos, quid? 47. 1.

Possessio opum, quàm misera? 4. 9. seqq. etiam parua monacho nocet. 15. 6.
Potatorũ varia nomina, & classes. 63. 8.
Potentium pericula. 54. 6.
Præceptores quantùm honorandi? 25. 3.
Prædo fit præda. 6. 7. & 51. 2. punitur 54. 7.
Præfectꝰ aula vaferrimꝰ malè peris. 54. 3.
Prælati quo modo causſa ruentis mundi? 28. 3. seq. salutati à diabolis cur? ib.
Prælia Domini quæ dicantur? 55. 7.
Pretium Christi venditi quo modo punitum? 53. 7.
Principes cur non deceat esse pauperes? 1. 5. qui sint populi uori? 5. 7. sunt miseræ conditionis. 28. 3. sunt, ob hæresin, infelices. 62. 4. seqq. iuuantur aliorũ oratione, deiuuantur imprecatione. 64. 5.
Principijs malis obstandum. 62. 8.
Priuata bona publicis posthabenda. 57. 5.
Prodigalitas Caligulam de pauperauit. 5. 8. auaritia est contraria. 7. 2. oritur ex diuitijs. 5. 8. ex luxu. ib.
Prodigio simile, si diues saluetur. 8. 4.
Proditio anicka noxia. 48. 6.
Prophetarum paupertas. 14. 2.
Prophetia S. Pauli de Anania percutiendo. 51. 7.
Prosperitas stultorum infelix. 57. 4. est mater vitiorum. 61. 3.
Prouerbia de Talione. 51. 1.
Prouidentia diuina erga pauperes mirabili exemplo declaratur. 13. 6. circa iuuenem Ephræum. 38. 1 seqq. etiam à malis mundi commendatur. 58. 4.
Proximi amandi mensura, amor sui 43. 2.
Pseudoprophetæ Iudæos fallentes. 53. 8.
Ptolomæus paupertas 3. 5.
Publica bona priuatis anteferenda. 57. 5.
Puellarum procacesum stultitia. 61. 10. seq. honestarum domi manentium commendatio. 63. 3. à venefica seductæ. 64. 2.
Puer quinquennis mirum paupertatis amator. 15. 12. Iaponicus quàm eloquens, & quid de paupertate S. Francisci Xauerij iudicáret? 12. 3. draconem fidelem alit. 45. 7. à magis decipitur. 64. 2.
Pugione suo periit Holofernes. 51. 5.
Pugna quàm difficilis contra humanas laudes? 19. 9. contra Haruspices inuita felix. 48. 2. contra mandatum à Saule facta, & punita. 61. 2.
Puniri auaros paupertate. 6. 3. seq. magistratus, si non puniant. 59. 1.
Pygmalion aras hospitum & suo sanguine imbuit. 44. 4.
S. Pyoterius sui, & aliorum cognitor. 39. 7.
Pyra tristis Crœsi. 17. 11.
Pythagoras censuit, animã auro non maculandã. 4. 4. quanta fuerit authoritatis? 57. 1.

Quadriga malè parata, bene usurpata. 52. 13.
Quales in pauperes sumus, talis erga nos est Deus. 10. 7.
Quando luceat lux nostra coram hominibus? 21. 3.
Quatuor modis honor appeti potest. 19. 7. sæcula inter modos potatorum. 63. 8.
Querela de calumnijs, quo modo compescantur? 41. 3.
Quies animi in iniurijs quo modo haberi possit. 41. 4.
Q. Æmilij paupertas 16. 2.
Quo modo superbia occurrendũ? 19. 9.

Rachanella quid sint? 15. 5.
Rana è commutatoribus nata. 47. 4.
Redemptionis humanæ quantum beneficium? 58. 3.
Reginheri episcopi miseranda mors. 8. 3.
Reges quàm miseri? 16. 6. quàm infelices, si impij? 61. 13. si malis artibus ruunt, malis pœnis plectuntur. 62. 5.
Regimen cur potiùs improbi, quàm probi teneant? 22. 4. est splendida seruitus. ib.

Regnandi optimus modus. 24. 4. *occasio, est occasio beneficiorũ faciendorũ.* 43. 7. *Socordia est regnorũ interitus.* 60. 1.

Regnum Robõã dictum, factũ sceleratum. 5. 2. *exlorũ esse pauperum.* 10. 1. *seqq. &* 11. 1. *quo modo ad alỹs dent? ib. quàm variè id accipiatur?* 11. 2. *an in bellũ crescat, vel decrescat?* 56. 3. *belli ortũ & euersum.* 60. 1. *ob libidines castigatũ.* 61. 5. *seqq. religioni, non religio regno seruire debet.* 61. 13. *Relapsis Deus difficiliùs ignoscit.* 60. 8. *seq.*

Religionis fundatores, paupertatis amatores. 15. 8. *&* 15. 11. *Votum in augustỹs factum.* 38. 6. *defensio armis facta.* 57. 9. *habenda in bellũ ratio.* 61. 2 *falsa inane fundamentum.* 60. 6 *Vera, quæ sint nota?* 60. 7. *comites sapientia & potentia.* 62. 3. *præstantia præ regnis.* 61 13. *læsa quantum damnum?* 62. 6. *seqq. conseruatio, est causa regionis conseruandæ.* 62. 10.

Religiosi honorandi. 27. 6. *cur? ib. eorum habitũ subsannans graviter punitur. ib. innocenter reprehensi, à Deo defenduntur.* 35. 5.

Reliquiæ sanctorum à Pontifice petitæ per Imperatricem 44. 9.

Remissio iniuriarum. 28. 6. *eius rarũ exemplum.* 25. 8. *seq.*

Reparationis humanæ sapientia & potentia. 58. 2.

Reprehensiones sapientibus charæ, odiosa stultis. 35. 3. *exemplæ ib patienter ferendæ.* 35 6. *ad id remedia. ib debent esse prudentes, & mansuetæ.* 35. 7. *sunt amandæ.* 35. 8

Respublica quæ sit perfecta, quæ imperfecta? 57. 2. *ob peccata euertitur.* 60. 2.

Resignatio rustici hominis. 37. 2. *Resurrectionis imago in gallo & gallina; reuiuiscentibus.* 37. 6.

Rhesus fratrem in Senatione occidit. 5. 15.

Richarda Augusta candenti ferro obiectum crimen adulterij diluit. 36. 6. *etiam in coniugio virgo permanet. ib. Richardus rex ob thesaurum occisus.* 4. 6.

Risus mundi risu alio irrisus. 30. 7.

Ritus innocentium per ignem vel aquam lustrandi, olim licitus, nunc prohibitus. 36. 10. *ad quid sacri prosint, in religione?* 60. 9.

Rixa pastorum, ex opibus dominorum. 5. 9. *femina lepidè sedata.* 47. 3.

Robertus rex sua manu stipem distribuit. 10. 8.

Roboam rex ditatus legem Domini reliquit. 5. 2.

Robur corporis lapide probatum. 45. 4. *seq.*

Roma bellatrix bellis afflicta. 56. 3.

Romanorum heroum paupertas. 16. 2. *&* 16. 10. *petitio triumphi, quando bona vel mala?* 20. 3. *nobiles cur calceis lunulã addiderint?* 41. 1. *imperiũ à Græcis acceptum.* 60. 1.

Romuli in Remum sæuitia. 5. 15.

Rotæ reuolutio Sesostrẽ sapere facit. 45. 2.

Rufini auaritia punita. 54. 1.

Rustici senatores, cur nomen suũ patibulo incidi noluerint? 29. 10. *quanti viri fuerint?* 39. 2. *exemplũ sumere debent à rustico Voburgensi qui per summã ignominiam fuit mirè exaltatus &c.* 37. 2. *seq. sunt oratores.* 55. 2.

Ruth puercula à Domino curata. 13. 3.

Sabbatum cur in diem Dominicũ sit versum? 60. 9.

S. Sabinus Senonum innoxiè bibit. 52. 12.

Sacerdotes esse honorandos. 27 5. *quibus honoribus? & cur coronam in capite gerant? quàm sit antiquum ritus?* 27. 6. *vel in vestibus honorati. ib. non impunè contempti. ib. à barbaris honorati.* 27. 7.

27.7. obedientiam impetrant meritò. 61. 2.
Sacra res consilium. 48. 2. Sacra Ecclesia imitatur diabolum. 63. 4. profana petulantium. 63. 11.
Sadoc mortem pauperũ pretiosã ostendit. 9. 6.
Saecula quatuor inter potatores. qua. 63. 8.
Sagarum multitudo. 64. 2. Unguentũ. forma, ars, exercitia & furta. ib. conuersio spontanea. 63. 3.
Sagitta in altum missa, in mittentẽ relapsa. 45. 3.
Salomonis Uxores, & proles quanta? 57. 3. per mulieres seductio. 60. 3. laudes, & Uitia. 61. 7.
Saltatrix petita pro capite S. Io. Bapt. 53. 6.
Saluari diuitibus, difficile. 8. 1.
Salutandi formulam esse, Pacem precationẽ. 66. 1.
Samỹ cur captiuas nectuæ figura signarint? 30. 2.
Samson qualis dux, & cur à Deo datus? 60. 10.
Sancti dulia colendi. 18. 2. Uarijs modis etiam Uiui adhuc colendi. 27. 8. in Festibus quoque sui honorandi. item in alijs reliquijs. 8. ib. Nomina, alijsq; modis honorandi. 27. 9. seqq. Multa sapè occulta à Deo discunt. 32. 2. exempla. 32. 3. per infamiam sæpe ad gloriã ducuntur. 37. 5. seq. mirabilẽ, in se, Deum ostendunt. 37. 2. seq. Contemptores honoris fuerunt. 39. 4. seqq. Unde tam humiles? 40. 4. Sanctæ humillima prostitutæ habita exemplum. 39. 7.
Sanguinis quantum fusum Hierosolymis? 53. 12.
Sapientia perditur ab auaritia. 6. 1. summa in honorum fuga. 39. 1. seqq. est comes Religionis. 62. 3.
Saracenis urgẽ aduenu humanitas. 62. 2.
Sardanapali Uita, mors, epitaphiũ. 60. 1.
Saul quo peccato regnum amiserit? 61. 2.
Saturninus cur imperiũ reppuerit? 23. 6. & 23. 8.
Scala terribiles iniustorum in inferno. 8. 12.
Scandalum malè à Phariseis in Christo, acceptum. 46. 8. & malè datũ à Christianis. 62. 2.
Schola, & artes Machiauelli. 54. 4.
Scoron cur in mare præcipitatus? 44. 4.
Scorpius sui Ueneni remediũ habet. 42. 7.
Scriptura sacra ad qualẽnis gloriam inuitet? 20. 5. adhibetur ab hæreticis, licet contraria. 54. 4.
Scyphus crystallinus fractus & refectus. 58. 3.
Secreta cordium soli Deo nota. 32. 1. & 32. 4. tamen eadem sæpe sanctis reuelata, 32. 2. seq. sed paucis. & cur? 32. 5.
Seditionis fuga. 39. 3. exemplum Athenienses. ib.
Segetes ab hoste destructæ. 60. 6.
Selimi Imp. aulica fortuna. 52. 6.
Senes sunt instar parentum. 25. 5. instar præceptorum. ib. in consilium adhibendi & honorandi. ib. Uarijs modis honorati. 25. 6. Eorum nomen honorificum. ib. à D. Benedicto ducibus modis honorari iussi. 25. 7. qua forma sint? 55. 1.
Sennacherib. prædæ factus. 51. 2. blasphemus quàm grauiter punitus. 64. 3.
Sensu carent Magi. Ubi character illis impressus. 64. 2. Sepem qui dissipent? 45. 6.
Septemtrionales esse belli domos. 57. 10.
Sepulcrum cum opibus suis Alaricus rex. 53.
Series lucrum. 7. 2.
Serpentum ingens Uis in Tiberi. 6. 6. custodia in horto. 45. 5. & hominibus. 46. 6. cum Gulpibus in Uita pax. 66. 5.
Serta impia 103. 13.

Serto-

Tertorius Gentis spe vincit hostem. 44. 1.
Servus quem honorem debeant dominis? 26. 2. quo sint ingenio? exemplis probi fuisse probantur. ib. Coste candida vsi, cùm manu mitterentur. ib. Quis à domino vicissim tractandi? 26. 3.
Seruitus mundi quàm misera? 15. 1. pecuniarum. 5. 16.
Sesostris rota revolutione sapit. 45. 2.
Silux incendio cur comparetur bellum? 55. 4.
Simius Dei diabolus. 63. 4.
Simplicij perpetua cum coniuge castitas. 36. 8. episcopatus, calumnia, innocentia per ignem probata. 36. 8.
Simulationis malitia. 31. 5.
Simulatores pacis. 66. 5. seqq.
Sinu excepti S. Ioannes, & Lazarus 13. 8.
Sisaphernis in fratrem vindicta. 5. 15.
Sisara à femina victus. 60. 5.
Sisyphi Saxum, quid sit? 45. 2.
Sitis in tormento. 52. 10. eò succurrendum. ib.
Socratis inopia 2. 8. & 2. 10. admiratio de ijs qui volentes imperiti susceperunt. 22. 4. dictum, id unum se scire, quòd nihil sciret. 40. 3. sententia de non credendo calumniatori. 49. 1.
Sodomita divinæ iræ exemplum. 61. 5.
Sol & reliqua sidera prælio succurrerunt. 56. 10.
Solicitudo à pecunia. 4. 6. temporalium rerum nec habenda, nec temerè suscipienda. 46. 2.
Solonis error & monitio de falsa huius vitæ felicitate. 17. 10 sententia de iniurijs puniendis. 42. 7.
Somnium causa est, vt frater fratrem occidat. 5. 15.
Somnus diuitarum. 14. 1. & 16. 4 felicissimè facit defungi. 17. 10.
Sororis & fratris pia separatio. 15. 16.
Spectaculorum sumptus inanis. 7. 2. & 8. via ad paupertatem Friderico II. 5. 8.
Spelunca cur in honorem B. Virginis sacrata? 52. 1.
Spes in Deum melior est, quàm præsens pecunia. 13. 2.
Spinis fimbriæ cur diuitiæ? 7. 7. cur Pharisæorum vestes intextæ? 19. 2.
S. Spiridion alteram colapho maxillam præbet. 28. 5. quo habitu sit ad Constantinum ingressus? ibid.
Splenis cur diuitias comparârit Traianus? 5. 2.
Sponsa misera diaboli, eiusq; nuptiæ funestæ. 63. 4.
Sputum in formicas iactum, quid efficiat? 47. 1.
Statuarum cur contemptor Agesilaus? 19. 1. translatio infelix in Horatio. 48. 1.
S. Stephanus rex, quantum fuerit pauperes? 13. 10.
Steriles cur beatæ dictæ? 53. 11.
Sterilitas, tempore Michaelis Paphlagonis. 6. 6.
Stipendia militi, quomodo pauper dux Agathocles solvere cogitârit? 47. 2. Sufficere debent militibus. 56. 8.
Stulti imago lepidè facta. 44. 6. appellatio ingeniosè retorta. 47. 2.
Stultitia ex cupiditate auri. 6. 1. seq.
Sunamitis Elisæum pascens. 13. 12.
Superbia è diuitijs. 5. 3. seq. auaritiæ amica & inimica. 7. 1. contentionum mater. 19. 9. maximum malum. 30. 3. Humiliata per exempla sacra. 30. 3. itèm per profana. 30. 4 seq. certat cum auaritia 44. 6. est bellorum causa. 60. 5.
Superior quomodo possit inferiorem pro superiore habere? 40. 15. à qua re humilietur? 45. 2. non ladendus. 45. 3. inclemens cur fiat? 45. 5.

Suplica-

Supplicatio pauperis ad Saturnum. 2.12.
Susanna calumniatores talione punita. 49.5.
Suspendens se, ob amissa bona. 1.3.
Suspitiones cautum facientes. 54.3.
Sylla cur Poeta de bonis sub hasta venditis quadam donari sustulerit? 20.2.

Tabaci grauis abusus. 63.10.
Talandum quantus calumniator? 49.9.
Talio quid propriè sit? quid latè? 42.1. *per eam veteres vindictam intellexerunt. ibid. rationes & lepida historia contra pœnam talionis.* 42.2. *eadem pœna defenditur.* 42.3. *lex talionis in sacris etiã litteris reperitur.* 42.2. *sed cum limitatione. ib. non poterat irrogari ea pœna, nisi peteret lasus. ibid. eam legem non abrogauit Christus.* 42.5. *eius fructus.* 42.7. *Talio operis varièexpressa.* 51.1. *Iudaïs irrogata, ob ea, quæ Christo intulerunt.* 53.1. *seqq. ab Alphonso rege decreta.* 54.1.
Tantalis fabula de auaro. 7.3.
Taurus Perilli æneus, authori noxius. 44.3.
Telis Athenensis quæ felicitas? 17.10.
Telo percussus, quo percussit quidam. 51.1. & 52.1.
Temerarium iudicium fugiendum. 37.2. *seqq. iudicatur.* 46.1. *prohibetur à Christo & Paulo.* 46.2. *miro exemplo ostenditur.* 46.5.
Temperantiæ mater paupertas. 11.9.
Tempestates ob auaritiã omnia destruentes. 6.6. *similes bello.* 65.2.
Templum quo modo adeundum? 32.9. *adire cur prohibita Kunigundis?* 45.8. *item Eutropius?* 48.5. *non laditur ab Atheis inundante.* 6.6.
Tempora sacra magis obseruata, ad scelera. 63.3. *nostra cum antiquis, in solatium collata.* 65.2.
Tentationum caussa pecunia. 5.3. *cautela necessaria in morte.* 33.4.
Terra sancta quanto in honore fuerit olim? 62.1. *apud quos? ib. cur Christianis adempta?* 62.2.
Testis castitatis ignis. 54.5.
Thalmudistarum insania de Deo fiente. 46.1.
Themistoclis dictum, cùm honoraretur. 19.8. *consilium vetus, sed inhonestum.* 48.4.
Theodosio pugnaturo, qui Apostoli succurrerint? 56.10. *quanta fuerit cura de filijs educandis?* 25.3. *baculus & superhumerale in bello profuit.* 27.6.
Theologi honorandi, & honorati. 26.6.
Theopompi de regno sententia. 66.3.
Thesauri reperti caussa rex occisus. 4.6. *collecti caussa deceptus auarus.* 5.7.
Thoas puer draconem gratum aluit. 45.7.
Thrasillo cur drachma petita, negata? 47.6.
Thrasius sua arte perijt. 44.3.
Timon cur Plutum non admiserit? 4.7.
Timor DEI, interiora videntis. 32.4. *quàm sit necessarius?* 59.2. *seqq.*
Titulorum quanta cura, apud profanos? 60.9.
Tobiæ fiducia in Deum. 13.4.
Tolumnius augur cadit primus. 48.2.
Torques aureus putatus, qui laqueus erat. 8.5. *misericordiæ symbolũ.* 43.3.
Tragicum auaritiæ exemplum. 7.5.
Trebellius suo Marium gladio interfecit. 51.1.
Tres pueri in fornace Deum laudantes. 63.1.
Tribulatio iusti. 37.2.
Tributa cur dentur? 56.9.
Triginta argentei pro Christo dati, quo modo vindicati? 53.7.
Tumor animi quo modo sit reprimendus in ijs

ingis, qui aliquid præclari gesserunt? 40. 2.
Tunica duplex Apostolis à Christo non permissa. 14. 6. *Christi, sub sortem veniens.* 53. 12.
Turca infeliciter à Christianis in auxilium vocatus. 62. 7.
Tyberis inundans ex pœna Dei. 6. 6.

Vagabundæ puellæ in quanto sint periculo? 63. 3.
Valedicendi formulam esse Pacem. 66. 1.
Valentini luxuria, luxuriâ punita. 54. 2.
Valerianum talionem passum. 51. 2.
Vallo cur, & quo modo circumdata Ierusalem? 53. 6.
Vana gloria in triplici est classe. 22. 1. *quando, & quo modo ab hominibus appetatur? ib. Chamæleonti similes facit. ib. aliquando est causa veri honoris.* 23. 5. *refranatur memoria delictorum.* 40. 13 *ab Epaminonda quo modo repressa? ib. à quibus valde quæsita?* 19. 7.
Vanitas ingrati Dionysij. 43. 5.
Varij modi pauperum Christi. 15. 17. *Varij item modi moriendi convenientes.* 57. 7.
S. Vdalricus Episcopus quàm fuerit pius? quàm civiliter hospitio exceptus? de adulterio suspectum innocentem ostendit, à mortuis suscitat testem innocentiæ. 34. 2. *seqq.*
Vectigal è re turpi. 5. 6.
Venatio mira Childeberti Francorum regis. 11. 7. *est Simulo causa mortis.* 5. 15. *apri apud Macedones quanti?* 47. 5.
Venefici Hebræus, miserè perit. 48. 8. *quantis sit sceleribus obnoxius? & quàm sceleratè confiteatur?* 63. 15.
Venenata in medicinam, 42. 7. *famelicis in cibum.* 53. 11. *non nocent bibenti.* 52. 12.
Veniam dans, veniam meretur. 43. 4.
Venit nubes attrahentis natura. 44. 1.
pulvere hostes obruentis causa. ib.
Ventres dissecti, ob pecuniam. 53. 9.
Verbum pro facto, in divinis litteris. 13 3.
Vespasiani sordida avaritia. 5. 6.
Vestes contemptum faciunt. 1. 3. *defunctorum cur olim lacerarz?* 5. 13 *quales à S. Ioan. Baptista portata?* 14. 3. *quales ab Apostolis?* 14. 6. *quales à Pharisæis, quas perstrinxit Christus?* 19. 2. *detracta, faciunt, ut & detrahentes detrahantur.* 53. 9.
Vix Dei investigabiles. 38. 5.
Vices in mundo, unde? 13. 1.
Victoria morte Unius Codri obtenta. 17. 9. *ope B. Virginis obtenta.* 52. 1. *ope Genis parata.* 44. 1.
Vidua duo minuta mittens à Christo laudata. 13. 3. *Abdia ab Eliseo adiuta.* 13. 5. *alia ab Episcopo adiuta.* 15. 5. *est honoranda.* 27. 1. *cur? & exempla. ib.*
Vindicativa iustitia quid agat? 59. 3. *seq.*
Vindicta causa non appetenda opes. 5. 10. *Sisiphonis in fratrem.* 5. 15.
Vinum à S. Lydwina, item à Carilepho multiplicatum. 11. 7. *potari dictum, est causa mortis.* 45. 5.
Virgo permansit in coniugio Richardæ augustæ. 36. 6. *& S. Kunigundæ.* 26. 6.
Virtus in Utrumque parata. 2. 7. *à pauper-*

pertate fouetur. 11. 3. & 11. 12. *honore digna.* 18. 1. *à solo Deo potest dignè honorari.* 19. 10. *honorata crescit.* 24. 4. *seq. Sola æternum nomen parit.* 29. 11. *bello defensa & acquisita.* 57. 9. *quàm multiplex in Incarnatione eluceat?* 58. 3. *non potest esse, vbi non possunt esse vitia.* 58. 6. *seq.*

Vita longa vanè à Iudæo promissa. 48. 8. *mala malos fructus facit.* 62. 2. *seq.*

S. Vitalij mirus Zelus animarum. 46. 5.

Vitiorum qualium caussa paupertas? 1. 4. *occasio diuitiæ.* 5. 2. *seqq. quantum sint diuitibus damnum?* 7. 3. *eorum sedes.* 58. 6. *seq. seruiunt virtutibus. ib. quæ bellum mereantur?* 59. 6. *Christianos è Terra sancta eiecerunt.* 62. 2. *seq.*

Vitiæ regis simulatio, impietas, pœna. 62. 5.

Vincere, vt laudem merearis, virtutis esse; vt laueris, ambitionis. 20. 2.

Vltio non priuata authoritate suscipienda. 56. 5.

Vltor peccati à tergo Deus. 38. 6. & *iniuriarum.* 41. 3. *seq. & subinde, etiam Sanctis.* 42. 6.

Vmbram Isidori veneriti infidales. 26. 6. *corpora adhærescens cui par?* 43. 7.

Vni non omnia committenda. 54. 4.

Vrburgensis rusticus mirè sanctus 37. 2. *seqq.*

Vocationem non sine pœna negligi. 51. 3.

Voluntaria paupertas cur bona? 2. 12. *fuit in primitiua Ecclesia.* 15. 3. *seqq. quot bonis sit prædita?* 17. 7.

Voluptarius diues damnatus. 8. 10.

Voluptas voluptate compensata. 43. 1.

Votum paupertatis in primitiua Ecclesia. 14. 7. & 15. 11. *in carcere factum ab Ephræm.* 38. 1. *seq.*

Vrbs hostilis cur non deleta à Lacedemonijs? 57. 9. *luxuriosa quo modo in exitium ruat?* 61. 8.

Vrina pectigal. 5. 6.

Vsores, qui petatores dicti? 63. 8.

Vsurarij pœna diuina. 13. 7.

Vsus diuitiarum indifferens. 5. 1. *sed periculosus.* 1. 2. & *difficilis.* 4. 7. *non tollendus ob abusus.* 57. 12. *eiusdem rei diuersus.* 66. 2.

Vulpes calumniantis lupo calumniam reddit. 48. 3. *cum serpente pacem infidam init.* 66. 5.

Vxoris caussa pecunia quærenda. 11. 9. *valde rara & constans fidelitas.* 13. 6. *mala tractatio vindicata.* 51. 9. *prius mortuæ, quæ marito feretrum parauerat.* 52. 13.

VV *Andali Africam pupientes.* 61. 6.

S. VVenceslaus, ob regnum, à fratre occisus. 5. 15.

VVielephus malè damnat omne bellum. 56. 4.

S. VVilhelmus episcopus quantus pauperum amator? 13. 11.

S. VVilbrordus inhospitaliter tractatus, vindicatus. 52. 11.

VVinthoniensis episcopus, quàm fuerit erga pauperes affectus? 13. 11.

VVinulorum à quo, & quanta passi? 62. 6.

X *Enophontis de paupertate testimonium.* 3. 4. *sententia de Cyro mendacij osore.* 49. 2.

Z *Achæum visitans, malè iudicatus Christus.* 46. 8.


Zelotæ

Zelotæ quid egerunt tempore cladis ſolymeæ? 53. 5.
Zelotypia laborantes facillimè errare, & graues litis. 34. 4. *& ingentium malorum cauſſam eſſe.* 34. 5. *Caroli Magni.* 49. 9. *& Othonis Imp.* 54 5.
Zelus animarum. 34. 4. *&* 36. 9. *&* 46. 5. *ſeqq. Eliæ, Ieremiæ, Sancti Pauli.* 51. 7.
Zeuonis ſitis & ſepultura. 62. 4.
Zona Eliæ Prophetæ, & Io. Baptiſtæ qualis fuerit? 14. 3.
Zuickij hæretici blaſphemia, in pari punita. 54. 7.

Collegij Soc. Iesv. Paderborne

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN